BIBLIOTHÈQUE DES ECOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

2e SÉRIE

LES
REGISTRES DE BONIFACE VIII

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

PAR

Georges DIGARD, Maurice FAUCON, Antoine THOMAS, Robert FAWTIER

Anciens membres de l'École Française de Rome

TOME TROISIÈME

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

PUBLIÉE

SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE

2e SÉRIE — IV

LES REGISTRES DE BONIFACE VIII

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

D'APRÈS LES MANUSCRITS ORIGINAUX DES ARCHIVES DU VATICAN

PAR

Georges DIGARD, Maurice FAUCON, Antoine THOMAS et Robert FAWTIER

ANCIENS MEMBRES DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME

TOME TROISIÈME

(SEPTIÈME, HUITIÈME ET NEUVIÈME ANNÉES)

(Nos 3925 à 5408)

PAR

Georges DIGARD

PARIS

ANCIENNE LIBRAIRIE FONTEMOING ET Cie

E. DE BOCCARD, ÉDITEUR

LIBRAIRIE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

1, Rue de Médicis, 1

1921

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM ANNI SEPTIMI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

3925 (I) Latran, 10 février 1301.

« Remittuntur sibi mille trecente quadraginta marche sterlingorum de decima. » (REG. 50, fol. 1.)

Venerabili fratri Johanni episcopo Wintoniensi. Honestatis debito suadente —. Sane in presentia nostra nuper exponere curavisti, quod felicis recordationis Nicolaus papa quartus, predecessor noster, collectionem decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum Cantuariensis et Eboracensis provinciarum, quam idem predecessor olim, dum viveret, concesserat per sex annorum spatium carissimo in Christo filio nostro Eduardo, regi Anglie illustri, ad prosecutionem comodiorem et efficatiorem negotii Terre Sancte, quod idem rex assumpserat personaliter prosequendum, duxit tibi et bone memorie Lincolniensi episcopo, tunc viventi, per suas sub certa forma litteras committendum; ac tu et idem Lincolniensis episcopus, per tres annos predictorum sex annorum primos, circa hujusmodi collectionem diligenter et fideliter laborastis. Sed demum, in regno Anglie supervenientibus gravibus et notoriis turbationibus atque scandalis, et propterea vobis in hujusmodi collectione decime procedere ulterius comode nequeuntibus, nos in ipsius collectionis negotio alios tibi et eidem episcopo Lincolniensi, adhuc viventi, subrogandos duximus collectores. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum labores, expensas et sumptus plurimos in negotio collectionis hujusmodi, pro tempore quo circa illud, ut predicitur, vacavisti, subiisti — providere tibi et ecclesie tue, pro hujusmodi laboribus, sumptibus et expensis de retributionis beneficio dignaremur.

Ei concedit et remittit in remissionem præfatam mille trecentas et quadraginta marchas sterlingorum de decima, in qua pro dictis tribus annis ille et ipsa ecclesia tenentur, ea lege tamen ut quantitatem decimæ prædictæ, in quo tenentur ultra hanc summam, .. abbati monasterii de Waltham, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, et .. decano Londoniensi, nunc ejusdem decime collectoribus, solvere curent.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Waltham ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, et .. decano Londoniensi, collectoribus decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventuum Cantuariensis et Eboracensis provintiarum, per felicis recordationis Nicolaum papam quartum, predecessorem nostrum, pro subsidio Terre Sancte olim imposite per sex annos.*

3926 (II) Latran, 30 janvier 1301.

« Transfertur ad ecclesiam Consanensem. » (fol. 1.)

Venerabili fratri Consilio, archiepiscopo Consanensi. Angit nos cura —.

Ad ecclesiam Consanensem, per translationem Adenulfi de prædicta ecclesia ad Beneventanam, solatio destitutam pastoris et ea vice provisioni Apostolicæ Sedis reservatam suprascriptus, dudum Tyrensis et Arborensis archiepiscopus, soluto vinculo quo dictis ecclesiis, quæ per Apostolicam Sedem sunt unitæ, tenebatur, transfertur, palleo ei per M[atthæum], Sanctæ Mariæ in Porticu, Landulfum, Sancti Angeli, et Franciscum Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconos cardinales, exhibito.

Dat. Laterani, III kal. februarii, anno septimo.

In e. m. *venerabilibus fratribus universis suffraganeis ecclesie Consanensis.*

3927 (III) Latran, 21 février 1301.

« Super quibusdam injuriantibus Johanni, episcopo Wintoniensi. » (fol. 1 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . priori Sancte Genovefe, ac . . decano ecclesie Parisiensis. Moleste ferimus et quasi ex molestia nobis illata turbamur, dum ecclesiastice persone, ac maxime pontificali predite dignitate, ab hiis potissime, de quibus speratur status ecclesiasticus honorari, afficiuntur molestiis, flagitantur injuriis, perturbantur scandalis, ac suis bonis et juribus per impressiones ac alios actus nepharios spoliantur. Quibus enim placere poterit, quin Eterno Patri displiceat, qui personas ecclesiasticas dispendiis afficere non veretur? Nonne Romanam ledit Ecclesiam, que tutrix et defensatrix illarum existit, qui eas gravaminibus et pressuris affligit, et retributionis premium unde merebitur qui actibus nocivis tangit illas? Decet quippe, ac nostri debitum officii et curam requirit, ut hujusmodi personis ecclesiasticis, dum eas sic percipimus pernitiose tractari, dum sic inspicimus in perplexitate manere, oportunis favoribus debitisque remediis succurramus. Sane venerabilis fratris nostri Johannis, episcopi Wintoniensis, ab olim ad nos insinuatio querelosa pervenit, quam et sua nuper nobis presentialis expositio memoravit, et, nedum impresentiarum, set alias etiam fidedignorum affirmavit assertio, quod nobilis vir Hugo de Bovilla, miles, maneria de Vitery et de Gentili ac de Arcolio prope Parisius, cum possessionibus, terris, vineis, pratis, redditibus et aliis bonis et pertinentiis eorundem, ad ipsum Wintoniensem episcopum pleno jure spectantia, immo pecuniam, pannos, libros, vasa aurea et argentea, et nonnulla alia bona mobilia ipsius episcopi, que idem episcopus apud Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, Sancte Genovefe ac Sancti Victoris monasteria, sancti Benedicti et sancti Augustini ordinum, et penes domum Militie Templi Parisiensem deposuerat ac noscebatur habere, insuper etiam Guillelmus, filius nobilis viri Odardi de Cambliaco, militis, domum supra portam Sancti Marcelli Parisiensem, cum aliis bonis et pertinentiis suis, terras quoque ac prata, possessiones et decimas, posita apud Yssi, Parisiensis diocesis, nequiter occuparunt, ipsaque detinent per violentiam occupata, in Divine Majestatis offensam, contemptum ecclesiastice libertatis, ac animarum suarum periculum, et plurimorum scandalum, et predicti Wintoniensis episcopi grave dampnum, prejudicium et jacturam. Cum igitur hec adeo notoria et manifesta esse noscantur, quod nulla possunt tergiversatione celari, nosque non intendamus eadem, sicuti nec debemus, sub dissimulatione transire, discretioni vestre per Apostolica scripta, in virtute obedientie ac sub excommunicationis pena, districte precipiendo mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eosdem Hugonem et Guillelmum, ex parte nostra, publice monere, ipsisque districte ac peremptorie mandare curetis, ut, infra unius mensis spatium post monitionem et mandatum hujusmodi, predicta omnia et singula bona, occupata taliter et detenta per eos, eidem Johanni, episcopo Wintoniensi, vel ejus procuratori pro ipso, cum integritate restituant et assignent, ac de fructibus inde perceptis plenariam satisfactionem impendant, nullam sibi de cetero super hiis, per se vel alium seu alios, molestiam vel injuriam illaturi. Quod si infra hujusmodi terminum predicta bona sic restituere et assignare, ac de dictis fructibus satisfactionem [impendere] forte contempserint, vos extunc in eos et eorum quemlibet, auctoritate nostra, ipso facto, absque difficultatis obstaculo, appellatione remota, excommunicationis sententiam proferatis. Generaliter insuper atque publice universis et singulis, ex parte nostra, similiter districtius prohibere curetis, ut nullus predicta bona vel aliqua seu aliquod ex eis, absque predicti Johannis episcopi expressa voluntate ac licentia speciali audeat capere, accipere, invadere vel tenere. Illos autem, qui contra inhibitionem hujusmodi scienter facere vel attemptare presumpserint, cujuscunque fuerint conditionis, pertinentie, dignitatis vel status, ecclesiastici vel mundani, eadem auctoritate, ipso facto, simili sententie subponatis, a qua nullus predictorum absolvi valeat absque nostra et Apostolice Sedis speciali licentia et mandato, plenam et expressam mentionem de presentibus continente. Faciente(s) nichilominus eos et eorum quemlibet, nominatim etiam et expresse, post prolationem et innodationem hujusmodi, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per omnia loca et ecclesias, de quibus expedire videritis, excommunicatos publice nuntiari, et ab omnibus artius evitari, donec plenarie satisfecerint de premissis, ac meruerint a nobis et Sede predicta absolutionis beneficium obtinere. Dat. Laterani, VIIII kal. martii, anno septimo.

3928 (IIII) Latran, 25 février 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 2.)

Magistro Guillelmo Ebraldi, juris civilis professori, canonico Ruthenensi. Laudabile testimonium. —.

Ad considerationem Caroli, regis Siciliæ, cujus clericus et

familiaris existit suprascriptus, cum eodem in Ruthenensi ecclesia sub exspectatione vacaturæ præbendæ auctoritate Apostolica in canonicum recepto dispensatur, ut, prædictam præbendam assecutus, in Albiensi succentoriam, canonicatum, præbendam, et in Sancti Martini Doysina quasdam decimas sine cura, et quamdam annuam pensionem in decimis super ecclesiis de Buczeto et de Gimilibus, Caturcensis et Tholosanæ diocesium, ab .. abbate Moysiacensi, ordinis sancti Benedicti, ejusdem Caturcensis diocesis, obtentas, valeat licite retinere, viso quod succentoria et præbendæ hujusmodi debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis, si qua illis imminet, nullatenus negligatur.

Dat. Laterani, v kal. martii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Lectorensi et dilectis filiis .. abbati Lombariensi in ecclesia Tholosana et .. preposito ecclesie Aptensis.*

3929 (v) Latran, 15 février 1301.

« Super dispensatione matrimonii. » (fol. 2 v°.)

Dilecto filio nobili viro Francisco de Raynio juniori, civi Capuano. Apostolice Sedis circumspecta benignitas — : in illis tamen facilius flectitur quum facta jam invenit quorum dissolutio difficilius sequitur quam agendorum indulgentia concedatur. Sane quondam frater Petrus de Murrone, tunc Celestinus papa quintus, predecessor noster, antequam papatui cederet, tibi dispensative concessit, ut dilectam in Christo filiam Benevenutam, puellam natam nobilis viri Cervi de Palmerio, civis Capuani, qui te de sacro fonte levasse dicitur, impedimento non obstante predicto, posses tibi matrimonialiter copulare. Verum, quia per constitutionem nostram gratias — ab eodem Celestino concessas, que adhuc effectum non erant debitum consecute, decrevit nostra provisio suspendendas, cum inter te dictamque puellam non sit adhuc matrimonium subsecutum, probabiliter dubitas tibi puellam ipsam in matrimonio collocare.

Ad supplicem instantiam nobilis viri Bartholomæi de Capua, regni Siciliæ logothetæ, suspensionem prædictæ indulgentiæ tollens, permittit ut puellam ipsam possit, quatinus dictus Celestinus concedit indulgentiam, sibi matrimonialiter copulare.

Dat. Laterani, xv kal. martii, anno septimo.

3930 (vi) Latran, 28 février 1301.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 2 v°.)

Dilecto filio nobili viro Ludovico, nato clare memorie Phylippi, regis Francorum, comiti Ebroycensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarete, nate quondam Phylippi, filii nobilis viri Roberti comitis Atrebatensis. Cum Summus Pontifex, collatis sibi, in persona beati Petri, ab Eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis, ligandi obtineat pontificium et solvendi, nonnunquam supra jus de jure dispensans, necessitatis vinculum, quo ad ipsius juris observantiam cuncti tenentur, laxat provide, de sue potestatis plenitudine, circa quosdam et presertim circa personas generis nobilitate sublimes, erga Deum et Sedem Apostolicam devotione precipua refulgentes. Sane petitio, pro parte carissime in Christo filie nostre regine Marie, relicte clare memorie Phylippi regis Francorum, matris tue, fili Ludovice, ac vestra, nuper nobis exposita continebat, quod, pro bono et salubri statu, nedum vestro et vestrorum sed etiam regni Francie et incolarum ejus, diverse cause suggerunt et considerationes exposcunt ut vos, qui a consanguinitatis jam estis fere in descensus et declinationis excursu, reducamini ad strictioris et indissolubilis vinculi unitatem per convinctionem copule conjugalis ; propter quod desideratis invicem matrimonialiter copulari. Verum, quia ex utriusque parte parentum tertio et quarto consanguinitatis gradibus vobis mutuo attinetis, te, scilicet Ludovice, tertio, te vero Margareta, quarto gradu a comunibus stipitibus differentibus, id non potest absque dispensatione Sedis ejusdem legitime provenire. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere vobis super hoc de oportuno dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque, hujusmodi causas et considerationes benignius attendentes, et spectantes quod ex matrimonio ipso, si fiat, vobis et vestris prosperitatis incrementa provenient, et in illis partibus multa bona, utilitates et comoda subsequentur, prefate regine Marie ac vestris supplicationibus inclinati, vobiscum, ut non obstante impedimento hujusmodi tertii et quarti gradus consanguinitatis, matrimonium invicem contrahere et in contracto remanere licite ac libere valeatis, auctoritate Apostolica, de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam a vobis ex hujusmodi matrimonii exnunc legitimam nuntiantes de Apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis, et cetera. Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

3931 (VII) Latran, 29 janvier 1301.

« Unitur monasterium Sancti Zenonis Pisanum, ordinis Camaldulensis, mense archiepiscopali Pisane. » (fol. 2 v°.)

Venerabili fratri archiepiscopo Pisano. Habet in nobis —. Oblata siquidem nobis tua petitio continebat, quod nos dudum, dilecto filio Benedicto Gaietano de Pisis, preposito ecclesie Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis, volentes facere gratiam specialem, preposituram ipsius ecclesie Sancti Petri, que ad mensam archiepiscopalem ejusdem ecclesie Pisane dicitur pertinere, cum omnibus juribus et pertinentiis suis Apostolica eidem Benedicto auctoritate contulimus, et de illa duximus providendum, propter quod predicte mense redditus et proventus sunt, in tuum et ejusdem mense dampnum et grave prejudicium, non modicum, ut asseris, diminuti. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum monasterium Sancti Zenonis Pisanum, ordinis Camaldulensis, tam propter inaptitudinem loci quam etiam quia locus ipse universitati civitatis Pisane ex certis causis suspectus existit, quodammodo sit collapsum, unire prefatum monasterium mense predicte in ejusdem mense relevationem de speciali gratia dignaremur.

Annuit petitioni.

Et, ut in eodem monasterio cultus divini nominis non tepescat, volumus quod . . abbas et monachi, qui sunt ad presens in eodem monasterio residentes, quique remanere voluerint in eodem, congruam, quoad vixerint, de redditibus ejusdem monasterii pro substentatione ipsorum recipiant portionem. Eis autem decedentibus vel a monasterio recedentibus memorato, per alias personas sufficientes et ydoneas in decenti numero faciatis in predicto monasterio tu et successores tui in divinis officiis desserviri. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, annexionis, unionis, applicationis et voluntatis, et cetera. Dat. Laterani, IIII kal. februarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Savini de Montione, et . . priori Sancti Augustini de Rezhano, Pisane diocesis, ac Jacobo de Lanfranchis, canonico Pisano.*

3932 (VIII) Même date.

« Super permutatione quarumdam possessionum spectantium ad mensam predictam. » (fol. 3.)

Dilectis filiis . . Sancti Pauli de Ripa Arni Pisani, et . . de Sancto Savino monasteriorum abbatibus, ac . . priori Sancti Augustini de Rezano, Pisane diocesis. Exposuit nobis venerabilis frater noster archiepiscopus Pisanus quod, cum ipse nonnullas possessiones et terras ad mensam suam archiepiscopalem spectantes, consistentes in Pisana, Lucana, Vulterana et Massana diocesibus, ex quibus sibi et eidem mense modica utilitas provenit, intendat cum quibusdam aliis possessionibus et terris constitutis in predictis diocesibus, que ipsis archiepiscopo et mense utiliores existere valeant, permutare, a nobis cum instantia postulavit ut fieri permutationem hujusmodi mandaremus.

Ut, inquisita super hoc diligentius veritate, hanc permutationem faciendi concedant licentiam et liberam facultatem.

Dat. ut supra.

(Potthast, 25009.)

3933 (VIIII) Latran, 25 janvier 1301.

« Quod possit facere visitari per alium. » (fol. 3.)

Magistro Petro de Montechiello, archidiacono Aureliacensi in ecclesia Claromontensi. Considerantes attentius quod tu, abolim circa camerariatus officium collegii fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium a nobis specialiter deputatus, in eo prudenter et fideliter te habuisse dinosceris, ad ea libenter intendimus, que tui honoris et comodi respiciant incrementa. Volentes itaque personam tuam, multiplicis utique probitatis meritis insignitam, favore prosequi gratioso, tibi, usque ad triennium, auctoritate Apostolica indulgemus ut per aliquam seu aliquas personas ydoneas possis monasteria, prioratus, ecclesias, loca et personas ecclesiasticas archidiaconatus tui Aureliacensis, quem in Claromontensi ecclesia obtines, facere visitari, et ratione visitationis, ac si ea personaliter visitares, procurationes in pecunia moderatas a monasteriis, prioratibus, ecclesiis, locis et personis hujusmodi ecclesiasticis exigere et recipere visitatis, constitutione qualibet super hoc edita in contrarium non obstante. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis Matheo Bruni, Claromontensi, ac magistro Jacobo de Rocca, scriptori nostro, Noviomensi canonicis.*

3934 (x) Latran, 10 février 1301.

« Quod possit contrahere mutuum. » (fol. 3 v°.)

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Vicentino. Cum sicut in presentia —.

Conceditur suprascripto licentia contrahendi mutuum usque ad summam trium millium florenorum auri sub solitis modis.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno septimo.

(Potthast, 25011.)

3935 (xi) Latran, 24 février 1301.

« Executoria super eodem. » (fol. 3 v°.)

Dilectis filiis Johanni Angiolini, thesaurario Florentine, et Raynerio de Vichio, capellano nostro, Lichefeldensis, ac Bartholomeo de Abbatibus, Bononiensis canonicis ecclesiarum. Exponente nuper nobis —.

Notificatur suprascriptis executorio nomine mutuum trium millium florenorum auri, quos Raynaldus, episcopus Vicentinus, recepit a Vidileo Dirictæ et Gutio quondam Ruchi de societate Mozorum de Florentia.

Dat. Laterani, VI kal. martii, anno VII.

(Potthast, 25016.)

3936 (xii) Latran, 20 février 1301.

« Conceditur sibi personatus seu dignitas quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Bituricensi. » (fol. 4 v°.)

Dilecto filio magistro Johanni de Anlesiaco, canonico Bituricensi. Exigunt tue probitatis —.

Suprascripto, ad considerationem Petri, episcopi Autissiodorensis, cujus nepos existit, personatum seu dignitatem in diocesi Bituricensi, decanatu Bituricensis ecclesiæ dumtaxat excepto, reservat et confert, non obstante quod in seculari Sancti Ursini, prioratum, et in ea et majori Bituricensi ecclesiis, canonicatus et præbendas noscatur obtinere.

Dat. Laterani, x kal. martii, anno septimo.

3937 (xiii) Latran, 15 février 1301.

« Quod possit habere altare portatile. » (fol. 4 v°.)

Dilecto filio nobili viro Hugoni, comiti Blesensi. Devotionis tue —. Dat. Laterani, xv kal. martii, anno septimo.

3938 (xiiii) Latran, 20 février 1301.

« Quod possit eligere confessorem. » (fol. 4 v°.)

Eidem. Ut humani generis —. Dat. Laterani, x kal. martii, anno septimo.

3939 (xv) Latran, 15 février 1301.

Indultum pro religiosis in infrascriptorum curia edentibus. (fol. 4 v°.)

Dilecto filio nobili viro Jacobo de Castelione, fratri dilecti filii nobilis viri Guidonis comitis de Sancto Paulo, domino de Leuse et de Conde, ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Katerine, uxori ejus. Exigit magne devotionis —.

Ut religiosi qui familiariter eorum insistunt obsequiis et alii etiam, quorumcumque ordinum fuerint, in earum curia edentes, vescendi carnibus habeant facultatem, dummodo non teneantur ex speciali voto ab esu carnium abstinere.

Dat. Laterani, xv kal. martii, anno septimo.

3940 (xvi) Latran, 18 février 1301.

« Quod possit facere visitari per ydoneos vicarios, unum vel plures. » (fol. 4 v° et 5.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Autisiodorensi. Personam tuam nobis —.

Ut possit usque ad biennium diocesim per ydoneos vicarios, unum vel plures, visitare et procurationes ratione visitationis in pecunia recipere ac exigere moderatas.

Dat. Laterani, XII kal. martii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Narbonensi et dilectis filiis . . cantori Aurelianensis, et magistro Petro de Bituris, canonico Bituricensis ecclesiarum.*

3941 (XVII) Latran, 22 février 1301.

Alterum indultum pro eodem. (fol. 5.)

Eidem. Ut spiritualium largitione munerum incolas tuarum civitatis et diocesis ac aliarum etiam partium, ad quas te pervenire contigerit, reddas Sedi Apostolice plus devotos, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut, cum te missarum solemnia in pontificalibus celebrare aut predicationis officium, per te vel per alium, sive in tua civitate vel diocesi sive in aliena, exercere contigerit, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad hujusmodi solemnia et predicationes accesserint reverenter, possis, infra tuam civitatem et diocesim supradictas, sexaginta, preter id quod tibi noscitur de jure comuni licere, in aliena vero civitate vel diocesi, quadraginta dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxare. Dat. Laterani, VIII kal. martii, anno septimo.

3942 (XVIII) Latran, 14 février 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 5.)

Magistro Guillelmo Flote, preposito Normannie in ecclesia Carnotensi. Apostolice Sedis benignitas —. Sane petitio tua nuper nobis exhibita continebat quod venerabilis frater noster Guillelmus, Ambianensis episcopus, volens personam tuam congruis honoribus prevenire, preposituram ecclesie Ambianensis, quam dilectus filius Guillelmus de Matiscone, nepos ejus, obtinuerat in ipsa Ambianensi ecclesia, cujus fuisse prepositus noscebatur, tunc liberam et vacantem per acceptationem ipsius Guillelmi factam per eum de archidiaconatu ejusdem Ambianensis ecclesie, libera et vacante, et ad collationem ipsius episcopi libere pertinente, duxit tibi, preposituram Normannie in ecclesia Carnotensi, archidiaconatum Brabantie in ecclesia Cameracensi et thesaurariam ecclesie sancti Franbaudi Silvanectensis ex dispensatione Apostolica obtinenti, auctoritate ordinaria conferendam.

Dispensatur cum eo ut prælibatam præposituram ecclesiæ Ambianensis cum aliis suis beneficiis licite retinere possit, et ut, ratione præpositurarum, archidiaconatus et thesaurariæ prædictorum, non teneatur usque ad quinquennium ad sacros ordines se facere promoveri.

Dat. Laterani, XVI kal. martii, anno septimo.

3943 (XVIIII) Latran, 26 février 1301.

« Quod propter tres prebendas sacerdotales in ecclesia eorum de novo adauctas tricenarius canonicorum numerus non frangatur. » (fol. 5 v°.)

. . *decano et capitulo ecclesie Biliomensis, Claramontensis diocesis.* Ecclesiarum comoda —. Sane venerabilis frater noster Egidius, archiepiscopus Narbonensis, nuper exposuit coram nobis quod bone memorie Hugo, Ostiensis et Velletrensis episcopus, frater ejus, olim dum viveret, pro sue ac parentum ejus animarum salute, in suo testamento sive ultima voluntate disposuit ut tres prebende sacerdotales crearentur in ecclesia vestra de novo, ac de bonis suis etiam dotarentur, eodem archiepiscopo et venerabili fratre nostro Johanne, episcopo Claromontensis diocesis, loci ejus, ad id executoribus deputatis. Postmodum autem eodem Hugone episcopo viam universe carnis ingresso, et eisdem executoribus volentibus mandatum predicti testatoris in hac parte efficaciter adimplere, dictus Claromontensis episcopus, vestro ad hoc accedente consensu, hujusmodi tres prebendas sacerdotales de novo creavit in vestra ecclesia memorata, et tam ipse quam prefatus archiepiscopus, executores, prebendas ipsas juxta voluntatem predicti testatoris dotare curarunt. Quare predictus archiepiscopus pro vobis apud nos suppliciter institit, ut, cum in ipsa ecclesia vestra tricenarius canonicorum numerus ab antiquo fuerit institutus, et etiam per Sedem Apostolicam confirmatus, providere vobis ut per prefatas tres prebendas taliter adauctas ibidem predictus tricenarius numerus non frangatur, misericorditer dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat. Laterani, IIII kal. martii, anno septimo.

3944 (XX) Latran, 28 février 1301.

« Preficitur in episcopum Cassanensem. » (fol. 5 v°.)

Guillelmo de Cuna, electo Cassanensi. Ad universalis ecclesie —.

Ecclesiæ Cassanensi per translationem Ricardi episcopi ad Tricaricensem ecclesiam vacanti suprascriptus, ordinis Minorum professor, præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Cassanensis.*

(POTTHAST, 25019.)

3945 (XXI) Latran, 28 février 1301.

« Preficitur in episcopum Tricaricensem. » (fol. 5 v°.)

Venerabili fratri Richardo, episcopo Tricaricensi. Angit nos —.

Soluto vinculo quo tenebatur ecclesiæ Cassanensi, suprascriptus ad ecclesiam Tricaricensem, per translationem L[eonardi] ad archiepiscopatum Tyrensem et Arborensem vacantem et ea vice provisioni Sedis Apostolicæ reservatam, transfertur.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

In e. m. *capitulo ecclesie Tricaricensis — clero — populo civitatis et diocesis Tricaricensis — vasallis.*

In e. m. *dilecto filio fratri Gentili, electo Cathaniensi, administratori ecclesie Acherontine.* Angit, et cetera usque : producetur. Cum igitur idem episcopus, ut in commissa sibi ecclesie predicte cura facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur quam plurimum oportunus, fraternitati tue rogamus et hortamur ac per Apostolica tibi scripta mandamus quatinus eidem episcopo in ampliandis et conservandis ecclesie predicte juribus, cum ab eo fueris requisitus, sic te favorabilem exhibeas et benignum, quod ipse per tue auxilium gratie in commisso sibi ecclesie prefate regimine se utilius valeat exercere, tuque divinam misericordiam et Sedis Apostolice favorem et gratiam proinde uberius merearis. Dat. ut supra.

3946 (XXII) Même date.

« Preficitur in archiepiscopum Tyrensem et Arborensem. » (fol. 6.)

Venerabili fratri Leonardo, archiepiscopo Tyrensi et Arborensi. Romani pontificis —.

Suprascriptus transfertur de Tricaricensi episcopatu ad ecclesiam Tyrensem et Arborensem, per translationem Consilii ad archiepiscopatum Consanum vacantem et ea vice dispositioni Sedis Apostolicæ reservatam, palleo per Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, et Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ac Lucam, Sanctæ Mariæ in Via lata diaconos cardinales, illi exhibito.

Dat. ut supra.

In e. m. . . *archipresbitero et capitulo ecclesie Arborensis — universis vasallis — universis suffraganeis — nobili viro Johanni, vicecomiti de Basso, judici Arborensi —.*

3947 (XXIII) Même date.

« Preficitur in episcopum Tornacensem (fol. 6 v°.)

Guidoni de Bolonia, electo Thornacensi. Celestis dispositione consilii —.

Vacante ecclesia Tornacensi per obitum bonæ memoriæ Johannis, duas electiones per viam scrutinii contigit inibi celebrari, unam videlicet de magistro Stephano, archidiacono Brugensi in eadem ecclesia, et aliam, de magistro Gauffrido de Fontanis, ecclesiæ pradictæ canonicis. Negotio ad Apostolicam Sedem per appellationem devoluto, magister Gaufridus, in præsentia domini papæ, et prædictus archidiaconus, per procuratorem, resignarunt; qua resignatione admissa et provisione ejusdem ecclesiæ Apostolicæ dispositioni reservata, suprascriptus, tunc canonicus Claromontensis, præficitur in episcopum Tornacensem.

Dat ut supra.

In e. m. . . *decano et capitulo — clero — populo — universis vassallis — . . archiepiscopo Remensi. — Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francie illustri.*

3948 (XXIIII) Latran, 14 février 1301

« Super discordia que est inter ecclesiam Cameracensem et Robertum comitem Atrebatensem. » (fol. 7.)

Venerabilibus fratribus . . Atrebatensi et Morinensi episcopis, ac dilecto filio nobili viro Roberto, Bolonie et Alvernie comiti. Dudum ad audientiam nostram ex gravi Cameracensis ecclesie querela perducto, quod nobiles viri Robertus, Atrebatensis, et Johannes, Hanonie comites, aspirantes contra ipsam ecclesiam ad pernitiosa gravamina; idem scilicet Atrebatensis comes, propriis non contentus limitibus, et finium suorum predecessorum trangressor, partem Cameracensis civitatis, ad dictam ecclesiam non solum spiritualiter, set pleno jure etiam temporaliter, quam ipsa tunc, ut erat notorium, possidebat eeclesia, sicut antea possederat a tempore cujus memoria non exstabat, invadendam et occupandam duxerat violenter eamque detinebat taliter occupatam ; dictus vero comes Hanonie nitebatur custodiam ejusdem ecclesie usurpare, pretendens, inter cetera, quasdam conven-

tiones invalidas, cum quibusdam vicariis venerabilis fratris nostri G., Cameracensis episcopi, initas, in enormem ipsius ecclesie dampnum et intolerabilem injuriam redundantes: nos, talia sub dissimulatione transire nolentes, eosdem comites et predictum episcopum, necnon et dilectos filios . . prepositum, . . decanum et capitulum predicte Cameracensis ecclesie, auctoritate litterarum nostrarum, peremptorie fecimus sub certa forma citari, ut infra certum terminum, cum omnibus juribus et munimentis suis, hujusmodi negotia contingentibus, coram nobis comparere curarent, facturi et recepturi super hiis quod justicia suaderet ac ordo exigeret rationis. Comparente autem procuratore ipsius episcopi in hujusmodi citationis termino coram nobis et prefatum negotium proponente, nos dilecto filio nostro Guillelmo, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, duximus committendum ut inter eosdem episcopum, prepositum, decanum et capitulum, et predictum comitem Atrebatensem hujusmodi causam audire ac nobis referre curaret. Qui quidem cardinalis, auctoritate cemmissionis hujusmodi, predictum procuratorem ipsius episcopi, immo et procuratorem predicti comitis Atrebatensis apud Sedem Apostolicam constitutum ad suam fecit presentiam evocari. Comparentibus vero ipsis procuratoribus coram cardinali predicto, et prefato procuratore ipsius episcopi quasdam scripturas, ut asseritur, producente, non fuit ulterius coram eodem cardinali in negotio ipso processum. Cum autem predictus comes Hanonie cum eisdem episcopo, preposito, decano et capitulo se composuisse dicatur, nos, volentes finem imponere litibus in hac parte, ac predictorum episcopi, prepositi, decani et capituli, et ejusdem comitis Atrebatensis parcere laboribus et expensis, quia vos de facto et facti circumstantiis habere poteritis notitiam pleniorem, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, quicquid inter eosdem episcopum, prepositum, decanum et capitulum ejusdem Cameracensis ecclesie ac ipsam ecclesiam, ex parte una, et predictum comitem Atrebatensem; ex altera, super hiis extiterit questionis, non obstantibus supradictis et constitutionibus tam nostris, quarum prima cavetur ne quis certis exceptis casibus extra suam civitatem et diocesim, secunda vero, ne reus alterius diocesis, ultra unam dietam a finibus ejusdem diocesis ad judicium evocetur, quam de duabus dietis editis in concilio generali, infra annum a receptione presentium, studeatis, si de partium voluntate processerit, concordiam in illis partibus terminare, facientes vos, fratres episcopi, terminationem eandem auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, vos, episcopi, cogatis veritati testimonium perhibere. Alioquin vos iidem episcopi causam ipsam, extunc instructam vel non instructam, remittatis ad Apostolice Sedis examen, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo, per se vel per procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, hujusmodi negotium contingentibus, nostro se conspectui representent, facture et recepture super hiis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero remissionis et prefixionis hujusmodi, et quicquid inde duxeritis faciendum, vos, episcopi, per vestras litteras harum seriem continentes, nobis fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, XVI kal. martii, anno septimo.

3949 (XXV) Latran, 26 février 1301.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 7.)

Dilecto filio nobili viro Francisco, nato dilecti filii nobilis viri Corradi, marchionis de Carreto, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Aloisie, sorori dilecti filii nobilis viri Manfredi marchionis Salutiarum. Romani pontificis —.

Ut possint ad sedandas inimicitias matrimonium contrahere, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, IIII kal. martii, anno septimo.

3950 (XXV bis) Latran, 7 mars 1301.

« Super quodam falsario. » (fol. 7 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Maguntino. Inspectis litteris sub nomine nostro presumptione dampnabili fabricatis, quas tua nobis fraternitas destinavit, quasve tibi sub bulla nostra mittimus interclusas, eas comperimus liquido esse falsas. Ne igitur falsariorum temeritas remaneat impunita fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus Egidium de Cypri, clericum, fabricatorem ipsarum, qui, sicut directe nobis tue littere continebant, in tua potestate consistit, pane arto et aqua brevi, dum vixerit, substendandum, perpetuo facias carceri mancipari. Dat. Laterani, non. martii, anno septimo.

3951 (XXVI) Latran, 28 février 1301.

« Preficitur in episcopum Nimociensem. » (fol. 7 v°.)

Petro, electo Nimociensi. Superni dispositione consilii—.

Vacante ecclesia Nimociensi per obitum Berardi, episcopi, electio celebrata est de Antonio, thesaurario ecclesiæ Famagustanæ et confirmata fuit a vicariis archiepiscopi Nicosiensis, metropolitani, tunc in remotis agentis. J. autem, cantor ecclesie Nicosiensis, qui pro canonico ejusdem Nimociensis ecclesiæ se gerit, asserens se fuisse in hujusmodi electione contemptum, propter hoc ad Sedem Apostolicam appellavit; postea vero idem Antonius, qui pariter ad Sedem Apostolicam accesserat, prædictum episcopatum resignavit. Ejusdem resignatione recepta, ecclesiæ Nimociensi, ea vice dispositioni Sedis Apostolicæ reservatæ, præficitur Petrus, capellamus domini papæ.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

In e. m. . . *archidiacono,* . . *cantori et capitulo ecclesie Nimociensis* . . — *archiepiscopo Nicosiensi* . . — *regi Cipri.*

3952 (XXVII) Latran, 6 février 1301.

« Conceditur sibi officium tabellionatus. » (fol. 8.)

Magistro Oddoni Leonardi de Sarmineto, Terracinensis diocesis, camere nostre clerico. Ne contractuum memoria —. Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno septimo.

3953 (XXVIII) Latran, 15 février 1301.

« Super recipiendo resignationem canonicatus et prebende ecclesie Nivernensis. » (fol. 8.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Autisiodorensi. Cum dilectus filius magister Egidius de Sarmesia canonicatum et prebendam, quos in ipsa ecclesia obtinebat, intendat, ut asserit, libere resignare, nos, de tue probitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, libera predictorum canonicatus et prebende ab eodem magistro Egidio vel procuratore suo, ad hoc speciale mandatum habente, cum super hoc ab ipso vel dicto procuratore suo fueris requisitus, resignatione recepta, canonicatum et prebendam eosdem persone ydonee, etiam si persona ipsa beneficium obtineat, cui cura immineat animarum, auctoritate nostra, conferas et assignes, ac, ipsam recipi faciens ad prebendam eandem in dicta ecclesia in canonicum et in fratrem, inducas eam in corporalem possessionem predictorum canonicatus et prebende, et defendas inductum, sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, juribus et obventibus universis integre responderi, non obstantibus quibuslibet ipsius eeclesie contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quacunque firmitate alia roboratis ; aut si aliqui, Apostolica vel alia quavis auctoritate, in eadem ecclesia in canonicos essent recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisione sibi facienda de canonicatibus, prebendis aut aliis beneficiis ecclesiasticis in predicto Nivernensi ecclesia, specialiter, vel in illis partibus, generaliter, nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum litteras impetrarunt, quibus omnibus in assecutione canonicatus et prebende predictorum personam ipsam volumus anteferri; seu si venerabili fratri nostro . . episcopo et dilectis filiis capitulo Nivernensi vel quibusvis aliis, comuniter vel divisim, a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneatur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint, seu quod de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie aut aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem vel provisiosionem spectantibus, ulli valeat providere per litteras dicte Sedis, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, et quibus alia prefate Sedis indulgentia generalis, cujuscunque tenoris, existat, per quam presentibus non expreasam vel totaliter non insertam, effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore ; de verbo ad verbum, in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Contra, auctoritate nostra, et cetera. Porro quia non est verisimile quod quis beneficium, de quo vite subsidia percipit, de facili, sine magna causa, sua sponte resignet, omnino provideas ne super hoc, ex parte resignantis vel illius persone, cui predictos canonicatum et prebendam duxeris conferendos, vel alias quomodolibet, aliqua pravitas intercedat. Dat. Laterani, XV kal. martii, anno septimo.

3954 (XXVIIII) Latran, 13 février 1301.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 8.)

Dilecto filio Jacobo Garnerii de Molins, laico, et dilecte filie Bone dicte Vayrete, uxori ejus, Eduensis diocesis. Intenta salutis operibus Apostolice Sedis circumspecta benignitas utitur indulta sibi desuper plenitudine potestatis, sicut in Deo expedire conspicit, secundum diversitatem negotiorum concurrentium et exigentiam perso-

narum. Sane petitio tua, Jacobe, nobis exhibita continebat quod, cum olim puer, natus tuus, Bona, quem ab alio marito tuo legitimo, olim dum viveret, suscepisti, de sacro fonte a quibusdam aliis levaretur, tuque Jacobus, satis tunc juvenis, astares ibidem, licet ipsum puerum ad fontem hujusmodi non tenueris nec levaveris ex eo, neque illum tunc tetigeris quod recolas seu credas, fuisti tamen ex tunc cum predictis aliis eidem Bone compater nominatus. Postmodum autem predicto marito ipsius Bone de hac vita subtracto, tu ignorans quod tanta esset vis [1] in sola denominatione compatris, quod posset exinde matrimonium impediri, immo firmiter tenens et credens totam vim compaternitatis consistere in levando et sustinendo creaturam humanam ad fontem, cum eadem Bona, per verba de presenti, solemniter et in facie ecclesie matrimonium contraxisti, et tu et ipsa diu cohabitastis adinvicem, ac plures filios ex hujusmodi matrimonio suscepistis. Quare nobis humiliter supplicastis ut, tum ratione hujusmodi tue ignorantie, tum pro favore liberorum, tum etiam pro vestra et vestrorum infamia evitanda, procurare vobis super hoc de oportuno beneficio dispensationis misericorditer dignaremur, maxime cum ex divortio, si, quod absit, inter vos fieret, possetis, ob amorem natorum vestrorum, in magnum desperationis dispendium devenire, et exinde grave posset scandalum exoriri. Nos itaque, tuis, Jacobe, devotis supplicationibus inclinati, et potissime dilecti filii nobilis viri Roberti, Bolonie et Alvernie comitis, in hac parte precibus annuentes, vobiscum, ut non obstante impedimento hujus denominationis compaternitatis, quam, tu, Jacobe, inter vos taliter fuisse proponis, possitis in predicto matrimonio remanere, auctoritate Apostolica, de speciali gratia, dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam a vobis ex dicto matrimonio exnunc legitimam nuntiantes de Apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis et nuntiationis, et cetera. Dat. Laterani, id. februarii, anno septimo.

3955 (XXX) Latran, 12 février 1301

« Quod possit habere altare portatile. (fol. 8 v°.) »

Nobili viro Roberto, Bolonie et Alvernie comiti. Devotionis tue merita —. Dat. Laterani, II id. februarii, anno septimo.

1, *Ms.* vix.

3956 (XXXI) Latran, 15 février 1301.

« Conceditur indulgentia eis et aliis cum contigerit eos predicationibus interesse. (fol. 8 v°.) »

Dilecto filio nobili viro Guidoni, comiti de Sancto Paulo, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, uxori ejus. Considerantes eximie devotionis —.

Conceditur eis et omnibus aliis vere panitentibus et confessis, cum contigerit eos predicationibus interesse, indulgentia octuaginta dierum. « Presentibus post triennium minime valituris. »

Dat. Laterani, xv kal. martii, anno septimo.

3957 (XXXII) Latran, 1er février 1301.

« Confirmatur electio sua. » (fol. 8 v°.)

Dilecto filio Leoni, electo de Solia. Licet ea que —.

Confirmatur sententia super electione suprascripti lata ab episcopo Tusculano, cujus instrumentum inseritur :

« In nomine Domini, amen. Vacante dudum ecclesia de Solia in Cypro per mortem quondam Neophyti, ipsius ecclesie episcopi, tres fuerunt electiones de futuro episcopo in discordia celebrate, prima, videlicet de presbytero Leone Verna, decano ipsius ecclesie de Solia, secunda, de presbytero Theodoro, decano ecclesie Sancti Barnabe in Nicosia, tertia, de presbytero Joachim, abbate monasterii Sancti Georgii in Mangana, quibus electionibus celebratis, quilibet predictorum electorum comparuit coram venerabili patre . . archiepiscopo Nicosiensi, loci metropolitano vel ejus vicario, petens electionem de se factam tanquam canonicam confirmari ; eisque super hujusmodi suis petitionibus litigantibus coram vicario predicti archiepiscopi, et aliquibus processibus habitis coram eo ad impugnationem electionum eorundem, presbyter Theodorus et presbyter Joachim predicti, a brevitate cujusdam termini, eis assignati per vicarium supradictum, appellaverunt ad Apostolicam Sedem. Quarum appellationum et electionum causas sanctissimus pater et dominus noster, dominus Bonifatius, papa VIII, nobis, Johanni, miseratione divina episcopo Tusculano, commisit audiendas et referendas eidem. Comparentibus igitur coram nobis presbytero Leone et presbytero Theodoro, quolibet personaliter et principaliter pro se ipso, ac Germano, monacho et procuratore abbatis Joachim predicti, quilibet decretum electionis

sue et quedam alia instrumenta exhibuit coram nobis; deinde ad producendum omnia jura, litteras, instrumenta et munimenta, quibus uti volebant in causa hujusmodi, eis certum peremptorium terminum duximus statuendum; quibus instrumentis, litteris et munimentis productis per eos in termino eis dato, volentes de ipsarum electionum negotiis plenius informari, quasdam interrogationes eis fecimus et responsiones recepimus ab eisdem. Cumque predicti presbyter Theodorus et procurator predicti presbyteri Joachim offerrent se velle dare quosdam articulos contra presbyterum Leonem prefatum, quos offerebant se in curia probaturos, nos, ad dandum omnes articulos, quos quilibet ipsorum dare vellet, cuilibet eorum peremptorio termino assignato, ipsisque articulis in eodem termino per eos productis, dictus Theodorus contra dictum presbyterum Leonem inter alia opposuit crimina et defectus, quos quia probare non potuit per testes, in curia per eum ad ipsorum probationem productos, petiit super ipsis articulis fieri remissionem in Cypro. Dictus vero Germanus, procuratoris nomine dicti presbyteri Joachim, contra eundem presbyterum Leonem evidentem scientie defectum objecit, propter quod, de licentia domini nostri et mandato facto nobis oraculo vive vocis, et de ipsarum partium voluntate, per duos monachos monasterii Grotteferrate, neutri parti suspectos et juratos in ipsarum partium presentia, qui ipsum presbyterum Leonem examinarent diligenter, in litteratura Grecorum et cantu in nostra presentia examinari fecimus, facta que nobis per examinatores ipsos relatione fideli quod ipsum presbyterum Leonem in litteratura et cantu ydoneum et sufficientem repererant ad episcopatum hujusmodi obtinendum, idem Germanus, eundem presbyterum Leonem examinari petiit iterato, et quia nos, sicut de jure nec tenebamur, ipsum examinari iterato non fecimus, licet frivole, appellavit. De quibus omnibus facta per nos prefato domino nostro relatione fideli, dictus dominus noster appellationem ipsam per nos rejeci mandavit, si foret rejicienda de jure, et totum ipsum negotium expediri, de consilio reverendorum patrum dominorum Johannis, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbyteri, et Landulphi, Sancti Angeli diaconi cardinalium, quos in hujusmodi negotio consiliarios nobis adjunxit. Comparentibus igitur partibus supradictis, videlicet presbytero Leone, presbytero Theodoro, electis, quolibet principaliter pro se ipso, ac Germano, procuratoris nomine predicti abbatis Joachim, in judicio coram nobis et reverendis patribus supradictis, factis insuper quibusdam interrogationibus eidem Germano et ad eas responso per eum, datoque ipsis partibus termino ad allegandum in negotio supradicto: nos, visis instrumentis, litteris et munimentis productis et exhibitis, et actis habitis in judicio coram nobis, auditis etiam omnibus que dicte partes, per se et advocatos suos, coram nobis et prefatis dominis cardinalibus pluribus et diversis vicibus allegare et dicere voluerunt, eisque partibus in nostra et predictorum dominorum cardinalium presentia constitutis, de ipsorum reverendorum patrum consilio ipsisque nobis presentialiter assistensibus, pro tribunali sedentes, pronuntiavimus presbyterum Theodorum et presbyterum Joachim, electos prefatos, cecidisse ab omni jure, si quod eis vel alteri eorum per electiones factas de ipsis fuerat acquisitum, et ad prosecutionem electionum ipsarum et appellationis predicte non esse ipsos nec procuratorem prefatum aliquatenus admittendos, eis super hiis perpetuum silentium imponentes, cum nullum jus in eis haberent; pronuntiavimus etiam appellationem interpositam per procuratorem prefatum minus canonicam extitisse et esse, et prefatum Germanum, qui tamquam impetitor se opponebat presbytero Leoni prefato, non esse tamquam impetitorem contra ipsum presbyterum Leonem aliquatenus admittendum. Post hec autem memoratus presbyter Theodorus, tanquam decanus ecclesie Sancti Barnabe de Nicosia, et tamquam subditus ecclesie de Solia, et is cujus interesse dicebat bonum habere prelatum, coram nobis exhibens contra dictum presbyterum Leonem quosdam articulos, continentes crimina et defectus, ad quos probandos petiit se admitti: de quibus facta copia presbytero Leoni prefato, cum pro parte ipsius allegaretur dictos articulos et memoratum Theodorum ad probandos eosdem non debere admitti, ad allegandum verbotenus et in scriptis super admissione articulorum eorundem prefatis partibus certum terminum duximus prefigendum. Nos igitur, visis et auditis omnibus que dicte partes per se vel advocatos suos pluries et diversis vicibus dicere, in scriptis dare et allegare voluerunt, habito consilio dominorum cardinalium predictorum et nobiscum deliberatione habita diligenti, de ipsorum dominorum cardinalium consilio et assensu, predictis partibus in nostra presentia constitulis, pro tribunali sedentes, pronuntiavimus in scriptis prefatum Theodorum tamquam impetitorem seu oppositorem et ad dandum et probandum dictos articulos non esse aliquatenus admittendum contra presbyterum Leonem prefatum, ipsumque repulimus, perpetuum sibi super hoc silentium imponentes. Demum vero, facta per nos et predictos reverendos patres predicto domino nostro de predictis omnibus relatione plenaria et fideli, idem dominus noster in pleno consistorio commisit oraculo vive vocis quod, una cum reverendis patribus memoratis videremus electionem celebratam in dicta eccle-

sia de Solia de presbytero Leone Verna predicto, et quod, si electionem predictam reperiremus canonicam et de persona ydonea celebratam, de ipsorum dominorum cardinalium consilio, electionem confirmaremus eandem. Nos itaque, visis et diligenter inspectis decreto electionis ejusdem, et aliis que circa electionem ipsam habita sunt et que dictus presbyter Leo producere voluit coram nobis, facta insuper inquisitione et examine diligenti de ipsius presbyteri Leonis ydoneitate persone, una cum reverendis patribus supradictis, ipsisque nobis presentialiter assistentibus, et de ipsorum consilio et assensu, citatis quoque presbytero Theodoro et presbytero Joachim predictis ac omnibus aliis, quorum interest seu qui sua crederent interesse, in audientia publica, ut est moris, ex superhabundanti ad hanc nostram sententiam audiendam, dictoque presbytero in nostra et predictorum et reverendorum patrum presentia constituto, et sententiam ipsam ferri cum instantia postulante, ipsisque in prefixo eis termino se per contumaciam absentantibus, quia electionem prefatam invenimus canonicam, et de persona ydonea celebratam, auctoritate sanctissimi patris et domini nostri domini Bonifatii, pape predicti, nobis in hac parte commissa, electionem confirmavimus eandem. In cujus rei testimonium presentem nostram sententiam per Johannem magistri Andree de Mevania, notarium nostrum infrascriptum scribi et in publicam formam redigi mandavimus, et sigilli nostri applicatione muniri. Lata et in scriptis pronuntiata fuit suprascripta sententia per reverendum patrem dominum Johannem, Dei gratia episcopum Tusculanum prefatum, Laterani, in logia, ante palatium in quo dominus papa moratur. Presentibus reverendis patribus dominis Johanne, Dei gratia tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero, et Landulfo, Sancti Angeli diacono cardinalibus, venerabili patre domino Archadio, episcopo Torpeni, domino Tittio, archipresbytero de Colle, capellanus (*sic*) prefati domini Landulfi, domino Berardo de Podio Bastonis, magistro Gauffrido Pauca, capellanis, Corrado de Murro, clerico, Nicolao Cafarelli de Urbe et Berardone de Murro, domicellis predicti domini Tusculani et pluribus aliis testibus. Et ego, Johannes magistri Andree Johannis de Mevania, imperiali auctoritate notarius et prefati domini Tusculani scriba, prolationi suprascripte sententie una cum supradictis testibus presens interfui et, ut supra legitur, de mandato supradicti domini Tusculani sententiam ipsam scripsi et in publica forma redegi meoque solito sigillo signavi. » Nulli ergo.

Dat. Laterani, kal. februarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie de Solia ac clero civitatis et diocesis de Solia — venerabili fratri . . archiepiscopo Nicosiensi — . . regi Cypri.*

3958 (xxxiii) Latran, 13 février 1301.

« Super facto castri Melicis, Spoletane diocesis. » (fol. 10.)

Dilecto filio nostro Sancti Adriani diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, in ducatu Spoletano rectori. Cum castrum Melicis, Spoletane diocesis, olim detentum per Colupnenses, — dilecti filii . . potestas, consilium et comune Spoleti recepisse illudque tenere in custodia noscantur, ipsis dedimus in mandatis ut castrum ipsum tibi assignare curarent tenendum et custodiendum. Hujusmodi autem nostris litteris presentatis potestati, consilio et comuni prefatis, nuper pro parte ipsorum fuit expositum coram nobis, quod quondam Johannes de Columpna, frater Jacobi et pater Petri de Colompna, olim Sancte Romane Ecclesie cardinalium, nunc depositorum, olim dum vixit, et, post ejus obitum, dictus Petrus et fratres ipsius, filii ejusdem Johannis, aut aliquis vel aliqui ipsorum, tempore scismatis et rebellionis eorum, nullum jus habebant — in prefato castro Melicis — quodque Johannonus et Franciscus de Melice, fratres, — non fuerint sequaces — eorumdem Jacobi et Petri et aliorum filiorum dicti Johannis de Columpna, — nos itaque, volentes super hiis scire plenius veritatem, — mandamus quatinus, recepta prius a predictis potestate, consilio et comuni Spoletanis — cautione quod predictum castrum Melicis tenebunt et custodient nomine nostro et — nobis et eidem Ecclesie vel cui mandaverimus, ad nostrum — beneplacitum assignabunt, inquiras, per te ac alium seu alios, diligenter, de plano et summarie, sine strepitu et figura judicii, de omni jure, si quod predictus Johannes, dum vixerit, et predicti Petrus et fratres — habuerint — immo si prelibati Johannonus et Franciscus de Melice aut alter ipsorum fuerint sequaces — aut etiam domestici et familiares eorumdem Jacobi et Petri — de Columpna, a tempore quo in hujusmodi scismatis et rebellionis vitio eorum laboravit dampnata temeritas, plenariam veritatem. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gravi odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas veritati testimonium perhibere, et quicquid super hiis inveneris, fideliter nobis inclusum sub tuo sigillo transmittas, ut sciamus quid agendum fuerit de cetero in premissis. Dat. Laterani, id. februarii, anno septimo,

3959 (XXXIIII) Latran, 28 février 1301.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 10.)

Petro de Centillis, canonico Valentino. Tui nobilitas generis —.

Supradicto in ecclesia Valentina præbendam ac præposituram, quæ alias mensata vulgariter nuncupatur, consuetam tantum canonicis ejusdem ecclesiæ assignari, confert et reservat, dispensans cum eodem, ut, non obstante, quem patitur in ordinibus et ætate defectu, cum sit infra vicesimum quintum annum constitutus, possit, prædictam præposituram assecutus, canonicatum in Barchinonensi ecclesia, quem obtinet, et præposituram, quam exspectat in ea, licite retinere.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

In e. m. . . *abbati monasterii de Instagno, Vicensis diocesis, et . . sacriste, ac Raymundo Emilii, canonico ecclesie Barchinonensis.*

3960 (XXXV) Latran, 1er mars 1301.

« Mandatur citari F., episcopus Sagonensis. » (fol. 10 v°.)

Venerabili fratri. . episcopo Massanensi ac dilecto filio . . plebano plebis de Fabrica, Vulteranensi diocesis. Significarunt nobis dilecti filii . . abbas et conventus monasterii Sancte Marie de Maxio prope Bitonam, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Vulterane diocesis, quod, licet dudum venerabilis frater noster F., episcopus Sagonensis, si dici venerabilis mereatur, ordinem Fratrum Predicatorum professus, ad monasterium ipsum accedens et spiritum humilitatis pretendens, in eo caritative se petiisset admitti, dictique abbas et conventus eum ibi, cum honorificentia qua decuit, recepissent, ipse tamen postmodum, regularis humilitatis, pontificalis modestie ac proprie salutis oblitus, malitiam preconceptam, quam in cordis abditis deferebat, sicut patuit ex post facto, in actum pravum producens, multitudinem armatorum, tam equitum quam peditum, qui cum eo tunc venerant et qui supervenerunt postea, prout ipse condixerat — cum eisdem, in dictum monasterium introduxit, cum quibus, more tyrannico, abbatem et conventum predictos ejiciens ab eodem monasterio, temeritate dampnabili violenter ipsos ad illud redire vel in illo morari aliquatenus non permittit, quin potius, monasterium ipsum detinens occupatum, fructus, redditus et proventus illius cum satellitibus suis, quos ibi retinet, dilapidat enormiter et consumit. Nos autem, nolentes, prout etiam nec debemus, talia sub dissimulatione transire, sed de illo super hiis providere remedio intendentes, per quod et ipsius episcopi compescatur temeritas, et aliis precludatur audatia similia presumendi, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem episcopum, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut, infra viginti dierum spatium post hujusmodi citationem, sub pena privationis episcopalis dignitatis, quam, si secus egerit, eo ipso incurrat, personaliter nostro se conspectui representet, recepturus pro meritis ac alias super premissis mandatis nostris plenarie pariturus. Diem vero citationis, et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes intimare fideliter studeatis. Dat. Laterani, kal. martii, anno septimo.

3961 (XXXVI) Latran, 13 février 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 11.)

Magistro Petro de Sancto Mario, rectori ecclesie de Erde, Roffensis diocesis. Dum conditiones et merita —.

Ad considerationem nobilis viri Johannis de Sancto Johanne, militis, cujus existit clericus et familiaris, dispensatur cum suprascripto ut, præter ecclesiam de Erde, possit unicum aliud beneficium, si ei canonice offeratur, licite recipere ac retinere.

Dat. Laterani, id. februarii, anno septimo.

3962 (XXXVII) Latran, 27 janvier 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 11.)

Gileberto Davile, thesaurario ecclesie Lincolniensis. Laudabile testimonium —.

Consideratione bonæ memoriæ Johannis, episcopi Portuensis, cujus fuit nepos, et specialiter obtentu dilecti filii fratris Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, cujus capellanus existit, dispensatur cum eo, ut, una cum thesauraria ecclesiæ Lincolniensis, cui cura non imminet animarum, parochialem ecclesiam de Novembri, ad quam fuit canonice præsentatus, si ei canonice conferatur, recipere et retinere licite valeat.

Dat. Laterani, VI kal. februarii, anno septimo.

3963 (xxxviii) Latran, 28 février 1301.

« Preficitur in episcopum Firmanum. » (fol. 11.)

Venerabili fratri Albrico, episcopo Firmano. Romani pontificis —.

Suprascriptus, tunc episcopus Placentinus, transfertur ad ecclesiam Firmanam, per obitum Philippi episcopi vacantem et ea vice Sedis Apostolicæ provisioni reservatam.

Dat. Laterani, ii kal. martii, anno septimo.

In e. m. . . *archidiacono et . . archipresbitero ac capitulo ecclesie Firmane — clero — populo — universis vassalis.*

(Potthast, 25022.)

3964 (xxxviiii) Latran, 4 février 1301.

« Quod non teneatur usque ad quinquennium suscipere diaconatus ordinem. » (fol. 11 v°.)

Bartholomeo, nato dilecti filii magistri Acursini de Pistorio, phisici et familiaris nostri, canonico Pistoriensi. Grata devotionis obsequia, que nobis dilectus filius Accursinus de Pistorio, phisicus et familiaris noster, pater tuus, ab olim dum essemus in minori officio constitutus, studiose impendit et adhuc impendere non desistit, tueque bonitatis merita nos inducunt ut personam tuam favore benivolo prosequamur.

Ut ad quinquennium non teneatur ordinem diaconatus recipere, requisitum a præbenda quam obtinet in ecclesia Pistoriensi.

Dat. Laterani, ii non. februarii, anno septimo.

3965 (xl) Latran, 3 février 1301.

Carsie (sic) *Petri, canonico ecclesie Palentine, ac . . abbati secularis ecclesie Fussellensis in ipsa ecclesia Palentina.* Apostolicæ Sedis benignitas —. Cum igitur in ecclesia Palentina canonicatus et prebenda necnon abbatia secularis ecclesie Fussellensis, quos venerabilis frater noster Petrus, Burgensis episcopus, olim canonicus Palentinus et abbas Fussellensis in ipsa Palentina ecclesia, promotionis sue tempore, obtinebat, per promotionem hujusmodi post consecrationis munus apud Sedem Apostolicam de mandato nostro impensum eidem, vacavisse noscantur, et nullus, preter nos, canonicatum, prebendam et abbatiam eosdem conferre potuerit, constitutione felicis recordationis Celestini pape quarti super dignitatibus et personatibus, canonicatibus et prebendis et aliis beneficiis ecclesiasticis apud Sedem ipsam vacantibus per Romanum dumtaxat pontificem conferendis edita obsistente, pro eo quod nos canonicatum et prebendam et abbatiam predictos, ante lapsum temporis statutum per moderationem pie memorie Gregorii pape decimi, predecessoris nostri, super hoc adhibitam in generali concilio Lugdunensi, collationi nostre et Sedis ejusdem duximus reservandos.

Suprascripto prædictas præbendam et abbatiam confert, non obstante quod parochialem ecclesiam Sancti Aciscli de Pontuebles, Ovetensis diocesis, cujus curam gerit perpetuus capellanus qui pro tempore instituitur in eadem, et in Salamantina ac Ovetensi, canonicatus et præbendas cum præstimoniis, necnon in ipsa Palentina, cujus portionarius existit, ecclesiis, quamdam portionem, et in diocesi Ispalensi, quamdam aliam portionem ecclesiasticorum proventuum, noscitur obtinere et in prioratu de Benavento, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, quamdam percipit annuam pensionem.

Dat. Laterani, iii non. februarii, anno septimo.

3966 (xli) Latran, 25 février 1301.

Ampliatur gratia jampridem infrascripto concessa de duabus præbendis in ecclesia Narbonensi fundandis. (fol. 12.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Narbonensi. Pridem tibi per nostras certi tenoris litteras facultatem duximus concedendam, ut in tua Narbonensi ecclesia duas sacerdotales prebendas posses de redditibus et proventibus beneficiorum quorumlibet, ad tuam collationem spectantium, fundare, ac etiam ordinare de novo, ipsisque tandem fundatis et ordinatis, instituere in eisdem personas ydoneas, que stallum in choro et vocem in capitulo obtinerent, et, si persone hujusmodi non essent in sacerdotio constitute, illud infra annum recipere, ac in ipsa ecclesia continue personaliter residere, ac in ea devotum famulatum impendere, juramento super hoc ab eis prestito, tenerentur, et quod, ea vice, personarum institutio predictarum ad te dumtaxat et, ex tunc, ad te dictumque capitulum comuniter pertineat, prout aliarum prebendarum collatio spectare dinoscatur in ecclesia supradicta. Cum autem jamdictas prebendas, ut asseris, fundare ac ordinare inceperis in ecclesia memorata, nos, volentes tibi gratiam facere ampliorem, conferendi hac vice prebendas easdem personis ydoneis. etiamsi alia

beneficia ecclesiastica obtinere noscantur, et personatus vel dignitates existant, et cura illis immineat animarum, plenam tibi concedimus, auctoritate presentium, potestatem. Dat. Laterani, v kal. martii, anno septimo.

3967 (XLII) Latran, 25 février 1301.

« Quod sex clerici sui usque ad quinquennium possint percipere fructus beneficiorum suorum. » (fol. 12.)

Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Narbonensi. Magne devotionis affectus. — Dat. Laterani, v kal. martii anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Magalonensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Illidii et . . preposito ecclesie Claromontensis.*

In e. m. conceditur venerabili fratri Joanni, episcopo Claromontensi, quod quatuor clerici sui usque ad quinquennium, et cetera. Et super hoc dantur executores dilecti filii . . monasterii sancti Illidii, et . . secularis Sancti Genesii abbates, ac prepositus Claromontensis ecclesiarum.

3968 (XILII) Latran, 4 février 1301.

« Dispensatur cum eo super pluralitate et etate. » (fol. 12.)

Stephano, nato quondam Beraldi militis de Trebis, nepoti venerabilis fratris nostri Leonardi, episcopi Albanensis, canonico et decano ecclesie Coronensis. Clara venerabilis fratris nostri Leonardi, episcopi Albanensis, merita — extendamus. Cum itaque canonicatus et prebenda ac decanatus ecclesie Coronensis, per mortem quondam magistri Johannis Bruni, olim ipsius ecclesie canonici et decani, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacavisse noscantur, nos, volentes personam tuam — prosequi prerogativa favoris, canonicatum, prebendam et decanatum predictos tibi — conferimus et providemus de illis — non obstantibus quibuslibet ipsius Coronensis ecclesie contrariis consuetudinibus — seu quod in Aversana, cantoriam, et in ea et Mothonensi ac Thebana, canonicatus et prebendas, et in Sancti Petri de Trebis, Anagnine diocesis, ecclesiis, locum et perpetuum beneficium nosceris obtinere, aut si presens non fueris, et cetera usque: illud prestes. Tecum quoque — dispensamus ut, non obstante, quem patieris, in etate defectu, licet jam sis in etatis anno vicesimo constitutus, possis cantoriam, canonicatus, prebendas et beneficium una cum supradictis — insimul retinere —. Nulli ergo, et cetera —. Dat. Laterani, II non. februarii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Patracensi, et dilectis filiis . . archidiacono Cameracensis, ac . . cantori Mothonensis ecclesiarum.*

3969 (XLIIII) Latran, 10 février 1301.

« Super dispensatione. » (fol. 12 v°.)

Hugoni de Welewile, presbitero, rectori ecclesie de Hinsele, Wintoniensis diocesis. Exhibita nobis nuper —.

Olim bonæ memoriæ B[erardus], Albanensis episcopus, ad Gallicanas partes pro negotiis Ecclesiæ Romanæ destinatus et tunc in Anglia moram trahens, ex potestate sibi tradita, dispensaverat cum supradicto super defectu natalium, illis tamen conditionibus, ut, sicut requireret onus beneficii quod post dispensationem obtinere contingeret, se faceret ad ordines statutis temporibus promoveri et resideret personaliter in eadem. Postmodum vero supradictus, vacante ecclesia de Hinsele, fuit eamdem ecclesiam a Johanne Wintoniensi episcopo, ad cujus collationem pertinebat, canonice assecutus, sed, ejusdem episcopi vacans obsequiis, in predicta ecclesia, sicut tenebatur ex forma dispensationis, residere minime curavit. Dispensatur cum eodem ut non teneatur residere usque ad quinquennium.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno septimo.

3970 (XLV) Même date.

« Quod possit — infra annum — conferre duabus personis tabellionatus officium. » (fol. 12 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Wintoniensi. Grate devotionis affectus —. Dat. ut supra.

3971 (XLVI) Latran, 13 février 1301.

Ut per triennium possit in locis interdictis divina officia sibi facere celebrari. (fol. 13.)

Nobili viro Roberto, Bolonie et Alvernie comiti. Tue devotionis inducimus —. Dat. Laterani, id. februarii, anno septimo.

3972 (XLVII) Même date.

Ut per triennium ipse et ejus uxor Beatrix et fratres et liberi possint eligere confessorem. (fol. 13.)

Eidem. Pium arbitramur —. Dat. ut supra.

3973 (XLVIII) Même date.

Ut per triennium possit ante diem missam facere celebrari (fol. 13.)

Eidem. Merita tue devotionis —. Dat. ut supra.

3974 (XLVIIII) Latran, 10 février 1301.

« Conceditur eis monasterium Sancti Salvatoris de Spongia, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 13.)

. . abbati et conventui Vallisumbrose, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Fesulane diocesis. Impositum nobis —.

Monasterium Sancti Salvatoris de Spongia, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis sancti Benedicti, Vulterane diocesis, collapsum in temporalibus et in spiritualibus deformatum, suprascriptis concedit et annectit.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno septimo.

I. e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Marie Florentine et . . archidiacoco ecclesie Atrebatensis et . . plebano plebis Sancti Stephani de Campoli, Florentine diocesis.*

(POTTHAST, n° 25012.)

3975 (L) Latran, 25 février 1301.

« Conceditur sibi monasterium Sancti Petri ad Castellum de Neapoli, ad instituendum moniales sive sorores ordinis Predicatorum. » (fol. 13 v°.)

Carissime in Christo filie Marie, regine Sicilie illustri. Affluentis devotionis affectus —. Habet siquidem exposite nobis tue petitionis assertio quod, inter cetera desideria mentis tue, illud pergrande fore conspicitur, ut sacer Fratrum Predicatorum ordo, in orto plantatus Ecclesie, ad eandem et gloriam Summis Regis, per tue sollicitudinis studium tuique ministerii solertiam curiosam, prosperis successibus gaudeat, letis fecundetur eventibus et votivis proficiat incrementis. Quare supplici postulabas instantia ut, in monasterio Sancti Petri ad Castellum de Neapoli, ordinis sancti Benedicti, moniales sive sorores ejusdem Predicatorum ordinis ponere ac instituere libere valeas, ut in illo ipse ac ille que in ipso monasterio successerint perpetuis futuris temporibus permaneant, benignam tibi licentiam condere dignaremur.

Annuit petitioni ordinatque ut in monasterio ipso priorissa continue habeatur a monialibus, ipsis sive sororibus communiter eligenda.

Dat. Laterani, V kal. martii, anno septima.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscop Capuano.*

Ut moniales ordinis Fratrum Predicatorum inducat tueaturque inductas, et abbatem, monachos et conversos ejusdem monasterii, in Sancti Petri, in Sancti Sebastiani, et Sancti Severini Majoris, ac Sancte Marie de Capellis monasteriis, ejusdem ordinis sancti Benedicti, collocare procuret.

Dat. ut supra.

3976 (LI) Latran, 28 janvier 1301.

« Mandatur citari Adhegerius Bernardini, clericus Parmensis. » (fol. 13 v°.)

Dilectis filiis . . Majoris Parmensis, et . . de Furnovo, ac . . de Casalicetone, Parmensis dioecesis, ecclesiarum archipresbiteris. Significavit nobis Mauritius, archipresbyter plebis de Sancto Pancratio, Parmensis diocesis, quod Gualengus de Petratiis, clericus Mantuanus, tunc se gerens pro vicario bone memorie J., episcopi Parmensis ipsum archipresbyteratu suo dicte ecclesie, absque ulla causa rationabili, contra justitiam, pro sua voluntate, privavit, propter quod, ex parte ipsius archipresbyteri, ad Sedem fuit Apostolicam appellatum, sed idem episcopus, hujusmodi appellatione contempta archipresbyteratum, eundem Adhegerio Bernardini de Adhigeris, clerico Parmensi, pro sue contulit libito voluntatis; propter quod, ex parte ipsius archipresbyteri, ad Sedem fuit iterum appellatum eandem. Nosque in hujusmodi causa tam appellationum quam negotii principalis dilectum filium magistrum Bernardum Roiardi, canonicum Xanctonensem capellanum nostrum nostrique paletii auditorem causarum, deputavimus auditorem. Sane, super libello ex parte ipsius archipresbyteri contra prefatum Adhegerium oblato, lite inter procuratores partium in ipsius auditoris presentia legitime contestata, de calumpuia et de veri-

tate dicenda prestitis juramentis factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, quidam assassinus, nomine Symonettus de Borlengis de Parma, clericus, prefatum archipresbyterum, apud Sedem Apostolicam constitutum pro causa hujusmodi prosequenda, letaliter vulneravit : qui, captus occasione hujusmodi, in ipsius auditoris et dilecti filii magistri Johannis, camerarii nostri, et aliorum fidedignorum presentia, sponte confessus fuit, quod id fecerat de mandato Jacobini, fratris ipsius Adhegerii, apud Sedem consistentis eandem pro promovenda causa predicta ipsius Adhegerii fratris sui : qui quidem Jacobinus ei convenerat dare viginti quinque florenos aureos, si archipresbyterum interficeret supradictum, et decem florenos auri, si alias eum, citra mortem, graviter vulneraret, ut ex hoc, eodem archipresbytero mortuo vel timore mortis a prosecutione cause hujusmodi desistente, predictus Adhegerius archipresbyteratum eundem pacifice possideret, quodque ipse Symonettus de quantitate predicta jam quatuor florenos propter hoc a Jacobino receperat prelibato. Cumque predicta fuissent exposita coram nobis, nos eidem auditori mandavimus oraculo vive vocis, quod causam predictam, tam super appellationibus quam negotio principali et omnibus premissa contingentibus, audiret summarie, sine strepitu et figura judicii, ac fine debito terminaret, non obstante si eadem causa alias, de sui natura, quoad venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Parmensem, non esset apud Sedem tractanda predictam. Quia vero, tam ex hujusmodi confessione prefati Symonetti, quam ex dictis quorumdam testium, quos auditor ipse super hoc ad suam informationem recepit, et ex aliis conjecturis, verisimiliter creditur quod idem Adhegerius hujusmodi vulnerationem fieri procurarit, idemque archipresbyter coram auditore predicto proprio juramento firmavit se predictum Adhegerium vehementer habere de dicta vulneratione suspectum, nos, nolentes, prout etiam nec debemus, tantum scelus silentio preterire, ac attendentes quod per ipsius Adhegerii presentiam, tam de dicto scelere, quam alias de ipsius cause meritis, poterit veritas plenius indagari, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem Adhegerium ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut, infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi, Apostolico se conspectui personaliter representet, facturus et recepturus super premissis omnibus quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam, et cetera usque : intimetis. Dat. Laterani, v kal. februarii, anno septimo.

3977 (LII) Latran, 10 février 1301.

« Quod possit sibi eligere confessorem. » (fol. 14.)

Nobili viro Henrico, comiti Lincolniensi. Apostolice Sedis circumspecta —. Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno septimo.

3978 (LIII) Même date.

« Quod possit facere celebrari divina, cum pervenerit ad loca ecclesiastico supposita interdicto. » (fol. 14.)

Eidem. Desideriis tuis libenter —. Dat. ut supra.

3979 (LIIII) Latran, 27 février 1301.

« Conceditur sibi usque ad triennium administratio monasterii Sancti Ylarii de Galiata, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 14.)

Venerabili fratri Uberto, episcopo Feretrano. Meritis sincere devotionis —. Nuper siquidem, ex serie tue petitionis, accepimus quod felicis recordationis Nicolaus papa IIII, predecessor noster, diligenter attendens quod propter devotionem, quam ad eandem Ecclesiam noscebaris habere, ac etiam propter labores et expensas multiplices, quos pro defensione ac recuperatione possessionum, jurium et bonorum monasterii Sancti Ylarii de Galiata, ordinis sancti Benedicti, Foropopuliensis diocesis, pertulisti, tibi duxit per suas litteras concedendum, ut administrationem ipsius monasterii, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tibi per bone memorie B[ernardum], Portuensem episcopum, in partibus illis Apostolice Sedis legatum, Apostolica auctoritate commissam, licite retinere valeres, donec per Sedem ipsam in hac parte foret aliud ordinatum. Nosque, postmodum ad apicem Apostolice dignitatis assumpti, ex tua insinuatione percepto, quod, occasione turbationum et guerrarum illarum partium, ecclesie tue redditus et proventus erant adeo diminuti, quod ex eis pontificalis dignitatis honorem non poteras aliquatenus sustentare, nec expensarum onera, que tibi, tum pro custodia castrorum ejusdem ecclesie, tum etiam pro defensione jurium, possessionum et bonorum monasterii supradicti, iminebant continue substinere, tibi, quod administrationem predictam spiritualiter et temporaliter retinere licite ac exercere libere posses per binum triennium concessimus, semel et iterum, per diversas nostras litteras de gratia speciali.

Eadem administratio confirmatur ei per aliud triennium.

Dat. Laterani, III kal. martii, anno septimo.

3980 (LV) Latran, 13 mars 1301.

« Nicolao, abbati monasterii Sancti Facundi, Legionensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 14 v°.)

Nicolao, abbati monasterii Sancti Facundi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Legionensis diocesis. Sedula nobis cura —.

Monasterio Sancti Facundi, per obitum quondam Petri, abbatis, regimine destituto pastoris, omnes, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt interesse, insimul convenerunt, et, deliberantes per viam compromissi procedere, Johanni, Operis et Laurentio, tunc Sanctæ Mariæ de Piasca prioribus, Gundisalvo, sacristæ majori, Martino de Villa Vincentii ac Dominico de Camone, præfati monasterii monachis, eligendi ea vice aliquem de ipsis vel alium, dumtaxat de jam dicti monasterii gremio, in ipsius abbatem potestatem concesserunt. Qui quidem compromissarii in suprascriptum, tunc elemosinarium et monachum dicti monasterii, vota sua unanimiter direxerunt, et tandem prædictus Martinus de Villa Vincentii, ex commissa sibi suisque collegis ab eodem conventu potestate et de expresso suorum collegarum mandato, eum in abbatem duxit canonice eligendum. Huic electioni a conventu approbatæ suprascriptus consensit et postulavit ut a Sancta Sede confirmaretur. Dominus papa, post examinationem diligenter factam a Matthæo, Sanctæ Mariæ in Porticu, et Petro, Sanctæ Mariæ Novæ diaconis cardinalibus, eumdem in abbatem confirmat, benedictionis munere ei a Theoderico, Civitatis Papalis episcopo, impenso.

Dat. Laterani, III id. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Facundi — universis vasallis.*

3981 (LVI) Même date.

Licentia contrahendi mutuum. (fol. 14 v°.)

Eidem Nicolao abbati. Cum sicut in nostra —.

Ut possit contrahere mutuum usque ad summam quingentorum florenorum auri.

Dat. Laterani, ut supra.

3982 (LVII) Latran, 25 février 1301.

« Super revocatione quorumdam statutorum factorum per capitulum Narbonense. » (fol. 15.)

Venerabili fratri . . episcopo Biterrensi. Gravis admodum et onusta dispendiis venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Narbonensis nuper ad audientiam nostram querela perduxit, quod capitulum Narbonense, suis finibus non contenti, sed sequentes proprie voluntatis arbitrium, non indicium (*sic*) rationis, pridem, dicto archiepiscopo minime requisito, statuere ac ordinare temere presumpserunt, quod beneficia in ecclesia Narbonensi ejusque diocesi vacantia, que ad presentationem vel collationem prefati capituli spectare noscuntur, et que per capitulum ipsum consueverunt comuniter anteactis temporibus ydoneis conferri[1] personis, vel ad que persone ydonee prefato archiepiscopo presentari, et, in ipsius negligentia[2] seu defectu capituli, per archiepiscopum conferri predictum, de cetero, certis vicibus, a singularibus ecclesie predicte canonicis, quasi nomine omnium, cum illa vacare contigerit, conferantur, et ad ea, in quibus memorati capitulum jus tantum obtinent presentandi aliquem, pro eorum libito presententur : ex quo venire dinoscitur quod de beneficiis ipsis personis indignis et insufficientibus providetur, propter quod beneficia eadem debitis officiis defraudantur, in offensam Dei, ejusdem archiepiscopi prejudicium et grave scandalum fidelium plurimorum. Quare prefatus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut super premissis oportune provisionis adhibere remedium dignaremur. Cum itaque nolumus[3], sicuti nec debemus, talia, si veritate nitantur, aliquatenus sustinere, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi constiterit ita esse, statuta et ordinationes hujusmodi, a capitulo ipso facta, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, auctoritate nostra revocare procures, ea nichilominus per te vel per alium seu alios irrita et vacua publice nuntiando, et nichilominus eidem capitulo, ex parte nostra, injungendo districtius ut deinceps talia vel similia facere non presumant. Dat. Laterani, v kal. martii, anno septimo.

3983 (LVIII) Latran, 20 mars 1301.

« Preficitur in abbatem — Casinensis — monasterii. » (fol. 15.)

Thomasio, abbati monasterii Casinensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Prefulgore sanctitatis immense —.

Præficitur in abbatem ejusdem monasterii vacantis per trans-

1. *Ms* : conferre.
2. *Ms* : diligentiam.
3. *Ms* : noluimus.

lationem Gallardi ad monasterium Sancti Martialis Lemovicense.

Dat. Laterani, xiii kal. aprilis, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et conventui monasterii Casinensis — universis vassallis monasterii Casinensis.*

3984 (lviii *bis*) Latran, 22 mars 1301.

Ut novum abbatem monasterii Casinensis commendatum habeat. (fol. 15 v°.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Divulgantis fame relatibus, que litterarum et nuntiorum de more prevenit missionem, ad notitiam regiam credimus pervenisse, qualiter, hiis diebus proximo jam transactis, nos dilectum filium Gallardum de monasterio Casinensi, cujus regimini presidebat, ad monasterium Sancti Marchialis Lemovicense, ordinis sancti Benedicti, tunc pastoris presidio destitutum, transferre curavimus, preficientes eum ipsi monasterio in abbatem; qualiter etiam postmodum nos, laudabile testimonium, quod ab eodem abbate et quam pluribus ipsius Casinensis monasterii monachis, tunc apud Sedem Apostolicam constitutis, et aliis etiam fidedignis dilecto filio Thomasio, nunc abbati ejusdem monasterii Casinensis, de honestate morum, vite munditia et aliis probitatis perhibetur meritis, diligentius attendentes, eundem Thomasium prefato Casinensi monasterio, cujus erat tunc temporis vicedecanus, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, prefecimus in abbatem, facientes subsequenter eidem per venerabilem fratrem nostrum Theodericum, Civitatis Papalis episcopum, munus benedictionis impendi. Quia igitur magistra nos rerum experientia docuit et ex facti evidencia innotescit, quod tu, tanquam filius benedictionis et gratie, libenter opera pietatis amplecteris et promptis affectibus Apostolice Sedis beneplacitis te conformas, regalem magnificentiam rogandam attente duximus et hortandam quatinus, ob divinam et ejusdem Sedis ac nostram reverentiam, ac etiam beati Benedicti, egregii confessoris, patroni loci ejusdem, intuitu, prefatum Thomasium, abbatem, et monasterium sibi commissum ac vassallos ipsius habens propensius commendatos, eidem abbati, quem sincera in Domino caritate diligimus, te benivolum et benignum impendas, sibique, cum ab eo fueris requisitus, super conservandis et recuperandis bonis ipsius monasterii, a quibuslibet occupatis, tui favoris auxilium de benignitate relargiaris, ut ipse, tali et tanto munimine circumfultus, circa premissa se utiliter gerere valeat et efficaciter exercere, tuque proinde apud Regem Regum, pro minimis grandia largientem, crescas cumulo meritorum, nosque magnitudinem regiam uberibus in Domino laudibus attollamus. Dat. Laterani, xi kal. aprilis, anno septimo.

3985 (lviiii) Latran, 23 mars 1301.

Licentia contrahendi mutuum. (fol. 15 v°.)

Thomasio, abbati monasterii Casinensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Cum sicut in nostra —.

Ut possit usque ad summam quatuor millium florenorum auri contrahere mutuum.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno septimo.

3986 (lx) Latran, 17 mars 1301.

De electo Cassanensi consecrando. (fol. 15 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Neapolitano. Cum nos nuper —.

Ut Guillelmo de Curia, ordinis Minorum professori, electo Cassanensi, munus consecrationis impendat.

Dat. Laterani, xvi kal. aprilis, anno septimo.

Potthast, 25029.

3987 (lxi) Latran, 29 mars 1301.

« Executoria de mutuo. » (fol. 15 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Burgensi et dilectis filiis Theritio, archipresbitero plebis de Colle, Urbevetane diocesis, ac . . officiali Nemausensi. Exponente pridem nobis —.

Executoria de mutuo a Nicolao, abbate monasterii Sancti Facundi Legionensis, contracto usque ad summam quingentorum florenorum auri, mutuante Symone Gerardi pro se ipso ac Rogerio et Lapo de Spinis, Nigro Cambii, Andrea de Tignano, Johanne Maffei, Gerardo Hughi ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum.

Dat. Laterani, iiii kal. aprilis, anno septimo.

3988 (LXII) Latran, 17 mars 1301.

« Confertur magistro Jacobo de Normannis prepositura ecclesie Maguntine. » (fol. 15 v°.)

Magistro Jacobo de Normannis, notario nostro, canonico et preposito ecclesie Maguntine. Attendentes conditiones et merita —.

Præpositura ecclesiæ Maguntinæ, per mortem quondam magistri Johannis Judicis, notarii domini papæ, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacans, suprascripto confertur, non obstante quod in Narbonensi, archidiaconatum, et in ea et Ambianensi, Cameracensi, Laudunensi, Silvanectensi et Rosnacensi, Cameracensis diocesis, ecclesiis canonicatus et præbendas noscitur obtinere.

Dat. Laterani, XVI kal. aprilis, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Constantiensi et dilectis filiis Bertuldo Ursi de filiis Ursi, preposito Montisfalconis, Virdunensis diocesis, ac magistro Guillelmo Lumbardi, canonico Silvanectensis ecclesiarum.*

3989 (LXIII) Latran, 7 mars 1301.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 16.)

Venerabili fratri Pascasio, episcopo Conchensi. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, non. martii, anno septimo.

3990 (LXIIII) Même date.

« Conservatoria pro Pascasio, episcopo Conchensi. (fol. 16.)

Venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Yspalensi ac . . episcopo Placentino et dilecto filio . . abbati Sancti Emiliani de Lara in ecclesia Burgensi. Turbamur plurimum et —. Dat. ut supra.

3991 (LXV) Latran, 27 mars 1301.

Licentia contrahendi mutuum. (fol. 16 v°.)

Venerabili fratri Raynerio, episcopo Placentino. Cum sicut in nostra —.

Ut possit usque ad summam mille florenorum auri contrahere mutuum.

Dat. Laterani, VI kal. aprilis, anno septimo.

3992 (LXVI) Latran, 20 mars 1301.

« Confertur Pallio (*sic*) de Tholomeis de Senis prioratus secularis ecclesie Sancti Petri de Monte Liscario, Senensis diocesis. » (fol. 16 v°.)

Dilecto filio Pillio, nato dilecti filii nobilis viri Thofani Alexii de Tholomeis de Senis, priori secularis ecclesie Sancti Petri de Monte Liscario, Senensis diocesis. Ex laudabilibus tue juventutis —.

Prioratus sæcularis ecclesiæ Sancti Petri de Monte Liscario, per mortem quondam Raynaldi, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacans, suprascripto, obtentu Lucæ, Sanctæ Mariæ in via Lata diaconi cardinalis, pro eo supplicantis, confertur, non obstante quod in dicta ecclesia canonicatum et præbendam noscitur obtinere et patitur in ordinibus et ætate defectum.

Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Michaelis de Podio Sancti Donati Senensis et . . priori de Salteano, Senensis diocesis, ac Facino dicto Cardinali de Lavania, magistro scolarum ecclesie Januensis.*

3993 (LXVII) Latran, 25 février 1301.

« Super dispensatione matrimonii. » (fol. 16 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Coloniensi. Monet et excitat —. Exposita siquidem nobis dilecti filii nobilis viri Adolfi, comitis de Schouemberg, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Hadewigis, comitisse de Swartemberg, petitio continebat, quod, cum olim inter fratres, germanos, consanguineos et amicos comitisse predicte ac nonnullos illarum partium nobiles — fuissent discordie suscitate —, fratres ipsi, tantis — malis — finem imponi — cupientes, disponere ac ordinare curarunt, ut prefatam comitissam, sororem ipsorum, eidem comiti matrimonialiter copularent, ac ipsa, sollicita consideratione discutiens quod ipsa comesque predictus quarto erant invicem consanguinitatis gradu convincti, altero eorum quarto, ex uno latere, reliquo vero tertio, ex alio, a comuni stipite distantibus, hujusmodi copule utpote prorsus illicite suum constanter renuit exhibere consensum. Cumque postmodum fratrum adversarii predictorum contra eos per incendia et rapinas, stragesque hominum acrius duriusque procedere niterentur, iidem fratres, tacti proinde dolore — in ejusdem comitisse presentia juramento prestito asserere studuerunt, quod super hu-

jusmodi matrimonio contrahendo erat dispensatio Sedis Apostolice impetrata, sicque illa, hujusmodi juramento et assertioni fratrum ipsorum adhibens plenam fidem, cum eodem comite duxit matrimonium contrahendum et tandem, inter eos carnali copula subsecuta, filios procrearunt.

Ut suprascriptus, si præmissis veritas suffragatur et timeatur de periculis, quæ narrantur, cum eisdem dispensare valeat.

Dat. Laterani, v kal. martii, anno septimo.

3994 (LXVIII) Latran, 23 mars 1301.

« Dispensatur super defectu natalium. » (fol. 17.)

Magistro Lamberto de Salinis, clerico, legum professori. Illigitime genitos —.

Consideratione nobilis viri Petri Flote, Phylippi regis Francorum consiliarii, pro eo supplicantis, dispensatur cum suprascripto, ut, de soluto et soluta genitus, ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum recipere valeat.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno septimo.

3995 (LXVIII *bis*) Latran, 14 février 1301.

Committitur dispensatio in causa matrimonii. (fol. 17.)

Venerabili fratri .. episcopo Lascurcensi (*sic*). Exposita nobis dilecti filii Martini de Maribag, laici, et dilecte in Christo filie Condese, uxoris sue, tue diocesis, petitio continebat, quod ipsi olim, in facie ecclesie, per verba de presenti, publice invicem matrimonium contraxerunt et, carnali inter eos copula subsecuto, diutius, ut vir et uxor, insimul cohabitarunt et prolem etiam procrearunt, ignari quod aliquod impedimentum obstaret, per quod posset hujusmodi matrimonium impediri. Postmodum vero compertum extitit quod quondam .. prima uxor dicti Martini dicte Condese quarto consanguinitatis gradu, dum viveret, attinebat, per quod matrimonium ipsum subsistere de jure non potest.

Mandat suprascripto, ut, si verisimiliter timeatur de scandalo, quod narratur ex separatione hujusmodi matrimonio suscitari, cum eisdem dispenset, ut in contracto matrimonio licite remanere valeant.

Dat. Laterani, XVI kal. martii, anno septimo.

3996 (LXVIIII) Latran, 22 février 1301.

« Conceditur Johanni Jacketti de Granceyo, Lingonensis diocesis, pensio super monasterio Sancti Benigni Divionensis. » (fol. 17.)

Dilectis filiis .. priori Sanctorum Geminorum, Lingonensis diocesis, ac .. Atrebatensis et .. Lingonensis ecclesiarum archidiaconis. Dignum est bene agentibus —. Cum igitur dilectus filius Johannes Jacketti de Granceyo, Lingonensis diocesis, marescalcus et familiaris noster, diu nobis serviverit fideliter et devote. Nos, volentes sibi gratiam facere specialem, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, auctoritate nostra faciatis eidem Johanni, annis singulis, quoad vixerit, infra quindenam Nativitatis beati Johannis Baptiste, vel ejus procuratori pro ipso, a dilectis filiis .. abbate et conventu monasterii Sancti Benigni Divionensis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, in triginta libris Turonensium parvorum, pensionis nomine, provideri, eos ad id si opus fuerit per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescendo. Non obstante si eisdem abbati et conventui comuniter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod ad provisionem alicujus in pensionibus quibuscumque minime teneantur, quodque ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, VIII kal. martii, anno septimo.

In e. m. eisdem pro eodem, quod faciant ei provideri, pensionis nomine, ab .. abbate et conventu monasterii Arrevianensis, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis, in triginta libris Turonensium parvorum, annis singulis. Dat. ut supra.

3997 (LXX) Latran, 25 février 1301.

« Conceditur — infrascripto — beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Florentina. » (fol. 17 v°.)

Dilecto filio Frederico, nato dilecti filii Bartholi de Bardis de Florentia, clerico. Laudabile testimonium —.

Beneficium ecclesiasticum in diœcesi Florentina suprascripto confertur et reservatur, non obstante quod patitur in ordinibus

et ætate defectu, cum in minoribus tantum ordinibus et in octavo decimo ætatis suæ anno vel circa constitutus sit.

Dat. Laterani, v kal. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Vallisumbrose, Fesulane diocesis, ac . . priori secularis Sancti Jacobi, et . . archipresbitero Florentine ecclesiarum.*

3998 (LXXI) Latran, 1er mars 1301.

Gratia concessa regi Angliæ. (fol. 17 v°.)

Carissimo in Christo filio Eduardo, regi Anglie illustri. Personam tuam devotione —.

Ut tam clerici quam laïci ejus servientes et familiares possint capellano ejus eorum confiteri peccata.

Dat. Laterani, kal. martii, anno septimo.

In e. m. *dilecto filio nobili viro Eduardo, primogenito carissimi in Christo filii nostri Eduardi regis Anglie, carissime in Christo filie Margarete, regine Anglie illustri.*

3999 (LXXII) Même date.

Ut possit eligere confessorem. (fol. 18.)

Eidem. Dignum arbitramur —. Dat. ut supra.

In e. m. *Margarete, regine Anglie.*

In e. m. *Eduardo, primogenito regis Anglie.* Apostolice Sedis benignitas —.

4000 (LXXIII) Même date.

Ut possit in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina officia sibi facere celebrari. (fol. 18.)

Carissime in Christo filie Margarete, regine Anglie illustri. Consuevit interdum Sedes —. Dat. ut supra.

4001 (LXXIIII) Même date.

Ut, cum a capellano suo missam audiverit, capellanus ipse oblationes ejus et familiæ recipere ac habere libere valeat. (fol. 18.)

Eidem. Consuevit interdum Apostolica —. Dat. ut supra.

4002 (LXXV) Même date.

Ut possit habere altare portatile. (fol. 18.)

Eidem. Pium arbitramur —. Dat. ut supra.

4003 (LXXVI) Même date.

Alia gratia pro eadem. (fol. 18.)

Eidem. Excellentie tue conditiones —.

Ut possint quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, in absentia percipere fructus beneficiorum suorum usque ad quinquennium.

Dat. ut supra.

4004 (LXXVII) Latran, 28 février 1301.

« Mandatur citari Hugo, episcopus Leodiensis. » (fol. 18 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Coloniensi et dilectis filiis . . Aequicintensis, et . . Sancti Trudonis monasteriorum abbatibus, Atrebatensis et Leodiensis diocesum. Significarunt nobis capitula majoris et aliarum ecclesiarum ac universitas civitatis Leodiensium, quod, cum olim venerabilis frater noster Hugo, episcopus Leodiensis, in loco qui dicitur Alcstate juxta Hoyum et quibusdam aliis Leodiensis diocesis, monetam cudi faceret legitimo pondere defraudatam, ex quo magnum in civitate predicta oriebatur scandalum, in ipsorum capitulorum et universitatis non modicum detrimentum, dicta capitula, propter hoc et alias certas injurias per eundem episcopum eis illatas, contra ipsum episcopum a divinis officiis, prout sibi de antiqua approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, competere asserunt, servata forma in constitutionibus super hoc editis tradita, cessaverunt. Et postmodum, ex parte ipsorum capitulorum, fuit contra dictum episcopum ex nonnullis aliis gravaminibus, per ipsum, ut asserunt, illatis eisdem, ad Sedem Apostolicam appellatum. Sane hujusmodi negotio in nostra et fratrum nostrorum presentia, pro parte capitulorum et universitatis predictorum, exposito, nos in illo dilectum filium nostrum Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbiterum cardinalem, deputavimus auditorem : coram quo, eodem pendente negotio, prefatus episcopus, ad subversionem jurium capitulorum et ecclesiarum predictorum aspirans, nonnullas conjurationes, conspirationes et confederationes contra dicta capitula cum quibusdam potentibus illarum partium fa-

ciens, eorum aliquibus multa propter hoc de bonis Leodiensis ecclesie contulisse dicitur et etiam obligasse, ac alias diversis titulis villas, territoria, possessiones et nonnulla alia bona ipsius ecclesie in potentes alios illarum partium transtulisse, contra juramentum de non alienandis ejusdem ecclesie bonis ab eo prestitum veniendo : nec hiis contentus, eadem etiam capitula omnibus quasi eorum proventibus, pro sue voluntatis libito, contra justitiam, spoliavit. Et, licet idem cardinalis prefatum episcopum per suas litteras, quas ei, de mandato nostro facto sibi oraculo vive vocis, destinavit, fuerit exortatus, ut se super hiis emendaret, alioquin procederemus gravius contra eum, idem tamen episcopus, post receptionem litterarum ipsarum, per se et suos gravamina gravaminibus ac injurias injuriis addere non cessavit : marescalcus enim dicti episcopi, una cum ipsius episcopi satellitibus, ejusdem episcopi vexillo explicito, quasdam villas ipsorum capituli dicte ecclesie Leodiensis expugnans, multa de bonis ipsorum capituli dicte ecclesie Leodiensis, ibidem inventa, fecit ad quoddam castrum ipsius episcopi asportari, nonnullis ex hominibus dictorum capituli ejusdem Leodiensis ecclesie, in ipsis villis existentibus, captis, aliis vulneratis et aliquibus etiam miserabiliter interfectis, et alia plura per eundem episcopum et suos perpetrata dicuntur, que, si veritate nitantur, sub dissimulatione transire nequaquam intendimus, cum ea non solum in ipsorum capitulorum et universitatis discrimen sed totius redundent, sicut accepimus, patrie scandalum et jacturam. Volentes itaque super premissis de oportuno remedio providere, discretioni vestre per Apostolica Scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem episcopum, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut, infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi, sub pena privationis episcopalis dignitatis, quam, si tunc non comparuerit, ipso facto incurrat, compareat personaliter coram nobis, super hiis mandatis nostris plenarie pariturus, ac facturus et recepturus super premissis quod justitia suadebit, denuntiando nichilominus capitulis et universitati predictis ut capitula, personas aliquas de se ipsis, universitas vero predicti, si negotium hujusmodi prosequi velint vel sua crediderint interesse, procuratorem vel procuratores sufficienter instructos, termino predicto, ad presentiam nostram transmittant ad dictum negotium prosequendum : diem vero hujusmodi citationis et denuntiationis ac formam, et quicquid inde duxeritis faciendum, nobis, per vestras litteras, harum seriem continentes, intimare fideliter studeatis. Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

4005 (LXXVIII) Latran, 6 avril 1301.

« Confertur sibi cum dispensatione prepositura ecclesie de Wyngham, Cantuariensis diocesis. » (fol. 18 v°.)

Dilecto filio Amedeo, nato dilecti filii nobilis viri Johannis de Sancto Johanne, preposito ecclesie de Wyngham, Cantuariensis diocesis. Tua et tuorum nobilitas —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod, dudum prepositura ecclesie de Wyngham, Cantuariensis diocesis, per mortem quondam Petri de Guldeford, olim ipsius ecclesie prepositi, qui apud Sedem Apostolicam, dum residebamus Reate, diem clausit extremum, vacante, cum nullus preter nos preposituram ipsam conferre potuisset, constitutione felicis recordationis Clementis pape IIII, — obstante. Nos, volentes dilecto filio Thome de Paliano, camere nostre clerico, olim ipsius ecclesie preposito, gratiam facere specialem, predictam preposituram, sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis Apostolica sibi auctoritate contulimus et providimus de eadem, decernentes, prout erat, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, scienter vel ignoranter, attemptatum fuisset antea vel attemptari contingeret in futurum. Cumque postmodum prefata prepositura, cujus idem Thomas nondum fuerat corporalem possessionem adeptus, per liberam resignationem ipsius in manibus venerabilis fratris nostri Petri, episcopi Burgensis, tunc archidiaconi Drocensis in ecclesia Carnotensi, sponte factam, et ab eo de mandato nostro receptam, apud Sedem ipsam vacaret, — dilectis filiis . . Wesmotnasterii, . . de Waltham, Londoniensis diocesis, monasteriorum abbatibus, ac . . archidiacono Drocensi in dicta ecclesia Carnotensi tibi super hiis per nostras certi tenoris litteras executoribus deputatis, inter alia continentes, ut ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, te in ejusdem prepos, iture corporalem possessionem inducerent et tuerentur inductum, facientes te in prepositum ipsius ecclesie de Wyngham admitti, tibique de ipsius prepositure fructibus et redditibus responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Porro . . abbas monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, cui dictus archidiaconus, post processus aliquos super hoc per eum habitos, sub certa forma commiserat in hujusmodi negotio vices suas, forma predicta sibi tradita observata, ad eandem ecclesiam de Wyngham personaliter accedens, lectis et expositis ac etiam publicatis ad ipsius ecclesie de Wyngham hostium, cum in eandem ecclesiam de Wyngham sibi non pateret, quinimmo denegaretur accessus, tam Apostolicis tibi et executoribus eisdem directis quam prefati archidiaconi executoris litteris supradictis, pos-

sessionem prepositure prefate ac pertinentiarum ejus Thome de Cumbe, procuratori tuo, pro te per anulum hostii ipsius ecclesie de Wyngham, prout tunc melius potuit, assignavit, denuntians Jacobum de Gobeham, qui, pretextu cujusdam collationis facte sibi, ut asserebat, per venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum de prepositura predicta, prepositoram detinebat eandem, et quemlibet alium ipsius prepositure detentorem, amotum esse per processum et sententiam predicti archidiaconi executoris ; ac ipse idem abbas, subdelegatus ab eo, eundem Jacobum et detentorem alium, si quis esset, prout ex commissione hujusmodi sibi super hoc facta poterat, ad cautelam ab eadem prepositura amovere curavit, ac monuit quosdam ipsius Jacobi procuratores, astantes ibidem, ac, per eos, eundem Jacobum, necnon canonicos, capellanos, clericos, parrochianos dicte ecclesie de Wyngham et alios, qui de bonis dicte prepositure tenebant, ut idem scilicet Jacobus dictam prepositoram, cujus possessioni de facto incumbebat, ac procuratores ipsius omnino dimitterent, et predictum procuratorem tuum, pro te, pacificam ipsius prepositure possessionem assequi et ea gaudere permitterent, dictique canonici, capellani, clerici, parrochiani et alii de bonis prepositure predicte tenentes, infra certi temporis spatium, te vel dictum procuratorem, tuo nomine, quantum in eis erat, admitterent in prepositum ecclesie memorate, tibique de ipsius prepositure fructibus et juribus universis integre responderent, in Jacobum et procuratores ejus, canonicos, capellanos, clericos, parrochianos et alios predictos, si in hac parte ipsius monitis non parerent, extunc excomunicationis sententiam proferendo. Et cum iterato postmodum predictus abbas subdelegatus ad eandem ecclesiam de Wyngham, causa perficiende executionis hujusmodi, rediisset ac predictum Jacobum et quosdam ex prefatis canonicis, capellanis et clericis personaliter invenisset ibidem, factis et reiteratis coram eis suis monitionibus et preceptis, quia eos super hiis rebelles et inobedientes invenit, ipsos omnes et singulos nominatim, et alios hujusmodi mandatis et monitis non parentes, ibidem coram clero et populo, excomunicatos publice nuntiavit, prout hec omnia idem subdelegatus ex commissionis forma sibi super hoc facte poterat supradicte. Verum prefatus Jacobus, facte tibi per nos provisioni hujusmodi se opponens, et tam contra eam quam contra personam tuam obiciens, quod tu patiebaris tam in ordinibus quam in etate defectum, et quod ob hoc non debebas ad prepositoram ipsam, et potissime per procuratorem, admitti, cum sacerdotalis existeret, ac de ipsius ecclesie de Wyngham statutis et consuetudinibus juramento vallatis haberetur, ut nullus ad prepositoram admitteretur eandem, nisi foret presbyter et juraret in ipsa ecclesia residentiam facere personalem, ac de hiis in predictis nostris tibi concessis litteris nulla mentio facta esset, sicque litteras ipsas asserens per falsi suggestionem et veri suppressionem obtentas, quod ex eo plenius apparere dicebat, quod nos dictam prepositoram, tamquam apud predictam Sedem per mortem prefati Petri vacantem tibi contuleramus, quam tamen non per ejusdem Petri mortem, sed per privationem ipsius, factam per eundem archiepiscopum, ipso Petro vivente, vacarat, eundem procuratorem tuum, quominus ad dictam prepositoram admitteretur, et illius posset nomine tuo possessionem habere, armata etiam manu nequiter impedire presumpsit, et nichilominus ab hujusmodi provisione tibi facta per nos, et a monitionibus, preceptis, processibus et sententiis supradictis, per eosdem archidiaconum executorem tuum et abbatem subdelegatum ab eo super eadem provisione factis, ad Sedem predictam, ut dicitur, appellavit. Idem quoque archiepiscopus, requisitus et monitus per subdelegatum predictum, ut te vel procuratorem tuum, nomine tuo, ad eandem prepositoram admitteret, teque tractaret tamquam prepositum ecclesie memorate, ac faceret tibi de fructibus, redditibus et proventibus ejusdem prepositure, quantum in eo foret, integraliter responderi, amoto ab ea quolibet detentore, a monitione hujusmodi et aliis predictorum executoris ac subdelegati procedentium processibus in hac parte habitis, ad Sedem appellavit eandem. Quare nobis humiliter supplicasti, ut, te in facta tibi hujusmodi per nos gratia confoventes, providere tibi super hiis de oportuno remedio dignaremur, presertim cum, et si verum esset quod tibi de privatione predicta opponitur, hujusmodi tamen privatio, post appellationes, pro parte dicti Petri prepositi, a prefati archiepiscopi gravaminibus in hac parte ad Sedem interjectas predictam, et postquam idem Petrus, pro hujusmodi appellationibus prosequendis, iter arripuerat ad Sedem veniendi eandem, fuerat attemptata. Nos itaque, nolentes quod hujusmodi facta per nos tibi provisio, occasione talis defectus etatis et ordinum tibi objecti, quemve pateris, utpote qui in septimodecimo etatis tue anno vel circa illum, et minoribus tantum adhuc consistis ordinibus, reddatur invalida vel valeat impugnari, tecum super eodem defectu, quod, illo et constitutionibus quibuscunque in contrarium editis nequaquam obstantibus, prepositoram predictam assequi libere valeas, et una cum prebenda, per nos tibi collata seu etiam reservata in Eboracensi ecclesia, si eam jam sis vel cum illam fueris assecutus, licite retinere, nec tenearis, ejusdem prepositure pretextu, ad susceptionem sacrorum ordinum, donec

ad legitimam etatem perveneris, auctoritate predicta, de speciali gratia, dispensamus, —. Ceterum ipsi Jacobo reservamus, ut, postquam tu ejusdem prepositure possessionem pacificam fueris assecutus, jus suum, si quod in eadem prepositura se habere confidat, per viam judicii prosequi valeat tecumque super hoc judicialiter experiri. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis, suppletionis, constitutionis et reservationis, et cetera. Dat. Laterani, VIII id. aprilis, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Theanensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Augustini Cantuariensis ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi.*

4006 (LXXVIIII) Latran, 21 mars 1301.

« Dispensatio super matrimonio in Urbe. » (fol. 19 v°.)

Dilecto filio Attaviano, nato dilecti filii Attaviani de Thebaldinis, et dilecte in Christo filie Margarite, nate quondam Stephani Theobaldi, militis de Urbe. Licet matrimonium contractum —.

Ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, inter se matrimonium contrahere valeant.

Dat. Laterani, XII kal. aprilis, anno septimo.

4007 (LXXX) Latran, 28 février 1301.

« Dispensatur super defectu natalium. » (fol. 19 v°.)

Dilecto filio Petro, nato dilecti filii Angeli de Judeis, sindici (sic) Romani, laico. Ex parte dilecti filii Angeli de Judeis, scindici Romani, patris tui, fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipse prolem ex legitima uxore non habeat, super defectu natalium quem patieris, de ipso conjugato et quondam Jacoba Angeli, Reatina muliere soluta, matre tua, genitus, dispensare tecum de benignitate solita dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

4008 (LXXXI) Latran, 15 février 1301.

« Dispensatur super pluralitate. » (fol. 19 v°.)

Thome de Cantebriggia, subdiacono, clerico et familiari carissimi in Christo filii nostri Eduardi, regis Anglie illustris, canonico ecclesie Sancte Trinitatis de Werewellis, Wintoniensis diocesis. Exhibita nuper nobis tua petitio continebat, quod tu olim, post generale concilium Lugdunense, ecclesias de Lifron, Exoniensis diocesis, et de Gretewix, Conventrensis et Lichefeldensis diocesis, fuisti absque dispensatione Sedis Apostolice, alias tamen canonice, assecutus, et aliquandiu eas insimul tenuisti, fructus percipiens ex eisdem : processu vero temporis, habens inde conscientiam remordentem, ecclesias ipsas, jamdiu est, omnino dimittere curavisti. Postmodum autem ecclesiam de Barnetone, Eliensis diocesis, similem curam habentem, canonice tibi collatam, fuisti adeptus, et, cum demum ad vacantem ecclesiam de Jakelee, Lincolniensis diocesis, cui cura similis noscitur imminere, a vero patrono, ipsius diocesano loci, fuisses legitime presentatus, idem diocesanus, auctoritate ordinaria, custodiam ejusdem ecclesie de Jakelee tibi commisit, cujus pretextu custodie, tu ipsam ecclesiam et, una cum ea, prefatam ecclesiam de Barnetone retinens, percepisti et percipis fructus et redditus ex eisdem; nec etiam te fecisti ad sacerdotium juxta ejusdem statuta concilii promoveri, dispensatione aliqua super hiis etiam a Sede Apostolica non obtenta. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi gratiose super premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque —. Dat. Laterani, XV kal. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Cantuariensi et Johanni de Drokeneford, Saresbiriensis, ac magistro Philippo de Bartono, Londoniensis canonicis ecclesiarum.*

4009 (LXXXII) Latran, 19 mars 1301.

« Quod possit facere visitari diocesim suam per biennium per aliquam seu aliquas personas ydoneas. » (fol. 20.)

Venerabili fratri Gazoni[1], *episcopo Laudunensi.* Sincere devotionis tue —. Dat. Laterani, XIIII kal. aprilis, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Rothomagensis, et . . preposito Sancti Quiriaci de Pruvino, ac . . cantori Senogiensis, Senonensis et Cameracensis diocesium, ecclesiarum.*

4010 (LXXXIII) Latran, 16 mars 1301.

« Super discordia que est inter episcopum et capitulum Laudunenses et cives Laudunenses. » (fol. 20.)

Venerabili fratri Th[eobaldo], episcopo Dolensi, et dilecto

1. *Ms* : Gizoni.

filio nobili viro G[uidoni], comiti Sancti Pauli. In afflictionibus et persecutionibus ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum, cum eas ad nostrum pervenire contingit[1] auditum, perfunditur mens nostra meroribus et affligimur compassionis affectibus circa eas. Et, ne desit in nobis, ad quem universaliter pertinet regimen earumdem, vigilis et diligentis[2] cura pastoris, nedum libenter quinimo desiderabiliter, nunc per viam justitie, nunc per adhibitionem favoris et Apostolice potestatis, nunc etiam per modum concordie, ipsis de salubri remedio providemus, ut, vigentes in pulcritudine pacis, divinis reddantur[3] obsequiis acriores. Ad hoc quoque singuli, quos ducit zelus fidei et devotionis fervor ad Deum, debent efficacibus operibus insudare, ut eedem ecclesie ac persone salubri statu refloreant et quietis ubertate letentur, cum non sit vergendum in dubium, quod defensores et promotores earum grati et cari divino conspectui presentantur, et quod maledictionis judicio feriuntur qui eas affligunt persecutionibus et jacturis. Sane dudum, ex parte venerabilis fratris nostri . . episcopi et dilectorum filiorum . . decani et capituli Laudunensium, querelis gravibus expositis coram nobis super diversis injuriis, dampnis, gravaminibus et pressuris, per cives Laudunenses eis, ut asserebant, illatis, ex quibus etiam inter eosdem episcopum, decanum et capitulum, ex parte una, et predictos cives, ex altera, gravia scandala contigerunt ac exorta est gravis materia questionis, nos in favorem ecclesie Laudunensis ac predictorum episcopi, decani et capituli, certis viis et modis, Apostolici potestatem officii super hiis duximus adhibendam. Verum, cum, sicut accepimus, prefati cives, pretextu discordie et questionis hujusmodi, nequitie spiritu contra predictos ecclesiam, episcopum, decanum et capitulum concitati, nec contenti preteritorum illatione malorum, cotidie offensas offensis et mala malis accumulent, nos, qui salutem desiderabiliter cupimus et querimus singulorum, et libenter inter Christi fideles quietis et pacis comoda procuramus, desiderantes salubrem finem imponere super hiis ac experiri volentes, si, per viam concordie, hujusmodi turbationis, questionis et scandali materia, presertim cum honore Dei, ad salubrem statum ecclesie Laudunensis predicte, inter partes predictas valeat amputari; sperantes quoque, quinimmo pro firmo tenentes, quod ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum injurie, persecutiones et dampna vestris molesta votis accedant, et quod libenter earum quietem et comoda procuretis, tanto vos ad id fidutialius et libentius excitamus, quanto utiliores fructus speramus ex vestris studiis et operibus proventuros; propter quod ministerium vestrum ad hujusmodi tractandam et promovendam concordiam duximus eligendum, plenam de vobis gerentes fiduciam, quod, ob reverentiam divinam et nostram, interponatis in hiis efficaciter partes vestras. Quare providentiam vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus, infra festum Nativitatis Domini proximo futurum, predictis partibus amicabiliter ad vestram presentiam evocatis, et diligenter auditis que super premissis et ea contingentibus coram vobis duxerint proponenda, ad reformandam pacem et concordiam inter eas solers studium et sollicitam diligentiam apponatis. Si autem, quod absit, per vestrum ministerium hujusmodi pax et concordia minime provenirent, tu, frater episcope, statum et conditiones negotii, eodem elapso termino, nobis per tuas patentes litteras, harum seriem continentes, seriatim et fideliter intimare procures, ut, exinde plenius informati, possimus super hoc de efficatiori remedio providere. Dat. Laterani, XVII kal. aprilis, anno septimo.

1. *Ms*: contigit.
2. *Ms* : diligenti.
3. *Ms* : reddamur.

4011 (LXXXIIII) Latran, 19 mars 1301.

« Conceditur Gazoni, episcopo Laudunensi quod possit facere recipi Odoardum de Castaneto in ecclesia Laudunensi. » (fol. 20 v°.)

Venerabili fratri Gazoni, episcopo Laudunensi. Sincere devotionis affectus —. Nuper siquidem nobis per tuas litteras cum instantia supplicasti, ut dilecto filio Odardo de Casteneto, clerico et familiari tuo, providere in ecclesia Laudunensi de canonicatu et prebenda de speciali gratia dignaremur —.

Annuit petitioni, non obstante quod dictus Odardus beneficium ecclesiasticum, ad præsentationem . . abbatis et conventus Sancti Johannis Laudunensis, ordinis sancti Benedicti, spectans, per Apostolicas litteras exspectare noscitur.

Dat. Laterani, XIIII kal. aprilis, anno septimo.

4012 (LXXXV) Latran, 28 février 1301.

« Quod possint recipere domos in Luceria. » (fol. 20 v°.)

Ministro et fratribus ordinis Minorum provintie Sancti Angeli. Inter ceteros ordines in agro plantatos Ecclesie sacrum vestrum ordinem, claris suis exigentibus meritis, gerentes in visceribus caritatis, ad ea vigilanter inten-

dimus ac opem operamque sollicitam impertimur, per que status ejusdem ordinis, ad divini nominis gloriam, exaltationem catholice fidei et honorem nominis supradicti, prosperis semper successibus affluat, tranquillis foveatur eventibus et votivis proficiat incrementis. Sane petitio vestra nobis exposita continebat, quod carissimus in Christo filius noster Carolus, Sicilie rex illustris, zelo fidei et devotionis accensus et ad divina obsequia jugiter exequenda dispositus, dudum de civitate Lucerina Sarracenorum expulsa perfidia, et obscenis eorum operibus fine dato, civitatem ipsam habitationi fidelium salubriter deputavit, et jam ad illam non modica eorum confluxisse dinoscitur multitudo, quodque prefati regis copiosa benignitas vobis dictoque ordini quasdam domos, infra ejusdem civitatis limites consistentes, ut in eis ejusdem ordinis profexores (*sic*) moram continuam contrahant, devotum et sedulum sacrificium laudis Altissimo impensuri, de regia liberalitate donavit. Sed vos domos ipsas recipere, constitutione nostra super hoc obicem ingerente, absque Apostolice Sedis licentia nequivistis : super quo vestra humilis flagitabat instantia vobis et eidem ordini per Sedis ipsius clementiam provideri. Nos itaque, magno desiderio cupientes ut civitatem ipsam, quam anteactis temporibus feda suorum conversatio incolarum tetra nefandorum actuum caligine obducebat, catholice fidei splendor salutaris illustret, ac in ea divini cultus observantia vigeat, Summique Regis preconium invalescat, vobis, vestro dictique ordinis nomine, predictas domos ab eodem rege recipiendi libere ipsasque libere perpetuis futuris temporibus retinendi, morandi in illis, ordinandi et disponendi de ipsis, prout utilius eidem ordini videritis expedire, nostra et qualibet alia constitutione contraria non obstante, plenam, auctoritate presentium, licentiam duximus concedendam. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

4013 (LXXXVI) Latran, 1er mars 1301.

« Super statu studii Aurelianensis. » (fol. 21.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Autisiodorensi. Significavit nobis . . scolasticus ecclesie ac doctores studii Aurelianensis, quod, cum olim ad dictum studium, quod in diversis florere scientiis, presertim in utroque jure, ab antiquis temporibus consuevit, tanta doctorum concurreret multitudo, quod, eorum singulis habere nequeuntibus decentem audientium comitivam, erat ipsi studio multitudo hujusmodi plurimum onerosa, ac eorumdem doctorum auctoritas et doctrina, propter ipsorum numerositatem nimiam, quodam modo vilescebant : prefatus scolasticus, ad quem ejusdem studii gubernatio et dispositio, de antiqua approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, pertinet, id diligenter attendens, habito super hiis tam cum doctoribus tunc in studio predicto legentibus quam cum capitulo dicte ecclesie diligenti tractatu, de ipsorum assensu et voluntate, predicti studii utilitate pensata, interveniente insuper auctoritate tua, qui tunc Aurelianensi ecclesie presidebas, certum hujusmodi doctorum numerum ordinarie in studio predicto legentium, duorum videlicet in decretis, trium in decretalibus et quinque in jure civili, duxit deliberatione provida statuendum, astringendo se ad hujusmodi numerum in eodem studio perpetuis temporibus observandum proprio juramento, ac deinde, te ad ecclesiam Autisiodorensem translato, bone memorie F., episcopus Aurelianensis, qui in episcopatu Aurelianensi proximus tibi successit, statutum hujusmodi auctoritate ordinaria confirmavit, et, licet extunc dictum statutum fuerit in eodem studio inviolabiliter observatum, quia tamen venerabilis frater noster B. episcopus Aurelianensis, ejusdem F. successor, predictum statutum infringere satagens, ad instantiam quorumdam, doctorem sextum in dicto jure civili in eodem studio, magistrum videlicet Alanum de Valle, ejusdem juris civilis professorem, clericum Leodiensis diocesis, superaddere conabatur, ex parte ipsorum doctorum ejusdem studii fuit ei cum instantia supplicatum, ut, cum ejusdem statuti violatio, si fieret, in subversionem status ejusdem studii ac grave dictorum doctorum et omnium in studio predicto studentium prejudicium redundaret, idem B. episcopus, ab hujusmodi dicti statuti violatione desistens, studium ipsum, quod ex imminentibus illarum partium guerrarum procellis et al[ias] plurimum turbatum fuerat, gravius non turbaret; sed idem B. episcopus, ex hujusmodi supplicatione quodammodo provocatus, respondit, quod, nisi idem sextus doctor, quem superaddere volebat numero supradicto, spontaneo doctorum predictorum ejusdem studii reciperereretur assensu, ipse non solum unum, sed quatuor et quinque numero superadderet prelibato pro sue libito voluntatis; propter quod doctores predicti, conspicientes ex hujusmodi violatione statuti, quam idem episcopus facere minabatur, grave ipsi studio periculum imminere, sibique prejudicium generari, ab hujusmodi comminato gravamine ad Sedem Apostolicam appellarunt, ac idem episcopus, hujusmodi appellatione contempta, prefatum magistrum Alanum doctorem sextum in eodem studio, contra statutum predictum, ordinarie legere procuravit, in ipsorum scolastici, doctorum et studentium non modicum detrimentum, et, ut eisdem

doctoribus sic appellantibus facultatem auferret appellationem hujusmodi prosequendi, inhibuit omnibus et singulis doctoribus, bachalariis et scolaribus universis ejusdem studii, ne, pro hujusmodi negotii prosecutione aut alia quacumque de causa, congregationem aliquam facerent, seu super aliquibus communem tractatum haberent, absque sua licentia speciali, in singulos contra facientes excommunicationis sententiam promulgando. Quare dicti scolasticus et doctores ipsius studii, ad nos habentes in hac parte recursum, nobis humiliter supplicarunt, ut ipsis et eidem studio super predictis de oportuno providere remedio paterna sollicitudine dignaremur. Cum autem tu, qui doctor olim in eodem studio extitisti, et de cujus, ut premittitur, auctoritate, dum eidem Aurelianensi presideres ecclesie, predictum conditum dicitur fuisse statutum, super hiis habere possis notitiam pleniorem, nos, qui ejusdem studii statum salubrem paternis zelamur affectibus, de circumspectione tua gerentes fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, ad civitatem Aurelianensem te personaliter conferens, vocatis ad presentiam tuam qui propter hoc fuerint evocandi, ac inquisita super premissis summarie, de plano, sine strepitu vel figura judicii, diligentius veritate, statuas super ipsis et circa ea, nostra fretus auctoritate, que pro tranquillitate et statu salubri tam studii quam in eo legentium et studentium predictorum videris statuenda, et que decreveris facias, auctoritate predicta, appellatione remota, firmiter observari. Testes autem, et cetera, per censuram ecclesiasticam, et cetera. Dat. Laterani, kal. martii, anno septimo.

4014 (LXXXVII) Latran, 23 mars 1301.

« Citatio ad instantiam magistri Guittonis de Urbeveteri, rectoris parochialis ecclesie de Tisiberi, Saresbiriensis diocesis. » (fol. 21 v°.)

Dilectis filiis . . archidiacono Riccimundie in ecclesia Eboracensi et magistris Johanni de Ebroyco ac Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi. Vacante dudum —.

Ecclesia parrochialis de Tisiberi, Saresbiriensis diocesis, per obitum quondam Riccardi de Ceccano, ejusdem ecclesie rectoris, « qui, dum Anagnie Romana curia resideret, in castro Ceccani diem clausit extremum », vacans et Apostolicæ dispositioni reservata, magistro Guittoni Ranutii de Urbeveteri, doctori decretorum, collata fuit. « Verum, sicut idem magister Guitto in nostra proposuit presentia constitutus, magister Thomas, canonicus Exoniensis, ac quidem alii dictam ecclesiam occupatam detinere dicuntur in nostrum et Apostolice sedis contemptum et ejusdem magistri Guittonis prejudicium et gravamen. » Mandatur suprascriptis quatinus præfatum magistrum Thomam et quoslibet alios detentores moneant, ut, infra xv dies post monitionem, ecclesiam magistro Guittoni vel ejus procuratori dimittant et de fructibus a die vacationis ejusdem ecclesie satisfactionem impendant. Alioquin detinentes ipsos et quoslibet alios contradictores peremptorie citare curent, in eos excommunicationis sententiam, si non paruerunt, proferendo, ut infra trium mensium spatium prædictos xv dies immediate sequentium, personaliter compareant.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno septimo.

4015 (LXXXVIII) Latran 4 mars 1301.

« Confertur canonicatus Lincolniensis cum dignitate et prebenda. » (fol. 21 v°.)

Theobaldo de Grandisono, nepoti dilecti filii nobilis viri Ottonis de Grandisono militis, canonico Lincolniensi. Circumspecta Sedis Apostolice —.

Ei, obtentu Ottonis de Grandisono, avunculi ejus, canonicatum ecclesiæ Lincolniensis confert vel reservat dominus papa non obstante quod in Gebennensi et Wellensi ecclesiis canonicatus et præbendas et parrochialem ecclesiam de Eckinthone, Cicestrensis diocesis, noscitur obtinere.

Dat. Laterani, IIII non. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . de Wanlok, et . . de Bermindisea, Herefordensis et Wintoniensis diocesium, prioribus ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi.*

4016 (LXXXVIIII) Même date.

« Confertur Ottoni de Grandisono canonicatus ecclesie Eboracensis cum dignitate et prebenda. » (fol. 21 v°.)

Ottoni de Grandisono, nepoti dilecti filii nobilis viri Othonis de Grandisono militis, canonico Eboracensi. Circumspecta Sedis Apostolice —.

Ei, obtentu Ottonis de Grandisono, avunculi ejus, canonicatum ecclesiæ Eboracensis confert vel reservat dominus papa non obstante quod in Lausanensi et Eduensi ecclesiis canonicatus et præbendas et parochiales ecclesias de Manucestre, de Wilquintone et de Picala, Cicestrensis et Eboracensis diocesium ex dispensatione Apostolica noscitur obtinere. Tenebitur tamen, postquam personatum ejusdem ecclesiæ Eboracensis

assecutus fuerit, ecclesias de Wilquintone et de Picala dimittere.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . de Wanlok et . . de Bermundisea prioribus, Herefordensis et Windoniensis diocesium, ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi.*

4017 (LXXXX) Latran, 28 février 1301.

« Conceditur mense episcopali Calvensi monasterium Sancti Salvatoris de Monte Caprino, ordinis sancti Benedicti, Calvensis diocesis. » (fol. 22.)

Venerabili fratri Henrico, episcopo Calvensi. Tue devotionis sinceritas —.

Mensæ episcopali Calvensi, cujus redditus adeo tenues sunt ut episcopus non possit ex eis secundum episcopalis exigentiam dignitatis congrue substentari, deputatur in perpetuum in usus proprios monasterium Sancti Salvatoris de Monte Caprino, ordinis sancti Benedicti, ejusdem diocesis, ita tamen quod . . abbas et duo monachi, qui nunc sunt ejusdem monasterii, de illius proventibus, pro substentatione ipsorum, quoad vixerint et ubi remanere voluerint, congruam percipiant portionem.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis Nicolao, primicerio, et Frederico Sparani, canonico ecclesie Capuane.*

4018 (LXXXXI) Latran, sans date de jour, ni de mois. 1301.

« Super facto monasterii Sancti Vincentii Bisuntini, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 22.)

Venerabili fratri B[artholomeo], episcopo Eduensi. Significarunt nobis . . abbas et conventus monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, quod, vacante dudum monasterio Sancti Vincentii Bisuntini, ordinis sancti Benedicti, per mortem quondam J. abbatis ipsius, conventus ejusdem monasterii Sancti Vincentii, convenientes in unum pro futuri facienda substitutione abbatis, quia, votis eorum divisis, in unam non potuerant convenire personam, Johanni, archidiacono de Favorneyo in ecclesia Bisuntina, nepoti venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Bisuntini, providendi ea vice dicto monasterio Sancti Vincentii de abbate, sub ea forma, contulerunt unanimiter potestatem, ut idem archidiaconus alterum de duobus, quos ipsi conventus tunc nominabant eidem, eligeret[1] in abbatem monasterii Sancti Vincentii supradicti; sed idem archidiaconus, hujusmodi potestate recepta, neutrum de dictis duobus, per dictos conventum nominatis eidem, sed Guillelmum de Buffoio, apostatam dicti ordinis Cluniacensis, qui, post professionem dicti Cluniacensis ordinis ab eo emissam, monachali habitu derelicto, viginti annis et amplius tanquam secularis, immo sicut miles, incedens, pluribus incendiis et preliis armatus interfuit, diversis etiam majorum excommunicationum ligatum sententiis, in abbatem dicti monasterii Sancti Vincentii, de facto, pretextu dicte potestatis, elegit; idemque Guillelmus hujusmodi electioni de se facte consensit, prefati abbatis Cluniacensis non petita licentia nec obtenta. Et, licet, ex parte dictorum conventus Sancti Vincentii, ad Sedem propter hoc fuerit Apostolicam appellatum, prefatus tamen archiepiscopus, ipsos renuntiare hujusmodi eorum appellationi compellens, predictam electionem, pro sue voluntatis libito, confirmavit ac dicto G. munus benedictionis impendit, in grave totius ordinis Cluniacensis predicti scandalum dictique monasterii Sancti Vincentii detrimentum : propter quod idem abbas Cluniacensis, qui, prout sua intererat, punire apostatam pro suis excessibus intendebat eundem, pro interesse suo et dicti ordinis Cluniacensis, ad Sedem appellavit predictam. Idem quoque archiepiscopus, Raynaudi, tunc abbatis monasterii Balnensis, dicti ordinis Cluniacensis, Bisuntine diocesis, predicto abbati Cluniacensi immediate subjecti, cessione recepta, Symonem, qui nunc pro ipsius abbate se gerit, ad illius regimen procurans eligi hujusmodi, ejusdem Symonis electionem, auctoritate propria, contra justitiam, confirmavit, eique munus benedictionis impendit, in ipsius abbatis Cluniacensis non modicum prejudicium et gravamen, cum hujusmodi electionum confirmationes in monasteriis dicti ordinis Cluniacensis, non ad episcopos vel archiepiscopos, sed abbatem duntaxat Cluniacensem, qui est pro tempore, de antiqua approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, pertinere noscatur. Archiepiscopus preterea supradictus Johannem dictum Brulefayn, clericum Bisuntine diocesis, qui in fratrem Guidonem de Aichosio, monachum dicti Cluniacensis ordinis, manus injecerat adeo graviter, Dei timore postposito, violentas, quod eundem monachum ex una tibia quasi omnino reddiderat impotentem, nulla per eundem sacrilegum super hoc satisfactione impensa, absque licentia dicte Sedis, de facto, cum id sibi de jure non liceret, absolvit et denuntiari fecit etiam absolutum, ac alias abbati, conventui et ordini Cluniacensibus predictis idem archiepis-

1. *Ms* : eligerent.

copus multa dampna, injurias et offensas multipliciter irrogavit. Cum autem super hiis, pro parte dictorum abbatis et conventus monasterii predicti Cluniacensis, ad nos habitus sit recursus, fraternitati tue, de cujus circumspectione fidutiam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus quatinus, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, ac inquisita super premissis summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, diligentius veritate, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem, et cetera, usque : perhibere. Dat. Laterani, anno septimo [1].

4019 (LXXXXII) Latran, 28 mars 1301.

« Conservatoria pro magistro Johanne de Sancto Claro, canonico Londoniensi. » (fol. 22 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Tusculano, et .. Londoniensi episcopis, ac dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Edmundi, Norwicensis diocesis. Pium esse conspicimus —. Sane dilectus filius magister Johannes de Sancto Claro, presbiter, canonicus Londoniensis, jurisperitus et dudum [in] illis partibus advocatus, capellanus et domesticus commensalis dilecti filii nostri Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, nuper exposuit coram nobis, quod ipse, gerens ad loca et personas ecclesiastica regni Anglie, et illa presertim que immediate Sedi Apostolice subesse noscuntur, affectum et reverentiam filialem, eorum defensioni jurium et specialiter monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, fideliter et utiliter hactenus noscitur institisse, propter quod venerabilis frater noster R. archiepiscopus Cantuariensis, motus indebite contra eum ac se sibi offerens inimicum, publice coram cleri et populi multitudine copiosa, dum idem magister Johannes vellet ab eo visitandi limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli licentiam postulare, dixit eidem, quod ipsum in persona et rebus persequeretur in tantum, quod exinde totum regnum Anglie loqueretur. Quare idem magister Johannes, super hoc se offerens coram nobis per instrumenta publica facere plenam [2] fidem, ac reputans sibi corporaliter et realiter, et maxime in illis partibus, periculum imminere, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi de protectionis et defensionis salubri remedio dignaremur.

Mandat suprascriptis, ut ipsum magistrum Johannem, quoad vixerit, non permittant in persona vel beneficiis aut rebus aut eorum prætextu lædi ab archiepiscopo sive capitulo Cantuariensi, etiam prætextu tuitionis, quam archiepiscopus Cantuariensis, vivens, et, sede prædicta vacante, capitulum prælibatum in diocesi et provincia Cantuariensibus sibi vindicare noscuntur.

Exhibituri prefato magistro Johanni vel procuratori — de predictis molestatoribus — etiam ab eo tempore quo ipse magister Johannes hac vice iter arripuit ad Sedem Apostolicam veniendi — per viam judicii, summarie tamen ac de plano, sine judicii strepitu, justitie complementum —. Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno septimo.

1. Nota diei et mensis non fuit scripta.
2. *Ms* : plenam et.

4020 (LXXXXIII) Latran, 5 avril 1301.

« Citatio ad instantiam abbatis et conventus monasterii Cluniacensis in regno Anglie. » (fol. 22 v°.)

Dilectis filiis . . priori Sancte Trinitatis Eboracensis et cantori ecclesie Sancti Lifardi Magdunensis, Aurelianensis diocesis, ac . . offitiali Ambianensi. Turbamur in intimis —.

Vacante prioratu de Theyfordia, Cluniacensis ordinis, Norwicensis diocesis, abbas monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, ad quem, de antiqua consuetudine, pertinet instituere priores in prioratibus, tam conventualibus quam aliis, monasterio predicto subjectis, quemdam ejusdem monasterii monachum, tunc priorem prioratus de Dompna Petra, instituit in priorem dicti prioratus de Theyfordia. Ejusdem vero conventus eum recipere recusavit, Reginaldum de Monargi, monachum ipsius prioratus, de facto, eligere presumpsit, ac obtinuit electionem hanc per Norwicensem episcopum de facto confirmari. Idem autem Reginaldus se intrusit in dicto monasterio, et monachos monasterii Cluniacensis, quos abbas ad publicandos processus contra eumdem et dictum conventum factos, in illis partibus destinaverat, carceri mancipari præsumpsit, quos adhuc etiam detinet carceratos. Cum autem prædicti R. intrusus et conventus dicantur fulti potentia tam episcopi Norwicensis quam Johannis Bigot, clerici, ac nobilis viri Ogerii, comitis marescalli, advocati predicti loci de Theyfordia, fratris ejusdem clerici, abbas Cluniacensis dominum papam supplicavit, ut super hiis de opportuno remedio providere curaret. Quapropter mandatur suprascriptis, ut super præmissis veritatem indagant et, si per indagationem viderint equitati congruum, episcopum Norwicensem revocare quod minus provide putaverint attemptasse, ipsum intrusum et conventum prædictos Cluniacensi abbati parere et incarceratos liberare, præfatos vero Johannem Bigoti et comitem marescallum a defensione intrusi desistere moneant. Quod si prædicti episcopus et conventus ac Johannes Bigoti et Ogerius, comes marescallus, infra unum mensem a tempore monitionis, non paruerint, eosdem nec non Raynaldum intrusum et duos de majoribus præ-

dicti conventus, de quibus ipsis videbitur, peremptorie citare curent, ut idem episcopus, Raynaldus et duo de majoribus, personaliter, predictus vero conventus, comes marescallus et Johannes Bigoti, per procuratores, se conspectui domini papæ repræsentent super præmissis responsuri. Diem vero hujus citationis et formam et quicquid inde fecerint per litteras Sedi Apostolicæ intimare curent.

Dat. Laterani, non. aprilis, anno septimo.

4021 (LXXXXIIII) Latran, 16 avril 1301.

« Henrico, archiepiscopo Lugdunensi. Super visitatione provincie. » (fol. 23 v°.)

Venerabili fratri Henrico, archiepiscopo Lugdunensi. Considerantes magne devotionis —.

Ut « pro persolvendis ejus debitis necessariisque supportandis » possit, per triennium, inchoandum a fine temporis ulterius similis gratiæ, per aliquam seu aliquas personas in dignitate vel personatu constitutas, diocesim et provinciam visitare, ac procurationes tam ab ipsis, impenso illis visitationis officio, quam ab exemptis, a quibus ex consuetudine vel alia causa debentur, in numerata pecunia recipere.

Dat. Laterani, XVI kal. maii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Savigniaco, Lugdunensis diocesis, et . . priori beate Marie de Plateria ac . . cantori ecclesie Lugdunensis.*

4022 (LXXXXV) Latran, 25 mars 1301.

« Citatio ad instantiam magistri Guillelmi de Briscia, physici et canonici Lincolniensis. » (fol. 23 v°.)

Dilectis filiis Guillelmo de Carletone, Wellensi, et Johanni de Luco ac Bartholomeo de Ferentino, Londoniensibus canonicis. Graviter gerimus —. Sane petitio dilecti filii magistri Guillelmi de Briscia, physici et familiaris nostri, Lincolniensis canonici, nobis exposita continebat, quod, cum olim canonicatus et prebenda Lincolniensis ecclesie, per promotionem et consecrationem venerabilis fratris nostri R. archiepiscopi Dublinensis, tunc ecclesie predicte canonici, apud Sedem Apostolicam vacavisset, nos, volentes eundem magistrum Guillelmum, sue multiplicis probitatis obtentu, speciali prosequi gratia et favore, sibi canonicatum et prebendam eosdem, sic vacantes, Apostolica auctoritate contulimus et providimus de eisdem ex nunc decernentes, etc., te, Guillelmo de Carletone, tuisque collegis eidem magistro Guillelmo de Briscia super hoc executoribus deputatis, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Tu vero, Guillelme de Carletone, qui solus sine dictis collegis, prout ex forma litterarum tibi et eis directarum poteras, procedebas, decano et capitulo singulisque canonicis et personis ejusdem Lincolniensis ecclesie, per tuas certi tenoris litteras, duxisti expressius injungendum, ut, infra certi temporis spatium in eisdem tuis litteris comprehensum, prefatum magistrum Guillelmum de Briscia vel procuratorem suum, ejus nomine, in eorum concanonicum reciperent et in fratrem, sibique vel dicto procuratori, pro ipso, de jamdicte prebende fructibus, redditibus et proventibus responderent, tuosque alias faciens, prout moris est, in hac parte processus, in contradictores quoslibet et rebelles excomunicationis sententiam promulgasti. Cumque dilectus filius magister Petrus de Salodo, prefati magistri Guillelmi de Briscia procurator, et quidam alii secum ad prefatam Lincolniensem ecclesiam accessissent, ut decano et capitulo, canonicis et personis predictis tam nostras quam tuas, Guillelme predicte, litteras presentarent, dicti decanus et capitulum, se ad inobedientie vitium convertentes et extollentes in superbie verticem mentes suas, divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia omnino postposita et abjecta, procuratorem eundem per familiares ipsorum et ejusdem ecclesie servientes diris affligi verberibus eumque de prefata ecclesia violentis impulsibus ejici ac alias etiam ignominose tractari ausu nephario procurarunt. Postmodum autem dilecti filii . . abbas monasterii de Barbinges, ordinis Premostratensis, Lincolniensis diocesis, subdelegatus in hoc tuus, Guillelme de Carletono prefate, et Guillelmus de Barewellis, a prefato magistro Petro substitutus in hujusmodi negotio procuratores, ad prefatam Lincolniensem ecclesiam se personaliter conferentes, predictas litteras subdecano ejusdem ecclesie, recipienti eas suo et decani ac capituli predictorum nomine, presentarunt pluries, postea tam subdecanum quam decanum et capitulum sepedictos cum instantia requirentes, ut ea, que ipsis per easdem mandabantur litteras, efficaciter adimplerent, ac ipsi, per inobedientie invium oberrantes, et sequentes precipitis voluntatis libitum non juditium rationis, predicta, infra terminum peremptorium competentem ad hoc eis specialiter assignatum, ad effectum perducere contumaciter recusarunt, nullam causam rationabilem pretendentes, quare premissa facere non deberent, propter quod excommunicationis sententiam, in eisdem prolatam processibus, incurrerunt, ac idem magister Guillelmus, propter hujusmodi rebellionem eorum, contumaciam et contemptum, dampna gravia sumptusque non modicos noscitur incurrisse, et, quamquam decanus et capitulum prelibati, longe post termi-

num supradictum, prefatum procuratorem, ipsius magistri Guillelmi nomine, in eadem Lincolniensi ecclesia, in fratrem et canonicum duxerint admittendum, ipsi tamen, ab eorum preconcepta malitia et inobedientia recedere nescientes, sed potius nefande temeritatis audatia prosequentes easdem, prefato magistro Guillelmo, vel ejus procuratori pro ipso, fructus, redditus et proventus, ex prebenda prelibata perceptos et qui percipi potuerunt, eidem magistro G. debitos, exhibere indebite contradicunt, licet, ex parte ipsius magistri Guillelmi, super hoc pluries et legitime fuerint requisiti, quinimmo, predictam sententiam dapnabiliter contempnentes, divina celebrare offitia, immo verius, quantum in eis est, prophanare presumunt, in animarum periculum, ecclesiastice discipline contemptum, plurimorum scandalum dictique magistri Guillelmi non modicum detrimentum. Quare nobis prefatus magister Guillelmus humiliter supplicavit, ut sibi contra hujusmodi detestandam proterviam decani et capituli predictorum providere, ut expedit, de Apostolice Sedis clementia dignaremur. Cum itaque prefatum magistrum Guillelmum, laudabilibus suis exigentibus meritis, quem nos ab olim familiaris experientia [docuit], specialis dilectionis prosequamur affectu, ac ejus dampna et injurie sint valde contraria votis nostris, et propterea nolimus, sicuti nec debemus, aliquatenus substinere, devotioni vestre per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, memoratos decanum, subdecanum et capitulum, ex parte nostra, monere ac inducere studeatis, ut ipsi prefato magistro G. de Briscia vel procuratori suo pro eo, infra certum competentem terminum, super hoc a vobis prefigendum eisdem, de fructibus, redditibus et proventibus ex eadem prebenda perceptis, et qui percipi potuerunt a tempore provisionis hujusmodi sibi a nobis facte de illa, plene respondere procurent, eique de dampnis, injuriis et expensis predictis satisfactionem exhibeant competentem : quod si forte jam dicti decanus, subdecanus et capitulum, in sua protervia persistentes, ea infra prefatum terminum neglexerint adimplere, ipsos ex tunc, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut prenominati decanus et subdecanus, personaliter, capitulum vero, per procuratorem ydoneum, ad hoc specialiter constitutum, infra competentem alium terminum, quem super hoc duxeritis prefigendum, coram nobis comparere procurent, nostris et Apostolice Sedis in hac parte beneplacitis et mandatis humiliter et plenarie pariturí, ac facturi et recepturi super premissis omnibus et singulis quod justitia suadebit; non obstante, et cetera. Dat. Laterani, VIII kal. aprilis, anno septimo.

4023 (LXXXXVI) Latran, 15 mars 1301.

« Quedam gratie concesse priori et conventui monasterio, Sancti Bartholomei de Trisulto, ordinis Cartusiensis, Alatrine diocesis, in regno Anglie. » (fol. 24 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Eboracensi et dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi. Debitum nostri requirit —.

Præcipiant rectori ecclesiæ de Fisceleao, Eboracensis diocesis, ut de redditibus ejusdem ecclesiæ monasterio Sancti Bartholomæi de Trisulto, Cartusiensis ordinis, Alatrinæ diocesis, decem marchas argenti solvat, quas Innocentius papa quartus eidem monasterio, usque ad sexaginta annos, concessit et quas per non modicum tempus monasterium percepit. Si vero ejusdem rectoris inobedientia seu contumacia exegerit, tam prædictam ecclesiam, quam fructus et redditus ejusdem faciant, prædictorum prioris et conventus nomine, detineri, donec eis de subtractis hujusmodi fuerit plene satisfactum, dictusque rector præstiterit eisdem cautionem.

Dat. Laterani, id. martii, anno septimo.

4024 (LXXXXVII) Latran, 23 mars 1301.

« Super eodem. » (fol. 24 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Lincolniensi et dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi. Debitum nostri requirit —.

Idem mandatur adversus ecclesiam de Bliburgo in Linden., Lincolniensis diocesis, quæ in decem marchis argenti eidem monasterio tenetur.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno septimo.

4025 (LXXXXVIII) Latran, 9 avril 1301.

« Super quibusdam bonis que fuerint quondam Raynerii de Porzano, Ameliensis diocesis. » (fol. 24 v°.)

Dilecto filio nobili viro Andreolo Munalutii de Tuderto, militi, familiari nostro. Dudum dilecti filii —.

Ei concedit, ut bona Raynerii de Perzano et Odonis, ejus filii, hæreticorum, confiscata eique donata, canonicis basilicæ Principis Apostolorum de Urbe vendat.

Dat. Laterani, v id. aprilis, anno septimo.

POTTHAST, 25035.

4026 (LXXXXVIIII) Latran, 13 avril 1301.

« Committitur Mathiolo de Tuderto rectoria civitatis Urbinatis. » (fol. 25.)

Dilecto filio Mathiolo, nato quondam Monaldi de Tuderto militis, domicello et familiari nostro, civitatis Urbinatis rectori. Devotionis et fidei —. Dat. Laterani, id. aprilis, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis populo et singularibus personis civitatis Urbinatis.*

4027 (C) Même date.

« Committitur Massolo de Tuderto rectoria castrorum Durantis, Saxicorbati et aliorum terrarum Urbinatis diocesis. » (fol. 25.)

Dilecto filio Massolo Carati de Tuderto, castrorum Durantis, Saxicorbarii, insule Planesie, Turris Abbatie ac Pillii, Urbinatis diocesis, et aliorum locorum et terrarum que olim fuerunt districtus comitatus Urbini ac pertinentiarum eorundem rectori. Devotionis et fidei —. Dat. ut supra.

In e. m. *nobilibus, potestatibus seu rectoribus comunitatibus ceterisque personis secularibus supradictorum locorum.*

4028 (CI) Latran, 16 avril 1301.

« Henrico, archiepiscopo Lugdunensi. Conceduntur sibi fructus primi anni omnium beneficiorum, que, usque ad triennium, in ecclesia, civitate, diocesi ac provincia Lugdunensibus vacare contigerit. » (fol. 25 v°.)

Venerabili fratri Henrico, archiepiscopo Lugdunensi. Considerantes magne devotionis —.

Conceditur ei, ut, ob grandia debitorum onera et diminutos redditus, percipere possit fructus, redditus et obventiones primi anni omnium ecclesiarum aliorumque beneficiorum non exemptorum, etiamsi personatus vel dignitates existant et curam animarum habeant, quæ vacant ad præsens vel usque ad triennium in ecclesia et provincia Lugdunensibus vacare contigerit, episcopatibus ac monasteriis et abbatiis dumtaxat exceptis.

Dat. Laterani, XVI kal. maii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Savigniaco, Lugdunensis diocesis, et . . priori Beate Marie de Plateria ac . . cantori ecclesie Lugdunensis.*

4029 (CII) Latran, 14 avril 1301.

« Mandatur impendi munus benedictionis Constantie, electe in abbatissam monasterii Sancte Marie Brundusini, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 25 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Tranensi. Ex parte dilectarum in Christo filiarum Constantie, electe in abbatissam, ac . . priorisse et conventus monasterii Sancte Marie Brundusine, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, nobis extitit supplicatum, ut, cum nuper, eodem monasterio per obitum quondam Jordane, abbatisse ipsius, vacante, dicta Constantia in ejusdem monasterii abbatissam canonice, prout asserunt, sit electa, dictaque Constantia infra tempus legitimum consenserit electioni hujusmodi de se facte, nos electionem eandem confirmari ac eidem electe munus faceremus benedictionis impendi. Quocirca fraternitati tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus quatinus, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electe meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra confirmans, eidem electe munus benedictionis impendas, recepturus ab ea postmodum, nostro et Ecclesie Romane nomine, fidelitatis debite solitum juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipsa prestabit, de verbo ad verbum nobis per ipsius patentes litteras, suo sigillo munitas, per proprium nuntium quamtotius destinare procures. Alioquin, eadem electione rite cassata, facias eidem monasterio per electionem canonicam vel postulationem concordem de persona ydonea provideri. Contra, et cetera. Dat. Laterani, XVIII kal. maii, anno septimo.

4030 (CIII) Latran, 4 avril 1301.

« Quod possit studere per quinquennium et quod provideatur ei annis singulis de C libris Curtonensium. » (fol. 26.)

Dilecto filio Edoardo, nato dilecti filii nobilis viri Raynerii dicti de Lagreca, militis Urbevetani, canonico ecclesie Sancte Mustiole Clusine, ordinis sancti Augustini. Viri sub religionis habitu —.

Ut, per quinquennium, studio litterarum in his scientiis, in quibus studere non est personis sui ordinis interdictum, insistere valeat.

Dat. Laterani, II non. aprilis, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis Andree de Eugubio, Cathalaunen-*

sis, et Nerio Mei de Urbeveteri, Pictavensis, ac Forli, Urbevetane canonicis ecclesiarum —.

Ut dicto Eduardo faciant a . . præposito et capitulo ecclesiæ Sanctæ Mustiolæ, annis singulis, infra octavas Annuntiationis Beatæ Virginis, de bonis ipsius ecclesiæ in centum libris Curtonensium provideri.

Dat. ut supra.

4031 (CIIII) Même date.

« Conceditur preposito et capitulo ejusdem ecclesie quod possint imponere medietatem aliis ecclesiis eis subjectis. » (fol. 26.)

Dilectis filiis . . preposito et capitulo ecclesie Sancte Mustiole Clusine, ordinis sancti Augustini. Cum nuper dilecto —.

Ut medietatem annuæ pensionis centum librarum, Eduardo de Lagreca concessæ, imponere valeant aliis ecclesiis et membris, sibi et suæ ecclesiæ subjectis, eamque, post solutionem eidem Eduardo factam, ab illis exigere.

Dat. ut supra.

4032 (CV) Latran, 17 avril 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 26.)

Dilecto filio Stephano, archidiacono de Sanctarena in ecclesia Ulixbonensi, presbitero. Petitio tua nobis —.

Dispensatur cum suprascripto, ut, una cum archidiaconatu de Sanctarena, curam animarum habente, parrochialem ecclesiam Sancti Clementis de Joule, Silvensis diocesis, retinere possit.

Dat. Laterani, xv kal. maii, anno septimo.

4033 (CVI) Latran, 15 avril 1301.

« Quod prestet auxilium magistro Jacobo, notario domini pape, super adipiscenda possessione prepositure ecclesie Maguntine. » (fol. 26 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Maguntino. Clara dilecti filii —.

Ut magistro Jacobo, notario domini papæ, circa adipiscendam possessionem præposituræ ecclesiæ Maguntinæ, quæ per mortem magistri Johannis Judicis, notarii domini papæ, vacavit, et de qua dictus Jacobus Apostolica auctoritate fuit provisus, impendat auxilium.

Dat. Laterani, xvii kal. maii, anno septimo.

4034 (CVII) Latran, 31 mars 1301.

« Thomasio, abbati monasterii Casinensis. Super revocandis monachis de obedientiis ad claustrum et de preficiendo decano. » (fol. 26 v°.)

Dilecto filio Thomasio, abbati monasterii Casinensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Quanto venerabile monasterium —. Nuper siquidem monasterio ipso abbatis regimine destituto, nos, ad provisionem ipsius celerem paternis studiis intendentes, et attendentes sollicite laudabile testimonium, quod tibi de honestate morum, vite munditia, litterarum scientia et aliis probitatis multiplicis meritis perhibetur, te, de fratrum nostrorum consilio, eidem monasterio auctoritate Apostolica prefecimus [1] in abbatem, sperantes firmiter quod monasterium ipsum per tue circumspectionis industriam utili gubernatione letabitur et salubri regimine dirigetur. Cum itaque, sicut habet fidedigna et nostris jam pluries auribus inculcata relatio, in nonnullis ecclesiis seu obedientiis monasterio memorato subjectis aliqui ejusdem monasterii monachi continuam moram trahant, de hiis que religionis honestas exigit non curantes, nos, considerantes attente que in hac parte considerationi se offerunt, ac honestati [magis consonum] et decentius reputantes, ut prefati monachi in claustro ipsius monasterii perseverent, discretioni tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus omnes monachos, existentes in hujusmodi ecclesiis seu obedientiis, in quibus non habentur monachorum conventus, ad claustrum quamtotius revoces supradictum, personas alias ejusdem monasterii, de quibus expedire videris, ad custodiam et conservationem ecclesiarum seu obedientiarum ipsarum ac bonorum suorum continuam deputando, et providendo attentius quod ecclesie seu obedientie memorate debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in illis, quibus illa imminet, ecclesiis nullatenus negligatur. Volumus insuper quod Petrum de Sancto Georgio, qui pro decano ipsius monasterii se gerere dicitur, a decanatus officio, a quo eum ex certis causis rationabilibus jam duximus amovendum, sublato cujuslibet dilationis et difficultatis obstaculo, prorsus amoveas ipsum, et ceteros dicti monasterii monachos,

1. *Ms* : preficimus.

quos, eorum exigente malitia, ejiciendos[1] agnoveris, de monasterio ipso ejicere[2] non postponas, eos vel eorum aliquem in eodem monasterio nullatenus resumpturus. Predictum autem decanatus officium persone ydonee, de ipsius monasterii gremio existenti, de prefati monasterii conventus consilio, committere non omittas, sicque in hiis et aliis, que ad tuum spectant officium, te gerere studeas sollicite et prudenter, ut proinde a Domino premium consequi valeas, et, preter humane [laudis] preconium, nostrum et Apostolice Sedis favorem et gratiam uberius merearis. Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno septimo.

4035 (CVIII) Latran, 13 avril 1301.

« Super dispensatione matrimonii. » (fol. 26 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Treverensi. Monet et excitat —.

Licentia dispensandi cum nobili viro Johanne, comite de Seyne, et nobili muliere Cunegunde de Coverna, suæ diocesis, non obstante quarto duarum consanguinitatum gradu, in quarum una, uterque ipsorum quarto, in altera vero, unus eorum tertio, alter quarto gradu, a communi eorum stipite distare noscuntur, in matrimonio, ad inimicitias sedandas contracto, remanere possint, prolem susceptam et suscipiendam legitimam nuntiando.

Dat. Laterani, id. aprilis, anno septimo.

4036 (CVIII) Latran, 9 avril 1301.

« Conceditur Ysarno, archiepiscopo Rigensi, quod, usque ad triennium, possit retinere beneficia quæ ante promotionem suam obtinebat. » (fol. 27.)

Venerabili fratri Ysarno, archiepiscopo Rigensi. Attendentes laudanda —.

Ut prioratum Sancti Bartholomæi de Bonavento, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, ac archipresbyteratum, canonicatum et præbendam ecclesiæ Carcassonensis, ejusdem ordinis, quos, promotionis et consecrationis suarum tempore, canonice obtinebat, pro persolvendis debitis suisque necessariis supportandis, usque ad triennium, retinere valeat.

Dat. Laterani, v id. aprilis, anno septimo.

Potthast, 25034.

1. *Ms* : eiciendos.
2. *Ms* : eicere.

4037 (CX) Latran, 8 avril 1301.

« Conceditur Thome de Sabaudia prebenda Sarisbiriensis cum dignitate quam duxerit acceptandam. » (fol. 27.)

Dilecto filio Thome de Sabaudia, canonico Sarisberiensi, capellano nostro. Inducunt nos —.

Obtentu Lucæ, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconi cardinalis, cujus nepos existit, suprascripto præbendam cum dignitate, in ecclesia Sarcsbiriensi, confert et reservat dominus papa, non obstante quod in Beati Ylarii Pictavensi, thesaurariam, ac in Parisiensi, Ambianensi, Leodiensi et Riponensi ecclesiis canonicatus noscitur obtinere.

Dat. Laterani, VI id. aprilis, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. Herefordensis*[1] *et .. archidiacono Richemundie, Eboracensis ecclesiarum, ac Thedisio de Camilla canonico Ambianensi.*

4038 (CXI) Latran, 17 avril 1301.

« Super venditione domus et ecclesie quam fratres ordinis Saccorum obtinebant in civitate Barchinonensi. » (fol. 27 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Valentino. Dudum, sicut te latere non credimus, felicis recordationis Gregorius papa decimus, predecessor noster, in generali Lugdunensi concilio novissime celebrato, duxit inter cetera statuendum, ut ordinum professores, quibus victum questus publicus ministrabat, quibusdam tamen exceptis, domos sive loca, que hii, quos hujusmodi statutum includit, habere noscuntur, alienare non possent absque Sedis Apostolice licentia speciali, sed domos et loca predicta prefatus predecessor dispositioni Sedis reservavit ejusdem, in Terre Sancte subsidium vel pauperum seu alios pios usus, per locorum ordinarios vel alios quibus Sedes ipsa id committeret, convertenda. Cum autem fratres ordinis Saccorum, qui de predictis ordinibus non exceptis existit, domum et ecclesiam in civitate Barchinonensi obtineant, in quibus, prout accepimus, nullus ex ipsis fratribus commoratur, et carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Aragonie illustris, pro remedio anime clare memorie Constantie, regine Aragonie, matris sue, ad opus egenorum et pauperum in eisdem domo et ecclesia hospitale fundare desiderans, nobis humiliter supplicavit, ut domum et ecclesiam predictas, cum ipsa-

1. Munus quo fungitur Herefordiæ primus executor deest in registro.

rum pertinentiis, vendi sibi, pro pretio competenti, de benignitate Sedis Apostolice, faceremus. Nos, desiderium prefati regis in hac parte favorabiliter prosequentes, et de tua fidelitate probata fiduciam gerentes in Domino specialem, tibi vendendi prefatas domum et ecclesiam, sic ab eisdem fratribus derelictas, cum earum pertinentiis, eidem regi vel procuratori suo, ejus nomine, pro pretio competenti, liberam concedimus, auctoritate presentium, facultatem, non obstante quod pie memorie Nicolaus papa IIII, predecessor noster, pie memorie B., episcopo Barchinonensi, vendendi predictas domum et ecclesiam dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Sancte Eulalie de Campo Barchinonensis, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, facultatem similem dicitur concessisse : qui secundum extimationem prefati Barchinonensis episcopi hujusmodi pretium solvere noluerunt, prout in publico instrumento inde confecto asseritur plenius contineri. Ceterum volumus quod pecuniam, quam te recipere ex hujus venditione contigerit, nobis, sublato dilationis obstaculo, per fidelem nuntium, cum tuis litteris exprimentibus ipsius pecunie quantitatem, mittere non postponas. Sic te in hiis prudenter et fideliter habiturus, ut devotionem tuam dignis exinde in Domino laudibus commendemus. Dat. Laterani, xv kal. maii, anno septimo.

4039 (CXII) Latran, 11 avril 1301.

« Angelo, olim episcopo Fesulano. Restituitur ad pontificalia. » (fol. 28.)

Venerabili fratri Angelo, olim episcopo Fesulano. Dudum per abbatem et monachos monasterii Sancti Bartholomei Fesulani ac Napoleonem, plebanum plebis de Sancto Pancratio, Fesulane diocesis, de te, tunc episcopo Fesulano, nec non, per te, de abbate, monachis et plebano predictis, super diversis culpis et excessibus, sinistra insinuatione facta nobis, nos, volentes super hiis plenius elicere veritatem, contra te ac ipsos super hoc inquiri fecimus diligenter, et, postmodum nobis inquisitione hujusmodi destinata eaque aperta, demum, ipsius inquisitionis pendente negotio, tu, in nostra presentia constitutus, in nostri cessisti manibus absolute ac libere omni pontificali oneri et honori, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, provisione ecclesie Fesulane nobis ea vice plenarie reservata. Nunc autem, ex certis considerationibus excitati, volentes erga te uti mansuetudinis et misericordie lenitate, omnem infamie notam et inhabilitatis maculam, contra te ex premissis obortam, a te penitus abolemus, teque ad bonam famam et ad honorem pontificalem ac executionem pontificalium restituimus, de Apostolice plenitudine potestatis, ita quod, occasione premissorum, nullum tibi in judicio vel extra judicium opponi possit obstaculum, quominus in ordine pontificali ministrare libere valeas et pontificalia exercere, ubi alias rite tibi concessum fuerit vel permissum. Nulli ergo, et cetera, nostre abolitionis et restitutionis, et cetera. Dat. Laterani, III id. aprilis, anno septimo.

4040 (CXIII) Même date.

« Eidem. Committitur sibi ecclesia Larinensis. » (fol. 28.)

Eidem. Vacante dudum ecclesia Larinensi pastore, ac bone memorie Jacobo, Malthensi episcopo, cui per dilectum filium nostrum L., Sancti Angeli diaconum cardinalem, tunc in regno Sicilie Apostolice Sedis legatum, administratio ejusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus, ut dicebatur, commissa fuerat, rebus humanis exempto, nos, volentes paterne sollicitudinis studio ejusdem ecclesie obviare dispendiis et utilitatibus providere, venerabili fratri nostro Johanni, nunc Capuano, tunc Beneventano archiepiscopo, plenam et liberam dicte Larinensis ecclesie administrationem spiritualiter et temporaliter, quousque ipsi ecclesie foret de pastore provisum, litterarum nostrarum auctoritate, commisimus exercendas. Cumque postmodum eundem Johannem de Beveventana ecclesia transtulissemus ad ecclesiam Capuanam, prefitiendo eum in Capuanum archiepiscopum et pastorem, nec esset ipsi Larinensi ecclesie de pastore provisum, nos, nolentes quod, propter hoc, predicta Larinensis ecclesia careret presidio defensoris, vel aliqua in spiritualibus et temporalibus susciperet detrimenta[1] venerabili fratri nostro Adenulfo, archiepiscopo Beneventano, olim archiepiscopo Cusentino, quem de Cusentina ecclesia duxeramus ad Beneventanam ecclesiam, transferendum, et prefeceramus ipsi Beneventane ecclesie in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem prefate Larinensis ecclesie plenam et liberam, in spiritualibus et temporalibus, aliarum litterarum auctoritate nostrarum, usque ad beneplacitum Sedis Apostolice, duximus committendas. Cum autem tu, qui nuper episcopatui Fesulano, cui preeras, in nostris, ex certis causis, sponte cessisti manibus, premaris inopia, nec alias habeas unde possis in tue vite necessariis, juxta tui status decentiam,

1. *Ms* : incrementa.

substentari, nos, nolentes ut, in pontificalis dignitatis obprobrium, mendicare cogaris, ac sperantes quod predicta Larinensis ecclesia per te poterit prospere gubernari, non obstante predicta commissione facta eidem Adenulfo, Beneventano archiepiscopo, quam ex nunc, ex certa scientia, revocamus, tibi, ut eadem Larinensis ecclesia per te feliciter gubernetur, curam et administrationem ejusdem ecclesie Larinensis plenam et liberam, in spiritualibus et temporalibus, presentium auctoritate, committimus, usque ad Apostolice Sedis beneplacitum exequendas, alienatione quorumcumque bonorum prefate Larinensis ecclesie tibi penitus interdicta. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus curam et administrationem hujusmodi sic diligenter et sollicite studeas exercere, quod exinde apud Deum et homines digne valeas commendari. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Larinensis*. Vacante, et cetera ut in precedenti, verbis convenienter mutatis, usque : interdicta. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Angelo episcopo, in omnibus que ad curam et administrationem hujusmodi pertinere noscuntur, plene ac humiliter intendatis. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc tulerit in rebelles, ratam habebimus, et cetera usque : observari. Dat. ut supra.

4041 (CXIIII) Même date.

« Quod assignet — Angelo, olim episcopo Fesulano, — predictam ecclesiam Larinensem. » (fol. 28 v°.)

Venerabili fratri Adenulfo, archiepiscopo Beneventano. Cum nuper venerabilis frater noster Angelus, olim episcopus Fesulanus, episcopatum Fesulanum, cujus regimini presidebat, sponte in nostris manibus ex certis causis cessisse noscatur, nosque sibi, cum propter hoc prematur inopia, nec alias habeat unde possit in sue vite necessariis substentari, pio compatientes affectu, et nolentes ut, in pontificalis dignitatis obprobrium, mendicare cogatur, eidem episcopo, in suarum subsidium expensarum, curam et administrationem Larinensis ecclesie, pastore vacantis, plenam et liberam, in spiritualibus et temporalibus, commiserimus per alias nostras litteras, usque ad Apostolice Sedis beneplacitum exequendas, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Angelo episcopo predictam Larinensem ecclesiam, cujus curam et administrationem olim tibi, usque ad ejusdem Sedis beneplacitum, duxerimus per nostras sub certa forma litteras committendam, et ejus bona et fructus etiam, si qui ex ecclesia et bonis ipsis exstant et consumpti non sunt, assignes integre et facias assignari, nullum in hoc difficultatis obstaculum obstensurus. Dat ut supra.

4042 (CXV) Latran, 18 avril 1301.

« Quod restituant bona et castra, pertinentia ad ecclesiam Rigensem, Ysarno, archiepiscopo Rigensi. » (fol. 28 v°.)

Dilectis filiis .. magistro et fratribus Domus Beate Marie Theotonicorum in Livonia. Manet nostri pectoris —.

Ut munitiones, castra, villas, possessiones, bona et jura, quæ, prætextu compositionis inter ipsos et bonæ memoriæ Johannem, Rigensem archiepiscopum, occupaverint, Ysarno, Rigensi archiepiscopo, integre restituant.

Dat. Laterani, XIV kal. maii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Revaliensi, et dilectis filiis . . Revaliensis, et . . Lubicensis ecclesiarum decanis.*

Potthast, 25038.

4043 (CXVI) Latran, 17 avril 1301.

« Preficitur in episcopum Segobiensem. » (fol. 29.)

Venerabili fratri Fernando, episcopo Segobiensi. Inter sollicitudines alias —.

Segobiensi ecclesia per obitum Blasii, episcopi, sponsi solatio destituta, capitulum, per viam compromissi electioni pastoris procedens, Garsiæ Sactii (*sic*), decano, et Petro Dominici, archidiacono ejusdem ecclesiæ, potestatem unanimiter contulit, duraturam usque ad consumptionem cujusdam candelæ propter hoc ibidem accensæ, ac deinde terminum usque ad alterius candelæ consumptionem reservaverat prorogare. Compromissarii vero in suprascriptum, tunc sacristam ecclesiæ Burgensis et ecclesiæ supradictæ canonicum, oculos suæ mentis direxerunt, et dictus decanus, secunda adhuc candela durante, suo necnon et collegæ mandantiumque nomine, ipsum elegit. Ejusdem electionis decretum, cui suprascriptus infra tempus legitimum consenserat, . . archiepiscopo Toletano, loci metropolitano, præsentatum fuit; aliqui ex canonicis, qui se electo opposuerant, postmodum suis oppositionibus coram eodem archiepiscopo renuntiarunt, et idem archiepiscopus, « post nonnullos processus in premissis coram se habitos, ejusdem electionis ad Sedem Apostolicam remisit examen. » Electionem

confirmans, dominus papa, suprascriptum, de cardinalium consilio, in episcopum præficit, consecrationis munere eidem a Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, impenso.

Dat. Laterani, xv kal. maii, anno septimo.

In e. m. .. *decano et capitulo ecclesie Segobiensis — clero — populo — archiepiscopo Toletano.*

4044 (cxvii) Latran, 7 mars 1301.

« Quod concedat tabellionatus officium Nicolao dicto Cocco. » (fol. 29.)

Venerabili fratri .. episcopo Anagnino. Ne contractuum memoria —.

Ut, diligenti examinatione præmissa, Nicolao, filio quondam Stephani dicti Cocci, civis Anagnini, tabellionatus officium concedat.

Dat. Laterani, non. martii, anno septimo.

4045 (cxviii) Latran, 22 avril 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Raynerio, episcopo Placentino. » (fol. 29 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Parmensi et dilectis filiis .. de Colle, Wulterane diocesis, et .. Florentine archipresbyteris ecclesiarum. Exponente nuper nobis —.

Executoria super mutuo mille florenorum auri contracto per Raynerium, episcopum Placentinum, a Symone Gerardi, de societate Spinorum, de Florentia, mutuante pro se et Rogerio et Lapo, Philippo et Spina de Spinis, Niero (*sic*) Cambii, Gabriele Berthaldi, Advocato Gerardini, Johanne Maffei et ceteris.

Dat. Laterani, x kal. maii, anno septimo.

4046 (cxviiii) Latran, 30 avril 1301.

« Galardo, abbati monasterii Sancti Martialis Lemovicensis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 29 v°.)

Dilecto filio Galardo, abbati monasterii Sancti Marchialis Lemovicensis, ordinis sancti Benedicti. Inter sollicitudines varias —.

Monasterio Sancti Martialis, per resignationem fratris Guidonis Laporta libere in manibus domini papæ factam, vacante et dispositioni Sedis Apostolicæ reservato, præficitur suprascriptus, tunc abbas monasterii Casinensis.

Dat. Laterani, ii kal. maii, anno septimo.

In e. m. .. *priori et conventui monasterii Sancti Martialis — universis vasallis — .. episcopo Lemovicensi — Phylippo, regi Francorum —.*

4047 (cxx) Latran, 15 février 1301.

« Abbati monasterii Cluniacensis. Indulgetur ei quod nullus abbas vel prior ejusdem ordinis possit, usque ad sex annos, aliquem in monachum recipere absque sua licentia speciali. » (fol. 30.)

Dilecto filio .. abbati monasterii Cluniacensis. Merita tue devotionis exposcunt, et specialis dilectionis affectus, quem habemus ad Cluniacensem ordinem, nos inducit, ut, circa felicem ipsius ordinis statum diligentius intendentes, hiis[1], que ipsi statui obnoxia dinoscantur, salubribus remediis obviemus. Petitio quidem tua nobis exhibita continebat, quod, licet ordo Cluniacensis in numero monachorum plurimum sit gravatus, nichilominus tamen alii abbates et priores conventuales monasteriorum ordinis prelibati, nunc ob potentiam territi, nunc per preces seducti nobilium, apud eos instantium in hac parte, nunc etiam ducti affectu consanguinitatis, ad suos recipiunt aliquotiens monachos ultra modum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut nullus abbas vel prior ejusdem ordinis, usque ad sex annos, aliquem in monachum in abbatiis vel prioratibus suis de novo recipere vel indicere valeat, absque tua licentia speciali, et, si secus actum fuerit, illud ex nunc irritum decernimus et inane ac nullius existere firmitatis : non obstantibus quibuslibet ipsius ordinis contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, constitutione Apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis, seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis vel litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que effectus presentium possit quomodolibet impediri. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, xv kal. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. Cluniacensi, et .. de Sal (ute) ac .. de Terniaco, Matisconensis et Lugdunensis diocesum, prioribus.*

1. *Ms* : hii.

4048 (CXXI) Latran, 15 avril 1301.

« Conceditur magistro Jacobo de Normannis quod possit habere altare portatile. » (fol. 30.)

Dilecto filio magistro Jacobo de Normandis, notario nostro. Sincere caritatis affectus —. Dat. Laterani, XVII kal. maii, anno septimo.

4049 (CXXII) Anagni, 21 mai 1301.

« Mandatur restitui castrum Archionis Johanni Caputie. » (fol. 30.)

Dilectis filiis Johanni, capellano nostro, et Francisco et Landolfutio, natis quondam Landulfi Odonis de Columpna. Olim ex certis considerationibus, ea presertim, ut scismaticis Columpnensibus, nostris et Ecclesie Romanae rebellibus, auxilium subtraherentur et favor, voluimus atque concessimus, ut Landulfus, natus quondam Oddonis de Columpna, pater vester, turrim, roccam et castrum, quod vulgariter dicitur Archionis, ejusque territorium, que ad dilectum filium Johannem Caputie, natum quondam Florentii de Caputinis, civem Romanum, pertinere noscuntur, ad manus suas reciperet et teneret, et proventus, fructus et redditus perciperet eorundem et suos faceret, usque ad nostre beneplacitum voluntatis; nunc autem, cum dicto Johanne volentes procedere gratiose, volumus et districte precipiendo mandamus, quatinus turrim, roccam, castrum et territorium supradicta dicto Johanni vel ejus procuratori seu certo nuntio, sublato more dispendio, restituatis seu restitui faciatis, recepta prius ab eodem Johanne quietatione et refutatione omnis petitionis, actionis et juris, quod ipsi Johanni posset competere contra vos vel successores vestros aut quosvis alios, predictorum occasione vel causa vel alicujus eorum, et juramento prestito ab eodem, quod per eum vel successores suos non venietur contra refutationem et quietationem easdem. Insuper et a nobili muliere Aleysia, matre dicti Johannis, quietationem et refutationem similes fieri volumus et simile juramentum prestari, et de hiis mandamus confici publica instrumenta. Nosque, ad habundatiorem cautelam, et ne ratione premissorum discordia possit oriri, auctoritate presentium, providemus, quod, propter receptionem dictorum turris, rocce, castri et territorii, quam fecit prefatus pater vester ad manus suas, necnon per vos seu nomine vestro factam seu continuatam, et etiam quod, propter ab ipso vel a vobis proventus perceptos et qui percipi potuerunt, et dampna seu injurias, illata per eum et suos seu per vos ipsi Johanni et habitatoribus dicti castri, nichil exigi possit vel peti, et a satisfactione, que, ratione receptorum fructuum, reddituum et proventuum et qui percipi potuerunt, ac dampnorum et injuriarum que deberi dicerentur eisdem, vos vestrosque heredes et successores et omnes quorum interest et interesse potest, de Apostolice plenitudine potestatis, penitus liberamus : decernentes irritum et inane, si contra hujusmodi liberationem nostram aliquid fuerit attemptatum. Nulli ergo, et cetera, nostri mandati, provisionis, liberationis et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno septimo.

4050 (CXXIII) Anagni, 17 mai 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo. » (fol. 30 v°.)

Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, Sancte Romane Ecclesie vicecancellario. Cum sicut in nostra —.

Ut possit mutuum contrahere usque ad summam trium milium florenorum auri.

Dat. Anagnie, XVI kal. junii, anno septimo.

4051 (CXXIIII) Anagni, 25 mai 1301.

« Preficitur Nerius de Turri, miles Urbevetanus, in potestatem Viterbiensem. » (fol. 30 v°.)

Nobili viro Nerio de Turri, militi Urbevetano, potestati Viterbiensi. Cupientes ut civitas —.

Regimen civitatis Viterbiensis, quod ad dominum papam spectare dinoscitur, ei, pro sex mensibus incipiendis in kalendis mensis junii proximo futuris, committitur.

Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis consilio et communi Viterbiensibus.*

4052 (CXXV) Anagni, 12 mai 1301.

« Quod possit conferre duabus personis officium tabellionatus. » (fol. 30 v°.)

Venerabili fratri Ysarno, archiepiscopo Rigensi. Ex parte tua —. Dat. Anagnie, IIII id. maii, anno septimo.

4053 (CXXVI) Anagni, 17 mai 1391.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Papiniano, episcopo Parmensi. » (fol. 30 v°.)

Dilectis filiis Titio, archipresbytero plebis de Colle, Wulterane diocesis, et Gregorio de Genezano, Remensis, capellanis nostris, ac Bartholomeo de Abbatibus, Bononiensis ecclesiarum canonicis. Exponente nobis nuper —.

Executoria super mutuo trium millium florenorum auri, contrahendo per Papinianum, episcopum Parmensem, a Guarento Jacobi et Nicolao Burgi, mutuantibus pro se et Ricardo Vanne, et Andrea de Mozis, Gerardo de Bostolis, Burgrino Lotherii et Jano Bentevanga et ceteris de societate Mozorum.

Dat. Anagnie, XVI kal. junii, anno septimo.

4054 (CXXVII) Anagni, 15 mai 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo per procuratorem pro B. episcopo Aurelianensi. » (fol. 31.)

Dilectis filiis Gaufrido de Alneto, clerico Corisopitensis, et Johanni de Artra, laico Cameracensis diocesum, procuratoribus venerabilis fratris nostri B., Aurelianensis episcopi, ad Romanam Curiam destinatis. Sicut in nostra —.

Ut, secundum potestatem eis a mandante concessam, mutuum contrahere possint, usque ad summam quinque millium librarum Turonensium parvorum.

Dat. Anagnie, id maii, anno septimo.

4055 CXXVIII) Anagni, 23 mai 1301.

« Executoria pro eodem. » (fol. 31.)

Dilectis filiis Titio, archipresbytero de Colle, Wulterane diocesis, capellano nostro, et Grimerio de Placentia, thesaurario Baiocensis, et Bartholomeo de Abbatibus, canonico Bononiensis ecclesiarum. Exponentibus pridem nobis —.

Executoria super mutuo, contrahendo per procuratores episcopi Aurelianensis a Gerardo de Boscolis, Guarento Jacobi et Nicolao Borghi, mutuantibus pro se ac Riccardo Vanne, Andrea de Mozis, Berghino Loterii, Jano Bencivengne, Gerardo Fachonerii, Lapo Pitti, Bartholo Gerardi et ceteris de societate Mozorum de Florentia.

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno septimo.

4056 (CXXVIIII) Latran, 13 mars 1301.

« Johanni, episcopo Tusculano. Conceduntur sibi quedam castra. » (fol. 31.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Tusculano. Considerantes attentius —. Sane dilectus filius Jocerandus, abbas monasterii Farfensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Sabinensis diocesis, seu predecessor ejus quicumque, dudum diligenter advertens quod Petrus Scandrilie et Gregorius Tosetus de Urbe seu eorum filii, olim feudatarii seu emphiteote monasterii supradicti, dampna gravia, injurias et jacturas multiplices, per incendia, fellonias, insidias et rapinas ac alias, contra fidelitatis juramentum ab eis predicto monasterio prestitum temere venientes, prefato monasterio et personis ipsius ausibus inferre nephariis non sinebant, quodque Gregorius, ipsius Petri filius, Jacobo et Petro de Columpna, olim Sancte Romane Ecclesie cardinalibus, nunc depositis, ac eorum nepotibus, scismaticis et dampnatis, se sequacem, fautorem et adjutorem ac familiarem exhibuit et exhibere ausu nephario non veretur, ex causis predictis dampnatus a nobis, — inquisitione prehabita diligenti, Petrum et Gregorium supradictos seu heredes ejusdem Gregorii, castri Scandrilie et castellutii ac rocce Soldane medietatibus, cum omnibus eorum tenimentis, pertinentiis et districtibus ac juribus et territoriis, ad medietates pro diviso vel indiviso spectantibus memoratas, quas ipsi ab eodem monasterio tenebant in feudum seu locationem perpetuam, seu ad tertiam generationem seu quovis alio modo, sententialiter, [et] omni jure, quod in eis vel aliqua eorum parte pretendere poterant, justitia exigente, privarit, predicta omnia et singula nichilominus ad prefatum monasterium revocando, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius et seriosius asseritur contineri. Nos igitur, prefatum monasterium affectu favorabili prosequentes, et intendentes sollicite ad felicem et prosperum statum ejus, quod per eundem abbatem factum esse dinoscitur in hac parte, ratum et gratum habentes, illud auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, supplentes omnem defectum, si quis ex quacumque (causa) in solemnitate vel ordine processus ipsius extitit, de Apostolice plenitudine potestatis. Et sedula meditatione pensantes quod per tue provide circumspectionis industriam eidem monasterio esse poteris multipliciter utilis et quam plurimum fructuosus, volentes quoque personam tuam, ob tuorum excellentiam meritorum, prerogativa favoris et gratie prosequi specialis, tibi

castri Scandrilie ac castellutii et rocce predictorum medietates easdem, cum tenimentis, pertinentiis, districtibus, vassallis et vassallorum juribus, rochis, fortellitiis, juribus et territoriis supradictis, necnon jurisdictione, mero et mixto imperio, auctoritate predicta et de ejusdem plenitudine potestatis, etiam si alias, quocumque modo vel causa, predicta bona ad prefatum monasterium pervenissent, de gratia concedimus speciali, a te quoad vixeris retinenda. Nichilominus tibi apprehendendi et nanciscendi per te vel per alium seu alios corporalem possessionem predictorum omnium, tibi, sicut premittitur, concessorum, potestatem plenam et liberam tribuentes, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis : non obstante si de predictis omnibus vel aliqua ipsorum parte per abbatem et conventum ipsius monasterii postmodum aliud fore dinoscitur ordinatum, quod exnunc decernimus irritum et inane. Ut autem non solum ad te, set etiam ad heredem vel heredes tuos, Apostolice Sedis liberalitatem munificam extendamus, statuimus, ordinamus et volumus, quod, post obitum tuum, iidem heres vel heredes, ac ejus vel eorum heredes posteri legitimi, tibi, absque alia contradictione, succedant, quibus quidem heredibus omnia et singula supradicta in feudum perpetuum, auctoritate ac potestate predictis, concedimus ab eodem monasterio retinenda : ita quod omnia et singula que tibi concedimus, prout superius est expressum, in hujusmodi feudo intelligantur includi et omnimode comprehendi. Statuimus insuper et etiam ordinamus, quod hujusmodi heredes tui, semel in eorum vita dumtaxat, prefato monasterio, infra annum post hujusmodi feudi hereditatem adeptam, et postquam etiam quartumdecimum etatis sue annum exegerint, fidelitatis prestent vel exhibeant juramentum. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, concessionis, constitutionis, statuti, ordinationis et voluntatis, et cetera. Dat. Laterani, III id. martii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis universis castri Scandrilie et castellutii ac rocce Soldane medietatum hominibus*. Considerantes —.

Ut episcopo supradicto fidelitatem faciant et debita exhibeant servitia.

In e. m. *dilectis filis .. abbati monasterii Sancti Sabe de Urbe, ordinis sancti Benedicti, et .. priori plebis Fenonice, Fulginatis diocesis*. Considerantes —.

Ut prædictum episcopum in corporalem possessionem prædictarum medietatum inducant.

Dat. ut supra.

4057 (CXXX) Anagni, 29 juin 1301.

« Quod possit percipere de fructibus episcopatus Placentini usque ad valorem mille et quingentorum florenorum auri. »

Venerabili fratri Theodorico, episcopo Civitatis Papalis. Exposuisti nobis quod —.

Ut, pro oneribus tam expensarum avunculi sui quondam Raynerii, episcopi Placentini, quam exsequiarum ejus supportandis, de fructibus episcopatus Placentini usque ad valorem mille et quingentorum florenorum auri percipere possit.

Dat. Anagnie, III kal. julii, anno septimo.

In e m. *dilectis filiis magistris Paulo de Isernia, capellano nostro, basilice Principis Apostolorum de Urbe, et Petro de Genazano, camere nostre clerico, Virdunensis, ac Jordano de Pileo, Cameracensis ecclesiarum canonicis.*

4058 (CXXXI) Anagni, 5 juin 1301.

« Mandatur provideri Nicolao Friderici de Trajecto in Fundana et Suessana civitatibus et diocesibus usque ad valorem X unciarum auri. » (fol. 32.)

Dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Theodori, Gaietane diocesis, et magistris Nicolao dicto Verricello de Neapoli, Capuane, et Jacopo de Rocca, Teanensis ecclesiarum canonicis. Grate devotionis studia. —.

Mandatur provideri Nicolaum, natum Friderici de Trajecto militis, capellanum domini papæ, beneficiis in Fundana et Suessana diocesibus usque ad valorem decem unciarum auri, non obstante quod in Corinthiensi et Fundana et in Sancti Petri de Trajecto, Gaietane diocesis, et in Sancti Petri de Scaulis beneficia obtineat.

Dat. Agnanie, non. junii, anno septimo.

4059 (CXXXII) Anagni, 25 mai 1301.

« Berthaudo, episcopo Aurelianensi. Absolvitur a juramento visitandi limina. » (fol. 32.)

Venerabili fratri Berthaudo episcopo Aurelianensi. Exposuisti nobis quod pridem, cum te, in Gallicanis partibus constitutum, prefecimus Aurelianensi ecclesie in episcopum et pastorem, juramento, prout moris est, in consecratione tua corporaliter prestito promisisti quod Apostolorum limina, per te vel alium, singulis bienniis visitares, licet ecclesia tua Aurelianensis privilegium exemptionis non habeat, sed .. archiepiscopo Senonensi, qui est pro

tempore, jure metropolitico sit subjecta. Nos itaque, personam tuam in hac parte favore benivolo prosequentes, te ab hujusmodi promissione, quam de visitanda predicta Sede fecisti, a juramento super hoc prestito, quoad ipsam visitationem duntaxat, auctoritate presentium, duximus absolvendum, volentes in ceteris juramentum et promissionem predictam inviolabiliter observari. Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno septimo.

4060 (CXXXIII) Latran, 21 mars 1301.

« Preficitur in episcopum Fesulanum. » (fol. 32 v°.)

Bartholomeo, electo Fesulano. Ex incumbenti nobis —.

Ecclesiæ Fesulanæ, vacanti per liberam resignationem Angeli et ea vice dispositioni Sedis Apostolicæ reservatæ, præficitur suprascriptus, minister provincialis ordinis Fratrum Minorum in provincia Tusciæ.

Dat. Laterani, XII kal. aprilis, anno septimo.

In e. m. *preposito et capitulo ecclesie Fesulane — clero — populo.*

4061 (CXXXIIII) Anagni, 11 juin 1301.

« Mandatur recipi resignatio ab Uliana, abbatissa monasterii Sancti Pauli Parmensis. » (fol. 32 v°.)

Dilectis filiis .. Sancti Dalmatii, Placentine, et .. de Marcorano, Parmensis [diocesium], prioribus, ac B., vicario venerabilis fratris nostri P[apiniani] episcopi Parmensis, Sancte Romane Ecclesie vice cancellarii. Cum dilecta in Christo —.

Mandatur ut recipiant resignationem Ulianæ, abbatissæ monasterii Sancti Pauli, Parmensis diocesis, propter senectutem resignantis, et eidem monasterio de persona ydonea, assumenda de ipsius monasterii gremio vel aliunde, providere curent.

Dat. Anagnie, III id. junii, anno septimo.

4062 (CXXXV) Anagni, 11 juin 1301.

« Alfonso Roderici, canonico Palentino. Confertur sibi prebenda cum prestimoniis et dispensatione. » (fol. 32 v°.)

Alfonso Roderici, canonico Palentino. Gratiosa Sedis Apostolice —.

Cum canonicatus et præbenda cum præstimoniis ecclesiæ Palentinæ, quæ Symon, episcopus Seguntinus, promotionis suæ tempore, obtinebat in ipsa Palentina ecclesia, cujus tunc erat canonicus, et archidiaconatum Carionensem, quem in eadem obtinebat, vacent apud Sedem Apostolicam, suprascripto, consideratione prædicti Symonis, episcopi Seguntini, cujus nepos existit, canonicatum, præbendam et præstimonia supradicta confert, non obstante quod in eadem ecclesia Palentina, ut dicitur, est statutum ut nullus in canonicum auctoritate litterarum Apostolicarum admittatur, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus, nisi eedem fecerint de hujusmodi indulgentia mentionem, vel qui prius non extiterit portionarius in eadem, sive quod in Compostellana et Fussellensi, Palentinæ diocesis, ecclesiis canonicatum et præbendas et præstimonia noscitur obtinere, et defectum patitur ex soluto et soluta genitus.

Dat. Anagnie, III id. junii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Theanensi et dilectis filiis .. abbati Fussellensi et .. archidiacono de Campis in ecclesia Palentina.*

4063 (CXXXVI) Anagni, 10 mai 1301.

« Citatio ad instantiam Daynesii de Casallia. » (fol. 33.)

Venerabili fratri .. episcopo Florentino. Petitio dilecti filii Daynesii de Casallia, plebani plebis de Sancto Appiano, Florentine diocesis, nobis exposita continebat, quod, licet olim de plebanatu ejusdem plebis, tunc vacante apud Sedem Apostolicam per mortem quondam Benvenuti plebani dicte plebis, sibi auctoritate Apostolica canonice provisum fuisset, tamen Petrus de Gerardinis, qui pro plebano, et Paulus ac Bartholus nepotes ipsius, qui pro canonicis dicte plebis se gerunt, se super hoc eidem Daynesio indebite opponentes, ab hujusmodi provisione ipsius et a quibusdam processibus, occasione provisionis predicte habitis contra eos, ad Sedem Apostolicam appellarunt, nosque postmodum causam hujusmodi appellationis et negotii principalis, post diversos auditores in eadem causa per nos datos, dilecto filio magistro Symoni de Marvilla, capellano nostro ac palatii nostri auditori causarum, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Qui, cognitis hujusmodi cause meritis et juris ordine observato, diffinitivam pro dicto Daynesio sententiam promulgavit, a qua iidem Petrus, Paulus et Bartholus ad nostram audientiam appellarunt. Nosque in causa appellationis hujusmodi dilectum filium magistrum Guillelmum Accursi, sacristam Caturcensem, capellanum nostrum ac prefati palatii auditorem

causarum, dedimus partibus auditorem : qui, de appellatione ipsa cognoscens legitime, diffinitivam predictam, exigente justitia, confirmavit : propter quod prefati Petrus, Paulus et Bartholus iterato ad Sedem appellarunt eandem. Nosque in causa hujusmodi appellationis dilectum filium magistrum Onufrium de Trebis, decanum Meldensem, capellanum nostrum ac dicti palatii auditorem causarum, dedimus partibus auditorem : coram quo, pro parte predicti Daynesii, in contumatiam partis adverse, lite in causa hujusmodi appellationis legitime contestata, et de calumpnia prestito juramento, ac factis positionibus et datis articulis, tamdem prefatus Daynesius ab eodem Onufrio auditore petiit, ut, cum prefatus Petrus fructus dicte plebis dissiparet, eos ab ipso, prout justum existeret, sequestraret : partibus itaque coram eodem Onufrio auditore propter hoc in judicio constitutis, idem Onufrius, auditor, eis ad dicendum et proponendum super hoc quicquid vellent certum peremptorium terminum assignavit, et tandem, quia in hujusmodi termino pro parte dicti Petri nichil rationabile coram ipso fuit propositum vel ostensum, quare hujusmodi sequestratio fieri non deberet, predictos fructus ejusdem plebis decrevit fore, suadente justitia, sequestrandos, prout in instrumento publico inde confecto, ipsius Onufrii auditoris sigillo munito, plenius dicitur contineri. Nos itaque, prefati Daynesii plebani supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Onufrio auditore provide factum est, ratum et gratum habentes, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, omnes hujusmodi fructus dicte plebis auctoritate nostra recolligi faciens, eos penes aliquos fidedignos in sequestrum deponere non postponas, exhibiturus eos postmodum illi qui in causa obtinuerit supradicta. Et, ne dictus Petrus, qui dictam plebem occupasse dictosque fructus dissipasse dicitur, de sua possit malitia gloriari, ipsum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut, infra unius mensis spatium post citationem tuam, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi causam contingentibus, personaliter compareat coram nobis, pro meritis recepturus ac facturus super hiis quod justitia suadebit. Diem vero citationis hujusmodi et formam et quicquid super hiis duxeris faciendum nobis, per tuas litteras harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Dat. Anagnie, vi id. maii, anno septimo.

4064 (CXXXVII) Anagni, 23 mai 1301.

« Basilio electo Rossanensi. Confertur sibi palleum. » (fol. 33 v°.)

Basilio electo Rossanensi. Cum palleum —.

Confertur suprascripto palleum, per Alamannum dictum Cefala et Gregorium dictum Blacona, ejusdem procuratores, postulatum.

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno septimo.

4065 (CXXXVIII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 33 v°.)

.. *archiepiscopo Sancte Severine.* Ex parte dilecti —.

Mandatur suprascripto ut Basilio electo Rossanensi conferat palleum.

Dat. ut supra.

4066 (CXXXVIIII) Anagni, 25 mai 1301.

Gratia pro episcopo Aurelianensi. (fol. 33 v°.)

Venerabili fratri Berthaudo, episcopo Aurelianensi. Personam tuam erga nos —.

Conceditur suprascripto ut, in singulis ecclesiis collegiatis diocesis Aurelianensis, cathedrali dumtaxat excepta, ea vice de singulis personis providere possit.

Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno septimo.

4067 (CXL) Anagni, 11 juin 1301.

« Confertur Reginaldo, fratri.. comitis Barrensis, primiceriatus ecclesie Metensis cum dispensatione. » (fol 33 v°.)

Reginaldo, fratri nobilis viri Henrici, comitis Barrensis, primicerio ecclesie Metensis. Viros nobilitate preclaros —.

Primiceriatus ecclesiæ Metensis, vacans per liberam resignationem, quam Johannes, Tusculanus episcopus, in manibus J[ohannis], tituli sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, nomine Jacobi de Sabello tunc primicerii, fecit, suprascripto confertur, non obstante quod in Bisuntina, archidiaconatum, ac in ea et Metensi, Remensi, Belvacensi et in Majori et Sancte Marie Magdalene Virdunensibus ecclesiis canonicatus noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, III id junii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. de Sancto Michaele, Virdunen-*

sis diocesis, et Sancti Mansueti Tullensis monasteriorum abbatibus, ac Gentili de Collealto, canonico Lingonensi.

4068 (CXLI) Anagni, 18 mai 1301.

« Frederico de Bardis de Florentia clerico. Super dispensatione. » (fol. 34.)

Frederico, nato dilecti filii Bartholi de Bardis de Florentia, clerico. Tua et tuorum —.

Collationem et reservationem suprascripto in capitulo LXX factas memorat.

Et nichilolominus super defectu, quem patiebaris in ordinibus et etate, tecum duximus sub certa forma ex uberioris dono gratie dispensandum, prout hec et alia in litteris nostris inde confectis plenius asseris contineri. Verum, quia in litteris ipsis fuit appositum per errorem, quod tu eras in etatis tue anno octavo decimo constitutus, cum tunc in etatis tue anno quatuordecimo existere noscereris et nondum annum quintumdecimum attigisses, [et] dubitas tibi propter hoc in assecutione predicti beneficii prejudicium generari, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de benignitate Sedis Apostolice dignaremur.

Ut, errore prædicto non obstante, præfatam gratiam assequi valeat.

Dat. Anagnie, xv kal. junii, anno septimo.

4069 (CXLII) Latran, 20 mai 1301.

« Mandatur provideri de abbate monasterio Sancti Richardi in Pontivo, ordinis sancti Benedicti, Ambianensis diocesis. » (fol. 34 v°.)

Dilectis . . Sancti Dionisii in Francia, et . . Sancti Cornelii Compendiensis monasteriorum abbatibus, Parisiensis et Suessionensis diocesium. Inter curas multiplices —.

Resignato ab Eustachio regimine monasterii Sancti Richardi in Pontivo, ordinis sancti Benedicti, Ambianensis diocesis, in manibus Johannis, episcopi Tusculani, Johannis, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, Roberti, tituli Sancte Pudentiane presbyterorum, et Matthæi, Sanctæ Mariæ in Porticu diaconi cardinalium, mandat suprascriptis, ut eidem monasterio de persona ydonea provideant, ac per aliquem vicinum episcopum electo abbati munus consecrationis impendi faciant.

Dat. Laterani, XIII kal. maii, anno septimo.

4070 (CXLIII) Latran, 14 mars 1301.

« Indulgentia pro ecclesia construenda in civitate Lucerie. » (fol. 34 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Vite perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio sanguinis, fusi de pretioso corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter que illud esse pergrande dinoscitur, quod ubique majestas Altissimi, sed precipue in sanctorum ecclesiis, collaudetur. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Johannes Pipinus de Barulo in civitate Lucerie, ad honorem Dei et beati Bartholomei apostoli, in cujus festo, ejus, ut asseritur, auxilio invocato, de Sarracenorum perfidia, qui tunc in eadem civitate morantes suis obscenis operibus et nefandis actibus regionem circumpositam corrumpebant, gloriosam victoriam reportavit, eos de civitate predicta ejusque confinibus victrici gladio expellendo, quandam ecclesiam de bonis propriis construi fecerit et dotarit, illamque sic constructam intendat facere dedicari, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus ad prefatam ecclesiam, imploraturi a Domino veniam delictorum, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, cupientes ut predicta ecclesia congruis honoribus frequentetur, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus sincere penitentibus et confessis qui eandem ecclesiam, die qua consecrabitur et in anniversario die dedicationis ipsius ac in festo beati Bartholomei apostoli supradicti, annis singulis venerabiliter visitarint, annum unum et XL dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, II id. martii, anno septimo.

4071 (CXLIIII) Anagni, 18 mai 1301.

« Mandatur provideri de pensione Paulo quondam Deodati, priori Sancti Angeli in Foro Piscium de Urbe. » (fol. 34 v°.)

Dilectis filiis . . archipresbitero Sancti Petri Tiburtine, et Petro de Gualengis, basilice Principis Apostolorum, ac Jacobo Archionis, Sancte Marie Majoris de Urbe canonicis ecclesiarum. Accedens ad presentiam —.

Mandatur ut Paulum quondam Deodati, priorem Sancti Angeli in Foro Piscium de Urbe, senio confractum, a monasterio Sancti Laurentii foris muros Urbis, ordinis sancti Benedicti, in

quinque rublis boni frumenti et quinque caballatis boni musti pensionis nomine provideri curent.

Dat. Anagnie, xv kal. junii, anno septimo.

4072 (CXLIIII *bis*) Anagni, 30 juin 1301.

« Indulgentia pro cathedrali ecclesia Signina. » (fol. 35.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Vite perennis gloria —.

Visitantibus cathedralem ecclesiam Signinam, in qua corpus beati Brunonis episcopi et confessoris requiescere noscitur, conceditur indulgentia unius anni et XL dierum, festo ipsius sancti Brunonis et octavo, et centum dierum, singulis diebus intra festum et octavum.

Dat. Anagnie, II kal. julii, anno septimo.

4073 (CXLV) Latran, 15 avril 1301.

« Super venditione domus et ecclesie quas Fratres ordinis Saccorum in civitate Virdunensi obtinebant. » (fol. 35.)

Dilectis filiis . . priori Predicatorum, et . . guardiano Minorum Fratrum ordinum Virdunensibus. Cum felicis recordationis —.

Cum ordo Saccorum, concilio Lugdunensi abolitus, domum et ecclesiam in civitate Virdunensi obtineat, « in quibus, ut accepimus, nullus ex ipsis fratribus commoratur et jam domus et ecclesia predicte incipiant subjacere ruine, » conceditur suprascriptis facultas vendendi ecclesiam et domos præfatas Johanni, episcopo Virdunensi, pro pretio competenti.

Dat. Laterani, XVII kal. maii, anno septimo.

POTTHAST, 25037.

4074 (CXLVI) Anagni, 10 juin 1301.

« Egidio, abbati monasterii Wyzeburgensis, ordinis sancti Benedicti, Spirensis diocesis. Confirmatur electio sua. » (fol. 35.)

Egidio, abbati monasterii Wyzemburgensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Spirensis diocesis. Debitum officii nostri —.

Monasterio Wyzemburgensi, per mortem quondam Willelmi pastoris regimine destituto, decanus et conventus, per viam compromissi electioni procedere deliberantes, Petrum, præpositum ecclesiæ Spirensis, Eborhardum, canonicum Maguntinum, ac Bertholdum de Entringen et Willelmum dictum Prior, monachos monasterii supradicti, compromissarios elegerunt. Qui quidem in suprascriptum, tunc majoren cellararium prædicti monasterii, vota sua concorditer direxerunt, et Willelmus eumdem in abbatem ante consumptionem candelæ elegit. Ejusdem electio per Nicolaum, Ostiensem episcopum, et Robertum, tituli Sanctæ Potentianæ presbyterum, et Lucam, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconum cardinales, examinata confirmatur.

Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno septimo.

In e. m. *decano et conventui monasterii Wizemburgensis.*

4075 (CXLVII) Anagni, 6 juin 1301.

« Confertur Johanni, nato Octaviani de Brunforte, canonicatus ecclesie Lichefeldensis cum archidiaconatu Scafordie in eadem ecclesia. » (fol. 35 v°.)

Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Octaviani de Brunforte familiaris nostri, canonico ecclesie Lichefeldensis et archidiacono Scafordie in ipsa ecclesia. Devotionis et fidei —.

Suprascripto, ob merita patris ejus, canonicatum et archidiaconatum Scafordie in ecclesia Lichefeldensi, per mortem quondam magistri Raynerii de Bichio, capellani domini papæ, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantes, confert, non obstante quod patitur in ordinibus et ætate defectum, cum primam tonsuram habeat clericalem et duodecim ætatis suæ agat annum.

Dat. Anagnie, VIII id. junit, anno septimo.

4076 (CXLVIII) Anagni, 21 juin 1301.

« Preficitur in episcopum Noviomensem. » (fol. 35 v°.)

Dilecto filio Radulfo, electo Noviomensi. Recte tunc ecclesiarum —.

Ecclesiæ Noviomensi, per translationem Symonis episcopi ad ecclesiam Belvacensem vacanti, suprascriptus, tunc archidiaconus Augi in ecclesia Rothomagensi, preficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, XI kal. julii, anno septimo.

In e. m. *decano et capitulo ecclesie Noviomensis — clero — populo — universis vassalis — Phylippo, regi Francorum.*

4077 (CCLVIII *bis*) Anagni, 28 juin 1301.

« Transfertur ad ecclesiam Belvacensem. » (fol. 36.)

Venerabili fratri Symoni, episcopi Belvacensi. Superni dispositione consilii —.

Vacante Belvacensi ecclesia per obitum Theobaldi, capitulum duas electiones, unam videlicet de Theobaldo de Alneto, et aliam de Johanne de Pasciaco, ejusdem ecclesie canonicis, in discordia celebravit. Hi vero, post appellationem a Theobaldo ad Sedem Apostolicam motam, apud eamdem Sedem resignaverunt. Suprascriptus de Noviomensi ad Belvacensem ecclesiam transfertur.

Dat. Anagnie, IIII kal. julii, anno septimo.

In e. m. . . *decano et capitulo ecclesie Belvacensis — clero — populo — universis vassalis — archiepiscopo Remensi — Phylippo, regi Francorum.*

4078 (CXLVIIII) Anagni, 9 juin 1301.

« Jordano, preposito monasterii Pinvacensis —. Preficitur in prepositum ejusdem monasterii. » (fol. 36 v°.)

Jordano, preposito monasterii Piniacensis, per prepositum soliti gubernari, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Forojuliensis diocesis. Circa statum monasteriorum —.

Prædicto monasterio, per obitum Pontii vacanti, suprascriptus, tunc canonicus ejusdem monasterii, electioni, qua per viam compromissi fuerat electus, prius renuncians, præficitur in præpositum.

Dat. Anagnie, V id. junii, anno septimo.

In e. m. . . *priori claustrali et canonicis monasterii Piniacensis.*

4079 (CL) Anagni, 11 juin 1301.

« Confertur Jacobo de Sabello, nato Oddonis de Buccamatiis, archidiaconatus de Bruxella in ecclesia Cameracensi. » (fol. 37.)

Jacobo de Sabello, nato quondam Odonis de Buccamatiis de Urbe militis, subdiacono et capellano nostro, canonico et archidiacono de Bruxella in ecclesia Cameracensi. Viros nobilitate preclaros —.

Canonicatus et archidiaconatus de Bruxella, quos Raynaldus, frater Henrici comitis Barrensis, per procuratorem suum Therricum de Domino Martino, in manibus J[ohannis], tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, resignavit et qui sic apud Sedem Apostolicam vacavisse noscuntur, suprascripto conferuntur, non obstante quod præposituram in Sancti Arnualis, Metensis diocesis, ac in Lincolniensi, Remensi, Metensi, Abrincensi et Virdunensi ecclesiis canonicatus, nec non et ecclesiam Sancte Agnetis, curam animarum habentem, Tiburtine diocesis, et perpetuam capellaniam in ecclesia Virdunensi noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, III id. junii, anno septimo.

4080 (CLI) Anagni, 31 mai 1301.

« Indulgetur Petro, episcopo Lectorensi, quod tres clerici sui, suis obsequiis insistentes, possint usque ad quinquennium percipere [in absentia] fructus beneficiorum suorum. » (fol. 37.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Lectorensi. Personam tuam speciali —. Dat. Anagnie, II kal. junii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Auxitano et . . episcopo Farojuliensi ac dilecto filio . . preposito ecclesie Aptensis.*

4081 (CLII) Anagni, 10 juin 1301.

« Mandatur quod de Seguntina ecclesia, que erat olim regularis, efficiatur secularis. » (fol. 37 v°.)

Venerabilibus fratribus Conchensi et Calaguritano episcopis. Ex divini dispositione consilii —. Sane dudum pro parte bone memorie Garsie, episcopi, et dilectorum filiorum . . decani et capituli ecclesie Seguntine, ordinis sancti Augustini, fuit expositum coram nobis, quod olim, episcopo et capitulo Seguntinis, qui tunc erant, pie memorie Clementi pape IIII, predecessori nostro, intimantibus, quod, si Apostolica Sedes ex certis et rationabilibus causis, tunc eidem predecessori expressis, benigne statueret ut ecclesia ipsa existeret secularis, ac in ea perpetuum canonicorum et personarum secularium haberetur collegium institutum, divinus in illa cultus incrementa susciperet, ipsaque in suis juribus utiliter conservaretur ecclesia. Clare quoque memorie Alfonso, rege Castelle ac Legionis, super hoc eidem predecessori per suas patentes litteras supplicante, prefatus predecessor Burgensi et Palentinis episcopis, propriis eorum nominibus non expressis, super mutatione status ejusdem ecclesie suas certi tenoris litteras destinavit. Verum, quia predecessor ipse, antequam eedem littere predictis Burgensi et Palentino episcopis presentate fuissent, de-

bitum nature persolvit, procedi non potuit per easdem. Cumque prefati Garsias episcopus, decanus et capitulum nobis, per eorum litteras, supplicarent, ut nos miserabili statui ejusdem ecclesie, que defectum personarum et diminutionem divini cultus et alias quamplurima pati discrimina noscebatur, quamvis in redditibus habundaret, paterno compatientes affectu, providere super hoc de salubri remedio curaremus. Nos, ad ipsius ecclesie statum prosperum intendentes, bone memorie Fernando, Burgensi, et venerabili fratri nostro, . . Ovetensi episcopis sub certa forma nostris dedimus litteris in mandatis, ut super hiis sollicite procedere, auctoritate nostra, curarent, prefatam Seguntinam ecclesiam de secularibus canonicis ordinando. Set, quia per eosdem Burgensem et Ovetensem episcopos non fuit ad executionem hujusmodi mandati nostri processum, venerabilis frater noster Symon, Seguntinus episcopus, prefati Garsie successor, nobis humiliter supplicavit, ut, cum eidem ecclesie multipliciter expedire noscatur, quod de regulari in secularem statum ipsa ecclesia reformetur, adhibere super hoc paterne diligentie studium dignaremur. Nos itaque, ipsius ecclesie Seguntine statum prosperum plenis desideriis affectantes, et intendentes ut de salubri et utili reformatione, actore Deo, sic provideatur eidem, quod spiritualiter et temporaliter ejus comoda procurentur, fraternitati vestre per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus, ad prefatam Seguntinam ecclesiam personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, si, consideratis attentius circumstantiis universis que circa hec fuerint attendende, honori et utilitati ejus expedire videritis, super quo vestras conscientias oneramus, auctoritate nostra ecclesiam ipsam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis existentibus ubicumque, ab omni potestate, jugo, jure, jurisdictione, dominio, subjectione et dispositione quacumque predicti ordinis sancti Augustini et prelatorum ac personarum ejus, auctoritate nostra, absolvatis omnino et totaliter liberatis, eamque decernatis fore extunc imperpetuum secularem, et de secularibus instituendis ibidem personis et canonicis reformandam, canonicis et personis regularibus, qui nunc ibidem esse noscuntur, de proventibus ipsius ecclesie pro eorum sustentatione, quamdiu vixerint, provisione congrua dumtaxat reservata et etiam assignata : non obstantibus quibuscunque privilegiis et indulgentiis Apostolice Sedis generalibus vel specialibus, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in vestris litteris habenda sit mentio specialis, seu quod venerabili fratri nostro Johanni, episcopo Tusculano, hujusmodi negotium vive vocis oraculo commisimus audiendum, qui, sicut asseritur in eo ad aliquid non processit. Contradictores et cetera. Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno septimo.

4082 (CLIII) Anagni, 17 juin 1301.

« Mandatur provideri Farulpho, clerico, nato Jacobutii Violantis de Jove, de aliquo beneficio ad cujuscumque collationem in civitate vel diocesi Spoletana. » (fol. 28.)

Farulpho, clerico, nato quondam nobilis viri Jacobutii Violantis de Jove. Ut tua et tuorum devotio —. Dat. Anagnie, XV kal. julii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati Sancti Secundi Ameliensis, . . Sancte Marie de Luco, et . . de Sancta Victoria secularium ecclesiarum prioribus, Ortane et Tudertine diocesium.*

4083 (CLIIII) Anagni, 8 mai 1301.

« Pagano de Petra Sancta, ordinis Beate Marie Virginis Gloriose. Absolvitur a portatione crucis. » (fol. 38.)

Dilecto filio fratri Pagano de Petra Sancta, ordinis Beate Marie Virginis Gloriose. Sancta mater ecclesia —.

Partem pœnæ ob hæresis crimen ei inflictæ, videlicet portationem duarum crucium de panno croceo per trium mensium spatium, relaxat et decernit nullum prejudicium fieri posteritati et generi ejus ex ejusdem condemnatione.

Dat. Anagnie, VIII id. maii, anno septimo.

4084 (CLV) Anagni, 14 mai 1301.

« Petro episcopo Basiliensi. Super retinenda prepositura ecclesie Winsegradensis, Pragensis diocesis. » (fol. 38.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Basiliensi. Clara merita carissimi —.

Obtentu Wencezlai Bohemiæ regis, prorogat usque ad novum quinquennium indulgentiam, qua suprascriptus, una cum episcopatu Basiliensi, præposituram ecclesiæ Winsegradensis, Pragensis diocesis, retinere potuit.

Dat. Anagnie, II id. maii, anno septimo.

In. e. m. *venerabili, fratri . . Constantiensi* [*episcopo*] *et dilecto filio Ugnitioni de Vercellis, canonico Brugensi, Tornacensis diocesis, capellano nostro.*

4085 (CLVI) Anagni, 20 juillet 1301.

« Ludovico electo Lugdunensi. Preficitur in archiepiscopum Lugdunensem. » (fol. 39.)

Ludovico, electo Lugdunensi. Romani pontificis, quem pastor Ille celestis et episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis sollicitudo requirit, ut circa ipsarum et ministrorum Dei statum sic vigilanter excogitet, sic prospiciat diligenter, quod eedem ecclesie ac ministri, prout locorum, personarum et temporum qualitas exigit, superni favoris auxilio suffragante, felicibus jocundentur eventibus et votive prosperitatis successibus gratulentur. Sane Lugdunensi ecclesia, per obitum bone memorie Henrici, archiepiscopi Lugdunensis, nuper apud Sedem Apostolicam decedentis, pastoris solatio destituta, nos, qui ex vigore Apostolice servitutis sumus ecclesiis obligati, attendentes sollicite, quod, si ejusdem ecclesie differretur provisio, multis subiceretur periculis et gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, ac querentes attentione sollicita personam insignem, que, virtutum decorata [1] insignis, ejusdem ecclesie Lugdunensis diligentie studio bona multiplicet, ejusque jura sue potentie brachio magnanimiter tueatur, et tandem ad personam tuam attente considerationis intuitum extendentes, te, ipsius ecclesie archidiaconum, virum utique celebri fama preclarum, genere nobilem, morum honestate conspicuum, consilio providum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, acceptumque nobis et fratribus nostris ob tue multiplicis merita probitatis, predicte Lugdunensi ecclesie, de dictorum fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, preficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Lugdunensis tibi in spiritualibus ac temporalibus committentes, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem ecclesia per tue diligentie studium preservabitur a noxiis, et spiritualibus ac temporalibus, favente Domino, proficiet incrementis. Reverenter itaque suscipe jugum Domini et tua ejus oneri colla submitte humiliter, manumque viriliter mittens ad fortia, curam et administrationem ejusdem ecclesie prudenter exequi studeas et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter, oppositurus te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut, laudabili de grege ipso coram Deo reddita ratione, regnum ejus, ab origine mundi paratum, cum electis acquirere valeas letabundus et in dilecta Domini tabernacula moraturus. Dat. Anagnie, XIII kal. augusti, anno septimo.

1. *Ms* : decoratam.

In e. m. *dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Lugdunensis — clero civitatis et diocesis Lugdunensis — populo civitatis et diocesis Lugdunensis — universis vassallis ecclesie Lugdunensis — venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesie Lugdunensis.*

4086 (CLVI *bis*) Latran, 14 mars 1301.

« Mandatur provideri Paschali Palmerii de Barulo de beneficio ecclesiastico ad valorem X unciarum auri in civitate vel diocesi aut provincia Barensi. » (fol. 39 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Yserniensi et dilectis filiis .. Cenomanensi, ac .. Sancti Johannis Majoris de Neapoli archidiaconis. Sincere devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Johannes Pipini de Barulo ad nos et Romanam gerit Ecclesiam, merito nos inducit, ut, nedum ipsum, sed etiam personas sibi consanguinitate conjunctas prosequamur gratia et favori. Propter hoc itaque dilecto filio Paschali Palmerii de Barulo, nepoti ejusdem nobilis, qui nobis pro eo cum instantia supplicavit, volentes gratiam facere specialem, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Pascali de aliquo beneficio ecclesiastico, uno vel pluribus, cui vel quibus cura non immineat animarum, usque ad valorem seu redditum annuum decem unciarum auri, si in civitate vel diocesi aut provincia Barensibus vacat ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas, per vos vel per alium aut alios, providere curetis, et cetera, sive quod dictus Pascalis in ecclesia Trecensi canonicatum et prebendam, et in regno Sicilie quedam beneficia ecclesiastica sine cura et quasdam pensiones, quorum beneficiorum et pensionum omnis redditus summam XV unciarum auri, sicut asseritur, non excedunt, noscitur obtinere. Contradictores, et cetera. Dat. Laterani, II id. martii, anno septimo.

4087 (CLVII) Anagni, 27 juin 1301.

Mandatur provideri Venturæ Andreæ de Fighino in quadraginta florenis auri, pensionis nomine, singulis annis. (fol. 39 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. priori secularis ecclesie Sancti Petri Sckeratii Florentinis, ac Johanni de Anagnia, camerario nostro, archidiacono Andegavensi. Dilectus filius Ventura Andree de Fighino, civis et mercator Aretinus, sic se nuper nostro gratum aspectui presentavit, quod eum dignum favore ac gratia reputamus.

Mandatur provideri eidem, quamdiu vivet, ab abbate et conventu monasterii Vallis Umbrosæ, ad Romanam Ecclesiam

nullo medio pertinentis, Fesulanæ diocesis, infra quindenam Nativitatis Beatæ Virginis, in viginti florenis auri, pensionis nomine.

Dat. Anagnie, v kal. julii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis Johanni de Anagnia, camerario nostro, archidiacono Andegavensi, et .. de Lebe Lacci, ac .. de Monte Sicilie ecclesiarum archipresbyteris, Paduane diocesis.* Dilectus filius —.

Mandatur provideri eidem ab abbate et conventu monasterii Sanctæ Justinæ, Paduanæ diocesis, ordinis sancti Benedicti, infra quindenam Nativitatis Beatæ Virginis, in viginti florenis, pensionis nomine.

Dat ut supra.

4088 (CLVIII) Anagni, 17 mai 1301

« Indulgetur Raynerio, nato Conradi Grassii de Tuderto, canonico Pisano, quod non teneatur usque ad quinquennium ordines sacros recipere. » (fol. 40)

Raynerio, nato nobilis viri Conradi Grassii de Tuderto, canonico Pisano. Tue devotionis et probitatis merita, que tibi suffragari dicuntur, ac dilectorum filiorum nobilium virorum ambassatorum comunis Tudertini, nobis pro te humiliter supplicantium, consideratio nos inducunt, ut, personam tuam speciali benivolentia prosequentes, eam condignis favoribus foveamus. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nuper in Pisana ecclesia quamdam sacerdotalem sis prebendam adeptus, ratione cujus, quicunque illam pro tempore obtinet, tenetur, per totum annum quo eam assequitur, ex consuetudine seu statuto ipsius ecclesie, in eadem ecclesia personaliter residere, et, si presbyter non existat, se facere infra ipsum annum ad sacerdotium promoveri, ita quod interim integre non percipiat ejusdem prebende fructus, redditus seu proventus. Nos, volentes tibi, qui, sicut asseris, es in minoribus ordinibus constitutus, ob predictorum exigentiam meritorum, dictorumque ambassatorum obtentu, in hac parte gratiam facere specialem, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut, usque ad quinquennium, non tenearis ordines sacros suscipere, nec in eadem ecclesia residentiam facere personalem; et nichilominus possis eandem prebendam licite retinere ac interim prefatos fructus, redditus et proventus cum integritate percipere. Dat. Anagnie, XVI kal. junii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Tudertino et dilectis filiis .. abbati monasterii de Sancto Savino ac .. priori de Rossano, Pisane diocesis.*

4089 (CLVIIII) Anagni, 16 juin 1301.

« Conceditur Percevallo Henrici de Jove beneficium ecclesiasticum quod duxerit acceptandum, si quod in civitate vel diocesi Florentina vacat, et cetera. » (fol. 40.)

Percevallo, nato nobilis viri Henrici de Jove, canonico ecclesie Sancti Andree Urbevetane. Grata devotionis studia —.

Ob grata devotionis studia, quibus suprascriptus et sui erga dominum papam et Ecclesiam Romanam viguerunt et vigent, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, etiamsi dignitas vel personatus existat, si quod in civitate vel diocesi Florentina vacat, suprascripto confertur vel proxime vacaturum, conferendum eidem, donationi Apostolicæ reservatur, non obstante quod in ecclesia Sancti Andre Urbevetana canonicatum et præbendam noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, XVI kal. julii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri.. episcopo Florentino et dilectis filiis.. archipresbytero ecclesie Urbevetane ac Bertuldo de Labro, capellano nostro, canonico Carnotensi.*

4090 (CLX) Anagni, 20 mai 1301.

« Conceditur Stephano, nato Petri de Pileo, archidiaconatus ecclesie Suessionensis. » (fol. 40 v°.)

Dilecto filio Stephano, nato ditecti filii nobilis viri Petri de Pileo, canonico et archidiacono ecclesie Suessionensis. Apostolice Sedis benignitas —.

Archidiaconatum ecclesiæ Suessionensis, per mortem in civitate Ferentinati quondam Rizardi de ipsa civitate, capellani domini papæ, vacantem et provisioni Sedis Apostolicæ a die obitus ejus reservatum, suprascripto, consideratione Francisci, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, confert dominus papa et de illis per annulum Petrum Burgensem, nomine ejus, investit, non obstante quod præposituram de Massaiegio, in ecclesia Carnotensis et, tam in eadem quam in Senonensi, Corinthiensi, Atheniensi nec non de Sancto Audomaro, Morinensis, et Sancte Marie de Pileo, Anagnine diocesium ecclesiis, canonicatus, et ruralem ecclesiam Sancti Petri de Ariano, sitam in territorio castri Pilei, predictæ diocesis, noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri.. episcopo Anagnino et dilectis filiis.. abbati monasterii Sancti Medardi, ac.. priori Sancti Johannis de Vineis Suessionensium.*

4091 (CLXI) Anagni, 10 mai 1301.

« Indulgentia de fructibus percipiendis pro Guillelmo Bodini, canonico Morinensi. » (fol. 41.)

Guillelmo Bodini, canonico Morinensi, capellano nostro. Provenit ex devotionis —.

Indulgetur suprascripto, ut, quamdiu, in Romana Curia vel alibi, Apostolice Sedis obsequiis, de ipsius Sedis speciali mandato, insistet, redditus beneficiorum suorum in absentia percipere possit.

Dat. Anagnie, VI id. maii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis magistro Bernardo Roiardi, archidiacono Xanctonensi, et Michaeli Ascloketes, cantori Senogiensis, Cameracensis diocesis, ac Petro de Monte Jovio, canonico Laudunensis ecclesiarum.*

4092 (CLXII) Anagni, 28 mai 1301.

« Mandatur provideri Massarutio Cloris, clerico Tudertino, de aliquo beneficio quod duxerit acceptandum in diocesi Tudertina. » (fol. 41.)

Dilectis filiis .. ecclesie Tudertine, et .. Sancte Marie in Monte, ac .. Sancti Petri de Uncinis, Tudertine diocesis, prioribus. Sincere devotionis affectus —.

Mandatur suprascriptis ut Massarutio Glorii, clerico Tudertino, fratri Petri Deodati de Tuderto judicis, devotione Sedi Apostolicæ insignis, provideant de aliquo beneficio ecclesiastico, sine animarum cura, consueto ab olim clericis sæcularibus assignari, in diocesi Tudertina, non obstante quod dictus Massarutins in Sanctæ Mariæ de Roscieto, et de Sancta Restituta, Tudertinæ diocesis ecclesiis, canonicatus obtinere noscitur.

Dat. Anagnie, V kal. junii, anno septimo.

4093 (CLXIII) Anagni, 29 juin 1301.

« Confertur Theobaldo de Alneto decanatus ecclesie Carnotensis, cum dispensatione. » (fol. 41 v°.

Theobaldo de Alneto, canonico et decano ecclesie Carnotensis. Viros scientia preditos —.

Canonicatum et decanatum in ecclesia Carnotensi, per mortem quondam Deodati de Urbe, capellani domini papæ, qui nuper in Urbe ipsa diem clausit extremum, vacantes et Apostolicæ Sedis provisioni reservatos, confert dominus papa suprascripto et providet eum de illis, non obstante quod in Belvacensi et Morinensi ecclesiis canonicatus noscitur obtinere, aut quod de præpositura ecclesiæ Sancti Amati Duacensis, Atrebatensis diocesis, ad quam a majori et saniori parte capituli ejusdem ecclesiæ se electum fuisse asserit, apud Sedem Apostolicam cum alio litigatur.

Dat. Anagnie, III kal. julii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. scolastico Noviomensi et magistris Nicolao Verticelli, Florentine, et Guillelmo de Berione, Silvanectensis ecclesiarum canonicis.*

4094 (CLXIIII) Anagni, 29 juin 1301.

« Indulgetur eidem quod residendo in ecclesia Carnotensi possit percipere fructus omnium beneficiorum que obtinet et obtinebit in futurum. » (fol. 41 v°.)

Eidem. Laudabilia tue nobilitatis —. Dat. Anagnie, III kal. julii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. scolastico Noviomensi et magistris Nicolao Verticelli, Florentine, ac Guillelmo de Bernone, Silvanectensis ecclesiarun canonicis.*

4095 (CLXV) Anagni 20 juillet 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Petro, episcopo Nimociensi. » (fol. 42.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Nimociensi. Cum sicut in nostra —.

Ut possit contrahere mutuum usque ad summan duorum millium florenorum auri.

Dat. Anagnie, XIII kal. augusti, anno septimo.

4096 (CLXVI) Velletri, 18 avril 1301.

« Confirmatur .. abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Palazolis, Cisterciensis ordinis, Albanensis diocesis, ecclesia Sancti Laurentii foris muros Tyburtina. » (fol. 42.)

Abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Palazolis, Cirterciencis ordinis, Albanensis diocesis. Gerentes ad vos —. Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod Jacobus Pallonus et quondam Gerardus Johannis quondam Omnesancti, milites, quondam Andreas Johannis, dictus de Sancta Cruce, quondam Johannes Leonis Rubei, quondam Savinus, quondam Ange-

lus Infantelli, quondam Maximus Leonardi, quondam Petrus Johannis Clementis, quondam Franciscus Fardevollia, quondam Angelus Georgii, quondam Berardus Candazarius, quondam Franciscus Petri de Azo, quondam Johannes Galterii, et quondam Johannes Berardi, cives Tiburtini, tunc patroni ecclesie sancti Laurentii foris muros Tiburtine, jus patronatus ejusdem ecclesie, tunc ad eos pertinens, quondam Nicolao, abbati dicti monasterii, predecessori tuo, fili abbas, nomine dicti monasterii, et, per ipsum, eidem monasterio, divine retributionis obtentu, pia et provida liberalitate donarunt, ac bone memorie J[ohannes], episcopus Tiburtinus, donationem hujusmodi ratam habens, illam auctoritate ordinaria confirmavit. Cumque postmodum quondam Nicolaus Pallonis, tunc rector dicte ecclesie, ex certa causa legitima, prefatam ecclesiam in ipsius episcopi manibus libere resignasset, prefatus episcopus, hujusmodi resignationem admittens, ecclesiam predictam, per eandem resignationem vacantem, cum juribus et pertinentiis suis, eidem predicto nomine dicti monasterii, et, per ipsum, monasterio prefato, in usus proprios, eadem auctoritate, concessit, dictumque predictum ejusdem monasterii nomine, investivit per suum anulum presentialiter de eadem, ac fecit ipsum, dicti monasterii nomine, in ejusdem ecclesie corporalem possessionem induci, prout in instrumentis inde confectis dicuntur hec omnia plenius et latius contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, que super hiis pie ac provide acta sunt, rata et grata habentes, ea, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio comunimus : supplentes omnem defectum, qui predictis vel alicui predictorum, ex eo presertim quod, in confirmatione, concessione et investitura hujusmodi dicti episcopi, sui capituli non intervenit assensus, vel alia quacumque de causa, inesset vel inesse posset, de Apostolice plenitudine potestatis. Et, ut vos ac monasterium ipsum uberioris dono gratie prosequamur, vobis et successoribus vestris, auctoritate Apostolica, indulgemus, ut per monachos dicti monasterii possitis eandem ecclesiam, sicut et alia dicti monasterii ecclesias et membra, facere gubernari, et animarum curam imminentem illi etiam exerceri, quacumque constitutione seu consuetudine contraria non obstante. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis et concessionis, et cetera. Dat. Velletri, XIIII kal. maii, anno septimo.

4097 (CLXVII) Anagni, 12 juillet 1301.

« Mandatur citari . . abbas monasterii Belliloci, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis. » (fol. 42 v°.)

Dilectis filiis . . abbati Trenorciensi, Cabilonensis diocesis, et . . Sancti Martini de Campis, Parisiensis, ac . . Sancti Petri Matisconensis prioribus, per priores solitorum gubernari monasteriorum. Sicut laudanda est obedientie virtus ac retributionis condigne premium promeretur, sic detestandi sunt contemptus et inobedientia, qui ex radice superbie dampnate proveniunt, et, ne cuiquam exempli pernitiem tribuant, pena debita puniendi. Sane dudum ex fidedigna et inculcata relatione ad nostram deducto notitiam, quod monasterium Belliloci in Argonia, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis, quod anteactis temporibus consueverat florere in spiritualibus et temporalibus abundare, propter gravium guerrarum discrimina, que, temporibus tunc preteritis proximo, per instigationem inimici humani generis in illis partibus contigerant, per malignorum nepharios ausus et actus combustum fuerat taliter et destructum, quod nisi nove constructionis repararetur opere sumptuoso, quasi inhabitabile reddebatur, aliasque debitorum erat oneribus aggravatum, nos, desiderantes oportunum et efficax in hac parte remedium abhibere, considerantes quoque quod per circumspectionis industriam, provisionis prudentiam et affluentiam caritatis dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii Cluniacensis predictum monasterium Belliloci poterat ab hujusmodi dispendiis relevari, ac plenam et laudabilem reparationem et reformationem assumere prosperisque reparari successibus status ejus, prelibatum monasterium Belliloci, cum omnibus membris et bonis ac juribus et pertinentiis suis, ubilibet constitutis, et abbate, monachis et personis eorumdem monasterii et membrorum, qui tunc degebant et in futurum degerent in eisdem, ipsis tamen membris, bonis, juribus et pertinentiis in ipsius monasterii Belliloci proprietate manentibus, prefatis abbati et conventui monasterii Cluniacensis et eorum ordini, per nostras sub certa forma litteras, concessimus, subjecimus, incorporavimus et annexímus de Apostolice plenitudine potestatis, ita quod de cetero monasterium ipsum Belliloci, cum ejus abbate, membris, bonis, juribus et pertinentiis, monachis et personis predictis, foret membrum Cluniacensis ordinis memorati, et sub prefati abbatis et successorum suorum et conventus monasterii Cluniacensis obedientia permaneret, dilectis filiis . . Molismensis et . . Morismundi abbatibus, Lingonensis diocesis, ac . . decano ecclesie Cabilonensis super hoc per alias nostras sub certa forma litteras executoribus de-

putatis. Verum, sicut nuper, non absque ammiratione quin immo turbatione, percepimus, Guido abbas et conventus predicti monasterii Belliloci, postposito reverentie debito, quo nobis et Apostolice Sedi tenentur, concessioni, subjectioni, incorporationi et annexioni nostris hujusmodi se ausu temerario opponentes, etiam carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, ad prestandum obstaculum et resistentiam in premissis nisi sunt, velut filii iniquitatis, ingratitudinis et inobedientie, incitare, suggerendo eidem regi, quod predictum monasterium Belliloci olim a principibus Campanie fundatum fuerat, et tam spiritualiter quam temporaliter sub ipsius regis protectione manebat, quodque predicti abbas et conventus monasterii Cluniacencis per falsi suggestionem et veri suppressionem prelibatum monasterium Belliloci eis a nobis subici spiritualiter et temporaliter, ac per hoc guardias et jura patronatus ipsius monasterii Belliloci ab ejusdem regis dominio subtrahi procurarant, in ipsius regis prejudicium non modicum et gravamen, ipsiusque regis, ut prefatum monasterium Belliloci in suis libertatibus contra eosdem abbatem et conventum Cluniacenses defenderet, non obstantibus quibuscunque precibus vel mandatis Apostolicis, quibus contra eos dicti abbas et conventus Cluniacenses uti niterentur, maxime cum ipsi abbas et conventus predicti monasterii Belliloci parati essent stare super hiis in judicio coram memorato rege, contra abbatem et conventum Cluniacenses predictos auxilium invocando. Nos igitur, volentes concessionem, subjectionem, incorporationem et annexionem easdem, et quevis alia per nos facta premissa contingentia, in suo robore permanere ac inviolata servari, et volentes dictorum abbatis et conventus Belliloci temeritatem, sicuti nec debemus, conniventibus oculis pertransire, ne de tanta in hac parte nequitia glorientur, et alii eorem exemplo sumant audaciam delinquendi, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eosdem abbatem et conventum monasterii Belliloci, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut idem abbas Belliloci, personaliter, sub pena depositionis et privationis ab abbatia dicti monasterii Belliloci, quam, si non parnerit, eum incurrere volumus ipso facto, predicti vero conventus, per procuratorem idoneum ad hoc ab eis specialiter constitutum cum sufficienti mandato, infra tres menses post citationem hujusmodi, cum omnibus juribus, actis et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, Apostolico se conspectui representent, super premissis, si poterunt, suam innocentiam ostensuri, ac facturi et recepturi quod justitia suadebit nosque ipsis duxerimus injungendum. Diem vero hujusmodi citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Dat. Anagnie, IIII id julii, anno septimo.

4098 (CLXVIII) Anagni, 21 juin 1301

« Marino, archiepiscopo Antibarensi. Preficitur in archiepiscopum Antibaccnsem. (fol. 43.)

Marino, archiepiscopo Antibarensi. Ad regimen universalis —.

Martinus ecclesiæ Antibarensi, per obitum Michaelis archiepiscopi pastoris solatio destitutæ, præficitur in archiepiscopum.

Dat. Anagnie, XI kal. julii, anno septimo.

In e. m. . *archipresbytero et capitulo — universis suffraganeis ecclesie Antibarensis — Helene, regine Servie.*

POTTHAST, 25033.

4099 (CLXVIIII) Anagni, 27 juillet 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Petro, episcopo Nimociensi. » (fol. 43 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Nicosiensi et dilectis filiis . . archipresbitero de Colle, Vulterane diocesis, ac Antonio de Mediolano, thesaurario Famagustano. Exponente pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum duorum millium florenorum auri, quos recepit Petrus, Nimociensis episcopus, a Johanne Villani, cive et mercatore Florentino, de societate Peruzorum, mutuante pro se ipso ac vice et nomine Philippi de Peruziis, Bicchi, Guidonis, Amidei, Perutii et Rogerii, filiorum dicti Philippi, Massi, Jocti et Arnoldi fratrum, filiorum olim Patini Perutii, Bamchi Rausii, Catellini de Infangatis, Tani et Gerardi Baroncelli, Johannis Orlandini, Mazetti Bacharello et Jannuti Bartholi, de societate prædicta.

Dat. Anagnie, VI kal. augusti, anno septimo.

4100 (CLXX) Anagni, 9 mai 1301.

« Conceditur fratri Bartholomeo de Pisis, ordinis Fratrum Minorum, quod possit prestare assensum electioni facte de eo ad ecclesiam Emporicnsem. » (fol. 43 v°.)

Fratri Bartholomeo de Pisis, ordinis Fratrum Minorum. Vacante dudum —.

Vacante dudum ecclesia Emporiensi per obitum G. Emporiensis episcopi et ea vice dispositioni Apostolicæ Sedis reservata, dominus papa archiepiscopo Turritano, metropolitano loci, dedit in mandatis, ut eidem Emporiensi ecclesiæ, auctoritate Apostolica de persona ydonea providere curaret : qui quidem archiepiscopus suprascriptum elegit, sed idem, cum sibi non liceret eidem electioni sine sui superioris licentia consentire, assensum suum huic electioni præbere distulit. Cum vero adhuc infra consentiendi tempus existat, eidem suprascripto supplicanti facultas conceditur, ut, « etiam prædicti superioris non petita licentia vel obtenta », eidem electioni assensum suum libere præstare possit.

Dat. Anagnie, vii id. maii, anno septimo.

4101 (CLXXI) Anagni, 14 mai 1301.

« Dispensatur super defectu cum Henrico de Sconeburgh, Pragensis diocesis. » (fol. 43 v°.)

Henrico de Sconeburhg, Pragensis diocesis, clerico et familiari carissimi in Christo filii nostri Wenceslai, regis Boemie. Illegitime genitos —.

Suprascripto conceditur, obtentu regis Bohemiæ, ut, defectu natalium non obstante, possit ad beneficium ecclesiasticum promoveri.

Dat. Anagnie, ii id. maii, anno septimo.

Potthast, 25047.

4102 (CLXXII) Anagni, 28 juillet 1301.

« Citatio personalis quorumdam ad instantiam Thome de Pellizonis, prepositi ecclesie Sancti Donati de Pinerolio, Taurinensis diocesis. » (fol. 44.)

Venerabili fratri . . episcopo Astensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Mauri, et . . preposito ecclesie de Cherio, Taurinensis diocesis. Ad actus malignantium cohibendos manum nos decet Apostolice correctionis apponere, ne de sua malitia glorientur. Gravem siquidem dilecti filii Thome de Pellizonis, prepositi ecclesie Sancti Donati de Pinarolio, Taurinensis diocesis, querelam recepimus, continentem, quod, cum venerabilis frater noster P. episcopus Parmensis, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, tunc prepositus ejusdem ecclesie de Pinarolio, fuisset olim per nos in episcopum Novariensem promotus, ac, per hujusmodi promotionem suam, post consecrationis munus ab eo apud Apostolicam Sedem susceptum, ejusdem ecclesie prepositura apud dictam Sedem vacasset, nos, eam a die vacationis ipsius dispositioni nostre ac dicte Sedis reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac deinde prefato episcopo conferendi, per se vel alium seu alios, preposituram predictam persone ydonee, de qua expedire videret, ac inducendi personam eandem in illius corporalem possessionem, et cetera, concessimus per certi tenoris litteras facultatem. Idem vero episcopus, litterarum predictarum auctoritate, earum forma servata, preposituram predictam memorato Thome, patruo suo, quem ad hoc reputavit ydoneum, duxit canonice conferendam, in singulos contradictores et rebelles excommunicationis sententia generaliter promulgata, mandans eum per . . prepositum Taurinensem, cui super executione hujusmodi negotii commisit, non tamen totaliter, vices suas, in ejusdem prepositure corporalem possessionem induci. Et, licet frater Thomas de Barsatoribus, canonicus monasterii Augaunensis, ordinis sancti Augustini, Sedunensis diocesis, quem . . abbas monasterii dicti loci de Pinarolio in preposituram predictam, contra et post reservationem nostram, jam intruserat, citatus ab eodem preposito Taurinensi, super eadem propositura cum dicto Thoma de Pellizonis aliquandiu disceptarit, quia tamen ipse nequivit ostendere se habere jus aliquod in eadem, dictus prepositus Taurinensis pronuntiavit provisionem seu collationem hujusmodi factam dicto Thome de Pellizonis, propositis in contrarium nequaquam obstantibus, debere sortiri effectum, mandans eidem fratri Thome sic intruso, ut preposituram ipsam, cujus possessioni de facto incumbebat, eidem Thome de Pellizonis dimitteret, ipsumque super illius assecutione nullatenus impediret, ac nichilominus eundem fratrem Thomam ipsi Thome de Pellizonis in expensis legitimis condempnavit, illarum sibi taxatione imposterum reservata. Verum, quia dictus frater Thomas adhuc preposituram predictam per se ac Rostagnum de Castronovo clericum detinebat in anime sue periculum occupatam, Rodulphus quoque Bayle, ejusdem ecclesie de Pinarolio canonicus, ab eodem episcopo super hoc canonice monitus, predictum Thomam de Pellizonis in ipsius ecclesie prepositum admittere contumaciter recusabat, propter quod frater Thomas, Rostagnus et Rodulphus predicti hujusmodi sententiam excommunicationis incurrerant, in contradictores et rebelles, ut premittitur, promulgatam, prefatus episcopus, cui de hoc legitime constitit, fratrem Thomam, Rostagnum et Rodulphum predictos eandem excommunicationis sententiam incurrisse decernens, fecit eos excommunicatos publice nuntiari, et demum, eorum contumacia excrescente, predictam ecclesiam, quamdiu

dictus frater Thomas, in hujusmodi sua persistens contumacia, preposituram detineret eandem, ecclesiastico supposuit interdicto, interdictum ipsum sollenniter publicando. Cumque postmodum dictus Thomas de Pellizonis ad dictum locum de Pinarolio accessisset, volens . . castellano, . . judici et consilio dicti loci quosdam processus et litteras ipsius episcopi, hujusmodi contingentes negotium, presentare, Guillelmus de Montechuco, monachus predicti monasterii de Pinarolio, Petrus de Barsatoribus, pater ipsius fratris Thome intrusi, Aymo Turrerius, Franciscus Candidus, Michael Naraffa et Nicholaus Crottus, laici dicte diocesis, cum nonnullis aliis complicibus suis, dictum Thomam de Pellizonis, in domo, in qua hospitatus fuerat, invadentes, manibus injectis in eum et quosdam clericos et laicos, qui secum iverant, Dei timore postposito, temere violentis, ipsum adeo graviter, multis ei plagis impositis, vulnerarunt, quod semivivum reliquerunt eundem, predictos, qui secum erant, pulsantes, percutientes et eorum aliquos graviter vulnerantes, predicti etiam frater Tbomas intrusus, Rostagnus et Rodulphus, predictas excommunicationis et interdicti sententias dampnabiliter contempnentes, illas sustinuerunt per triennium et amplius et adhuc sustinent animis induratis, ac nichilominus divina officia celebrare, immo potius, quantum in eis est, prophanare seque illis immiscere ac interdictum hujusmodi violare presumunt, idemque frater Thomas sic intrusus preposituram predictam usque adhuc detinet occupatam. Et, licet dictus Thomas de Pellizonis contra fratrem Thomam ac Rodulphum predictos, super observatione dictarum sententiarum excommunicationis et interdicti, ac super eo quod dicta officia taliter prophanarant, nostras ad te, frater episcope, in communi forma litteras impetrarit, per eas tamen, propter cavillationes et subterfugia eorundem, nullus adhuc super negotio principali habitus est processus. Quare dictus Thomas de Pellizonis prepositus nobis humiliter supplicavit, ut ei contra hujusmodi proterviam et nequitiam fratris Thome et aliorum predictorum de oportuno remedio providere paterna sollicitudine dignaremur. Nos autem, ipsi Thome preposito, quem benivolentia paterna prosequimur, de illo remedio providere volentes, per quod et jus ipse suum plene consequi valeat et malignantium temeritas puniatur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, dictum fratrem Thomam sic intrusum, ex parte nostra, moneatis, presentialiter, si fieri poterit, alioquin in loco competenti, de quo possit ad eum hujusmodi monitio pervenire, ut, infra quindecim dies post monitionem hujusmodi, preposituram eamdem ipsi Thome de Pellizonis preposito quiete dimittat, et cetera, ac nichilominus predictos Guillelmum, Petrum, Aymonem, Franciscum, Michaelem, Nicolaum sacrilegos et alios complices supradictos, quos idem Thomas prepositus duxerit nominandos, ac prefatos fratrem Thomam de Barsatoribus, Rodulfum et Rostagnum, presentialiter, si fieri poterit, alioquin in loco competenti, de quo possit ad eos hujusmodi citatio pervenire, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut, infra duorum mensium spatium, et cetera, compareant coram nobis, super hujusmodi per eos commissis excessibus pro meritis recepturi. Non obstantibus de duobus dietis, et cetera. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis. Dat. Anagnie, v kal. augusti, anno septimo.

4103 (CLXXIII) Même date.

« Conservatoria pro P[apiniano], episcopo Parmensi, Sancte Romane Ecclesie vicecancellario. » (fol. 44 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . archidiacono Bononiensibus et . . priori monasterii Sancti Bartholomei, porte Ravennatis, Bononiensis, per priorem soliti gubernari. Ex injuncte nobis —. Dat. ut supra.

4104 (CLXXIIII) Même date.

« Quod possit facere visitari per alium. » (fol. 45 v°.)

Venerabili fratri P[apiniano] episcopo, Parmensi, Sancte Romane ecclesie vicecancellario. Dum ad tue fraternitatis —. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . Majoris, et . . Baptisterii Parmensium ac . . Sancti Donnini, Parmensis diocesis, ecclesiarum prepositis.*

4105 (CLXXV) Anagni, 15 juillet 1301.

« Quod possit condere testamentum. (fol. 45.)

Venerabili fratri H[enrico], archiepiscopo Lugdunensi. Quia presentis vite —. Dat. Anagnie, id. julii, anno septimo.

4106 (CLXXVI) Anagni, 18 juillet 1301.

« Super fructibus primi anni omnium beneficiorum vacantium in civitate, diocesi ac provincia Lugdunensibus concessis bone memorie Henrico, archiepiscopo Lugdunensi. » (fol. 45.)

Dilectis filiis Theobaldo, cantori Majoris, et Ludowico, camerario Sancti Pauli ecclesiarum Lugdunensium. Considerantes dudum magne devotionis affectum, quem bone memorie Herricus, archiepiscopus Lugdunensis, dum viveret, erga nos et Apostolicam Sedem habebat, sibique, super eo quod, sicut ex parte sua fuit propositum coram nobis, Lugdunensem ecclesiam propter grandia onera debitorum, quibus gravabatur, sicut et adhuc noscitur pregravari, et etiam ob multimodas occupationes ac invasiones bonorum ipsius ecclesie a nonnullis illarum partium dampnabili temeritate presumptas, adeo erat in perceptione fructuum et proventuum diminuta, quod ex eis archiepiscopus ipse non poterat absque nostre provisionis et subventionis auxilio de debitis satisfacere supradictis, nec juxta dignitatis archiepiscopalis decentiam commode substantari, pio compatientes affectu, eidem archiepiscopo duximus per nostras sub certa forma litteras concedendum, ut fructus, redditus et proventus ac obventiones primi anni omnium ecclesiarum, prioratuum, prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum non exemptorum, etiam si personatus vel dignitates existerent et curam animarum haberent, que tunc vacabant vel usque ad triennium vacare contingeret in civitate, diocesi et provincia Lugdunensibus, episcopatibus ac monasteriis seu abbatiis dumtaxat exceptis, percipere posset in solutionem debitorum hujusmodi ac suos sumptus necessarios convertendos, certis sibi super hoc per alias nostras litteras executoribus deputatis. Cum igitur predictus archiepiscopus, qui nuper apud Sedem Apostolicam viam fuit universe carnis ingressus, vosque inter alios sui executores constituit [1] testamenti, nullum aut modicum ex hujusmodi per nos ei facta gratia fuerit, sicut accepimus, comodum consecutus, sicque nec ipse nec predicta Lugdunensis ecclesia fuerunt a predictorum debitorum oneribus relevati, nos, prelibati archiepiscopi, quem vivum dileximus, memoriam retinentes, ac volentes, tam pro salute sua quam pro statu prospero predicte Lugdunensis ecclesie, super hujusmodi debitorum oneribus providere, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, fructus, redditus et proventus ac obventiones primi anni omnium ecclesiarum, prioratuum, prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, non exemptorum, cum cura vel sine cura, etiamsi personatus vel dignitates existant, que vacant ad presens vel que usque ad unum annum, a data presentium numerandum, quoquo modo vacare contigerit in predictis civitate, diocesi et provincia, episcopatibus ac monasteriis seu abbatiis dumtaxat exceptis, colligere ac servare diligenter et fideliter studeatis, per vos in exonerationem debitorum hujusmodi convertendos : ita tamen quod propter hoc receptis et recipiendis auctoritate nostra in ecclesiis predictorum civitatis, diocesis et provintie, qui auctoritate predicta beneficia expectant in eisdem ecclesiis vel etiam expectabunt, nullum prejudicium generetur ; non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis seu litteris Apostolicis, sub quacumque forma vel expressione verborum quibuscumque personis concessis, per que possit effectus presentium differri vel quomodolibet impediri, sive si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit Sede indultum quod interdici vel excomunicari nequeant aut suspendi per litteras dicte Sedis, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores, et cetera. Proviso quod hujusmodi fructus, redditus et proventus in alios usus quam ipsorum debitorum debitorum solutionem minime convertantur, et quod interim ecclesie, prioratus, prebende, personatus, dignitates et beneficia hujusmodi, debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura, in eis quibus illa iminet, nullatenus negligatur. Dat. Anagnie, xv kal. augusti, anno septimo.

1. *Ms :* constituat.

4107 (CLXXVII) Anagni, 26 juillet 1301.

« Conceditur E[gidio], archiepiscopo Bituricensi, quod possit providere tam in cathedrali Bituricensi quam in singulis ecclesiis collegiatis Bituricensis civitatis ac diocesis hac vice de singulis personis ydoneis. » (fol. 45.)

Venerabili fratri E[gidio], archiepiscopo Bituricensi. Personam tuam erga nos —. Dat. Anagnie, VII kal. augusti, anno septimo.

4108 (CLXXVIII) Anagni, 4 août 1301.

« Licentia per procuratorem de mutuo contrahendo pro Guidone, electo Tornacensi. » (fol. 45 v°.)

Johanni Rannulphi, canonico ecclesie Sancte Marie de Porta, Claromentensis diocesis, procuratori dilecti filii Guidonis, electi Tornacensis. Exposuisti nobis —.

Viso instrumento, quo constituitur procurator in Romana Curia ab electo Tornacensi, conceditur suprascripto, ut, nomine mandantis sui, mutuum usque ad summam duodecim millium florenorum auri contrahere possit.

Dat. Anagnie, II non. augusti, anno septimo.

4109 (CLXXVIIII) Anagni, 6 août 1301.

« Executoria super eodem. » (fol. 45 v°.)

Dilectis filiis . . Andegavensi, et . . Aureliaci, Claromontensis [*diocesis*], *archidiaconis, ac . . officiali Parisiensi.* Exponente pridem nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum duodecim millium florenorum auri quos Johannes Rannulphus, Guidonis, electi Tornacensis, procurator, recepit a Nello Andree et Johanne Pucii de Floravantibus, de societate Clarentum de Pistorio, mutuantibus pro se ipsis ac pro Clarentino Anselmi, Mergulese et Johanne Brachii, Pucio et Baldo Raynerii, Marsoppino et Anselmo Meliorati, Bonino Gerardini et Phylippo Floravantis ac ceteris eorum sociis.

Dat. Anagnie, VIII id. augusti, anno septimo.

4110 (CLXXX) Anagni, 25 juillet 1301.

« Mandatur provideri magistro Raynerio Incressi de Mediolano, medico, de pensione centum librarum Imperialium. » (fol. 46.)

Dilectis filiis . . Sancti Petri ad Gradus Pisane, et . . de Dexio ac . . de Parabiaco, Mediolanensis diocesis, ecclesiarum prepositis. Excitant nos laudabilia —.

Mandatur suprascriptis, ut magistro Raynerio Incressi, filio quondam Guillelmi Incressi de Mediolano, medico, ob servitia, quæ idem magister domino papæ et suis, diebus istis impendit, provideri faciant a magistro ordinis Humiliatorum et successoribus ejus, infra quindecim dies festivitatem Sanctorum Omnium sequentes, in annua pensione centum librarum Imperialium de bonis prædicti ordinis.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno septimo.

4111 (CLXXXI) Latran, 21 avril 1301.

« Conceditur magistro Bernardo Royardi, archidiacono Xanctonensi, quod non teneatur prestare homagium episcopo Xanctonensi. » (fol. 46.)

Magistro Bernardo Royardi, archidiacono Xanctonensi, capellano nostro ac nostri palatii auditori causarum. Dum ad tua laudabilia merita placidamque familiaritatem, per que nostram tibi benivolentiam vindicasti, considerationis nostre vertimus aciem, Apostolico te favore dignum conspicimus ac prerogativa gratie specialiter attollendum. Ex tenore siquidem tue petitionis accepimus, quod tu, ratione archidiaconatus, quem in ecclesia Xanctonensi obtines, secundum antiquam consuetudinem ipsius ecclesie, teneris venerabili fratri nostro . . episcopo Xanctononsi personaliter homagium facere ac prestare fidelitatis etiam juramentum, quodque in quadam constitutione, dudum per venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Burdegalensem, loci metropolitanum, ejusque suffraganeos in provinciali concilio edita, inhibetur sub excomunicationis pena, quam contra facientes eo ipso incurrant, ne archidiaconi et alii hujusmodi minores prelati provincie Burdegalensis vicarios constituant, nisi forsan, absentes justa de causa, hoc de suorum faciant licentia prelatorum. Nos itaque, volentes tibi, premissorum meritorum tuorum consideratione, ac obtentu dilecti filii nostri J[acobi], Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, nobis pro te super hoc humiliter supplicantis, ne, occasione constitutionis et consuetudinis predictarum, circa dictum archidiaconatum et jura ipsius detrimentum aliquod patiaris, de remedio consulere oportuno, auctoritate tibi presentinm indulgemus, ut, quamdiu Apostolice Sedis obsequiis de mandato Sedis ejusdem institeris, vicarium in archidiaconatu predicto, ad jurisdictionem, quam ibi de consuetudine obtinere te asseris, exercendam, et alia, que tibi ratione dicti archidiaconatus incumbunt, constituere libere valeas et habere, et ad faciendum interim in ipsa ecclesia residentiam personalem vel ad exhibendum homagium et juramentum predicta eidem episcopo per te ipsum, dummodo illa sibi per procuratorem ydoneum, et, cum ad ecclesiam ipsam perveneris, corporaliter ea prestes, minime tenearis, neque ad hec a quoquam valeas coartari : non obstantibus constitutione et consuetudine supradictis, seu quibuscunque contrariis ejusdem ecclesie statutis et consuetudinibus, juramento, confirmatione Sedis predicte vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamsi de illis servandis et non impetrandis litteris Apostolicis contra ea, vel non utendo etiam impetratis, per te vel procuratorem tuum, prestiteris forsitan juramentum, seu quibuscunque litteris et indulgentiis Apostolicis, generalibus vel specialibus, quibuscunque et in quacunque forma concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialem oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Proviso quod archidiaconatus ipse debitis obsequiis non fraudetur, et anima-

rum cura, si illa sibi immineat, nullatenus negligatur. Ceterum ipsi episcopo per hoc nolumus circa hujusmodi consuetudinem alias prejudicium generari. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, xi kal. maii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati secularis Albaterrensis, Petragoricensis diocesis, et . . archidiacono de Bragayreico, Petragoricensis, ac . . sacriste Caturcensis ecclesiarum.*

4112 (CLXXXII) Anagni, 8 août 1301.

« Super absolutione prioris et monachorum monasterii Sancti Dominici de Siles, ordinis santi Benedicti, Burgensis diocesis. » (fol. 46 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Burgensi. Mansuetudinis Apostolice plenitudo —. Sane pro pro parte conventus et monachorum monasterii Sancti Dominici de Sylos, ordinis sancti Benedicti, quod quidem monasterium nunc dicitur abbatis regimine destitutum, nuper fuit expositum, quod, cum . . guardianus et fratres ordinis Minorum Sancte Marie de Valle Paradisi extra muros predicti loci Sancti Dominici, tue diocesis, quandam domum sitam in predicto loco Sancti Dominici, ad predictum pertinentem monasterium, invasissent, se ad ipsam domum temeritate propria conferendo, quondam Johannes, abbas ipsius monasterii, tunc vivens, dictusque conventus, volentes jus, quod predicto monasterio suo in domo ipsa competebat, tueri, eosdem fratres ejecerunt de domo taliter invasa per eos. Postmodum autem predictis guardiano et fratribus suggerentibus bone memorie Fernando, episcopo Burgensi, predecessori tuo, tunc viventi, quod iidem abbas et conventus ad domum ipsam, quam iidem guardianus et fratres eorum esse mendaciter asserebant, temere accesserant, ac quosdam libros, ornamenta ecclesiastica et nonnulla alia bona, ad fratres ipsos spectantia, inventa in domo predicta secum exinde asportaverunt seu per alios fecerant asportari, dictus episcopus eisdem abbati et conventui propria auctoritate mandavit, ut, infra certum terminum, quem ad hoc prefixit eisdem, libros et alia predicta guardiano et fratribus restituerent prelibatis : alioquin in eundem abbatem et predictos monachos ipsius monasterii nominati excommunicationis. et in dictum monasterium interdicti sententias promulgabat. Deinde vero prelibatis guardiano et fratribus exponentibus, ut dicebatur, eandem querelam de predictis abbate et conventu coram Fernando Mathei, archidiacono de Palenzuela in ecclesia Burgensi, in cujus archidiaconatu tam monasterium quam domus hujusmodi consistunt, idem archidiaconus, cognitionem causarum hujusmodi de consuetudine ad se asserens pertinere, et quod ipsos abbatem et conventum ad querelam hujusmodi primo, secundo et tertio propria auctoritate citaverat, ut coram eo certis terminis curarent legitime comparere, predictis guardiano et fratribus super premissis de justitia responsuri, quodque ipsi abbas et conventus citati legitime super hoc comparere contempserant coram ipso, ac reputans eos propterea contumaces, in eundem abbatem et in . . priorem, . . cellararium, . . camerarium et . . sacristam ipsius monasterii excomunicationis, et in predictum monasterium interdicti sententias promulgavit. Demum autem predicto Johanne abbate de hac luce subtracto, prelibatus Fernandus episcopus, adhuc vivens, et asserens quod predictus Fernandus archidiaconus conquestus fuerat coram eo, quod predicti prior et conventus hujusmodi mandata et sententias ipsius archidiaconi propria temeritate vilipenderant eisque contempserant, ut premittitur, obedire, quodque idem episcopus, ad instantiam ipsius archidiaconi, priorem et conventum citaverat prelibatos, ut certo termino peremptorio eis ad hoc prefixo comparerent, per responsalem legitimum, coram eo, super hujusmodi contemptu et inobedientia predicto archidiacono de justitia responsuri, et quod ipsi prior et conventus sic citati coram eodem episcopo comparere contempserant, ac propterea idem episcopus, reputans [eos] contumaces, in dictum priorem excommunicationis, et in prefatum conventum et singulos monachos dicti monasterii suspensionis a divinis officiis sententias promulgavit. Cum autem iidem prior et conventus et monachi, post hujusmodi excommunationum, suspensionis et interdicti sententias, a quibus se asserunt ad Sedem Apostolicam appellasse, quamvis appellationes hujusmodi, ut debuerunt, non fuerint prosecuti, tam in ipso monasterio quam etiam alibi divina officia celebrarint, et alias immiscuerint se illis, et nichilominus eorum aliqui se fecerint ad ordines promoveri, super hujusmodi excomunicationum et suspensionis sententiis absolutione aliquatenus non obtenta, et eisdem interdicti sententiis minime relaxatis, predicti prior, conventus et monachi nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis de absolutionis et relaxationis beneficio ab eisdem excomunicationum, suspensionis et interdicti sententiis, et de dispensationis gratia, super irregularitate, quam exinde contraxerunt predicta officia taliter celebrando vel immiscendo se illis et recipiendo ordines, ac quod, hiis non obstantibus, hii qui sic ordines receperunt possent in ipsis ordinibus ministrare misericorditer dignaremur. Nos itaque, volentes misericorditer agere cum

priore, conventu et monachis supradictis, de tua discretione confisi, fraternitati tue absolvendi, et cetera, dispensandi concedimus plenam et liberam auctoritate presentium facultatem. Dat. Anagnie, vi id. augusti, anno septimo.

4113 (CLXXXII *bis*) Même date.

« Super provisione dicti monasterii. » (fol. 47.)

Eidem. Etsi ecclesiasticorum locorum —. Sane pro parte conventus monasterii Sancti Dominici de Sylos, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, fuit nuper expositum coram nobis, quod, olim monasterio ipso vacante per obitum quondam Johannis, abbatis ejusdem monasterii, conventus ipse, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad hoc statuta, ad tractandum de futuri substitutione abbatis, ut moris est, convenientes in unum, post certos tractatus super hoc habitos inter eos, Spiritus Sancti gratia invocata, Fernandum Johannis, monachum et sacristam ejusdem monasterii, in ipsius monasterii abbatem concorditer elegerunt. Qui hujusmodi electioni de se facte consensit Et electione ipsa bone memorie Fernando, episcopo Burgensi, predecessori tuo, tunc viventi, infra tempus debitum presentata, et petito humiliter ab eodem ut electionem hujusmodi confirmaret, idem episcopus, non sine longo tractu temporis negotium ipsius electionis examinans, tandem electionem eandem renuit confirmare. Et postmodum, eodem episcopo viam universe carnis ingresso, pro parte predictorum conventus et Fernandi electi coram Petro Mathei, decano, et Fernando Mathei, archidiacono de Palanzuela, et Michaele, de Jernunzea et Roderico Petri, Sancte Juliane secularium ecclesiarum abbatibus et canonicis ejusdem Burgensis ecclesie, quibus ipsius ecclesie capitulum, sede tunc Burgensi vacante, audiendi electionis predicte negotium dederant potestatem et electionem ipsam etiam confirmandi, si eam invenirent canonice celebratam, petitum extitit, ut electionem hujusmodi confirmarent. Demum autem, coram eisdem decano, archidiacono et abbatibus negotio pendente predicto, et eadem electione minime confirmata, fuit per nos de te ipsi ecclesie Burgensi, ut premittitur, vacanti provisum. Nuper autem predicti conventus et Fernandus electus, per procuratorem ad hoc specialiter constitutm ab ipsis, tibi duxerunt electionis prefate negotium, ut asserunt, presentandum et petierunt instanter per te electionem hujusmodi confirmari. Verum, quia tam ex premissis quam ex aliis certis causis, ex quibus negotium hujusmodi noscitur dispendiosis eventibus subjacere, dubitas negotium discutere prelibatum, pro parte conventus et Fernandi electi predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum idem Fernandus electus omne jus, quod sibi ex electione competit memorata, sit in nostris manibus, per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, absolute ac libere resignare paratus, hujusmodi resignationem admittere, ipsaque admissa, providere predicto monasterio de abbate, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, precavere volentes, ne prefatum monasterium diutius maneat pastoris presidio destitutum, ac per hoc irreparabilia incurrere valeat detrimenta, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino pleniorem, recipiendi auctoritate nostra resignationem hujusmodi, eaque recepta provideri hac vice de predicto Fernando vel de alia persona ydonea de ipsius monasterii gremio assumenda vel etiam aliunde ejusdem ordinis, et cetera, concedimus plenam et liberam, auctoritate presentium, facultatem. Dat. ut supra.

4114 (CLXXXIII) Anagni, 28 juillet 1301.

« Dispensatio super matrimonio in Urbe. » (fol. 47.)

Dilecto filio nobili viro Francisco, nato quondam Landulfi de Columpna, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Theodore, nate dilecti filii nobilis viri Nicolai Comitis, civium Romanorum. Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim, dum scismatici Columpnenses in devotione matris Ecclesie persistebant, inter Jordanum, filium Agapiti nati quondam Johannis de Columpna, ac te Theodoram, tunc in annis puerilibus constitutos, sponsalia contracta fuerunt, et, in contractu sponsalium predictorum, Nicolaus Comitis, pater tuus, Theodora, et Johannes de Columpna predictus promiserunt et prestiterunt etiam juramenta, quod facerent predictum Jordanum teque Theodoram adinvicem matrimonialiter copulari. Verum, eisdem Columpnensibus postmodum in scisma et rebellionem labentibus, nos, attendentes quod, si hujusmodi matrimonium contraheretur, predicto Nicolao propter hoc participandi cum eisdem scismaticis materia preberetur, et exinde ipsi Nicolao et fame ac saluti ejus dispendium immineret, ac volentes ipsi Nicolao super hoc de oportuno remedio subvenire, eundem Nicolaum ab hujusmodi promissionis et juramenti observatione per litteras nostras duximus absolvendum. Quare nobis pro parte vestra fuit humiliter supplicatum, ut, cum desideretis invicem matrimonialiter copulari, tuque, Francisce, memorato Jordano tertio sis consanguinitatis gradu con-

junctus, providero vobis super hoc per dispensationis gratiam dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum ut, impedimento ex eisdem proveniente sponsalibus, publice videlicet honestatis justitia, non obstante, matrimonium invicem licite contrahere valeatis, auctoritate Apostolica, de speciali gratia, dispensamus. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis, et cetera. Dat. Anagnie, v kal. augusti, anno septimo.

4115 (CLXXXIIII) Anagni, 7 août 1301.

« Dispensatio super matrimonio Janue. » (47 v°.)

Dilecto filio nobili viro Simoni de Carmadino et dilecte in Christo filie nobili mulieri Barbarine, nate dilecti filii nobilis viri Manuelis Zacharie, uxori ejus, civibus Januensibus. Licet matrimonii contractum in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacri canones interdicant, consuevit tamen interdum Sedes Apostolica super hoc, devotorum inducta precibus, dispensare. Petitio quidem vestra nuper nobis exhibita continebat, quod vos, ignorantes dudum quod aliqua esset consanguinitas vel affinitas inter vos, matrimonium invicem per verba de presenti publice contraxistis, sed nondum cohabitastis insimul, nec inter vos extitit carnalis copula subsecuta. Verum, quia demum compertum extitit, quod quarto consanguinitatis et quarto affinitatis gradu mutuo vos contingitis, nobis humiliter supplicastis, ut, quia, si divortium inter vos celebrari contingeret, possent exinde gravia scandala suboriri, providere vobis in hac parte de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem et quietem cupimus singulorum, volentes evitari pericula supradicta, vobiscum, ut impedimento consanguinitatis et affinitatis non obstante hujusmodi contractum matrimonium consumare invicem libere valeatis et in consumato libere remanere, auctoritate Apostolica, de speciali gratia, dispensamus, prolem suscipiendam a vobis ex dicto matrimonio legitimam nuntiantes, ex nunc, de Apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis et nuntiationis, et cetera. Dat. Anagnie, VII id. augusti, anno septimo.

4116 (CLXXXV) Anagni, 3 juillet 1301 (?)[1]

« Uberto, electo Placentino. Preficitur in episcopum Placentinum. » (fol. 47 v°.)

Dilecto filio Uberto, electo Placentino. In supreme dignitatis —.

Suprascriptus, tunc canonicus Placentinus et G[erardi], episcopi Sabinensis scamerarius, ecclesiæ Placentinæ, per obitum Raynaldi, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacanti et Sanctæ Sedis dispositioni reservatæ præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, v non, junii[2], anno septimo

In e. m. *dilectis filiis . . preposito et capitulo ecclesie Placentine — clero civitatis et diocesis Placentine — populo civitatis et diocesis Placentine.*

4117 (CLXXXVI) Anagni, 25 juillet 1301.

« Confertur Gualtero Raynaldi de Monteflorum decanatus ecclesie Wratislaviensis. » (fol. 47 v°.)

Dilecto filio Gualthero, nato dilecti filii nobilis viri Raynaldi de Monteflore, ac nepoti dilecti filii nostri fratris Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, decano et canonico ecclesie Wratislaviensi. Laudabilis tue juventutis —.

Suprascripto, consideratione ejus avunculi et Th[eodorici], episcopi Civitatis Papalis, cujus familiaris existit, decanatus et canonicatus in ecclesia supradicta, quos quondam magister Laurentius de Wrastislavia obtinebat, per ipsius obitum, qui de Romana Curia, quam sequebatur, ad civitatem Viterbiensem, recreationis causa et pro quibusdam suis negotiis, se personaliter conferens, inibi diem clausit extremum, vacantes et Apostolicæ Sedis dispositioni reservati, conferuntur, non obstante quod patitur in ordinibus et ætate defectum, cum primam tantum tonsuram habeat clericalem et sextum decimum ætatis suæ annum agat.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Olomucensi et dilectis filiis . . decano Xanctonensis, ac . . plebano de Swideniz, Wratislaviensis diocesis, ecclesiarum.*

1. Data « Anagnie, v non. junii, anno septimo », quæ legitur in registro, corrigenda est, cum in mense junio quatuor dies ante nonas tantum computentur. Legerem : v non. julii.

2. Cf. suprascriptam notam.

4118 (CLXXXVII) Anagni, 23 août 1301.

« Bernardo, episcopo Appamiarum. Quod possit providere monasterio Electensi, ordinis sancti Benedicti, Electensis diocesis [1] » (fol. 48.)

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Appamiarum. Probitatis merita grandia et aliarum virtutum dotes multiplices, quibus personam tuam bonorum dator Altissimus decoravit, paterna consideratione pensantes, et recogitantes attentius ingentis devotionis affectum et solide fidei puritatem, quos abolim erga nos et Romanam Ecclesiam te gessisse cognovimus et continuatis laudabilibus studiis gerere comprobaris, firma nec immerito fiducia ducimur, quin potius certi sumus, quod ea, que tibi exequenda committimus, effectum votivum et celerem sortientur. Cum itaque monasterium Electense, Sedi Apostolice immediate subjectum, ordinis sancti Benedicti, Narbonensis diocesis, tanto tempore jam vacarit, quod ejus provisio fore conspicitur ad Sedem ipsam per lapsum temporis, legitime devoluta, nos, monasterium ipsum favorabili prosequentes affectu, et ad ejus accomodam provisionem et celerem, ne longioris vacationis prematur incomodis, benignius intendentes, gerentes etiam de tua circumspecta providentia et fidelitate probata fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue provideri hac vice, auctoritate nostra, eidem monasterio de aliqua monasterii memorati persona, quam ad ejus regimen sufficientem et ydoneam reputabis, plenam et liberam, presentium auctoritate, concedimus potestatem. Volumus autem, quod, postquam de persona ipsa prefato monasterio duxeris providendum, sibi, auctoritate predicta, per te vel alium episcopum, Sedis Apostolice gratiam et comunionem habentem, munus benedictionis impendas, eique a personis monasterii supradicti ac aliis subjectis eidem facias obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contra, et cetera, recepturus postmodum ab eodem, nostro et Romane Ecclesie nomine, juxta formam, quam tibi sub bulla nostra dirigimus interclusam, fidelitatis solite juramentum. Formam autem juramenti, quod persona ipsa prestabit nobis de verbo ad verbum, per ejusdem patentes litteras suo sigillo signatas, per proprium nuntium quamtotius destinare procures. Dat. Anagnie, x kal. septembris, anno septimo.

1. Auctor indicis Electrensem diocesim indicavit, quia, tempore quo indicem composuit, Elnensis ecclesia, a Johanne XXII die 28 februarii 1318 in cathedralem erecta, jam non pertinebat ad diocesim Narbonensem.

4119 (CLXXXVIII) Anagni, 17 août 1301.

Restituitur frater Porchettus ad omnem honorem, ordinem et plenitudinem pontificalis officii ac usum pallei. (fol 48 v°.)

Venerabili fratri Porchetto, ordinis Fratrum Minorum, olim archiepiscopo Januensi. Considerantes attentius grandia tue merita probitatis, nec non labores plurimos ac grata et accepta servitia, que tu et illi de domo tua constanter et intrepide impendistis, ut Januensis civitas ejusque cives, qui, diebus istis preteritis, a gremio matris Ecclesie quodam modo in devium declinarant, ad solitam ipsius devotionem Ecclesie cum humilitate redirent, et cum carissimo in Christo filio nostro Carolo, Sicilie rege illustri, se mutuis jungerent affectibus caritatis, dignum duximus et debitum arbitramur, ut te favoribus et gratiis honoremus. Dudum siquidem, in nostra presentia constitutus, ex certis considerationibus, que te ad id tunc temporis induxerunt, archiepiscopatui Januensi, cujus tunc regimini presidebas, omnique pontificali oneri et honori absolute ac libere in nostris cedere manibus curavisti. Nosque cessionem ipsam duximus admittendam, provisione ipsius ecclesie Januensis nobis ea vice ac Sedi Apostolice reservata. Nunc autem, volentes personam tuam illa munificentia prosequi, per quam tu et ipsi tui in hujusmodi devotione ac meritis concrescatis, te ad omnem honorem, ordinem et plenitudinem pontificalis officii ac usum pallei restituimus, ex nunc, de Apostolice plenitudine potestatis, ita quod de cetero in pontificali ordine ac officio ministrare et pontificalia licite exercere ac uti palleo libere possis, cessione tua et admissione nostra hujusmodi non obstantibus. Nulli ergo, et cetera, nostre restitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, xvi kal. septembris, anno septimo.

Potthast, 25064.

4120 (CLXXXVIIII) Anagni, 18 août 1301.

« Preficitur idem Porchettus in archiepiscopopum Januensem. » (fol. 48 v°.)

Venerabili fratri Porchetto, archiepiscopo Januensi. Inter cetera —.

Memorat resignationem a suprascripto factam de archiepiscopatu Januensi et de omni pontificali honore et onere.

Et postmodum ejusdem administrationem ecclesie quibusdam aliis duximus committendam, ac deinde, com-

missione hujusmodi revocata, benignius attendentes tue circumspectionis industriam et devotionis affectum, quem tu et illi de domo tua ad nos et Romanam gesseratis Ecclesiam, tibi quoque super conditionibus tui status benigno compatientes affectu, curam et administrationem ipsius ecclesie, sic vacantis, tibi duximus in spiritualibus et temporalibus committendam, donec per dictam Sedem de ipsa contingeret aliter ordinari, cujus auctoritate commissionis gessisti et geris hujusmodi administrationem et curam ecclesie memorate.

Memorat eisdem verbis quam in proxima superiori littera fratris Porchetti servitia in Januensibus cum Carolo rege Siciliæ reconciliandis, nec non et ejusdem restitutionem ad honorem pontificalem, ac nolens ut « tu pontificali preditus dignitate pontificalis commodi frustreris effectu », ac providere volens ne ecclesia Janucnsis, « cui nondum est postmodum de pastore provisum, proprii sponsi connubio amplius remaneat destitutâ », eumdem Januensi ecclesiæ, « cujus conditionem et statum diutius experimento palpasti », præficit in archiepiscopum.

Dat. Anagnie, xv kal. septembris, anno septimo

Potthast, 25065.

4121 (clxxxx) Anagni, 6 septembre 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Johanne, episcopo Ulixbonensi. In e. m. pro Gerardo, episcopo Portugalensi. » (fol. 49.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Ulixbonensi. Cum sicut in nostra —.

Suprascripto datur licentia contrahendi mutuum usque ad summam trium millium florenorum auri.

Dat. Anagnie, viii id. septembris, anno septimo.

In e. m. pro Geraldo episcopo Portugalensi super eadem summa.

4122 (clxxxxi) Anagni, 1er septembre 1301.

« Gregorio, electo Sypontino. Preficitur in archiepiscopum Sypontinum. » (fol. 49.)

Gregorio, electo Sypontino. Inter sollicitudines —.

Suprascriptus, tunc Veronensis ecclesiæ archipresbyter, præficitur præfatæ ecclesie Sypontinæ in archiepiscopum. Post obitum Andreæ, ejusdem ecclesiæ archiepiscopi, major pars capituli Raonem, Arianensem episcopum, postulaverat, ceteris neminem eligere vel postulare curantibus, et procuratores ejusdem Raonis, ad prosequendum postulationis negotium, ad Sedem Apostolicam accesserant, sed eam postulationem dominus papa, « ex certis causis legitimis », non duxit admittendam.

Dat Anagnie, kal. septembris, anno septimo

In e. m. *dilectis filis archipresbytero et capitulo ecclesie Sypontine — clero — populo — universis vasallis — Carolo, regi Sicilie.*

4123 (clxxxxii) Anagni, 22 mai 1301.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 49 v°.)

Magistro Raynerio de Vichio, canonico Lichefeldensi, capellano nostro. Quia presentis vite —. Dat Anagnie, xi kal. junii, anno septimo.

4124 (clxxxxiii) Anagni, 4 juillet 1301.

« Super removendo quodam abusu in ducatu Britanie. » (fol. 49 v°.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Marie de Precibus et . . priori Fontisebraudi, Venetensis et Pictavensis diocesium, ac . . decano ecclesie Andegavensis. Quemadmodum laudabiles usus divino et humano judicio approbantur, cum esse prosit eorum, sic et prave consuetudines, que corruptele sunt potius, cum comune dispendium pariant, eodem sunt judicio detestande. Quapropter nos, cui ex debito pastoralis incumbit officii salubriter in talibus providere, diligentia debita libenter viam pravis consuetudinibus amputamus, ne in animarum discrimen et alias in comune periculum et exempli pernitiem invalescant. Sane nuper, de quo miramur, accepimus, quod in ducatu Britanie, discriminosus et detestandus invalescit abusus, videlicet quod rectores ecclesiarum parrochialium consistentium in ducatu predicto, pro sepulturis decedentium, sub colore juris funeratitii, affligunt graviter plebes suas, nunc partem nonam, nunc sextam et nunc tertiam, in bonis mobilibus defunctorum hujusmodi, sibi nequiter vendicantes, et cogentes, per abusus et litigia, homines presertim pauperes, ut se redimant seu cum eis finantias faciant ad eorum libitum pro predictis, supponendo plebes ipsas miserabili servituti. Ex quo plerumque contingit, quod homines predicti ducatus negligunt eorum negotia honesta sectari, ne post mortem eorum labores suos ab ipsorum heredibus rapiant alieni. Sicque inter clericos et laicos discordiarum et rancorum materie propter hoc diversimode sunt exorte, pro eo

maxime quod exactiones hujusmodi divine ac humane legis judicio reprobantur. Cum igitur hec cedant in Divine Majestatis [1] offensam et exempli mali perniciem aliorum, nos nolentes ea, sicuti nec debemus, conniventibus oculis preterire, quin malignorum auxibus per oportunum in hac parte remedium obviemus, discretioni vestre per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, in locis competentibus dicti ducatus, de quibus expedire videritis, abusus, consuetudines vel potius corruptelas, exactiones sive usurpationes, coactiones et pactiones hujusmodi, quacumque diuturnitate seu prescriptione temporis aut auctoritate Apostolice Sedis vel alias quavis confirmatione vel firmitate, sub quacumque forma vel verborum expressione, vallatos, etiamsi de ipsis vel eorum aliquibus specialis et expressa seu de verbo ad verbum, in presentibus mentio sit habenda, quos et quas reprobamus et irritamus omnino, ac precipimus de cetero non fieri nec servari, reprobatas, irritatas ac penitus non servandas, ex parte nostra, publice nuntietis ac moneatis generaliter, ex parte nostra, rectores predictos et eorum in hac parte fautores, etiam si episcopali prefulgeant dignitate, ipsisque sub excommunicationis, pena, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, districtius injungatis, quod ab hujusmodi exactionibus seu usurpationibus, coactionibus et pactionibus, omnino desistant nichilque ulterius pro ipsis sepulturis seu funeratitiis vel eorum occasione, sub quocumque colore, in bonis defunctorum ipsorum, vel ab eorum heredibus, ullo unquam tempore exigant nisi id quod ex mera liberalitate proinde ipsis contigerit erogari. Et nichilominus omnes illos, quos vobis monitionem et mandatum hujusmodi violasse constiterit, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuntietis, et faciatis etiam per omnia loca, de quibus expedire videritis, nuntiari, donec super hoc a Sede Apostolica meruerint absolutionis beneficium obtinere. Insuper volumus et Apostolica auctoritate decernimus, quod, a data presentium, sit unicuique vestrum plena attributa potestas et jurisdictio in premissis, quodque idem robur idemque jus perpetuationis ex tunc jurisdictio cujuslibet vestrum obtineat, quod et quam, si quilibet vestrum auctoritate presentium per quemcunque modum legitimum ad executionem hujusmodi mandati nostri procedere incepisset. Dat. Anagnie, IIII non. julii, anno septimo.

1. *Ms*: magestatis.

Hæc bulla a nobis edita est in opusculo : *Boniface VIII et les recteurs de Bretagne*, apud *Mélanges d'archéologie et d'histoire publiés par l'Ecole Française de Rome*, année 1883, p. 306.

4125 (CLXXXXIIII) Anagni, 21 juillet 1301.

« Super eodem. » (fol. 50.)

Dilecto filio nobili viro Johanni, duci Brittanie. Sincere tue devotionis, quem ad nos et Romam geris Ecclesiam, promeretur affectus, ut, personam tuam favorabiliter prosequentes, salubriter tuis dispendiis obviemus.

Memorat narrata in præcedenti superiore.

Nos, nolentes ea, veluti cedentia in Divine Majestatis offensam et exempli mali perniciem aliorum, sicuti nec debebamus, conniventibus oculis preterire, abusus, consuetudines vel potius corruptelas, exactiones seu usurpationes, coactiones et pactiones hujusmodi, quacumque diuturnitate seu prescriptione temporis aut auctoritate Apostolice Sedis vel alia quavis confirmatione seu firmitate, sub quacumque forma vel verborum expressione, vallatos per alias nostras sub certa forma litteras omnino reprobavimus et irritavimus, ac precepimus de cetero non fieri nec servari, sed reprobatos, irritatos ac penitus non servandos potius nuntiari, ac moneri generaliter rectores predictos et eorum in hac parte fautores, etiamsi episcopali dignitate fulgerent, ipsisque sub excommunicationis pena mandari, ut ab hujusmodi exactionibus sive usurpationibus, coactionibus et pactionibus desistant penitus, nec ulterius pro ipsis sepulturis vel funeratitiis aut eorum occasione, sub quocumque colore, in bonis defunctorum ipsorum vel ab eorum heredibus, ullo unquam tempore, quicquam exigerent nisi id quod ex mera liberalitate proinde ipsis contingeret erogari. Ne igitur tibi, premissorum occasione vel causa, possit aliquod spiritualiter vel temporaliter iminere periculum, nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ad observationem aliquam abusuum, consuetudinum, exactionum, usurpationum, coactionum et pactionum predictorum, pretextu, ratione vel causa quarumcumque promissionum vel obligationum seu conventionum, initarum olim sive factarum per quondam Johannem, ducem Britannie, patrem tuum, cum quacumque vel quibuscumque personis ecclesiasticis vel secularibus, de hujusmodi abusibus, consuetudinibus seu potius corruptelis, exactionibus sive usurpationibus, coactionibus et pactionibus, vel aliis similibus observandis, etiamsi fuerint juramentorum vel penarum aut alia quavis firmitate vallate, nullatenus tenearis, neque ad id a quoquam valeas quomodolibet coartari. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis et cetera. Dat. Anagnie, XII kal. augusti, anno septimo.

Hæc bulla edita fuit ibidem, p. 303.

4126 (CLXXXXV) Anagni, 2 septembre 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Almoravio, electo Ispalensi. » (fol. 50.)

Almoravio, electo Ispalensi. Cum sicut in nostra —.

Suprascripto datur licentia mutuum contrahendi usque ad summam duorum milliorum florenorum auri.

Dat. Anagnie, IIII non. septembris, anno septimo.

4127 (CLXXXXVI) Anagni, 30 août 1301.

« Littere decime imposite pro negotio regni Sicilie. » (fol. 50.)

Littere decime imposite pro negotio regni Sicilie ad triennium. Bonifatius, et cetera, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis et conventibus, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, et aliorum ordinum, necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani, Domus Militie Templi, Beate Marie Theotonicorum, et Calatravensibus prioribus, preceptoribus seu magistris ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per totam Italiam et in sulas Sicilie, Sardinie et Corsice, ac per principatum Achaye, ducatum Athenarum et insulas adjacentes seu vicinas eisdem, constitutis, salutem, et cetera. Apostoli scriptura testatur, ut nostis, quod, si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negat et est infideli deterior. Scitis equidem, quod Sicilie regnum terra matris Ecclesie peculiaris habetur, ad cujus curam, sicut de re domestica ipsa invitatur Ecclesia, nec ignorare vos credimus, quod, pro cura hujusmodi feliciter dirigenda, Ecclesia eadem persecutiones multimodas diutius pertulit, innumera expensarum onera subiit, ac injurias, contumelias et dampna portavit, que non possent de facili recenseri. Et, ut omittamus de hiis, que quondam Friderici, olim Romanorum Imperatoris, et successive Conradi, nati ejus, et Manfredi, olim principis Tarentini, ac demum Corradini temporibus, circa ipsius regni tuitionem ipsi Ecclesie contigerunt, quis enumerare sufficeret innumera sumptuum onera, labores immensos, multiplicia sollicitudinum studia, graviumque persecutionum dispendia, rerum dampna et pericula personarum, que prefata Ecclesia et clare memorie Carolus, rex Sicilie, et carissimus in Christo filius noster C[arolus], natus ejus, ipsius Sicilie rex illustris, per invasionem et occupationem insule Sicilie per quondam Petrum, olim regem Aragonum, dampnabili temeritate presumptam, et per Fridericum, ipsius Petri filium, dampnatis continuatam ausibus pertulerunt. Profecto hoc non facile narratio quevis diffusa repeteret, nec facile repetitio quantumcumque seriosa narraret. Verum, licet, post promotionem nostram ad summi apostolatus officium, super reformanda hinc et inde concordia et pace, non sine multis persone nostre vigiliis, cogitationibus, laboribus et sollicitudinibus, sint diversi tractatus habiti, ex quibus votiva quies Ecclesie, prompta et felix Terre Sancte subventio, grata Christianitati tranquillitas, bonaque innumera plurima sperabantur firmiter proventura, et insula eadem ad mandata et devotionem Ecclesie ac C[arolis], regis, jam sit, pro non modica parte, redacta, ita quod potest de totius insule memorate verisimiliter recuperatione sperari, quia tamen predicti Friderici et quorumdam rebellium Siculorum est antiquata malitia ac dampnabiliter indurata, et ex hoc ipsius Terre Sancte succursus manifestius impeditur, mundi status in diversis concutitur partibus, et alias multa mala proveniunt, decet ac necessario expedit, ut ad ipsorum Friderici et rebellium Siculorum nequitiam conterendam, continuatis studiis et ferventibus actibus, per hostiles exercitus viriliter procedatur, donec ad ipsorum Ecclesie ac regis mandata et posse redierint, voluntarii vel coacti. Nolentes igitur tantum negotium deserere inadjutum, ne in nostrum et ipsorum Ecclesie ac regis et Terre Sancte dampnum, injuriam et prejudicium miserabiliter pereat, sed volentes ipsi negotio cura debita et oportunis favoribus et auxiliis subvenire, sicque sollicita meditatione pensantes insufficientiam et impossibilitatem quodammodo dicti regis ad magnum, immo permaximum, pecuniarum subsidium prosecutioni tanti negotii ministrandum, quod, id si solerter attenditur, noscitur oportunum, ac onera etiam plurima et non facile numeranda, que ipsum subire in antea oportebit pro tanto negotio consumando, quamvis vobis compatiamur ab intimis in vestris oneribus et pressuris, et super eis sublevationis remedia liberius preberemus, tamen, inevitabili quasi necessitate coacti, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, in totius Italie partibus, et in insulis Sicilie, Sardinie et Corsice, ac in toto principatu Achaye, ducatu Athenarum, aliisque insulis adjacentibus seu vicinis eisdem, per tres annos, a festo Nativitatis beati Johannis Baptiste proximo preterito numerandos, de fratrum nostrorum consilio, pro ipsius prosecutione negotii contra hostes et guerre imponimus, auctoritate presentium, colligendam per collectores, deputandos a nobis, secundum certas locorum distinctiones in aliis nostris

litteris exprimendas, et per subcollectores deputandos ab ipsis, ac assignandam pro premissis, juxta nostrum et Apostolice Sedis beneplacitum, et etiam ministrandam. Quocirca universitatem vestram attente monemus, affectuose rogamus et obsecramus in Domino Jhesu Christo, per Apostolica vobis nichilominus scripta mandantes ac in remissionem peccaminum injungentes, quatinus vos, magnam et instantem negotii memorati necessitatem, quod multam accelerationem promotionis exposcit, ac etiam non modicam indigentiam regis ejusdem, diligentius attendentes, et compatientes ab intimis laboribus, dispendiis et jacturis memorate Ecclesie, matris vestre, ob divinam et predicte Sedis ac nostram reverentiam, omnium vestrorum ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum decimam, ut premittitur, per hujusmodi triennium, eisdem collectoribus deputandis a nobis, prout ipsorum officia sub certis locorum distinctionibus super hujusmodi collectione decime distinguemus, aut illi vel illis, quem vel quos ipsi deputaverint ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum, in prefigendis vobis terminis liberaliter persolvatis, cum illis exceptionibus et moderationibus, quas in aliis nostris litteris exprimemus, alioquin collectoribus ipsis et eorum cuilibet vos ad id et contradictores quoslibet ac rebelles, per se ac alios, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam, per alias nostras sub certa forma litteras, concedimus potestatem. Nos enim processus et sententias sive penas spirituales, quos ipsi et quilibet eorum, per se vel alios, propter hoc rite fecerint, tulerint vel statuerint in rebelles, ratos habebimus et faciemus, actore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari : non obstante si vobis vel vestrum aliquibus aut quibusvis aliis ab eadem Sede indultum existat vel contigerit indulgeri, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras Apostolicas, que de indulto hujusmodi et tota ejus continentia, de verbo ad verbum, et de propriis locorum et personarum nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, vel litteris quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis, vel personis, generaliter aut specialiter, sub quacumque forma vel conceptione verborum, ab eadem Sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus ac de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda. Ceterum clericos illos ad prestationem ipsius decime teneri nolumus quorum ecclesiastici redditus et proventus summam septem florenorum auri annis singulis non excedant. De beneficiis tamen consistentibus in regno Sicilie supradicto, quantumcumque sint modica, integram decimam precipimus exhiberi. Datum Anagnie, III kal. septembris, anno septimo.

Anagni, 1[er] septembre 1301.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Senensi, collectori decime in omnibus partibus Tuscie, Romano subjectis Imperio, nec non in Pisana, Massana, Lunensi civitatibus et diocesibus aliisque locis infra earum fines constitutis per nos nuper imposite per triennium pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes.* Apostoli scriptura —.

Memorat impositionem suprascriptæ decimæ et prosequitur:

Quocirca fraternitatem tuam, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, presentium auctoritate, monemus, quatinus predicte decime, colligende in omnibus partibus Tuscie Romano subiectis Imperio, necnon in Pisana, Massana et Lunensi civitatibus et diocesibus, aliisque locis infra earum fines constitutis, subscripto modo sollicite curam geras, videlicet ut in singulis civitatibus et diocesibus ipsarum decretarum tibi partium, de consilio locorum ordinariorum, aut eorum vices gerentium, si diocesani ipsi absentes [existant], et duorum fidedignorum de ecclesia cathedrali constitutorum in dignitatibus, seu aliorum, tam quoad non exemptos, quam quoad exemptos deputes unam vel duas, prout expedire videris, personas, fide, facultatibus, si tales inveniantur comode, ac alias ydoneas, ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum. Collectores autem, quos, ut premittitur, deputatis, in forma jurare facias infrascripta. Et tu nichilominus partes easdem circumeas, diligentius scrutaturus qualiter in commisso sibi dicte collectionis officio prefati se habeant collectores, et qualiter ipsis de decima satisfiat, collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam facias per collectores eosdem illis, de quibus per alias nostras litteras tibi mandabimus, assignari. Tibi quoque, cum consilio predictorum ordinariorum et aliorum, mutandi collectores ipsos, quotiens expedire videris, ac eos compellendi ad reddendam, coram eisdem ordinariis et aliis, tibi computum de collectis, et contradictores quoslibet, ac etiam omnes illos, qui proventuum suorum ecclesiasticorum in predictis partibus consistentium decimam in terminis sibi prefixis solvere non curarint, auctoritate Apostolica, per censuram ecclesiasticam, per te vel alium seu alios, compellendi plenam, tenore presentium, concedimus potestatem. Terminos autem ad hujusmodi decimam persolvendam, per te, sic volumus assignari, videlicet ut predictorum annorum quolibet, infra festum Nativitatis Domini medietas, et demum infra festum Na-

tivitatis beati Johannis Baptiste alia medietas ipsius decime persolvatur. Volumus autem ut de pecunia ex ipsa decima colligenda, singulis diebus quibus pro negotio prefate decime laboraveris personaliter sine fraude, unum florenum auri percipias pro expensis. Non obstante si aliquibus a Sede sit indultum eadem, qnod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, que de indulto hujusmodi, ac tota ejus continentia, de verbo ad verbum, et de propriis locorum et personarum nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis et indulgentiis vel litteris, quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis, vel personis, generaliter aut specialiter, sub quacumque forma, vel conceptione verborum ab eadem Sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus, de verbo ad verbum, in nostris litteris specialis plena et expressa mentio sit habenda. Volumus denique ut frequenter nobis quid actum fuerit in partibus supradictis, tam circa collectores, quam circa collectionem, quantitatem collectam et solutionem ipsius, scribere non omittas. Et insuper de premissis, a te diligenter et sollicite ac fideliter agendis, et quod nichil indebite recipies de decima memorata, prestes evangeliis coram te positis, juramentum. Considerans itaque quod in premissis negotium Dei prosequeris, et in conspectu agis Ejus qui cuncta discernit, sibique necnon et nobis, qui circa hoc omnem diligentiam adhibere intendimus, teneberis reddere rationem, ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte quod in utriusque judicio, non solum vites pene confusionisve discrimina, sed laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequaris. Forma autem juramenti, quod prestare volumus collectores eosdem, hec est : « Juro ego . . a vobis domino . . auctoritate Apostolica deputatus collector ad exigendum, colligendum et recipiendum decimam omnium reddituum, proventuum et obventionum ecclesiasticorum ab omnibus personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, in . . civitate et diocesi constitutis, pro prosecutione hujusmodi guerre ac negotii contra hostes ab Apostolica Sede concessa, quod fideliter exigam, colligam, recipiam atque custodiam decimam ipsam, non deferendo in hiis alicui persone, cujuscumque ordinis, status, conditionis aut dignitatis existat, prece, timore, gratia vel favore, seu quacumque de causa, et eam integre restituam et assignabo, prout a vobis recepero in mandatis, et super premissis omnibus et singulis plenam et fidelem rationem reddam vobis. Et, si contingat vos officium quod in premissis geritis dimittere, hec eadem faciam juxta mandatum illius qui substituetur in eodem officio, sic Deus me adjuvet, et hec sancta evangelia. » Dat. Anagnie, kal. septembris, anno septimo.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Auximano, collectori decime in totius Marchie Anconitane provincia, et civitate ac diocesi Urbinatibus, aliisque locis infra earum fines constitutis per nos nuper imposite per triennium pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes.*

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Capuano, collectori decime in toto regno Sicilie, tam citra quam ultra Farum, ac civitatibus, castris, terris, villis, locisque aliis constitutis in eo per nos nuper imposite etc.*

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Maritime et Sabine provinciis, necnon in Tiburtina, Reatina, Narniensi, et Interamnensi civitatibus et diocesibus earum, ac in Sublacensi, Farfensi, et Sancti Salvatoris Reatina abbatiis, aliisque terris et locis circumadjacentibus infra earum fines constitutis, civitate Romana, ac civitatibus cum diocesibus earum quibus preesse cardinalis episcopus consuevit, quantum ad proventus Urbis et territoriis Romani, dumtaxat exceptis, per nos nuper imposite etc.*

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Bononiensi, collectori decime in Ravennatensi ac Romaniole provinciis et civitatibus ac diocesibus earumdem, aliisque locis infra earum fines constitutis, per nos nuper etc.*

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Perusino, collectori decime in Ducatus Spoletani et Masse Trabarie provinciis, ac in Perusina et Tudertina civitatibus et diocesibus earum aliisque locis infra fines ipsarum constitutis, per nos nuper etc.*

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Januensi, collectori decime in civitate et diocesi ac provincia Januensibus et riparia, territorio ac districtu earumdem per nos nuper etc.*

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Viterbiensi, collectori decime in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, ac civitate et diocesi Viterbiensibus aliisque locis infra eorum fines constitutis, per nos nuper etc.*

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Turritano, collectori decime in Sardinie et Corsice insulis, ac civitatibus, castris, terris et locis sitis in eis, per nos nuper etc.*

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Mediolanensi, collectori decime in civitate et diocesi ac provincia Mediolanensibus, et in Placentina, Papiensi, et Ferrariensi civita-*

tibus, ac diocesibus earumdem, aliisque locis infra earum fines constitutis, per nos nuper etc.

In e. m. *Venerabili fratri .. episcopo Paduano, collectori decime in Aquilegensi, et Gradensi patriarchatibus, ac civitatibus, provinciis, et diocesibus eorumdem, necnon in tota Marchia Tervisina, ac civitate et diocesi Castellana, aliisque locis infra earum fines constitutis, per nos nuper etc.*

In e. m. *Venerabili fratri .. archiepiscopo Patracensi, collectori decime in principatus Achaye et ducatus Athenarum Provinciis, ac in insula Cretensi, et aliis insulis adjacentibus seu vicinis eisdem, et civitatibus, castris, et locis sitis in eis, per nos nuper etc.*

4128 (CLXXXXVII) Anagni, 11 septembre 1301.

« Mercatoribus de societate Bardorum. Super mutuo facto Carolo, regi Sicilie, de sex milibus unciis auri. » (fol. 52.)

Dilecto filio Phylippo Ildebradini et ceteris ejus sociis, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate Bardorum. Ex relatione carissimi in Christo filii nostri Caroli, regis Sicilie illustris, nuper accepimus, quod vos, ipsius opportunitatibus promptis affectibus occurrentes, ei sex milia unciarum auri, ad generale pondus regni Sicilie, pro iminentibus sibi necessitatibus prosequendi negotii contra Fredericum de Aragonia et rebelles Siculos ac sequaces eorum, liberaliter mutuastis. Nos itaque, intendentes vestris super hoc indempnitatibus precavere, volumus, ut vobis hujusmodi sex milia unciarum, taliter regi mutuatarum eidem, de pecunia decime ecclesiasticorum reddituum et proventuum in Italia et ceteris aliis provinciis, locis et partibus per nos super ad prosecutionem predicti negotii et regia onera relevanda ad triennium imposite, assignentur, dantes, per alias nostras sub certa forma litteras, in mandatis collectoribus per nos ad collectionem ipsius decime deputatis, ut, de prima pecunia colligenda ex ipsa decima per eosdem vel per subcollectores deputandos ab ipsis, prefata sex milia unciarum auri ad idem pondus, illi vel illis ex vobis, qui eisdem collectoribus has et predictas alias nostras presentabunt, absque dilationis et difficultatis obstaculo, penitus assignare procurent pro satisfactione mutui supradicti. Dat. Anagnie, III id. septembris, anno septimo.

4129 (CLXXXXVII *bis*) Anagni, 22 septembre 1301.

Super eodem. (fol. 52.)

Eisdem. Percepto nuper ex relatione carissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris, quod vos, ipsius regis oportunitatibus promptis affectibus occurrentes, et cetera ut in proxima superiori usque: mutuastis. Nos, intendentes vestris super hoc indempnitatibus precavere, ac propterea volentes ut vobis hujusmodi sex milia unciarum, per vos taliter regi mutuatarum eidem, assignerentur et persolverentur de pecunia decime reddituum et proventuum ecclesiasticorum in Italia et ceteris aliis provinciis locis et partibus per nos pridem imposite ad tres annos pro prosecutione guerre ac negotii ipsius regni Sicilie contra hostes, diversis collectoribus per nos ad collectionem ipsius decime deputatis, per diversas nostras litteras duximus injungendum, ut eorum quilibet, de prima pecunia ejusdem decime colligenda, vobis aut alicui vel aliquibus vestrum, vel procuratori seu procuratoribus vestris ad hoc a vobis vel vestrum aliquo aut aliquibus predicte societatis nomine specialiter constitutis, nomine omnium vestrum et predicte societatis, certum unciarum auri numerum, simul vel disjunctim, persolverent et liberaliter assignarent, in satisfactionem predicti mutui convertendum. Verum, quia in litteris impositionis memorate decime continetur, quod ipsa decima colligetur, assignanda pro premissis juxta nostrum et predicte Sedis beneplacitum ac etiam ministranda, ne cujusvis dubitationis aut hesitationis vobis vel aliis scrupulus ingeratur, sed dubietatis occasio amputetur, pro indempnitate et securitate vestris, auctoritate presentium, declaramus, quod nostre intentionis existit ac volumus, ut predicta sex milia unciarum auri, mutuatarum per vos taliter dicto regi, sive jam illa rex ipse receperit vel cum recipiet, expendantur et ministrentur, premissis nequaquam obstantibus, per dictum regem vel nomine suo per alios in prosecutione negotii memorati, secundum quod ipsi regi videbitur expedire. Dat. Anagnie, x kal. octobris, anno septimo.

4130 (CLXXXXVIII) Anagni, 10 septembre 1301

« Super eodem. » (fol. 52.)

Venerabili fratri .. episcopo Senensi, collectori decime in omnibus partibus Tuscie, Romano subjectis Imperio, per nos nuper imposite ad triennium pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes. Percepimus nuper ex relatione —.

Mutuum sex millium unciarum a societate Bardoreum præstitum memorat et assignationem quam fecit illis super decima.

Cum igitur collectionem decime memorate in omnibus partibus Tuscie, Romano subjectis Imperio, tibi duxerimus per alias nostras sub certa forma litteras committendam, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, de prima pecunia ejusdem decime colligenda per te vel illos quos ad hujus collectionis ministerium duxeris deputandos, eisdem mercatoribus aut alicui vel aliquibus eorumdem, vel procuratori seu procuratoribus ipsorum ad hoc ab eis aut eorum aliquo vel aliquibus, predicte societatis nomine, specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nomine omnium mercatorum et societatis predictorum, duo milia et quingentas uncias auri ad dictum pondus, simul vel disjunctim, persolvas liberaliter et assignes in satisfactionem pro rata predicti mutui convertenda, faciens de assignatione hujusmodi confici unum vel plura publica instrumenta, illa nobis fideliter transmissurus et penes te ad cautelam consimilia retenturus. Reliquam autem ipsius pecunie decimam ad mandatum nostrum tenere ac conservare procures. Dat. Anagnie, IIII id. septembris, anno septimo.

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Capuano, collectori decime in toto regno Sicilie tam citra quam ultra Farum, per nos nuper imposite*, et cetera, ut supra in proxima superiori usque: cum igitur collectionem decime memorate in toto regno Sicilie tam citra quam ultra Farum per nos nuper imposite tibi duxerimus, et cetera, ut supra usque in finem. Dat. ut supra.

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Patracensi, collectori decime in toto principatu Achaye, ducatu Athenarum et insulis adjacentibus seu vicinis eisdem, per nos nuper imposite*, et cetera ut in prima usque : cum igitur collectionem decime memorate in toto principatu Achaye, ducatu Athenarum et insulis adjacentibus seu vicinis eisdem per nos nuper imposite, et cetera ut supra usque : nomine omnium mercatorum et societatis predictorum mille uncias auri ad dictum pondus, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

4131 (CLXXXXVIIII) Anagni, 29 septembre 1301.

« Declarationes decimarum. » (fol. 52 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Mediolanensi. Declarationes, quas in negotio decime, per nos nuper imposite pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes ecclesiis et personis ecclesiasticis per totam Italiam et insulas Sicilie, Sardinie et Corsice, ac per principatum Achaye, ducatum Athenarum et insulas adjacentes seu vicinas eisdem constitutis, volumus observari, cujus quidem decime in civitate et diocesi ac provincia Mediolanensi, et in Placentina, Papiensi et Ferrariensi civitatibus et diocesibus earumdem, aliisque locis infra ipsarum fines constitutis te superintendentem seu collectorem duximus deputandum, tales sunt : de redditibus et proventibus leprosiarum, domorum Dei et hospitalium pauperum, qui in usus leprosorum, infirmorum et pauperum convertuntur, decima non solvetur. Moniales etiam alieque regulares persone, quarum redditus et proventus ecclesiastici adeo sunt tenues et exiles, quod de illis substentari non possunt, sed pro habenda vite sue sustentatione necesse habent publice mendicare, elemosinas publice petere, dictam decimam non persolvent. Seculares quoque clerici, quorum ecclesiastici redditus et proventus annui summam septem florenorum auri non excedunt, eamdem decimam non prestabunt, de beneficiis tamen consistentibus in regno Sicilie supradicto, quantumcunque sint modica, integra decima persolvetur. Si vero una persona plura habeat beneficia, quorum nullum, per se acceptum, dictam summam septem florenorum auri annuatim attingat, simul tamen collecta in annuis proventibus summam memoratam excedant, quotquot vel quantumcunque modica fuerint, de omnibus et singulis decima persolvetur. Sed non solvetur de pitantiis monachorum. Similiter de ipsis que a Christi fidelibus relinquuntur ecclesiis, ut ex eis perpetui emantur redditus. Item de exenniis, prelatis et aliis personis ecclesiasticis liberaliter factis, decima non solvetur. Solventium decimam electioni seu arbitrio committatur utrum ipsam velint solvere per totum tempus quo durabit decima, pro rata proventuum, quos singulis annis dicti temporis ipsos percipere contigerit, an per ipsum totum tempus, pro rata communis extimationis proventuum eorundem, sed, una via electa, non licebit alicui variare, ad aliam recurrendo, et fiat et redigatur per collectores in scriptis electio hujusmodi expresse in prima solutione decime supradicte. Alioquin juxta extimationem communem per totum tempus solvere tenebuntur. Declaramus autem, quod, si hii, qui elegerunt solvere decimam pro rata quam perceperint annuatim, vendant proventus beneficiorum suorum, que personalem residentiam non requirunt, solvent decimam pro solo pretio quod recipietur de eisdem, dum tamen circa hoc in fraudem decime nichil omnino agatur. Sed ecclesiastica persona, que in ecclesia sua vel beneficio, quod residentiam personalem requirit, non residet,

sed facit in eodem per firmarium vel vicarium deserviri, deputando ipsi vicario vel firmario certam suorum proventuum portionem, non deducat partem vicarii vel firmarii, sed de universis ipsius ecclesie vel beneficii proventibus decimam exhibebit. Declaramus etiam, quod de silvis seu nemoribus, que non consueverunt vendi, nichil solvetur, nisi forte aliquid de illis venditum fuerit durante decima, et tunc extimabitur quantum valere debeat annui redditus pars vendita, secundum assisiam, que consuevit fieri de nemoribus in partibus illis, in quibus nemus venditum situm fuerit, et de sola extimatione decima persolvetur et non de eo, quod perciperetur de dictis silvis seu nemoribus que vendi non consueverunt nec forte vendentur durante decima, ex venditione pascuagii seu herbagii aut alterius consimilis proventus eorundem nemorum et silvarum, et, si non vendantur hujusmodi pascuagia vel herbagia et similia, non solvetur decima de hiis, ita tamen quod in fraudem decime nichil circa hoc attemptetur. Idemque de pascuis, herbagiis et consimilibus obventionibus silvarum ceduarum volumus observari. De stagnis et piscariis decima sic solvetur : videlicet, quod, si fiat collatio de numero annorum, quibus ante venditionem ultimam vendita non fuerant, ad quantitatem pretii, ex ipsa venditione ultima recepti, et [1], pretio diviso in partes secundum annorum numerum durante decima, solvetur decima ipsa de tot partibus pretii, ex ipsa venditione recepti quot fuerint anni predicti, ut, si forte sunt quinque anni elapsi ex quo fuerat stagnum venditum, et tunc vendatur pro centum libris, fiant de pretio quinque partes, ut, pro omnibus annis, quibus durabit decima, solvetur ipsa decima de tribus partibus pretii tantum, videlicet de sexaginta libris, et sic multiplicabuntur et minuentur partes pretii prout plures et pauciores fuerint dicti anni. De venationibus autem et piscariis fluminum et lacuum, si vendantur, et silvis ceduis idem quod de stagnis fiet. De piscibus stagnorum vel bestiis garenarum, quos pro usu vel esu suo consumi vel sine fraude donari contigerit, decima non solvetur. Et quia nonnulli obtinent a monasteriis et ecclesiis prioratus, grangias, domos, redditus, pensiones et census, in solvenda de hiis decima credimus distinguendum ; videlicet, an talia in beneficium habeantur, an ex contractu, an ex mera gratia, et an pro mercede laboris vel obsequii : et quidem obtinentes talia in beneficium et etiam ex mera gratia, sive hoc sit concessum per Sedem Apostolicam sive per ipsorum monasteriorum vel ecclesiarum personas, de illorum proventibus solvent decimam. Cum autem obtinentur talia ex contractu, puta, ad pensionem vel firmam annuam, in qua non est facta gratia obtinenti, sed in hoc uterque contrahentium studuit conditionem suam facere meliorem, perceptores pensionis vel firme, de ipsa pensione vel firma decimam exhibebunt. Si autem quis, ante vel post concessionem hujusmodi decime, ad vitam propriam emit proventus prioratus vel aliorum predictorum, pro aliqua pecunia, ita quod in hoc ei scienter gratia non est facta, considerabitur quantum, extimatione communi, valeant annui proventus prioratus, grangie, domus, terrarum seu reddituum hujusmodi, et, secundum hoc, ab illis, quorum est horum proprietas ⌈seu⌉ qui inde pretium pro futuro tempore receperunt, per tres annos decima exigetur. Si autem in hiis gratia facta sit obtinentibus, quia scienter, pro minori pretio quam valeant, sunt talia vendita vel locata, ipsi obtinentes et non monasterium vel ecclesia, de illo, in quo gratia facta est ipsis, et, de reliquo, illi, quorum est proprietas, decimam exhibebunt. Si autem personis aliquibus, pro justa mercede seu remuneratione laboris vel obsequii prestiti vel prestandi, talia concessa sunt, hii, quorum est illorum proprietas, in decimatione proventuum suorum, etiam horum proventus merito numerabunt, et de illis, sicut de aliis, quos pro certis piis utilitatibus expendunt, decimam exhibebunt. Quod si hoc per illos, qui ea obtinent rite, in alios sunt translata, quia res transit cum onere suo, etiam circa illos que prediximus servabuntur, nec deducentur expense que pro monachis qui in talibus prioratibus, grangiis sive domibus, in beneficium, seu ex mera gratia concessis, ex pacto teneri debent fieri dinoscuntur. Expense autem illorum monachorum vel personarum, qui teneri debent ex pacto in prioratibus, grangiis seu domibus ad justam firmam seu pensionem concessis, sive determinate fuerint sive non, extimabuntur extimatione communi, et talem extimationem monasterium [1] vel ecclesia, cujus illorum est proprietas, cum suis proventibus decimabit. Prelati de procurationibus, quas in victualibus percipiunt, decimam non persolvent, sed, qui eas prestant hujusmodi victualia in decimatione suorum proventuum et redditum numerabunt, et solvent decimam de eisdem. De illis autem procurationibus, quas prelati in pecunia numerata rite percipiunt ab antiquo, et quas perciperent, etiamsi non visitarent, decimam prestare tenentur. Prelatus autem, qui procurationem quam sine visitatione potuit de jure percipere, in pecunia numerata, remittit, quia remittit quod sibi debetur, et de quo solvisset decimam, si recepisset illud, tenetur ex tali procuratione pecuniam exhibere. Si vero

1. *Ms* : ut.

1. *Ms* : monasteria.

procurationem, quam tantum in victualibus licet percipi, fortasse remittat, persona ecclesiastica, cui remissio facta est hujusmodi, victualia cum aliis proventibus suis, cum solvet decimam, extimabit, cum, etiamsi non esset remissa, hoc facere teneretur. In solvendo decimam supradictam, sole expense necessarie, que fiunt in re, ex qua fructus percipiuntur, arando et colendo ac colligendo fructus, sine quibus non possunt ipsi fructus percipi, deducentur. Expense autem, que fiunt in castrorum custodibus, cum sint extra rem, vel etiam in edificiis construendis vel conservandis, nullatenus deducentur. Sic nec ille que pro villis tuendis fierent in guerris seu etiam cavalcatis. De hiis quoque, que consistunt in jurisdictione, mero imperio, regalibus atque similibus, solvetur decima, deductis moderatis salariis, que ante concessionem decime consueverunt persolvi judicibus, officialibus consimilibusque personis sine quibus jurisdictio et cetera similia nequeant exerceri, ita tamen quod in fraude decime nichil circa hoc aliquatenus attemptetur. Sed expense officialium, judicum et consimilium personarum facte in vestibus sive victualibus, minime deducentur, sicut nec alie expense similes facte circa aliam familiam prelatorum. Ratione autem eris alieni, quo persona [1] solvens decimam obligata consistit, nichil de decima minuetur, etiam si certe res ecclesie propter hoc a quoquam fuerint obligate. Item de furnis et molendinis decima prestabitur. Solvetur autem decima de oblationibus, sive fiant pro benedictione nubentium sive pro exequiis mortuorum, nec non de proventibus sigillorum prelatorum et de emendis que ab excommunicatis recipiuntur. De legatis quoque sibi et aliis personis ecclesiasticis, non personarum set [2] ecclesiarum vel officiorum ratione, relictis, decima persolvetur. Pro decima supradicta non exigetur pecunia, nisi illa que communiter curret de mandato domini terre, cujus est moneta in locis, in quibus consistent fructus et redditus unde decima persolvetur, nec aliqui pecuniam cambire cogetur eandem. Sed, si ex probabilibus seu verisimilibus presumptionibus apparuerit aliquem, pensatis ejus proventibus, minus debite notabiliter de decima persolvisse, ita quod super hoc merito suspectus debeat reputari, ex officio nostro, per viros ydoneos deputandos a nobis, faciemus inquiri ab illis, qui super hoc scire valeant veritatem, videlicet de consilio diocesani episcopi vel alicujus deputandi ab ipso, si sit ejus subjectus, et non aliter si episcopus ipse vel deputatus ab eo comode possit haberi, et, tunc demum et non prius, ille, cujus proventus fuerint taliter extimati, pro eo quod

1. *Ms* : personam.
2. *Ms* : licet.

minus solverit [1] etiam nominatim excommunicabitur si ejus contumacia exegerit et visum fuerit expedire. Episcopi autem et abbates omnesque persone ecclesiastice honorabiles, non suspecte, proprie conscientie relinquentur, ita quod sufficiat, quo ad tales, excommunicationis sententia, que in nullo modo solventes vel scienter adhibentes fraudem vel malitiam circa ipsius decime solutionem generaliter proferetur. Super hiis autem fiet compulsio per censuram ecclesiasticam, prout, nobis et illi, cui hoc commitendum duxerimus, visum fuerit expedire. Proferetur autem, si expediens fuerit visum, excommunicatio generaliter vel specialiter in eos, qui contra solutionem decime vel suorum extimationem proventuum, cum fuerit facienda, fraudem vel malitiam scienter duxerint adhibendum. Fiet autem solutio decime non in ipsis rebus, que percipiuntur de proventibus, sed in pecunia numerata. Solvetur autem decima illis personis quas ad hoc contigerit deputari. Rector parrochialis ecclesie, qui, urgente necessitate cure ecclesie sue, puta quia ipse residendo personaliter in eadem per se non sufficit ipsi cure, propter multitudinem parrochianorum vel diffusionem parrochie sue, sed necesse habet unum vel duos seu plures capellanos conducere, et eis propter victum salarium constituere, salarium hujusmodi poterit in decime solutione deducere [2], verum [3] ratione victus capellanorum ipsorum aliquid non deducet. Quod si in diversis civitatibus sive diocesibus, diversa beneficia obtineat quis, de uno quoque beneficio in civitate vel diocesi, in qua illud fuerit, decima persolvetur. De rebus autem ecclesiasticis deputatis ad fabricam ecclesiarum decima persolvetur. De elimosinis vero seu oblationibus datis ad opus fabrice, maxime de hiis oblationibus, que in civitatibus et aliquibus castris et locis dictarum provinciarum, in certis festivitatibus, in candelis et aliis consueverunt dari et offerri ad opus fabrice, deputatis decima non solvetur. Similiter nec de illis oblationibus, que colliguntur interdum per laicos, qui collectores consortiales dicuntur, et interdum per clericos, et que ad opus consortii offeruntur, ut inde luminaria in ecclesia, cruces et calices fiant, et reparentur, et etiam ex illis pauperibus subveniatur, et sepeliantur pauperum corpora defunctorum. Prelati autem et clerici exules, cujuscumque conditionis aut dignitatis existant, de suis proventibus ecclesiasticis decimam exhibebunt. Ille quoque expense, que fiunt pro fossatis, et alias etiam pro terris bonificandis, ut uberiores fructus producant, et ille, que fiunt in conservandis et reparandis edificiis molendino-

1. *Ms* : solveret.
2. *Ms* : dediscere.
3. *Ms* : videlicet.

rum, domorum seu apothecarum et similium, ex quibus fructus et pensiones percipiuntur, et, nisi repararentur, fructus ex eis percipi non valerent, de decima hujusmodi minime deducentur, nec etiam ille, que fiunt pro custodia castrorum, quamvis fiant in hoc majores solito. Insuper de oblationibus minutissimis, quas percipiunt ecclesiastice persone ratione ecclesiarum suarum pro sepulturis et dandis pecuniis, decima persolvetur. Et, quia non occurrit nobis quin cotidiane distributiones proventus ecclesiasti sint, de distributionibus, que dantur in horis canonicis presentibus, debere solvi decimam declaramus. Illi quoque, qui deputati fuerint ad collectionem decime, cum eis, qui debent solvere decimam, de aliqua certa summa, solvenda pro decima, nequeant convenire. De fructibus arborum et ortorum si vendantur solvetur decima. De hiis autem que consumentur usu vel esu decima non solvetur. Similiter de fructibus gregum seu animalium, si sint ecclesiarum, persolvetur decima, deductis expensis necessariis que fient pro custodia. Si vero sunt personarum decima non solvetur- Tu ergo, in hiis solum Deum et justitiam pro premissis pre oculis habens, ex predictis declarationibus in decidendis hujusmodi dubitationibus que per te leviter decidi poterunt informationem accipias. Super majoribus vero decisionem Apostolici oraculi expetas et expectes. Volumus quoque ac presentium tibi auctoritate mandamus, ut in unamquamque personam ecclesiasticam deputatarum tibi partium, cujuscumque ordinis, conditionis vel dignitatis existat, que decimam ipsam nullo modo vel non integre, scienter aut non, secundum verum valorem fructuum suorum perceptorum, sive non in terminis constitutis exhibuerint; seu in illorum exhibitione malitiam commiserint sive fraudem, excommunicationis sententiam, auctoritate nostra, promulges, et etiam in singulos qui scienter impedimentum prestiterint directe vel indirecte, publice vel occulte, quominus decime predicte solvatur subsidium. Omnes et singulos qui hujusmodi sententias latas incurrerunt vel per te ferendas incurrerint, per te et alios, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam excommunicatos publice nuncies et facias ab omnibus artius evitari : aggravaturus alias manus tuas contra ipsos, prout proterviam et contumaciam exigere videris eorumdem. Quod si satisfacere forte decreverint ; post plenam et integram satisfactionem, ab hujusmodi excommunicationibus juxta Ecclesie formam absolvas eosdem et dispenses cum eis super irregularitate, si taliter ligati non abstinuerint a divinis : proviso attente quod contra decimam hujusmodi non solventes, nullatenus invocetur, sine speciali mandato Apostolice Sedis, bracchium seculare quodque ad vasa sacra, paramenta, calices, cruces et libros aliaque bona mobilia ad cultum deputata divinum vel ad privilegia ecclesiarum et monasteriorum aliorumque locorum ecclesiasticorum, ipsius occasione decime, manus nullatenus extendatur. Dat. Anagnie, III kal. octobris, anno septimo.

In e. m . . *archiepiscopo Capuano*. Constitutiones, et cetera usque : observari. Cujus quidem in toto regno Sicilie tam citra quam ultra Farum ac — te superintendentem seu collectorem duximus deputandum —.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Bononiensi* — in Ravennatis ac Romaniole provinciis —.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Perusino* — in Ducatus Spoletani et Masse Trabarie provinciis ac in Perusina et Tudertina civitatibus et diocesibus —.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Anagnino* — in Campanie, Maritime et Sabinie provinciis, necnon in Tiburtina, Reatina, Narniensi et Interamnensi civitatibus et diocesibus earum, ac in Sublacensi, Farfensi et Sancti Salvatoris Reatina abbatiis aliisque terris et locis circumadjacentibus, infra earum fines constitutis, civitate Romana et civitatibus cum diocesibus ipsarum, quibus preesse cardinalis episcopus consuevit, quantum ad proventus Urbis et territorii Romani, dumtaxat exceptis —.

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Januensi* — in civitate, diocesi et provincia Januensi ac riparia, territorio ac districtu earundem —.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Senensi* — in omnibus partibus Tuscie, Romano subjectis Imperio, necnon in Pisana, Massana et Lunensi civitatibus ac diocesibus aliisque locis infra earum fines constitutis —.

In e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Turritano* — in Sardinie et Corsice insulis ac civitatibus, castris, terris et locis sitis in ei —.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Viterbiensi* — in Patrimonio beati Petri in Tuscia, ac civitate et diocesi Viterbiensi, aliisque locis infra eorum fines constituti —.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Paduano* — in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus ac civitatibus, provinciis et diocesibus eorundem, necnon in tota Marchia Trevisana ac civitate et diocesi Castellana —.

In e. m. *Venerabili fratri . . episcopo Auximano* — in

tota Marchie Anconitane provincia ac diocesi Urbinate, aliisque locis infra earum fines constitutis —.

In. e. m. *Venerabili fratri . . archiepiscopo Patracensi* — in principatus Achaye, ducatus Athenarum provinciis, ac in insula Cretensi et aliis insulis adjacentibus seu vicinis eisdem et civitatibus, castris, terris et locis sitis in ei —.

4132 (cc) Anagni, 29 septembre 1301.

« Privilegium pro monasterio Sancte Crucis Saxivivi, ordinis sancti Benedicti, Fuliginatis diocesis. » (fol. 54.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Crucis Saxivivi, ordinis sancti Benedicti, ejusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus, et cetera usque: infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus annuentes, monasterium Sancte Crucis Saxivivi, Fuliginatis diocesis, in quo divino mancipati estis obsequio, quod, cum personis et omnibus infranominatis ecclesiis et aliis pertinentiis suis, illo dumtaxat in capellis vestris diocesanis episcopis jure salvo, quod eis, a tempore felicis recordationis Innocentii pape, secundi, predecessoris nostri, quem pie memorie, Alexander papa IIIus, predecessor noster, cognovit monasterium ipsum, cum ecclesiis, personis et pertinentiis suis, libertati donasse, dinoscitur acquisitum, idem Alexander voluit ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, ac de fratrum suorum consilio ab omni episcopali potestate prorsus exemit, ad instar ipsius Alexandri et bone memorie Nicolai pape IIII, predecessorum nostrorum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum personis et aliis pertinentiis suis: demanium, quod habetis in valle de Scopplo, cum hominibus molendinis, possessionibus et aliis pertinentiis suis: demanium, quod habetis in Massis de Colle Perusii: Rome, ecclesiam Sanctorum Quatuor Coronatorum et ecclesiam Sanctorum Sergi et Bachi: in episcopatu Spoletano, ecclesiam Sancte Trinitatis, ecclesiam Sancti Apolinaris, ecclesiam Sancti Laurentii, ecclesiam Sancti Angeli de Montepublico, ecclesiam Sancti Nicolai Interampnensem, ecclesiam Sancti Martini de Narco, ecclesiam Sancti Salvatoris de Ulinio, ecclesiam Sancti Fortunati de Primo Casu, cum capellis suis, videlicet Sancti Eutitii, Vespie, et Sancte Lucie de Ferro, ecclesiam Sancti Laurentii Heremite, Cervarie, ecclesiam Sancte Marie Heremite, Montiscaballi, ecclesiam Sancti Andree de Majano, ecclesiam Sancti Nicolai de Mevania, ecclesiam Sancti Ansavivi de Capro et ecclesiam Sancti Venantii de Spello: in episcopatu Ortano, ecclesiam Sancti Jacobi: in episcopatu Ameliensi, ecclesiam Sancte Trinitatis et Sancti Pancratii: in episcopatu Balneoregensi, ecclesiam Sancti Liberati de Mugnano: in episcopatu Urbevetano, ecclesiam Sancte Crucis cum capella Sancti Egidii, ecclesiam Sancti Nicolai Heremi Lunianam cum capella Sancti Angeli de Roccaberli: in episcopatu Tudertino, ecclesiam Sancti Nicolai de Criptis et ecclesiam Sancti Martini de Petroro: in episcopatu Perusino, ecclesiam Sancte Marie de Oliveto et ecclesiam Sancti Nicolai in Colle: in episcopatu Assisinati, ecclesiam Sancti Mathei, cum capella Sancti Angeli de Fratta, et ecclesiam Sancti Apolinaris de Sambro, monasterio vestro a bone memorie Pascali papa secundo, tanquam membrum capiti perpetuo counitum, sicut memoratus Alexander perspexit in ipsius privilegio contineri: in episcopatu Camerinensi, ecclesiam Sancti Angeli et ecclesiam Sancti Nicolai Vallis Parrarie: in episcopatu Fuliginatensi, ecclesiam Sancti Nicolai et ecclesiam Sancti Nicolai de Guiesia, monasterium Sancti Stephani de Gallano, cum ecclesiis et capellis ipsius, ac juribus et pertinentiis suis omnibus, ecclesiam Sancte Lucie de Palis, cum pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Andree de Guzano, cum suis pertinentiis, ac ecclesiam Sancte Marie de Valle Viridi Viterbiensem, cum pertinentiis suis. Nulli ergo episcopo facultas sit in eisdem monasteriis et in predictis ecclesiis, personis et aliis pertinentiis suis potestatem aliquam exercere, set semper sub jurisdictione Sancte Romane Ecclesie libere conservetur. Preterea oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum sive ceterorum clericorum, qui ad ecclesiasticos sunt ordines promovendi, a quo volueritis catholico suscipiatis episcopo. Porro, si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasteria, ecclesias vel personas in eisdem constitutas, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam, tanquam contra Apostolice Sedis indulta prolatam, decernimus non tenere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis seu interdictis, suppressa voce, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Sane decimas laborum vestrorum, de possessionibus habitis ante concilium generale, seu mancipiorum vestris perpetuo usibus mancipandas decernimus. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos,

e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem possit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentes vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere presumpserit, licitum sit vobis in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium, ecclesie vestre collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capituli vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes vel alienationes, aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas esse censemus. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successsorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres, communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris, vel de suo vel de alieno, si oportuerit, collegio, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Electionem quoque Romano Pontifici vel legato, ab ejus latere destinato, aut ei, cui Pontifex Romanus injunxerit, representent, a quo electo confirmationis et benedictionis gratia impendatur. Correctiones insuper tam capitis quam membrorum, super omnibus, que in ipsis ecclesis fuerint corrigenda, abbati ejusdem monasterii vel cui commiserit reservamus. Sepulturam quoque ipsius loci et obedientiarum suarum, ubi est conventus, liberam esse decernimus, ut omnibus, qui se ibi sepeliri deliberarerint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Prohibemus igitur, ne quis episcopus vel quelibet ecclesiastica secularisve persona libertates et exemptiones vestras infringere aut, obtentu consuetudinis vel alio modo, a vobis quicquam audeat extorquere, seu in vos vel ecclesias vestras interdicti vel excommunicationis sententias promulgare presumat. Preterea omnes libertates et immunitates, a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum, a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti privilegio communimus. Ad indicium autem huiusmodi percepte a Sede Apostolica libertatis et exemptionis, aureum unum persolvetis Romano Pontifici annuatim. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefata monasteria et dictas ecclesias temere perturbare, aut eorum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eisdem, pro quorum gubernatione ac sustentatione concesserunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, a sacratis simo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subjaceat ultioni Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus ejusque membris sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen. Ego Bonifatius, Catholice Ecclesie episcopus, subscripsi.

Ego Johannes, Tusculanus episcopus, subscripsi. Ego Theodoricus, Civitatis Papalis episcopus, subscripsi. Ego Leonardus Albanensis episcopus, subscripsi. Ego Johannes, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyter cardinalis, subscripsi. Ego frater Robertus, tituli Sancte Pudentiane presbyter cardinalis, subscripsi. Ego frater Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, subscripsi. Ego Matheus, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Neapoleo, Sancti Adriani diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Landulfus, Sancti Angeli diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Guillelmus, Sancti Nicolai in Carcere Tuliano diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Franciscus, Sancte Lucie in Silice diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Jacobus, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Franciscus, Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Petrus, Sancte Marie Nove diaconus cardinalis, subscripsi. Ego Lucas, Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, subscripsi. Dat. Anagnie, per manum Papiniani, episcopi Parmensis, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, III kal. octobris, indictione XIIII[a]. Incarnationis Dominice anno M° CCCII°, pontificatus vero domni Bonifatii pape VIII anno septimo.

4133 (CCI) Anagni, 16 septembre 1301.

« Mandantur suspendi sententie interdicti in civitate Aretii ad certum tempus. » (fol. 55.)

Dilecto filio . . guardiano fratrum ordinis Minorum Aretino. Dudum dilectis filiis . . potestate, consilio et co-

munc Aretinis devotionis studia nobis et Sancte Romane Ecclesie offerentibus, nos, ex hujusmodi eorum oblatione gavisi, tibi per litteras nostras duximus concedendum, ut per te, vel alium seu alios, usque ad octavas Resurrectionis Dominice tunc proxime futuras, auctoritate nostra suspenderes quaslibet sententias interdicti in predictum comune aut civitatem Aretii, necnon excomunicationis generaliter in officiales et singulares personas civitatis ejusdem, auctoritate Sedis Apostolice promulgatas. Tuque, sicut accepimus, sententias ipsas juxta ipsarum litterarum tenorem suspendere curavisti. Demum autem, ipsorum potestatis, consilii et comunis supplicationibus inclinati, ac sperantes quod quanto benignius se a nobis tractari prospicerent, tanto Deum et prefatam Ecclesiam studerent ferventius revereri, tibi suspendendi eadem auctoritate per te, vel alium seu alios, ab octavis predictis usque ad festum Dedicationis Sancti Michaelis proxime futurum, interdicti et excomunicationis sententias supradictas liberam concessimus per alias nostras litteras facultatem. Volentes itaque prefatis potestati, consilio et comuni, propter hujusmodi eorum devotionis studia, concessionem hujusmodi ampliare, eorum supplicationibus inclinati, discretioni tue, de qua fiduciam gerimus in Domino pleniorem, suspendendi, premissa auctoritate, per te, vel alium seu alios, a predicto festo Dedicationis Sancti Michaelis usque ad festum Nativitatis Domini proxime futuram, interdicti et excomunicationis sententias prelibatas concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Dat. Anagnie, XVI kalendas octobris, anno septimo.

4134 (CCII) Anagni, 23 septembre 1301.

« Mandatur quod ecclesia Seguntina que erat regularis efficiatur secularis. » (fol. 55.)

Venerabilibus fratribus . . Conchensi et . . Calaguritano episcopis. Ad Apostolice dignitatis —. Dudum siquidem ex parte bone memorie Garsie episcopi, et dilectorum filiorum . . decani et capituli Seguntinorum, ordinis sancti Augustini, fuit expositum coram nobis, quod olim episcopo et capitulo Seguntinis, qui tunc erant, pie memorie Clementi pape IIII predecessori nostro intimantibus, quod, si Apostolica Sedes ex certis et rationalibus causis, tunc eidem predecessori expositis, benigne statueret ut ecclesia ipsa existeret secularis, ac in ea perpetuum canonicorum et personarum secularium haberetur collegium institutum, divinus in illa cultus incrementa susciperet; ipsaque in suis juribus utiliter conservaretur ecclesia, Clare quoque memorie Alfonso, rege Castelle ac Legionis, super hoc eidem predecessori per suas patentes litteras supplicante, prefatus predecessor Burgensi et Palentino episcopis, propriis eorum nominibus non expressis, super mutatione status ecclesie ejusdem suas certi tenoris litteras destinavit. Verum, quia predecessor ipse, antequam eedem littere predictis Burgensi et Palentino episcopis presentate fuissent, debitum nature persolvit, procedi non potuit per easdem. Cumque prefati Garsias episcopus, decanus et capitulum nobis per eorum litteras supplicarent, ut nos, miserabili statui ejusdem ecclesie, que defectum personarum et diminutionem divini cultus et alias quam plura pati discrimina noscebatur, quamvis in redditibus habundaret, paterno compatientes affectu, providere super hoc de salubri remedio curaremus. Nos, ad ipsius ecclesie statum prosperum intendentes, bone memorie Fernando, Burgensi, et venerabili fratri nostro Fernando, Ovetensi episcopis, sub certa forma nostris dedimus litteris in mandatis, ut super hiis sollicite procedere auctoritate nostra curarent, prefatam Seguntinam ecclesiam de secularibus canonicis ordinando. Set, quia per eosdem Burgensem et Ovetensem episcopos non fuit ad executionem hujusmodi mandati nostri processum, venerabilis frater noster Symon, Seguntinus episcopus, prefati Garsie successor, nobis humiliter supplicavit, ut, cum eidem ecclesie expedire multipliciter nosceretur quod de regulari in secularem statum ipsa reformaretur ecclesia, super hoc adhibere paterne diligentie studium curaremus. Nosque, ipsius ecclesie Seguntine statum prosperum plenis desideriis affectantes, et intendentes ut de salubri et utili reformatione, actore Deo, sic provideretur eidem, quod spiritualiter et temporaliter ejus comoda provenirent, vobis per alias nostras sub certa forma litteras duximus injungendum, ut, ad prefatam Seguntinam ecclesiam personaliter accedentes, habentes pre oculis solum Deum, si, consideratis attentius circumstantiis universis, que circa hoc forent attendende, videritis utilitati et honori ejusdem ecclesie expedire, super quo vestras duximus conscientias onerandas, auctoritate nostra ecclesiam ipsam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis existentibus ubicunque, ab omni potestate, jugo, jurisdictione, dominio, subjectione ac dispositione quacunque predicti ordinis sancti Augustini, prelatorum et personarum ejus, eadem auctoritate omnino absolvere ac liberare totaliter curaretis, eamque decernentes extunc fore in perpetuum secularem et de secularibus instituendis ibidem personis et canonicis reformandam, canonicis et personis regularibus, qui tunc erant ibidem, de ipsius ecclesie proventibus pro eorum sustentatione, quamdiu viverent, provisione dum-

taxat congrua reservata et etiam assignata. Ut autem ipsius ecclesie statui perfectius, decentius et honorabilius consulatur, fraternitati vestre, de qua fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si, suadentibus ecclesie predicte honore et utilitate, ut premittitur, contigerit hujusmodi statum ipsius ecclesie per vos de regulari in secularem mutari, vos, una cum eodem Symone, episcopo Seguntino, consideratis diligenter facultatibus ecclesie prelibate, statuatis in ea perpetuum certum, de quo expedire videritis, canonicorum et prebendarum ac portionario rum et portionum numerum : quo quidem numero sit de cetero ecclesia ipsa contenta, nisi adeo ejus excrescerent facultates quod merito illum exigerent augmentari. Et instituatis hac vice in ipsa ecclesia similiter una cum eodem Symone, episcopo Seguntino, personas ydoneas, de quibus pro ecclesie memorate statu prospero et honorifico expedire putabitis, in canonicos et portionarios usque ad numerum supradictum, singulis eorundem canonicorum singulas canonias et prebendas singulisve portionariis memoratis singulas portiones hujusmodi assignando, ipsosque in hujusmodi canonicatuum, prebendarum et portionum corporalem possessionem inducendo et inductos etiam defendendo, ac statuendo ut ex tunc hujusmodi canonicorum et portionariorum electio et institutio ac prebendarum et portionum collatio in eadem ecclesia Seguntina spectet ad episcopum et capitulum Seguntinos, sicut spectabat antea, dum esset ipsa ecclesia regularis. Statuatis et ordinetis insuper, una cum eodem episcopo, personatus et dignitates, de quibus honori et utilitati ejusdem ecclesie videritis expedire, perpetuo habendas in ea et quam juridictionem quodve officium persone ad dignitates et personatus hujusmodi assumende in eadem ecclesia debeant obtinere, quorum quidam personatuum et dignitatum collatio personis assumendis de ipsa ecclesia facienda tam hac vice quam ex tunc successive perpetuo spectet tantum ad eumdem Simonem et successores ejus, qui pro tempore fuerint, episcopos Seguntinos. Non obstantibus, et cetera, seu quod venerabili fratri nostro Johanni, episcopo Tusculano, hujusmodi negotium vive vocis oraculo comisimus audiendum, qui, sicut asseritur, in eo ad aliquid non processit. Dat. Anagnie, VIIII kal. octobris, anno septimo.

4135 (CCIII) Anagni, 17 septembre 1301.

« Episcopo Tridentino. Super absolutione illorum de sua diocesi qui ad sua mandata redierunt. » (fol. 55 v°.)

Venerabili fratri.. episcopo Tridentino. Etsi ecclesiarum et personarum —. Dudum siquidem, propter occupationes et usurpationes multiplices bonorum et jurium episcopatus et ipsius ecclesie Tridentine per quondam Meynardum, olim ducem Karinthie et comitem Tirolensem, contra Deum et justitiam attentatas, cum multo gravamine tuo et ecclesie prelibate, quos etiam alias Meynardus ipse multimodis molestiis, spoliationibus et excessibus gravibus perturbavit, diverse excommunicationum et privationum feudorum, advocatiarum, honorum, bonorum et jurium, contra eundem Meynardum, liberos et posteritatem ipsius et plerosque etiam alios participes excessuum predictorum, ac interdicti, in civitatem Tridentinam seu ipsius Meynardi terras vel quas tenebat aut que in hiis adherebant eidem, tam per Sedem Apostolicam quam per delegatos ipsius vel subdelegatos eorum aut ipsorum aliquem sunt, exigente justitia, sententie promulgate. Cum autem, sicut accepimus, aliqui ex terris predictis et earum incole, ad te ac eandem ecclesiam pertinentes, saniori ducti consilio, nuper ad tuam devotionem tuaque mandata redierint, teque seu tuos ad terras ipsas admiserint et admittant, et aliqui alii etiam ex terris et incolis supradictis parati sint similiter ad devotionem hujusmodi et mandata redire, ac tam hii qui jam redierint quam hii qui sunt redire parati offerant parere tibi humiliter, ut tenentur, et super hiis pro se ipsis satisfactionem congruam exhibere, ac humiliter supplicent eis de absolutionis et relaxationis beneficio a predictis excommunicationum et interdicti sententiis provideri —.

Concedit suprascripto, ut, « facta prius per ipsos qui jam redierunt et per alios qui redibunt restitutione bonorum et jurium detentorum vel usurpatorum per eos » ac impensa satisfactione congrua de dampnis et injuriis prout viderit, possit eis ab excommunicationum sententiis auctoritate Apostolica promulgatis beneficium absolutionis impendere et interdicti sententias relaxare.

Hiis autem, quos a predictis excommunicationum sententiis absolveris, ut predicitur, et quorum interdictum duxeris relaxandum, aperte ex parte nostra denunties, quod, si, quod absit, ipsos ad vomitum redire contigerit in premissis, nedum in similes sententias reducemus eosdem, sed etiam procedemus gravius, prout expedire viderimus, contra eos. Volumus autem quod alias per

hoc prefatis sententiis et processibus vel eorum aliquibus nullatenus derogetur, quodque Ottoni, Lodoyco et Herrico, filiis predicti quondam Meinardi, qui eidem patri eorum in predictis vitium successisse dicuntur, nullius absolutionis beneficium super quibuscunque processibus et sententiis, spiritualibus et temporalibus, habitis occasione premissa, vel gratie suffragium impendatur, absque mandato Sedis Apostolice speciali, et, si secus actum fuerit, illud, exnunc irritum decernimus et inane et nullius existere firmitatis. Dat. Anagnie, xv kal. octobris, anno septimo.

4136 (CCIIII) Anagni, 19 septembre 1301.

« Super absolutione cujusdam voti. » (fol. 56.)

Venerabili fratri .. episcopo Nannetensi. Ex parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Iolende, uxoris dilecti filii nobilis viri Arturi, nati dilecti filii nobilis viri Johannis ducis Britannie, fuit expositum coram nobis, quod ipsa dudum visitandi limina beati Jacobi votum peregrinationis emisit, quod propter debilitatem et inhabilitatem proprii corporis non potest comode adimplere. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, ut hujusmodi votum faceremus eidem in alia pietatis opera commutari. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per Apostolica Scripta mandamus, quatinus, predicte Iolende super hoc confessione diligenter audita, et consideratis circumstantiis universis, que fuerint attendende, super hiis auctoritate nostra facias id quod, secundum Deum, saluti anime ipsius Iolende videris expedire. Dat. Anagnie, XIII kal. octobris, anno septimo.

4137 (CCV) Anagni, 25 septembre 1301.

« Preficitur in episcopum Mothonensem. » (fol. 56.)

Dilecto filio Petro, electo Mothonensi. Ad universalis ecclesie —.

Suprascriptus, Patracensis canonicus, cameræ domini papæ clericus, ecclesiæ Mothonensi, per translationem Leonardi Albanensis episcopi ad ecclesiam Aversanam vacanti, et Apostolicæ Sedis provisioni reservatæ, nec non et bone memorie Petro, patriarchæ Constantinopolitano deinde commendatæ, preficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, VII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *capitulo ecclesie Mothonensis — clero — populo — universis vassallis — archiepiscopo Patracensi. — duci Athenarum.*

4138 (CCVI) Anagni, 19 septembre 1301.

« Conceditur sibi et heredibus suis quoddam feudum in territorio castri Montis Albani, Tiburtine diocesis. » (fol. 56 v°.)

Loffrido quondam Petri Loffridi, civi Anagnino. Grate devotionis studia —.

Castrum situm in territorio castri Montis Albani, Tyburtinæ diocesis, quod quondam Alexander de Via Majori, civis Romanus, a monasterio Sancti Pauli de Urbe, olim dum vivebat, obtinuisse dicitur, quodque per obitum ejus vacat, suprascripto Loffrido in perpetuum confertur, per eumdem ab eodem monasterio tenendum.

Dat. Anagnie, XIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archipresbytero ecclesie Sancte Cristine Anagninis, ac Guidoni de Anagnia, canonico Parisiensi.*

4139 (CCVII) Anagni, 20 septembre 1301.

« Conceditur Johanni, nato Jacobi de Paliano, quod possit audire jus civile usque ad quinquennium. » (fol. 56 v°.)

Dilecto filio Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Jacobi de Paliano militis Anagnini, nepoti nostro, canonico Patracensi. Personam tuam paterna —.

Suprascripto, qui cantoriam in ecclesia Patracensi obtinet, indulgetur, ut juris civilis studio per quinquennium insistere valeat.

Dat. Anagnie, XII kal. octobris, anno septimo.

4140 (CCVIII) Anagni, 29 août 1301.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 56 v°.)

Nobili viro Rogato Guidonis de Nigro et nobili mulieri Bartholomee Albertini de Carraria, civibus Paduanis. Sedis Apostolice circumspecta —.

Ad sedandas consanguineorum inimicitias, indulgetur suprascriptis ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, matrimonium invicem contrahere valeant.

Dat. Anagnie, IIII kal. septembris, anno septimo.

4141 (CCVIII) Anagni, 17 septembre 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 56.)

Gundisalvo Johannis de Bazan, canonico et thesaurario ecclesie Calagurritane. Exposuisti nobis —.

Suprascripto, cum quo jam fuit dispensatum, de soluto et soluta genito, fructus plurium beneficiorum indebite percepti remittuntur et indulgetur, ut eadem, scilicet canonicatum et thesaurariam cum præstimoniis in ecclesia Calaguritana, licite retinere valeat.

Dat. Anagnie, xv kal. octobris, anno septimo.

4142 (CCX) Anagni, 1er septembre 1301.

« Boso, episcopo Convenarum. Quod possit facere recipiunam in sua ecclesia cathedrali et aliam in de Sancto Gaudentio, sue diocesis, ecclesiis, personas ydoneas » etiamsi unum vel plura ecclesiastica beneficia obtineant. (fol. 57.)

Venerabili fratri Boso, episcopo Convenarum. Tuam volentes honorare —. Dat. Anagnie, kal. septembris, anno septimo.

4143 (CCXI) Anagni, 22 septembre 1301.

« Almoranio, archiepiscopo Ispalensi. Super relaxatione quarumdam sententiarum. » (fol. 57.)

Venerabili fratri . . Almoranio archiepiscopo Ispalensi. Per grata devotionis —.

Conceditur suprascripto facultas excommunicationis et interdicti sententias, quas bonæ memoriæ Sanctius, predecessor suus, cujusdam occasione discordiæ, quæ inter ipsum, ex parte una, et decanum ac capitulum ecclesiæ, ac clerum et commune civitatis Yspalensis extitit suscitata, in nonnullos canonicos, clericos, et alcados ac majores communis, promulgaverat, relaxandi et dispensandi cum canonicis et clericis super irregularitate.

Dat. Anagnie, x kal. octobris, anno septimo.

4144 (CCXI *bis*) Même date.

Eidem. De eisdem sententiis, ob inobservantiam constitutionis « Clericis laicos » incursis, relaxandis. (fol. 57.)

Eidem. Habet oblate nobis tue petitionis assertio, quod alcades et majores ac commune civitatis Ispalensis, motus sequentes illicitos et modestie limites non servantes, bone memorie Sansio, archiepiscopo Ispalensi, predecessori tuo, dum viveret, quandam talliam seu collectam imponere ac ipsam ab eo, contra constitutionis nostre tenorem exactiones hujusmodi prohibentis, exigere presumpserunt, sibi, pro eo, quod talliam seu collectam hujusmodi eis solvere noluit, prout nec etiam tenebatur, nonnulla castra, terras, redditus et proventus aliaque jura, ad mensam et juridictionem archiepiscopi memorati spectantia, temere auferendo, quampluribus clericis et religiosis ac aliis personis ecclesiasticis, constitutionem ipsam observare volentibus, fractis ecclesiarum et monasteriorum ostiis, in quibus degebant, gravibus afflictis verberibus et de civitate predicta, Dei timore postposito, ejectis nichilominus violenter: propter quod penas, in constitutione predicta contra tales expressas, incurrisse noscuntur: quare suppliciter postulabas a nobis, ut eorum in hac parte providere saluti de Apostolice benignitatis clementia misericorditer dignaremur. Nos itaque, personam tuam, exigentibus tue multiplicis meritis probitatis, favorabili prosequentes affectu et volentes super hoc benigne annuere votis tuis, fraternitati tue relaxandi penas omnes predictas memoratis alcadibus, majoribus et communi, super hiis debitam satisfactionem prestantibus, et absolvendi clericos a quibusvis sententiis, quas incurrerunt pro eo quod alcadibus et aliis supradictis super premissis impenderunt auxilium, consilium vel favorem, ac dispensandi etiam cum eisdem clericis super irregularitate, quam divina officia in civitate predicta interdicti tempore celebrando vel se illis temere immiscendo ibidem contraxisse noscuntur, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum, plenam et liberam concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Dat. ut supra.

4145 (CCXII) Anagni, 24 août 1301.

« Mandatur provideri de abbate monasterio Sanctorum Helie et Philareti de Seminaria, ordinis sancti Basilii, Militensis diocesis. » (fol. 57.)

Dilecto filio B. abbati monasterii Sancte Marie Cripteferrate de Urbe, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Basilii. Gerentes de tue multiplicis —.

Monasterio Sanctorum Helie et Philareti de Seminaria, ordinis sancti Basilii, Militensis diocesis, per mortem quondam Theodosii abbatis vacante, conceditur suprascripto potestas eidem monasterio ea vice providendi de persona ipsius monasterii vel aliunde ydonea in abbatem. « Per hoc autem nolumus

archimandrite monasterii Sancti Salvatoris de Lingua Fari Messanensis, ejusdem ordinis, ad quem confirmatio electionum quas in eodem monasterio Sanctorum Helie et Philareti, cum vacat, de futuris abbatibus celebrari contingit, dicitur pertinere, aliquod in posterum prejudicium generari. »

Dat. Anagnie, VIIII kal. septembris, anno septimo.

4146 (CCXIII) Anagni, 28 juillet 1301.

« Committitur cura ecclesie sancti Laurentii in Lucina de Urbe Johanni, nato quondam Landulphi de Columpna. » (fol. 57.)

Johanni, nato quondam Landulfi de Columpna civis Romani, capellano nostro, canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe. Personam tuam —.

Cura et administratio ecclesiæ Sancti Laurentii in Lucina de Urbe, quæ titulus presbyteri cardinalis existit, ad præsens regimine cardinalis carentis, committuntur suprascripto usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum.

Dat. Anagnie, V kal. augusti, anno septimo.

4147 (CCXIIII) Anagni, 26 septembre 1301.

« Fernando Martini, thesaurario Bracharensi. Dispensatur super pluralitate. » fol. 57 v°.)

Fernando Martini, presbitero, thesaurario Bracharensi. Exhibita nuper nobis —.

Fructus plurium beneficiorum indebite percepti remittuntur suprascripto et indulgetur ei, ut eadem, scilicet parrochialem ecclesiam Sancti Jacobi de Villanova de Panoniis, Bracharensis diocesis, et canonicatum ecclesiæ Colimbriensis una cum thesauraria Bracharensi licite retinere valeat.

Dat. Anagnie, VI kal. octobris, anno septimo.

4148 (CCXV) Anagni, 3 juillet 1301.

« Super visitatione provincie. » (fol. 57.)

Venerabili fratri Amenevo, archiepiscopo Auxitano. Personam tuam nobis —.

Indulgetur suprascripto ut per personas idoneas diocesim et provinciam suas visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit.

Dat. Anagnie, V non. julii, anno septimo.

In e. m, *dilectis filiis . . abbati monasterii de Pessano et de Sancto Avito Seniori ac.. de Ussaco prioribus, Auxitane, Petragoricensis et Lemovicensis diocesium.*

4149 (CCXVI) Anagni, 20 septembre 1301.

« Conceditur comuni Lucano quod possit recipere subsidium pecuniarium ab. . episcopis Lucano et Lunensi ac a cleris Lucane et Lunensis civitatum et diocesium. » (fol. 57 v°.)

Dilectis filiis priori de Tansignano, Lucane diocesis, et Henrico de Gallo, majoris, et Tancredo dicto Malapresa, Sancti Petri Majoris Lucanarum canonicis ecclesiarum. Dum intra nostre mentis perscrutamur archana grandis devotionis affectum, quem dilecti filii consilium et comune Lucana ad nos et Romanam habuerunt et habent Ecclesiam, paterna consideratione ducimur, ut, more pii patris, eorum necessitatibus consulentes, honestate previa, favorabiliter ipsorum petitionibus annuamus, ut eo amplius eorum devotio erga nos et eandem excrescat Ecclesiam, quo ipsi plenius nostrum noverint eis adesse favorem. Sane pro parte predictorum consilii et comunis nuper nobis extitit cum instantia supplicatum, ut, cum ipsi, faciente modernorum malitia temporum, tam pro custodiendis castris suis ab emulorum et inimicorum eorum et sancte matris Ecclesie imminentibus, insultibus, quam etiam pro stipendariis, quos tenuerunt ac tenent ac eos tenere oportet, ad conservandum, manutendum et promovendum prosperum statum suum et predicte matris Ecclesie ipsiusque fidelium in illis partibus, gravia subierint et adhuc ipsos subire oporteat gravia onera expensarum, et ad hujusmodi onera supportanda comune ipsum insufficiens quasi reddatur et impotens, nisi ei ad id venerabilium fratrum nostrorum. . Lucani et. . Lunensis episcoporum ac dilectorum filiorum clerorum Lucane ac Lunensis civitatum et diocesium caritativa subventio suffragetur, licentiam ipsis episcopis et cleris super subventione hujusmodi facienda concedere dignaremur. Nos itaque, predictis consilio et comuni Lucanis pio super hiis compatientes affectu, et attendentes quod in premissis eorumdem episcoporum et clerorum in parte interesse versatur, ut, dum in dicti comunis comunicant prosperis, humanitate grata participent in adversis, de discretione quoque vestra gerentes fiduciam in Domino pleniorem, concedendi licentiam

liberam episcopis et cleris tam religiosorum quam secularium, prelatis videlicet ac rectoribus universis, ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque locorum, exemptorum et non exemptorum, et eorum conventibus et capitulis, predictarum civitatum ac diocesium ac districtuum etiam civitatum earumdem, quod possit dare ac prestare ipsi comuni Lucane pecuniarium moderatum subsidium, dummodo hoc ipsi faciant voluntarii, non coacti, nec ullus pro parte dicti comunis super hoc modus coactionis directe vel indirecte interveniat vel servetur, et eidem comuni Lucane, quod subsidium ipsum, per se vel officiales suos, licite recipere valeat pro predictis, constitutione nostra, que hujusmodi subsidiorum prestationem inhibet, seu quavis alia contraria non obstante, concedimus vobis plenam et liberam, auctoritate presentium, facultatem. Presentibus post biennium minime valituris. Dat. Anagnie, XII kal. octobris, anno septimo.

4150 (CCXVII) Anagni, 10 août 1301.

« Conceditur Guidoni, electo Tornacensi, quod tam in cathedrali Tornacensi quam in singulis collegiatis ecclesiis Tornacensis civitatis et diocesis possit de singulis personis ydoneis providere. » (fol. 58.)

Dilecto filio Guidoni, electo Tornaceni. Personam tuam erga nos —. Dat. Anagnie, IIII id. augusti, anno septimo.

4151 (CCXVIII) Anagni, 8 août 1301

« Reservantur collationi Apostolice beneficia, que Guido, electus Tornacensis, obtinebat. » (fol. 58.)

Ad perpetuam rei memoriam. Cum nuper dilectum filium Guidonem de Arvernia, electum Tornacensem, tunc abbatem secularem Claromontensis, et ipsius Claromontensis ac Remensis et Brivatensis, Claromontensis diocesis, ecclesiarum canonicum, in ultramontanis partibus constitutum, Tornacensi ecclesie, tunc pastore vacanti, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, in episcopum prefecimus et pastorem, nos, volentes de abbatia seculari, quam idem G[uido] electus in Claromontensi, et de canonicatibus et prebendis, quos in eadem ac in Remensi et Brivatensi ecclesiis supradictis, promotionis sue tempore, obtinebat et adhuc obtinet, per dispositionem Apostolice Sedis salubriter provideri, abbatiam, canonicatus et prebendas predictos, quamprimum eos post consecrationem ipsius electi vel alio quoquo modo vacare contigerit, collationi nostre ac Sedis ejusdem, auctoritate Apostolica, reservamus et decernimus ex nunc irritum et inane, si super hiis secus a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre reservationis et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, VI id. augusti, anno septimo.

4152 (CCXVIIII) Anagni, 10 août 1301

« Mandatur impendi munus consecrationis eidem electo » (fol. 58.)

Venerabilibus fratribus . . Ambianensi, . . Morinensi, et . . Meldensi episcopis. Cum nuper dilectum —.

Ut unus illorum Guidoni, electo Tornacensi, id petenti humiliter et volenti, illos sacros ordines, ad quos nondum forsitan est promotus, et demum, ascitis sibi duobus vel tribus episcopis illarum partium, munus consecrationis eidem impendat, recepturus postmodum ab eo, nomine archiepiscopi Remensis, fidelitatis juramentum quod suffraganei eidem archiepiscopo exhibere tenentur. « Per hoc autem nolumus ipsi archiepiscopo et ecclesie Remensi aliquod in posterum prejudicium generari. »

Dat. Anagie, IIII id. augusti, anno septimo.

4153 (CCXX) Anagni, 25 juillet 1301.

« Providetur Gregorio de Montelongo de abbatia secularis ecclesie Sancti Johannis Evangeliste Ferentinatis. » (fol. 58 v°.)

Gregorio de Montelongo, abbati secularis ecclesie Sancti Johannis Evangeliste Ferentinatis. Gratum sentientes de meritis —.

Abbatia dictæ ecclesiæ, per mortem quondam Ricardi de Ferentino, capellani domini papæ, ipsius ecclesiæ abbatis, qui inibi diem clausit extremum, vacans et dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, confertur suprascripto, non obstante quod archipresbyteratum Veronensem et plebanatum de Clemona, Aquilegensis diocesis, similem curam animarum habentes, ex dispensatione Sedis Apostolicæ, et in eadem Veronensi ac Ferentinati et Civitatensi, Aquilegensis diocesis, ecclesiis canonicatus et ecclesiam de Casalverio, Sorane diocesis, sine cura, noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis Benedicto de Attinolfo, abbati secularis ecclesie Sancti Angeli de Ferentino, ac Johanni Cardilli et Johanni Philippi, canonicis Ferentinatibus.*

4154 (CCXXI) Anagni, 18 septembre 1301.

« Conceditur magistro Martino de Montevillia, archidiacono Meldensi, quod usque ad quinquennium archidiaconatum ipsum possit facere visitari. » (fol. 58 v°.)

Magistro Martino de Mondevillia, medico et familiari dilecti filii nobilis viri Caroli, nati clare memorie Phylippi regis Francorum, comitis Andegavensis, archidiacono Meldensi. Clara merita delicti —.

Obtentu dicti comitis indulgetur suprascripto, ut, ejusdem comitis insistens obsequiis, archidiaconatum suum Meldensem, usque ad quinquennium, per personeas ydoneas visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit.

Dat. Anagnie, XIIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis.. sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, et Sancti Faronis Meldensis monasteriorum abbatibus ac.. cancellario Parisiensi.*

4155 (CCXXII) Anagni, 17 septembre 1301.

« Super dispensatione. » (fol. 59.)

Martino Carsie, canonico et archidiacono Cordubensi. Laudabile testimonium —.

Canonicatus et archidiaconatus dictæ ecclesiæ, cum præstimoniis seu præstimonialibus portionibus, per promotionem ad episcopatum Calaguritanum apud Sedem Apostolicam vacantes et ejusdem Sedis dispositioni reservati, conferuntur suprascripto, obtentu Almoranii, archiepiscopi Ispalensis, non obstante quod archidiaconatum de Najera, in Calaguritana, et in ea, et Compostellana, et Ispalensi, canonicatus, et in Sancti Petri de Viana, mediam portionem, et in Armentiensi, quædam præstimonia sine cura, Calaguritanæ diocesis, ecclesiis noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, XV kal. octobris, anno septimo.

4156 (CCXXIII) Anagni, 10 août 1301.

« Quod quatuor clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum » usque ad triennium. (fol. 59.)

Guidoni, electo Tornacensi. Grata tue devotionis —. Dat. Anagnie, IIII id. augusti, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis.. abbati secularis de Artona, et.. decano de Enaziaco, Claromontensis diocesis ac.. cantori Claromontensis ecclesiarum.*

4157 (CCXXIIII) Même date.

« Quod possit conferre beneficia que obtinebat tempore promotionis singula singulis. » (fol. 59 v°.)

Guidoni, electo Tornacensi. Specialis devotionis affectus —. Dat. ut supra.

4158 (CCXXV) Anagni, 31 juillet 1301.

« Scribitur judicibus pro Petro Jacobi Petri Roffredi, canonico ecclesie Sancti Andree Anagnine, super pensione in eadem ecclesia. » (fol. 59 v°.)

Dilectis filiis.. Sancti Pauli, et.. Sancte Cristine archipresbyteris, ac Petro Pauli, canonico majoris ecclesiarum Anagninarum. Petitio dilecti filii Petri, nati quondam Jacobi Petri Rofredi, canonici ecclesie Sancti Andree Anagnine, nuper nobis exhibita continebat, quod.. archipresbyter et capitulum ipsius ecclesie, volentes dudum ipsi Petro, obtentu dilecti filii nobilis viri Petri Gaytani, nepotis nostri, comitis Casertani, Militiarum domini, pro eo in hac parte rogantis, antequam ei fuisset per nos de canonicatu ecclesie predicte provisum, gratiam facere specialem, promiserunt dare ac assignare ipsi Petro Jacobi quatuor rubla frumenti et quatuor caballatas vini, annis singulis, nomine pensionis, donec idem Petrus in ipsa vel alia ecclesia locum seu canonicatum foret pacifice assecutus, se ad id per instrumentum publicum, sub certa forma inde confectum et venerabilis fratris nostri Leonardi, episcopi Anagnini, sigillo munitum, specialiter obligando.

Postea vero dominus papa eidem Petro canonicatum in ecclesia Sancti Andreæ Anagnina reservavit litteris Apostolicis, quarum auctoritate prædictus Petrus in canonicum receptus extitit, licet nondum sit ibi beneficium assecutus. Mandat suprascriptis, ut circa exhibitionem prædictæ pensionis eidem Petro provideant, donec beneficium sibi debitum vacaverit, licet pensio ex provisione archipresbyteri et capituli ei minime debeatur.

Dat. Anagnie, II kal. augusti, anno septimo.

4159 (CCXXVI) Anagni, 29 septembre 1301.

« Mandantur absolvi quidam clerici civitatis et diocesis Perusine ad instantiam cleri. » (fol. 60.)

Venerabili fratri.. episcopo et dilecto filio.. abbati monasterii Sancti Petri Perusinis. Ex parte dilectorum

filiorum cleri civitatis et diocesis Perusine fuit nuper expositum coram nobis, quod olim dilectus filius noster Neapoleo, Sancti Adriani diaconus cardinalis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus, quamdam pro suis procurationibus dicto clero imposuit pecunie quantitatem. Verum, quia nonnulli clerici, regulares et seculares, predictarum civitatis et diocesis partem, eos de dicta pecunia contingentem, eidem legato solvere statuto eis ad hoc termino recusarunt, dictus legatus sive alius, ejus auctoritate, in dictos clericos excommunicationis ac suspensionis, et in eorum ecclesias interdicti sententias promulgavit. Sed predicti clerici, sic ligati, divina postmodum sicut prius celebrarunt officia et immiscuerunt se illis. Quare pro parte dicti cleri fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum prefato cardinali de hujusmodi pecunia sit plenarie satisfactum, providere dictis clericis de absolutionis et dispensationis beneficio paterna diligentia curaremus.

Annuens supplicationi, suprascriptis plenam concedit facultatem absolvendi præfatos clericos et dispensandi cum illis super irregularitate, injuncto eis propter hoc quod de jure fuerit injungendum.

Dat. Anagnie, III kal. octobris, anno septimo.

4160 (CCXXVII) Anagni, 18 juillet 1301.

« Quod possit conferre beneficia que tanto tempore vacarunt. » (fol. 60.)

Amanevo, archiepiscopo Auxitano. Tuam volentes honorare —.

Suprascripto conceditur facultas conferendi hac vice personis ydoneis, etiamsi alias personæ ipsæ beneficiatæ existant, beneficia ecclesiastica singula singulis, quæ in majori ecclesia sua ac civitate et diocesi Auxitanis de jure tanto tempore vacaverunt, quod eorum collatio est ad Apostolicam Sedem devoluta.

Dat. Anagnie, XV kal. augusti, anno septimo.

4161 (CCXXVII *bis*) Anagni, 22 septembre 1301.

« Super provisione ecclesie Brixinensis. » (fol. 60.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo Salzeburgensi. Sincere devotionis affectus —.

Mandatur suprascripto, ut electionem, a capitulo de fratre Conrado, abbate monasterii Sancti Johannis in Stamse, Cisterciensis ordinis, in episcopum Brixinensem factam, si sibi constiterit de persona ydonea canonice celebratam, confirmet. Post obitum Landulfi, episcopi Brixinensis, decanus et capitulum ejusdem ecclesiæ hunc Conradum elegerant et, post acceptationem electi, de sui superioris assensu factam, hanc electionem suprascripto archiepiscopo, tanquam loci metropolitano, præsentaverunt; sed idem, ex relatibus quorumdam accepto, quod provisio ejusdem ecclesiæ Sedi Apostolicæ reservata erat, confirmationi supersedere curavit, negotium electionis prædictæ Sedi examini remittendo, et dominum papam supplicavit, ut de prædicto abbate eidem ecclesiæ providere dignaretur.

Dat. Anagnie, X kal. octobris, anno septimo.

4162 (CCXXVIII) Anagni, 15 et 17 septembre 1301.

Auferuntur beneficia quibusdam clericis Lucanis, ob eorum adhæsionem inimicis Ecclesiæ Romanæ, et aliis fidelioribus conferuntur. (fol. 60 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Nuper ad notitiam nostram perduxit relatio fidedigna, quam gravis infamia et alias testimonia fidedigna corroborant, quod Guillelmus de Anterminellis, canonicus Lucanus ac plebanus plebis de Sancto Januario, Lucane diocesis, Johannes Ubaldi de Anterminellis, ejusdem ecclesie Lucane canonicus et primicerius, Franciscus Inghifredi Gonelle de Anterminellis, canonicus ecclesie Sanctorum Johannis et Reparate Lucane ac plebanus Masse Pisane, predicte diocesis, Ubaldus Jacobi Porghie de Anterminellis, plebanus plebis de Biuti, ejusdem diocesis, Thomasinus de Loppa, ejusdem ecclesie Lucane canonicus et plebanus plebis de Loppa, prefate diocesis, Hugolinus Rotisciani Raynerii, ipsius ecclesie Lucane canonicus et perpetuus capellanus ecclesie Sancti Petri de Corsena et hospitalarius hospitalis Sancte Marie de Piscia, ejusdem diocesis, Johannes Ranutii de Podio, plebanus plebis Sancti Pauli predicte diocesis et canonicus ecclesie Sancti Donati Lucane, Michael de Mongialmachis, canonicus ipsius ecclesie Lucane, Boniornus de Duadis de Flammis, ipsius ecclesie Lucane canonicus et plebanus de Mostesis Gradi, prefate diocesis, et presbyter Amatus, plebanus plebis de Montecatino, Lucane diocesis, tanquam in reprobum sensum dati et ad actus nepharios operaque scelesta dispositi, preter alios eorum graves et enormes excessus, quos nunc ex causa volumus preterire silentio, in offensam Dei, Ecclesie Romane contemptum, proprie salutis dispendium et fidelium illarum partium scandalum plurimorum, indevotis et ad-

versariis ejusdem Ecclesie, ipsiusque fidelium inimicis publice adherent et favent, ipsosque fovent, alunt, et nutriunt, eisque juvamenta ministrant, per que illos in hujusmodi eorum pravis operibus, excessibus et offensis procurant et faciunt gravius perdurare. Nos igitur, quia talia, tam gravia, tam orrenda, non sunt equanimiter toleranda, ne hujusmodi malorum patratoribus audaciam patientia prebeat ulterius delinquendi, neve cedant hec in exempli mali pernitiem aliorum, volentes eos sic corrigere de premissis, quod et ipsi taliter deliquisse condoleant, ac alii terreantur talia vel similia perpetrare, suprascriptos Guillelmum de Anterminellis, Johannem Ubaldi, Franciscum Inghiffredi, Ubaldum Jacobi, Thomasinum de Loppia, Hugolinum Rocchisciani, Johannem Ranutii, Michaelem de Maugialmachis, Boniornum de Duadis de Flammis, et presbyterum Amatum, exigentibus hujusmodi eorum demeritis, culpis et excessibus, omnibus canonicatibus, prebendis, personatibus, dignitatibus, officiis, plebibus, seu plebanatibus, primiceriatibus, capellaniis, hospitalibus, ceterisque beneficiis, suis ecclesiasticis, que in predictis et aliis quibuslibet ecclesiis et plebibus seu locis ecclesiasticis vel ab eis ipsi et eorum quilibet obtinent, omnique jure quod in eis habent, vel ipsis competit, aut competere potest, suadente justitia, ex nunc Apostolica auctoritate privamus, ac decernimus esse privatos. Ac nichilominus hujusmodi canonicatus, prebendas, personatus, dignitates, plebes, seu plebanatus, primiceriatus et beneficia omnia, quibus eos privavimus, ut prefertur, collationi nostre ac Sedis Apostolice reservamus, districtius inhibentes illis, ad quos eorum collatio vel dispositio pertinet, ne de ipsis hac vice disponere vel attentare quoquomodo presumant, ac exnunc decernentes irritum et inane, si super hiis secus a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre privationis, constitutionis, reservationis et inhibitionis et cetera. Dat. Anagnie, xvii kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilecto filio Nerrico de Gallo, canonico Lucanis.* Nuper ad notitiam, et cetera ut in proxima superiori verbis competenter mutatis usque : attentari. Volentes igitur de suprascriptis beneficiis, per privationem hujusmodi sic vacantibus, infrascriptis personis que nobis de probitatis meritis fidedignorum testimonio commendantur, queve ac sui erga nos et prefatam Ecclesiam fide pura et devotione sincera vigere noscuntur, per dispositionem nostram, ut infra distinguitur, provideri, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, hujusmodi canonicatum et prebendam ejusdem ecclesie Lucane, quos in ea predictus Guillelmus de Anterminellis hujusmodi privationis tempore obtinebat, Nerrico, nato dilecti filii Adiuti Rosciompelli, plebano plebis de Vicopelago, predicte Lucane diocesis ; canonicatum vero, prebendam ac primiceriatum ipsius ecclesie Lucane, quos dictus Johannes Ubaldi de Anterminellis eodem tempore habebat in ipsa, Parentutio, filio Bonifatii Parentis de Portari, plebano plebis Sancte Felicitatis, dicte Lucane diocesis ; canonicatum quoque ac prebendam predicte ecclesie Lucane, quos in eadem predictus Thomasinus de Loppia ipso habebat tempore, Rosso, nato Putii de Faitinellis, clerico Lucano, rectori hospitalis de Carocino, Lucane diocesis ; plebanatum insuper predicte plebis Sancti Pauli, quem predictus Johannes quondam Raynerii de Podio suprascripto tempore noscebatur habere, Nicolao quondam Celli Cristofani de Quartigniano clerico ; capellaniam etiam ecclesie Sancti Petri de Corsena, ejusdem Lucane diocesis, quam predictus Hugolinus Rocischiani Raynerii habebat ipso tempore, Labro nato Dini Proiante, plebano plebis Sancti Pancratii, ejusdem Lucane diocesis ; necnon et plebanatum predicte plebis de Massapisana, quem predictus Franciscus Inguiffredi prelibato habebat tempore, Hugolino de Lombrici, canonico ecclesie Sancte Marie foris Portam Lucane ; canonicatum quoque ac prebendam ecclesie Lucane prefate, quos prefatus Michael de Manialmachis habebat ipso tempore, Lamberto Hugolini Grattii, canonico ecclesie Sancte Marie foris Portam Lucane ; canonicatum vero et prebendam ipsius ecclesie Lucane, quos prelibatus Boniornus eodem tempore obtinebat, Tegrino, filio Nicolai Tegrini, clerico ; plebanatum quoque predicte plebis Sancti Januarii, quem dictus Guillelmus de Anterminellis hujusmodi habebat tempore, Lemmo, filio Opefutii de Opictis, clerico ; et canonicatum ac prebendam ecclesie Sancti Donati Lucane, quos predictus Johannes de Podio eodem habebat tempore, Gerardino Guillelmi de Opictis, plebano plebis de Lammari, prescripte Lucane diocesis ; canonicatum etiam et prebendam ejusdem ecclesie Lucane, quos predictus Hugolinus Rochisciani Raynerii hujusmodi tempore obtinebat, Opizoni Bindi de Quartigianis, clerico ; canonicatum vero et prebendam prefate ecclesie Sanctorum Johannis et Reparate Lucane, quos supradictus Franciscus Inguiffredi predicto tempore habebat, Johanni, filio Bartholomei de Quartigianis, clerico ; rectoriam autem predicti hospitalis Sancte Marie de Piscia, quam prefatus Hugolinus Raynerii supradicto tempore obtinebat, Manso de Bernardutiis, canonico Lucano ; pleba-

natum etiam predicte plebis de Loppia, quem predictus Thomasinus de Loppia habebat tempore suprascripto, Oppizo Guiducii de Casinnano clerico ; et similiter plebanatum memorate plebis de Biuti, quem tunc temporis obtinebat prefatus Ubaldus Jacobi Pargie, Blanco de Castrofranco presbytero ; plebanatum insuper predicte plebis de Mostesis Gradi, quem prefatus Boniornus supradicto tempore obtinebat, Gettutio Betti de Quartigianis, clerico Lucano ; plebanatum quoque plebis de Montecatino, quem eodem tempore predictus presbyter Amatus obtinebat, Tancredo Orlandi Malaprese militis, canonico [ecclesie] Sancti Petri Majoris Lucane, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, auctoritate nostra, conferre ac assignare curetis : inducentes ipsos vel ipsorum procuratores, eorum nomine, in illorum corporalem possessionem, et defendentes inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac facientes ipsos et eorum quemlibet ad hujusmodi canonicatus, prebendas, plebanatus et alia beneficia supradicta, prout eis illa [1] contuleritis, sicut moris est recipi et admitti, ac ipsis vel procuratoribus suis pro eis de illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et obventionibus universis integre responderi : non obstantibus quibuslibet predictarum ecclesiarum et plebium contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis, seu si aliqui Apostolica, vel alia quavis auctoritate in ecclesiis ipsis, vel earum aliquibus in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant; aut si super provisionibus faciendis aliquibus de canonicatibus, prebendis, personatibus, et dignitatibus, hospitalibus, vel beneficiis ecclesiasticis speciales vel generales in illis partibus nostre vel predecessorum nostrorum aut legatorum dicte Sedis littere sint directe, etiamsi ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit earum auctoritate processum, quibus omnibus in assecutione predictorum canonicatuum, prebendarum, plebanatuum, primiceriatus, hospitalis et capellaniarum seu beneficiorum prenominatas ad ea personas volumus anteferri, sed quoad alia canonicatus, prebendas, plebanatus, primiceriatus, capellanias, hospitalia et beneficia, nullum per hoc eis prejudicium generari ; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de canonicatibus, prebendis, personatibus et dignitatibus vel beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem vel quamcumque dispositionem spectantibus, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia ipsius Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis, seu si persone predicte vel earum alique presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum seu plebium vel aliquarum ex eis solitum juramentum, dummodo in absentia sua, per procuratores ydoneos, et, cum ad ecclesias ipsas seu plebes accesserint, corporaliter, illud prestent, sive quod aliqui ex predictis, quibus, ut predictum est, volumus provideri, in prenominatis ecclesiis, quarum sunt canonici, prebenbas obtinere noscuntur; aliqui vero, quibus hujusmodi beneficia curata seu personatus et dignitates conferri mandamus, alia beneficia similem curam habentia vel alias dignitates seu alios personatus obtinent, prout ex eorum denominatione sive intitulatione superius est expressum, seu quod aliqui etiam ex eisdem, sicut asseritur, patiuntur defectum in ordinibus et etate, cum quibus, habentibus et recipientibus hujusmodi beneficia curata vel personatus et dignitates, quod ea insimul retinere licite valeant, et cum hiis, qui, ut predicitur, defectum patiuntur in ordinibus et etate, quod hujusmodi beneficia, cum cura vel sine cura, et personatus et dignitates, que juxta hujusmodi mandati nostri tenorem eis duxeritis conferenda, recipere licite ac retinere libere valeant, hujusmodi defectu etatis et ordinum et quibuslibet constitutionibus contrariis non obstantibus, auctoritate nostra, dispensare curetis ; super quibus omnibus plenam et liberam vobis et cuilibet vestrum concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Proviso quod hujusmodi personatus et dignitates, canonicatus et prebende, ac beneficia, debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura, in eis quibus illa iminet, nullatenus negligatur, et quod predicti, qui patiuntur in ordinibus et etate defectum, postquam ad legitimam etatem pervenerint, se faciant ad ordines, prout hujusmodi beneficiorum suorum onus exegerit, statutis temporibus promoveri, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Anagnie, xv kal. octobris, anno septimo.

1. *Ms* : illam.

4163 (CCXXVIIII) Anagni, 24 septembre 1301.

« Raymundo, abbati monasterii Sancti Saturnini Tholosani. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. (fol. 61 v°.)

Raymundo, abbati monasterii Sancti Saturnini Tholosani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini. Etsi de cunctis —.

Electionem suprascripti, per T[heodoricum], Civitatis Papalis episcopum, J[ohannem], tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum, et Petrum, Sanctæ Mariæ Novæ diaconum cardinales, examinatam, confirmat dominus papa ipsumque preficit in abbatem. Monasterio præfato per obitum quondam Sancii abbatis vacante, et conventu per viam compromissi electioni procedere decernente, Guillelmus de Sancto Amantio, claustralis, et magister Garsias de Blanaco, priores, ac magister Raymundus de Cardelacho, canonicus, compromissarii electi, suprascriptum, canonicum ejusdem monasterii, tunc priorem Calvi Montis, Appamiarum diocesis, elegerant.

Dat. Anagnie, VIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Saturnini Tholosani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.*

4164 (CCXXX) Anagni, 10 août 1301.

« Quod possit conferre duobus personis tabellionatus officium » infra unius anni spatium. (fol. 62 v°.)

Guidoni, electo Tornacensi. Ne contractuum memoria. — Dat. Anagnie, IIII id. augusti, anno septimo.

4165 (CCXXXI) Anagni, 22 septembre 1301

« Quod possit — ad triennium — sibi eligere confessorem. » (fol. 62 v°.)

Carissime in Christo filie Blance, regine Aragonie illustri. Ut gratiosus Apostolice —. Dat. Anagnie, X kal. octobris, anno septimo.

4166 (CCXXXI *bis*) Même date.

Ut altare portatile habere valeat. (fol. 62.)

Eidem. Ingens et sincera —. Dat. ut supra.

4167 (CCXXXII) Anagni, 2 octobre 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 62.)

Thome de Pellizonis, preposito ecclesie Sancti Donati de Pinarolio, Taurinensis diocesis. Clare tue probitatis —.

Suprascripto indulgetur, consideratione Papiani, Romanæ Ecclesiæ viceecancellarii, cujus patruus existit, ut præter præposituram præfatam, curam animarum habentem et canonicatum, quem in Taurinensi, et perpetuum beneficium, quod in Sancti Damiani de Granoco, Novariensis diocesis, ecclesiis obtinet, possit adhuc unicam aliam ecclesiasticam dignitatem seu etiam personatum, cui cura non immineat animarum, libere recipere et licite retinere.

Dat. Anagnie, VI non. octobris, anno septimo.

4168 (CCXXXIII) Anagni, 27 septembre 1301.

« Quod possit recipere munus consecrationis. » (fol. 62.)

Gregorio, electo Sipontino. Pridem Spontina ecclesia —.

Conceditur suprascripto ut a quocumque maluerit catholico episcopo possit se facere, tunc diaconum, statutis temporibus in presbyterum promoveri et ut postmodum quivis talis episcopus ipsi consecrationis munus impertiri valeat.

Dat. Anagnie, V kal. octobris, anno septimo.

4169 (CCXXXIIII) Anagni, 4 août 1301.

« Quod concedant duabus personis tabellionatus officium, quas frater Jacobus de Molay, magister Domus Militie Templi, duxerit nominandas. » (fol. 62 v°.)

Venerabilibus fratribus G[uidoni], Famagustano, et P[etro], Nimociensi episcopis. Dignum esse conspicimus et equitati consonum arbitramur, ut dilectus filius frater Jacobus de Molay, magister Domus Militie Templi Jerosolimitani, quem sincere dilectionis affectus et ejus clara merita nobis et Apostolice Sedi gratum reddunt multipliciter et acceptum, a nobis et ab ipsa Sede gratiose ac favorabiliter in suis oportunitatibus faveatur. Cum itaque idem magister, sicut ex parte sua nuper accepimus, personarum que contractus legitimos, acta judiciorum et alia hujusmodi redigant in publica instrumenta, defectum in illis partibus patiatur. Nos, ejus supplicationibus inclinati, volentes sibi super hoc utiliter providere, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum tabellionatus officium duabus personis ydoneis, quas predictus magister ad id vobis vel alteri vestrum, simul vel disjunctim, duxerit nominandas, si eas ad illud post diligentem examinationem ydoneas esse reperitis, prius ab eis juramento juxta formam presentibus annotatam recepto, auctoritate nos-

tra liberaliter concedatis. Forma autem juramenti quod ipsarum personarum quelibet prestabit talis est : Ego . . ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro et Sancte Romane Ecclesie ac domino pape Bonifatio et successoribus ejus canonice intrantibus. Non ero in consilio, et cetera ut in forma usque in finem. Dat. Anagnie, II non. augusti, anno septimo.

4170 (CCXXXV) Anagni, 18 septembre 1301.

« Conceditur Carolo, comiti Andegavensi, ut XII clerici domestici, presentes et posteri, possint percipere fructus beneficiorum suorum quamdiu etc. » (fol. 62 v°.)

Dilecto filio nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi, regis Francorum, comiti Andegavensi. Personam tuam devotione —. Dat. Anagnie, XIIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Parisiensi, et . . Constansiensi episcopis, ac dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis.*

4171 (CCXXXVI) Anagni, 23 septembre 1301.

« Peregrino, electo Venafrano. Preficitur in episcopum Venafranum. » (fol. 62 v°.)

Peregrino, electo Venafrana. Rationis oculis intuentes —.

Suprascriptus, tunc præpositus ecclesiæ de Vanzo, ordinis sancti Augustini, Paduanæ diocesis, capellanus domini papæ, ecclesiæ Venafranæ, per obitum Decibilis episcopi vacanti et dispositioni Sedis Apostolicæ ea vice reservatæ, præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, VIIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *capitulo ecclesie Venafrana — clero — populo — universis vassallis — archiepiscopo Capuano — Carolo, regi Sicilie.*

4172 (CCXXXVI *bis*) Anagni, 2 octobre 1301.

Testatur dominus papa Leonardum, episcopum Albanensem consecrationis munus impendisse eidem Peregrino. (fol. 63.)

Eidem episcopo. Pridem Venefrana ecclesia —. Dat. Anagnie, VI non. octobris, anno septimo.

4173 (CCXXXVII) Anagni, 28 septembre 1301.

« Super decima assignanda mercatoribus de societate Spinorum. — In e. m. archiepiscopo Ebredunensi — archidiacono Gaudentio (*sic*) in ecclesia Tornacensi. » (fol. 63.)

Venerabili fratri . . episcopo Massiliensi, collectori decime pro honeribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos nuper imposite in Aquensi et Arelatensi civitatibus et diocesibus atque provintiis deputato. Cum tibi nuper collectionem decime per nos nuper imposite pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane duxerimus in Aquensi et Arelatensi civitatibus et diocesibus atque provinciis, per alias nostras sub certa forma litteras, committendam, nos, ut hujusmodi decimam habere possimus in promptum, fraternitati tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus totam pecuniam, quam de ipsa decima ad manus tuas vel illorum, quos ad hujusmodi collectionis ministerium deputabis, provenire contigerit, dilectis filiis Rogerio et Lapo de Spinis et eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatoribus, aut ipsorum alicui vel aliquibus vel procuratori seu procuratoribus eorumdem ad hoc ab eis specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata difficultate qualibet, assignes integraliter et per subcollectores a te deputandos facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana Curia persolvendam, faciens de singulis assignatibus hujusmodi singula confici publica instrumenta, illa nobis, penes te retentis similibus, per fidelem nuntium transmissurus, ac significaturus nichilominus per tuas litteras, harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeris faciendum : sic itaque te in hac parte vigilanter et fideliter habere procures quod possis exinde merito commendari. Dat. Anagnie, IIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos nuper imposite, in Lugdunensi, Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provinciis, ea parte Lugdunensis provincie, que est in regno Francie constituta, dumtaxat excepta, deputate.*

In e. m. *dilecto filio . . archidiacono Gandensi in ecclesia Tornacensi, collectori decime pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos nuper imposite, in Metensi, Virdunensi, Tullensi, Leodiensi et Cameracensi civitatibus et diocesibus, ea parte Cameracensis diocesis, que est in regno Francie constituta, dumtaxat excepta, deputato.*

4174 (CCXXXVIII) Anagni, 1er septembre 1301.

« Preficitur in episcopum Leodiensem. » (fol. 63 v°.)

Dilecto filio Adulpho de Waldeke, electo Leodiensi. Inter cetera sollicitudinis —.

Suprascriptus, tunc præpositus ecclesiæ Treverensis, ecclesiæ Leodiensi, per liberam resignationem Hugonis de Cabillone, tunc ejusdem ecclesiæ regimini præsidentis, quem ex certis causis dominus papa ad suam duxerat præsentiam evocandum, in ejus manibus sponte factam, vacanti et ea vice dispositioni Sedis Apostolicæ reservatæ præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, kal. septembris, anno septimo.

In e. m. *capitulo ecclesie Leodiensis — clero — populo — universis vassallis — archiepiscopo Coloniensi.*

4175 (CCXXXVIII *bis*) Anagni, 28 septembre 1301.

Conceditur ut eidem electo a quovis maluerit catholico episcopo possit se facere, tunc diaconum, in presbyterum promoveri et ut quivis talis episcopus ei consecrationis munus valeat impertiri.

Eidem electo. Pridem Leodiensi ecclesia —. Dat. Anagnie, IIII kal. octobris, anno septimo.

4176 (CCXXXVIIII) Anagni, 1er septembre 1301.

« Preficitur in episcopum Gratianopolitanum. » (fol. 64.)

Guillelmo, electo Gratianopolitano. Celestis dispositione consilii —.

Suprascriptus, ecclesiæ Gratianopolitanæ decanus, qui a majore et saniore parte capituli electus concorditer extitit, et quem nonnulli « nobiles illarum partium, plenam persone notitiam obtinentes, per suas litteras speciales de multe probitatis meritis commendarunt », ecclesiæ eidem, per obitum Guillelmi episcopi vacanti, præficitur in episcopum. Capitulo ejusdem ecclesiæ per viam scrutinii procedente, novem ex canonicis, qui quatuordecim existebant, eumdem Guillelmum, ac reliqui quatuor magistrum Guillelmum de Liberone, ecclesiæ Grassensis prepositum, in suum episcopum in discordia elegerant. Hujus electionis negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam devoluto, uterque in manibus domini papæ resignaverunt; et provisio ejusdem ecclesiæ ea vice Apostolicæ Sedis dispositioni reservata fuit.

Dat. Anagnie, kal. septembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Gratianopolite — universis vassallis — archiepiscopo Viennensi.*

4177 (CCXL) Au Latran, 11 octobre 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo usque ad summam mille florenorum auri pro Fernando, episcopo Segobiensi. — In e. m. pro episcopo Gratianopolitano usque ad eamdem summam. » (fol. 64 v°.)

Fernando, episcopo Segobiensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, V id. octobris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri Guillelmo, episcopo Gratianopolitano.*

4178 (CCXLI) Au Latran, sans date et 21 octobre 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Almoravio, archiepiscopo Ispalensi. — In e. m. pro Geraldo, episcopo Portugalensi — pro Fernando, episcopo Segobiensi. » (fol. 64 v°.)

Bartholomeo, preposito Pistoriensi, ac Titio, archipresbytero de Colle, Wulterrane diocesis, capellano nostro, et Lante Guidonis, canonico Pistoriensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum duorum millium florenorum auri quos recepit Almoravius, archiepiscopus, tunc electus Ispalensis, a Lante Agolantis de societate Amannatorum de Pistorio mutuante pro se ipso ac heredibus suis.

Dat. Laterani [1].

In e. m. *dilectis filiis Titio, capellano nostro, archipresbytero de Colle, Wulteranæ diocesis, et . . preposito, et Lante, canonico Pistoriensis ecclesiarum.* Exponente pridem nobis —.

Notificatur, suprascriptis executorio nomine, mutuum trium millium florenorum auri, quos recepit Geraldus, episcopus Portugalensis, a Lante Agolantis de societate Amannatorum de Pistorio, mutuante pro se et Martino Marcho et Jacobo Amannati, Nesio et Totto Bartholomei Amannati, Jacobo Agolantis, Lapo Bonichi, Filippo Franchi, et Paulo Tegrini, Lanfranco Jandonati et Bartholomeo Nesis Amannati, Johanne Franchi et Albiczo Spine ac Simone Guidonis Agolantis et ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani.

1. Deest nota chronologica, forsan supplendum est « XII kal. novembris » ut in ultima sequentium epistolarum.

In e. m. *dilecto filio Titio, archipresbytero de Colle, Wulterane diocesis, capellano nostro, ac Bartholomeo, preposito, et Lante Guidonis, canonico Pistoriensis ecclesiarum.* Exponente pridem nobis —.

Notificatur suprascriptis executorio nomine mutuum mille florenorum auri, quos recepit Fernandus, Segobiensis episcopus, a Lante Agolantis, Lanfranco Jandonati et Bartromeo Nesii, mutuantibus pro se ac Martino et Marcho Jacobi Amannati, Nesio et Totto Bartromei Amannati, Dino Johannis Gerardini, Johanne Bandini, Jacobo Agolantis, Paulo Tegrini, Albizo Spine et ceteris.

Dat. Laterani, xii kal. novembris, anno septimo.

4179 (ccxlii) Anagni, 26 septembre 1301.

« Quod possit suscipere clericalem tonsuram. » (fol. 65.)

Phylippo Scolari, nato nobilis viri Harpini domini de Eckeri, Belvacensis diocesis. Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu ascribi cupias militie clericali, nos, intendentes te in hujusmodi tuo laudabili desiderio confovere, ut a quocumque volueris catholico episcopo, gratiam et comunionem Apostolice Sedis habente, primam tonsuram clericalem suscipere valeas, aliqua constitutione contraria non obstante, auctoritate tibi presentium ducimus concedendum. Dat. Anagnie, vi kal. octobris, anno septimo.

4180 (ccxliii) Anagni, 14 mai 1301.

« Quod possit, insistens scolasticis disciplinis ubi studium vigeat generale, percipere fructus prebende sue Laudunensis usque ad triennium. » (fol. 65.)

Matheo, nato dilecti filii Gentilis de Passinellis militis Reatini, canonico Laudunensi. Ut tua et tuorum —. Dat. Anagnie, ii id. maii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Genovefe Parisiensis ac . . decano Sancti Johannis in Burgo Laudunensis, et Petro de Reate, canonico Autisiodorensis ecclesiarum.*

4181 (ccxliii *bis*) Latran, 28 octobre 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Guillelmo, episcopo Gratianopolitano. » (fol. 65.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Ebredunensi et dilectis filiis Titio, archipresbytero de Colle, capellano nostro, Wulterane diocesis, ac . . officiali Nemausensi. Exponente pridem nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum mille florenorum auri, quos Guillelmus, episcopus Gratianopolitanus, recepit a Johanne Maffei, cive et mercatore Florentino, de societate Spinorum, mutuante pro se et vice ac nomine Rogerii et Lapi de Spinis, Philippi et Spine fratrum, filiorum quondam Hugonis Spine, et Petri ac Vanni quondam Mannetti Spine, Symonis Gerardi, Nigri Cambii, Gerardi Hughi, Tuccii Locchi, Andree Bonaventure et Johannis Gerardini ac ceterorum de societate prædicta.

Dat. Laterani, v kal. novembris, anno septimo.

4182 (ccxliiii) Anagni, 16 juin 1301.

« Super ecclesia Sancti Johannis de Oratorio, Nannetensis [1] diocesis. (fol. 65.)

Dilectis filiis . . archidiacono Transligerensi et magistris Henrico de Henon ac Hugoni de Freneya, canonicis ecclesie Andegavensis. Vacante dudum ecclesia Sancti Johannis de Oratorio, Nannetensis diocesis, per mortem quondam Guillelmi rectoris ipsius, . . abbas monasterii Sancti Jovini de Marnis, Pictavensis diocesis, patronus ipsius, magistrum Petrum de Vignello, nunc rectorem ejusdem ecclesie, ad ipsam ecclesiam, sic vacantem nullique alii de jure debitam, venerabili fratri nostro . . episcopo Nannetensi canonice presentavit; et, quia idem episcopus dictum magistrum Petrum, sine aliqua causa rationabili, ad eandem ecclesiam admittere contra justitiam denegavit, ex parte ipsorum abbatis et magistri Petri fuit propter hoc, et ne idem episcopus dictam ecclesiam alicui alteri conferret, ad Turonensem sedem loci metropoliticam appellatum; at idem episcopus, hujusmodi appellatione contenta, prefatam ecclesiam magistro Stephano de Briennensi, canonico Nannetensi, tunc officiali suo, pro sue contulit libito voluntatis, idemque magister Stephanus, talis collationis pretextu, occupavit eandem et adhuc detinere dicitur occupatam; ipsi vero abbas et

1. *Nemaucensis* legitur in iudice sed. perperam, ut liquet ex epistola ipsa.

magister Petrus, ab hujusmodi collatione ad sedem iterum appellantes eandem, fecerunt episcopum et magistrum Stephanum predictos, ad procedendum in causa hujusmodi appellationum, coram . . officiali dicte sedis ad judicium evocari. Sane super libellis, tam ex parte abbatis quam magistri Petri predictorum contra eosdem episcopum et magistrum Stephanum oblatis, lite in ipsius officialis presentia legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, formatis insuper et datis articulis, productis etiam ex parte ipsorum abbatis et magistri Petri quibusdam testibus eorumque attestationibus publicatis, demum venerabilis frater noster . . archiepiscopus Turonensis, hujusmodi causam ad se revocans, illam magistro Gualtero de Cociaco, canonico Turonensi, audiendam commisit, a quo pro parte dictorum episcopi et magistri Stephani ex certo gravamine per eum ipsis, ut dicebant, illato, fuit ad Sedem Apostolicam appellatum. Nosque in causa hujusmodi appellationis, pro parte dictorum episcopi et magistri Stephani interjecte, ac negotii principalis, magistrum Guidonem de Baysio, archidiaconum Bononiensem, capellanum nostrum, dedimus partibus auditorem, et postmodum ei, de Romana Curia recedenti, quondam magistrum Raynerium de Vichio, canonicum Lichefeldensem, capellanum nostrum, in omnibus causis coram archidiacono predicto pendentibus auditorem duximus subrogandum. Porro coram prefato magistro Raynerio comparentibus magistro Raynaldo de Setia, episcopi et magistri Stephani, ac magistro Petro de Laude, abbatis et magistri Petri de Vignello predictorum procuratoribus, et consentientibus quod, omisso articulo dicte appellationis, ex parte ipsorum episcopi et magistri Stephani interjecte, procederetur in negotio principali, productis etiam coram eo actis, juribus et munimentis, quibus ipsi partium procuratores uti in causa hujusmodi voluerunt, et demum in ea concluso, dictus magister R., omnibus actis dicte cause tam coram eo quam coram dicto officiali ejusdem sedis Turonensis habitis diligenter examinatis atque discussis, factaque super hiis coauditoribus suis Apostolici palatii relatione fideli, predictis partium procuratoribus die ipsis prefixa ad diffinitivam super hiis sententiam audiendam in ejus presentia constitutis, diffiniendo sententiavit et sententialiter diffinivit, prout ex parte predictorum abbatis et magistri Petri de Vignello petitum fuerat, bene et legitime per eos in hac parte appellatum fuisse, ac collationem factam de dicta ecclesia per eundem episcopum ipsi magistro Stephano, et quicquid per prefatum episcopum post appellationem hujusmodi pro parte predictorum abbatis et magistri Petri de Vignello, ut premittitur, interjectam, in ipsorum prejudicium attemptatum extiterat revocavit, ac pronuntiavit dictum magistrum Petrum de Vignello ad dictam ecclesiam admittendum et in ea instituendum fore, ipsumque ad eam admisit et in illius rectorem instituit; condempnans eundem magistrum Raynaldum procuratorem, nomine episcopi et magistri Stephani predictorum, et, per ipsum, eosdem episcopum et magistrum Stephanum ipsi magistro Petro de Laude, procuratori dictorum abbatis et magistri Petri de Vignello, et, per eum, abbati et magistro Petro de Vignellis predictis in expensis legitimis, illarum sibi taxatione imposterum reservata. Cumque ab hujusmodi sententia pro parte episcopi et magistri Stephani ad dictam Sedem Apostolicam appellatum fuisset, nos, causam hujusmodi appellationis, ab eadem sententia interjecte, venerabili fratri nostro B., episcopo Eduensi, tunc decano Pictavensi, capellano nostro, dictique palatii auditori causarum, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Coram quo super libello, ex parte ipsorum episcopi et magistri Stephani oblato, lite inter dictos partium procuratores legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, formatis insuper et datis articulis hinc et inde, et super ipsorum articulorum pertinentia et impertinentia aliquandiu disputato, prefatus episcopus, tunc decanus, de suorum coauditorum consilio, quibus relationem super hoc fecit, interloquendo pronuntiavit aliquos ex articulis, pro parte dictorum episcopi et magistri Stephani exhibitis, admittendos non esse ad probandum per testes, et alios, certis ex causis legitimis, repulit, justitia exigente, eodemque procuratore dictorum episcopi et magistri Stephani ab hujusmodi interlocutoria dicti episcopi, tunc decani, ad Sedem Apostolicam appellante predictam, nos, causam hujusmodi appellationis, ab eadem interlocutoria interjecte, magistro Bartholino de Cornazano, Brixiensi, tunc Tornacensi, capellano nostro, dictique palatii auditori causarum, audiendam commisimus et fine debito terminandam : qui, in ea procedens legitime, productis et exhibitis coram ipso omnibus actis, juribus et munimentis, quibus partes in terminis ad hec per eum assignatis eisdem dare et producere voluerunt, predictis partium procuratoribus die ipsis prefixa ad suam super hiis interlocutoriam audiendam in ejus presentia constitutis, facta super premissis coauditoribus suis dicti palatii relatione fideli, de ipsorum consilio, interloquendo pronuntiavit, prefatum episcopum, tunc decanum, bene et legitime in hac parte interlocutum fuisse, ac ab hujusmodi ejus interlocutoria pro parte dictorum episcopi et magistri Stephani perperam appellatum. Et licet idem procu-

rator ipsorum episcopi et magistri Stephani ab hujusmodi interlocutoria dicti magistri Bartholomei ad Sedem Apostolicam appellaverit supradictam, magister tamen Bernardus Roiardi, canonicus Xanctonensis, capellanus noster dictique palatii causarum auditor, quem nos in causa hujusmodi appellationis, ab eadem ipsius magistri Bartholomei interlocutoria interjecte, concessimus partibus auditorem, merita ejusdem sibi commisse cause diligenter examinans, productis coram eo juribus, actis et munimentis dictarum partium eisque diligenter inspectis et plenius recensitis, de consilio coauditorum suorum ejusdem palatii, quibus relationem super hoc fecit, presentibus partium procuratoribus prelibatis, die ipsis prefixa ad hujusmodi suam interlocutoriam audiendam, interloquendo pronuntiavit per prefatos episcopum, tunc decanum, ac magistrum Bartholomeum, auditores, bene in hac parte processum et interlocutum, et ab eorum interlocutoriis supradictis fuisse pro parte episcopi et magistri Stephani predictorum perperam appellatum, prout in instrumentis publicis inde confectis, dictorum auditorum sigillis munitis, plenius dicitur contineri. Demum vero, ex parte episcopi et magistri Stephani predictorum, nobis extitit supplicatum, ut, cum idem magister Raynerius, ex vigore commissionis ei per nos facte de causa predicta, non potuerit, ut asserebant, eundem magistrum Petrum admittere ad dictam ecclesiam vel ipsum instituere in eadem, retractari dictam sententiam ipsius magistri Raynerii, saltem quoad admissionem et institutionem hujusmodi, que in eadem continentur sententia, faceremus. Nos vero, ad presens utrum prefatus magister Raynerius id potuerit vel non potuerit, non intendimus diffinire; set, quia eidem magistro Petro, qui in prosecutione cause predicte labores graves substinuit et expensas, affectione paterna compatimur, finemque cupimus eidem cause imponere, ne ex prorogatione ipsius tam magistro Petro de Vignello quam ecclesie supradictis graviora proveniant detrimenta, volumus quod, saltem per viam provisionis, dicta sententia ipsius magistri Raynerii, etiam quoad admissionem et institutionem predictas, plenam recipiat firmitatem; ac propterea eandem sententiam, appellatione hujusmodi ab ea interposita non obstante, ratam et gratam habentes, eamque auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmantes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, sententiam ipsam executioni debite demandantes, prefatum magistrum Petrum de Vignello in corporalem possessionem dicte ecclesie, jurium et pertinentiarum ipsius inducatis, auctoritate nostra, et defendatis inductum, prefato magistro Stephano amoto penitus ab eadem, dictasque expensas, in quibus episcopus et magister Stephanus predicti sunt per eandem sententiam ipsis abbati et magistro Petro de Vignello, ut predicitur, condempnati, justitia suadente, taxantes, faciatis de illis eisdem abbati et magistro Petro de Vignello satisfactionem plenariam exhiberi. Contradictores, et cetera. Dat. Anagnie, xvi kal. julii, anno septimo.

4183 (CCXLV) Latran, 18 et 31 octobre 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo. — Executoria super eodem. » (fol. 66.)

Raymundo, abbati monasterii Sancti Saturnini Tholosani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini. Cum sicut in nostra —.

Conceditur suprascripto licentia contrahendi mutuum usque ad summam quatuor millium florenorum auri.

Dat. Laterani, xv kal. novembris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Ebredunensi et dilectis filiis Titio, archipresbytero ecclesie de Colle, Wulterrane diocesis, capellano nostro, et . . officiali Nemausensi.* Notificatur prefatum mutuum quatuor millium florenorum, quos suprascriptus abbas recepit a Symone Gerardi mutuante pro se ac Rogerio et Lapo de Spinis, Philippo et Spina Hugonis Spine, Nigro Cambii, Johanne Maffei, Gerardo Hughi, Tuczo Cechi, Andrea Benaventura et Johanne Gerardini ac ceteris. Dat. Laterani, II kal. novembris, anno septimo.

4184 (CCXLVI) Anagni, 1er septembre 1301.

« David, abbati monasterii Sancti Launomari Blesensis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 66.)

David, abbati monasterii Sancti Launomari Blesensis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis. Suscepti cura regiminis —. Sane monasterio Sancti Launomari, per mortem quondam Petri, abbatis ipsius monasterii, regimine destituto pastoris, dilecti filii . . prior et conventus ejusdem monasterii, a venerabili fratre nostro . . episcopo Carnotensi, prout de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine in eodem monasterio obtentum fore asseritur, eligendi abbatem petita licentia et obtenta, certa die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode

interesse, insimul convenerunt, ac, deliberantes ad electionem hujusmodi faciendam per viam procedere compromissi, dilectis filiis Johanni de Fonte, de Champignyaco, et Guillelmo dicto Galensi, de Solleyo prioratuum prioribus, predicte Carnotensis et Cenomanensis diocesium, ad dictum monasterium immediate spectantium, ac ejusdem monasterii monachis, provideri ea vice ipsi monasterio de abbate potestatem plenam et liberam unanimiter concesserunt : qui, hujusmodi potestate recepta, recedentes in partem, deliberatione inter se prehabita diligenti, vota sua in quondam fratrem Odonem, monachum ejusdem monasterii, concorditer direxerunt dictusque Johannes, vice prioris et conventus predictorum, nomine suo et ejusdem college sui presentis et mandantis, eumdem Oddonem in abbatem elegit monasterii supradicti, ac idem Oddo, ad instantiam dictorum prioris et conventus, infra tempus a jure statutum, hujusmodi electioni consensit. Cumque postmodum dictus Oddo electionem ipsam ab eodem episcopo peteret confirmari, ac frater Johannes de Cormilon, monachus dicti monasterii, pro se et aliis monachis dicti monasterii sibi adherentibus et adherere volentibus in hac parte, se super hoc Oddoni opposuisset eidem, demum negotio electionis ipsius per appellationem dicti Oddonis ac prioris et conventus predictorum ab audientia prefati episcopi ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, nominatus electus, infra tempus legitimum, iter arripuit ad Sedem ipsam propterea personaliter veniendi, et tandem, se ad eandem Sedem conferendo, in castro Molarie, Tusculane diocesis, debitum nature persolvit.

Cum ea vice provisionem dicti monasterii dispositioni Sedis Apostolicæ reservavisset dominus papa, suprascriptum David, tunc priorem heremi Camaldulensis, Aretinæ diocesis, ad monasterium predictum transferens, in abbatem præficit.

Dat. Anagnie, kal. septembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Sancti Launomari Blesensis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis — universis prioribus prioratum et membrorum immediate monasterio Sancti Launomari subjectorum — episcopo Carnotensi.*

4185 (CCXVLII) Latran, 23 et 27 octobre 1301.

« Quod possit contrahere mutuum. » — « Executoria super eodem. » (fol. 66 v°.)

Dilecto filio David, abbati monasterii Sancti Launomari de Blesis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis. Cum te apud Sedem —.

Licentia conceditur suprascripto contrahendi mutuum usque ad summam sex millium florenum auri.

Dat. Laterani, x kal. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Aureliacensi in ecclesia Claromontensi et magistro Roberto de Jassia, canonico Laudunensi.* Cum nuper dilectus —.

Notificatur suprascriptis executorio nomine mutuum præfatum sex millium florenum auri, quos suprascriptus a Roberto, tituli Sanctæ Pudentianæ presbytero cardinali, recepit.

Dat. Laterani, VI kal. novembris, anno septimo.

4186 (CCXLVIII) Même date.

« Littera pro eodem ad contribuendum. » (fol. 67.)

Eidem abbati. Cum te nuper —.

Conceditur ei facultas compellendi universos priores, administratores, conventus et personas prioratuum et membrorum, quocumque nomine censeantur, monasterio Sancti Launomari subjectorum, ut contribuant ad satisfactionem mutui præfati juxta suarum competentiam facultatum.

Dat. ut supra.

4187 (CCXLVIIII) Anagni, 24 septembre 1301.

« Citatio ad instantiam Pauli de Comite, canonici Carnotensis. » (fol. 67.)

Venerabili fratri . . episcopo Pistoriensi et dilectis filiis Bertulo de Labro, canonico Carnotensi, capellano nostro. Etsi ex debito pastoralis officii teneamur singulis Ecclesie Romane fidelibus nos in exhibitione justitie reddere favorabiles et benignos, illis tamen specialius adesse tenemur, qui ascripti nostre familiaritatis titulo dinoscuntur. Gravem siquidem dilectus filius Paulus de Comite, canonicus Carnotensis, capellanus noster, querimoniam exposuit coram nobis, quod Panochia Lanfranchi, Jacobus ejus filius, Zato Guillanelli et Lapus Baronis, cives et mercatores Pistorienses, non modicas pecuniarum summas, que provenerunt ad eos de fructibus prebendarum ipsius capellani, quas in Carnotensi, Baiocensi, Belvacensi et Ambianensi ecclesiis oblinet, indebite de-

tinent, ac eas sibi, ut tenentur, reddere contradicunt, in ipsius capellani grave dampnum et injuriam manifestam. Cum autem eidem capellano nimis onerosum et periculosum existat cum ipsis mercatoribus, propter eorum potentiam, Pistorii litigare, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de speciali gratia dignaremur. Nos igitur, eidem capellano adesse favorabiliter in suis juribus intendentes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, prefatos Panochiam, Jacobum Zatum et Lapum, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut dicti Panochia, Jacobus et Zato, per se vel per procuratorem idoneum, Lapus vero, qui, cum esset procurator constitutus a capellano predicto ad procurandum fructus et negotia prebendarum hujusmodi, in administratione fructuum eorumdem infideliter se dicitur habuisse, personaliter, infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi, nostro se conspectui representet, predicto capellano super premissis de justitia responsurus. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid inde duxeritis faciendum, et cetera. Dat. Anagnie, VIII kal. octobris, anno septimo.

4188 (CCL) Anagni, 13 mai 1301.

« Super relaxatione interdicti. » (fol. 67.)

Dilectis filiis consilio et comuni Esculanis. Devotionis vestre sinceritas, quam erga nos et Romanam gessistis et habetis Ecclesiam, digne meretur, ut vos et civitatem vestram prerogativa favoris et gratie prosequamur. Volentes igitur illam vobis et eidem civitati gratiam impertiri, per quam vos et ipsam erga nos et predictam Ecclesiam reddamini ad exhibitionem devotionis et reverentie promptiores, vestris supplicationibus inclinati, omne interdictum, cui civitas eadem per dilectum filium nostrum Neapoleonem, Sancti Adriani diaconum cardinalem, in partibus illis Apostolice Sedis legatum et Marchie Anconitane rectorem, vel per officiales ipsius, quibuscumque modis et causis, qnotienscumque supposita esse noscatur, ex nunc auctoritate Apostolica, de specinli gratia, relaxamus, ita quod de cetero illud ex eisdem causis in ea non debeat observari. Nulli ergo, et cetera, nostre relaxationis, et cetera. Dat. Anagnie, III id. maii, anno septimo.

4189 (CCLI) Latran, 28 octobre 1301.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 67.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Tudertino. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, V kal. novembris, anno septimo.

4190 (CCLII) Latran, 21 octobre 1301.

« Dispensatio super matrimonio inter Sancium, Majoricarum, et Lyenoram, Sicilie regum natos. » (fol. 67.)

Dilecto filio nobili viro Santio, nato carissimi in Christo filii nostri Jacobi Majoricarum, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Lyenore, nate carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regum illustrium. Etsi inter illos —. Cum igitur inter carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, Majoricarum, patrem tuum, fili Sanci, et Carolum, Sicilie, patrem tuum, filia Lyenora, reges illustres, nuper tractatus sit habitus quod vos, qui quarto vos invicem consanguinitatis gradu contingitis, te, fili Sanci, tertio, te vero, filia Lyenora, quarto gradibus a stipite comuni distantibus, debeatis invicem copulari matrimonialiter, ac ex parte dictorum regum nobis fuerit supplicatum, ut providere super hoc vobis de dispensationis gratia dignaremur. Nos, pro soliditate pacis regnantium et regnorum, et precipue ut inter eundem regem Majoricarum et carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Aragonum illustrem, dicti regis Sicilie generum, inter quos fuit hactenus rancor et scandalum, solidetur amabilius idemptitas animorum, ipsorum Sicilie et Majoricarum regum supplicationibus inclinati, quod matrimonium licite contrahere valeatis, impedimento quod ex hujusmodi consanguinitate provenit non obstante, vobiscum, auctoritate Apostolica, dispensamus. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis, et cetera. Dat. Laterani, XII kal. novembris, anno septimo.

4191 (CCLIII) Anagni, 24 septembre 1301.

« Dispensatur cum Benedicto Odonis Gaitani de Pisis quod possit insistere studio juris civilis per quinquennium. » (fol. 67 v°.)

Benedicto, nato quondam Oddonis Gaitani de Pisis, capellano nostro, preposito ecclesie Sancti Petri ad Gradus Pisane diocesis. Desiderantium imbui scientia —.

Suprascripto, qui in seculari Sancti Affrodisii, Biterrensis,

abbatiam, et in Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesium præposituram, ac in Noviomensi ecclesiis, thesaurariam ex dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere dignoscitur, indulgetur ut juris civilis studio, per quinquennium, insistere valeat.

Dat. Anagnie, VIII kal. octobris, anno septimo.

4192 (CCLIIII) Latran, 22 novembre 1301.

« Super revocatione cujusdam statuti. » (fol. 67 v°.)

. . *rectoribus et universitati scolarium Bononie studentium.* Quoniam non nisi in tranquillitate pacis et quiete cordis aliquorum proficit studium ad thesauros sciencie acquirendos, in hiis, que sint vobis ad quietem et pacem, libenter intendimus et liberaliter annuimus votis vestris. Oblata siquidem nobis per dilectos filios ambaxiatores Bononienses, tam pro parte comunis Bononiensis quam vestra, petitio continebat, quod, olim inter duos scolarium vestre universitatis suborto dissidio, occasione electionis de ipsis ad rectoriam Citramontanorum scolarium Bononie studentium in discordia celebrate, Gelfus de Cavalcantibus, tunc ejusdem civitatis potestas, prefatos duos electos, jam ad rissas et arma paratos, ne hujusmodi occasione universale studium inibi turbaretur, fecit caute, set tamen curialiter, detineri, donec dicta eorum discordia sopiretur. Postmodum autem unus de dictis duobus dissidentibus, ad prefatam rectoriam assumptus, sibi ad injuriam reputans, quod ad suum et vestrum comodum factum erat, per vos obtinuit statui et juramento firmari, ut idem Gelfus et omnes ex eo per masculinam lineam descendentes privati essent omni ipsius vestre universitatis comodo et honore. Nunc vero, redeuntes ad cor, et cupientes, pro prefate vestre universitatis quiete ac pace, Bononiensibus super hoc vos requirentibus complacere, vultis statutum hujusmodi et omnia ipsum contingentia revocare. Quare nobis humiliter extitit supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos autem, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod, juramento predicto per vos vel vestrum singulos prestito et quolibet alio contrario non obstante, possitis prefatum statutum et omnia ipsum contingentia revocare, vobis, auctoritate Apostolica, de speciali gratia, tenore presentium, indulgemus. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, x kal. decembris, anno septimo.

4193 (CCLV) Latran, 22 novembre 1301.

« Quedam gratia concessa comuni Bononie. » (fol. 67 v°.)

Dilectis filiis potestatibus, rectoribus, consiliis et comunitatibus Ravennatensis, Cerviensis et Ariminensis civitatum ac castri Argente, Ravennatensis diocesis, necnon et aliarum quarumcunque civitatum, castrorum et locorum per provinciam Romaniole constitutis. Considerantes sincere devotionis —.

Suprascriptis mandatur, ut, cum Bononiensis civitas, tam pro suorum multitudine civium quam scholarium illam incolantium, ratione vigentis inibi studii generalis, ac aliorum confluentium ad eandem, victualibus et aliis mercimoniis egeat, Bononienses in terris suis emere et mercimonia tam in ipsis terris eorum quam alibi empta per terras, aquas, portus ac districtus libere ac pacifice transferre permittant.

Dat. Laterani, x kal. decembris, anno septimo.

POTTHAST, 25093.

4194 (CCLVI) Même date.

« Inhibetur — infrascriptis — quod non faciant aliquam permutationem de ecclesia Sancte Marie in Monte prope Bononiam. » (fol. 68.)

.. *abbati et conventui monasterii Sancti Felicis Bononiensis, ordinis sancti Benedicti.* Ad ecclesiam Sancte Marie —.

Interdicitur et inhibetur eis, sub privationis abbatiæ ac monasterii eorum pœna, ne in ecclesia Sanctæ Mariæ in Monte prope Bononiam, ad suum monasterium pertinente, ejusque juribus ac pertinentiis venditionem, donationem permutationem, alienationem vel cujuscumque alterius generis novitatem faciant.

Dat. ut supra.

4195 (CCLVII) Anagni, 23 août 1301.

« Indulgentia super fructibus percipiendis. » (fol. 68.)

Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Nicolai de Comite civis Romani, canonico Remensi. Ut tua et tuorum —.

Indulgetur ei, usque ad triennium, ut, apud Sedem Apostolicam vel in scolis aut alibi ubicumque moram trahens, proventus præbendarum, quas in Remensi et de Sancto Audo-

maro, Morinensis diocesis, ecclesiis obtinet, in absentia percipere valeat.

Dat. Anagnie, x kal. septembris, anno septimo..

In e. m. *dilectis filiis.. Sancti Laurentii extra muros Urbis, et.. Sancti Remigii Remensis monasteriorum abbatibus, ac magistro Benedicto de Aquino, notario nostro, archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi.*

4196 (CCLVIII) Anagni, 21 septembre 1301.

« Preficitur in episcopum Fesulanum. » (fol. 68 v°.)

Venerabili fratri Antonio, electo Fesulano. Inter cetera —.

Ecclesiæ Fesulanæ, per cessionem F. Angeli, ordinis Heremitarum, olim Fesulani episcopi, vacanti et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatæ, F. Bartholomæus, Fratrum Minorum in provincia Tusciæ minister, a papa præfectus fuerat. Quo hujusmodi provisioni consentire nolente, suprascriptus, archipresbyter ecclesiæ Florentinæ, capellanus domini papæ, dictæ ecclesiæ Fesulanæ præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, XI kal. octobris, anno septimo.

POTTHAST, 25074.

4197 (CCLVIIII) Latran, 13 novembre 1301.

« Preficitur in archiepiscopum Tarentinum. » (fol. 68 v°.)

Gregorio, electo Tarentino. Dudum sollicite considerationis —.

Suprascriptus, ordinis Fratrum Predicatorum professor, huic ecclesiæ per obitum Gualterii archiepiscopi vacanti, præficitur in archiepiscopum. Capitulo ejusdem ecclesiæ, per viam scrutinii procedente, quamplures Papinianum, Parmensem episcopum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarium, reliqui vero Rogerium, Rapollanum episcopum, in Tarentinum archiepiscopum in discordia postulaverant. Illas vero postulationes, Sedi Apostolicæ præsentatas, dominus papa, deliberatione cum cardinalibus præhabita diligenti, duxit repellendas et ordinationem ejusdem ecclesiæ ea vice dispositioni predictæ Sedis reservavit.

Dat. Laterani, id. novembris, anno septimo.

In e. m. *capitulo ecclesie Tarentine — clero — populo — universis vassallis — suffraganeis — Carolo, regi Sicilie —.*

4198 (CCLX) Latran, 24 novembre 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo. » (fol. 68.)

Gregorio, archiepiscopo Tarentino. Cum sicut in nostra —.

Conceditur suprascripto licentia mutuum contrahendi usque ad summam duorum millium florenorum auri.

Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno septimo.

4199 (CCLXI) Latran, 13 novembre 1301.

« Conceditur eis quedam pars insule Anteradensis. » (fol. 69.)

.. magistro et fratribus Domus Militie Templi Jerosolimitani. Laudanda Sedis Apostolice rectitudo, in suis actibus provida circumspectione se dirigens, illorum votis benignius annuit eaque libentius favore prosequitur gratioso, quos devotio commendat uberior et digniores exhibere dinoscitur excellentia meritorum. Habet siquidem, prout letantes audivimus, fidedigne relationis assertio, quod, etsi anteactis temporibus vos, zelo fidei et devotionis accensi ac in divinis ferventes obsequiis, Terre Sancte negotium, quod potissime insidet cordi nostro, promptis et constantibus animis fueritis prosecuti, exponentes pro ipso totaliter vos et vestra, in processu tamen contra soldanum, hostem precipuum et persecutorem continuum fidei orthodoxe, per Christianos et Tartaros etiam supernis ad hoc motibus excitatos, diebus proximo preteritis habito, fervorem nimium ac ingens desiderium cordis vestri [1] non sine laudum sonoro preconio per effectum operum ostendistis, dum, quasi ceteris ab eisdem processus continuatione cessantibus, vos circa illam ardentius et solertius institistis, corporum non vitando pericula et laboribus ac sumptibus plurimis non parcendo, et, ut Sarracenorum in illis degentium partibus temerariis ausibus nefandisque conatibus per vos et efficatius resistatur, in insula Anteradensi, que pro parte dimidia, sicut asseritis, ad vos et ordinem vestrum spectare dinoscitur, munitiones validas opere non modicum sumptuoso construere incepistis, quare pro parte vestra suppliciter petebatur a nobis, ut partem reliquam insule memorate, ad Anteradensem ecclesiam pertinentem, ut liberius et tutius in insula edificare predicta, et ad perfectionem munitionum ipsarum, ut expedit, procedere valeatis, vobis et ordini ves-

1. *Ms* : nostri.

tro predicto, de Apostolice Sedis liberalitate munifica concedere dignaremur. Nos itaque, summis desideriis affectantes ut ejusdem Terre Sancte status, longi jam temporis spatio, nubilo gravis turbationis obductus, felicibus foveatur eventibus, et tranquillis successibus fulciatur, ac intendentes, pietatis affectu, in hoc annuere votis vestris, predictam partem ipsius insule, spectantem, sicut premittitur, ad ecclesiam supradictam, vobis et ordini vestro, pro bono Christianitatis statu et ad depressionem suorum hostium, de Apostolice plenitudine potestatis gratiose concedimus et donamus, a vobis et ordine ipso perpetuis futuris temporibus possidendam, ita quod exnunc predicte partis possessionem apprehendere et nancisci, auctoritate propria, libere valeatis. Volumus tamen ac districte vobis injungimus, ut, cum status illarum partium, favente Deo, positus fuerit in tranquillo, ac partes ipse ad manus fidelium revertentur, vos, sublato difficultatis et dilationis obstaculo, eidem ecclesie, ut indempnis remaneat in hac parte, de bonis ejusdem ordinis in partibus consistentibus supradictis, recompensationem congruam impendatis. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, donationis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, id. novembris, anno septimo.

4200 (CCLXII) Latran, 2 novembre 1301.

« Quod possit facere visitari per alios archidiaconatum. » (fol. 69 v°.)

Nepoleoni Mathei Ursi de filiis Ursi, archidiacono de Majorica in ecclesia Legionensi. Tui et tuorum —.

Indulgetur suprascripto ut de Majorica, quem in Legionensi, et Stadiensem archidiaconatus, quem in Cathalaunensi ecclesiis, ex Apostolica dispensatione canonice obtinet, per personas idoneas visitare possit et procurationes in pecunia numerata recipere. « Presentibus post biennium minine valituris. »

Dat. Laterani, III non. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Isidori Legionensis et .. plebano plebis de Castilione, Aretine diocesis, ac Landulpho de Columpna, canonico Senonensi.*

In e. m. *dilecto filio Jacobo Mathei Ursi de filiis Ursi, archidiacono Senonensi, capellano nostro.* Tua et tuorum —.

Indulgetur ei similis gratia pro archidiaconatu Senonensi quem obtinet.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis .. archipresbytero ecclesie Sancti Eustachii de Urbe et .. plebano plebis de Castilione, diocesis Aretine, ac Petro Capucie, canonico Remensi.*

4201 (CCLXIII) Latran, 13 novembre 1301.

« Preficitur in episcopum Racanatensem. » (fol. 69 v°.)

Frederico, episcopo Racanatensi. Ad universalis ecclesie —.

Suprascriptus, tunc ejus ecclesiæ canonicus, in episcopum Racanatensis ecclesiæ, per obitum bonæ memoriæ Salvi episcopi vacantis, a Petro priore et Thoma Guillelmi ac Vanno Conradi ecclesiæ canonicis, compromissariis electis, unanimiter electus, confirmatur, examinatione electionis diligenter a Johanne, episcopo Tusculano, et Gentili, tituli Sancti Martini in Montibus presbytero, ac Landulpho, Sancti Angeli diacono cardinalibus, diligenter facta et munere consecrationis eidem impenso a Theoderico, Civitatis Papalis episcopo.

Dat. Laterani, id. novembris, anno septimo.

In e. m. *clero civitatis et diocesis Racanatensis — populo.*

4202 (CCLXIIII) Latran, 19 décembre 1301.

« Indulgentia super fructibus. » (fol. 70.)

Jacobo, nato dilecti filii Alexandri de Sarmineto militis familiaris nostri, canonico Cenomanensi. Ut tua et tuorum —.

Ut, ubicumque illum morari contigerit, proventus præbendæ, quam in ecclesia suprascripta obtinet, usque ad quinquennium percipere possit.

Dat. Laterani, XIII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. Atrebatensis, et .. Tiburtine archidiaconis, ac .. cantori Cenomanensis ecclesiarum.*

4203 (CCLXV) Latran, 30 novembre 1301.

« Dispensatur super etate. » (fol. 70 v°.)

Jacobo, nato nobilis viri Hugonis de Avisio, clerico, Augustensis diocesis. Cum sicut in nostra —.

Obtentu G[entilis], tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, indulgetur suprascripto ut, non obstante defectu,

quem patitur in ætate, cum nondum decimum octavum ætatis suæ annum exegerit, beneficium ecclesiasticum, curam animarum habens, si ei canonice offeratur, recipere et retinere licite valeat.

Dat. Laterani, II kal. decembris, anno septimo.

4204 (CCLXVI) Latran, 16 novembre 1301.

« Conceditur beneficium quod duxerit acceptandum in ecclesia Perusina. » (fol. 70 v°.)

Tancredo, nato dilecti filii Nelli Nicolutii, clerico Perusino. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione patris ejus, confertur beneficium ecclesiasticum, quod duxerit acceptandum in diocesi Perusina, si quod vacat ad præsens, vel proximo vacaturum, non obstante, quem patitur, in ordinibus et ætate defectu, cum in minoribus tantum ordinibus et quintodecimo anno sit constitutus.

Dat. Laterani, XVI kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Petri Perusini et . . priori de Pregio, Perusine diocesis, ac Bertoldo de Labro,* [*canonico*] *Carnotensi.*

4205 (CCLXVII) Latran, 15 novembre 1301.

« Conceditur beneficium quod duxerit acceptandum, et cetera, in civitatibus vel diocesibus Perusina vel Clusina, cum dispensatione. » (fol. 70 v°.)

Leoni, nato quondam Guidonis de Cornea civis Perusini, rectori ruralis ecclesie Sancti Galgani de Pazano Clusine diocesis. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione Lippi quondam Guidonis de Cornea, judicis Perusini, fratris ejus, ecclesiasticum beneficium cum vel sine cura, quod duxerit acceptandum, si quod in civitatibus et diocesibus Perusina vel Clusina vacat ad præsens, vel proximo vacaturum, confert dominus papa, non obstante quod ruralem ecclesiam Sancti Galgani noscitur obtinere et patitur in ordinibus et ætate defectum, cum sit in minoribus tantum ordinibus et in undecimo anno constitutus.

Dat. Laterani, XVII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . de Sancto Patregnano, et . . de Sancto Gregorio prioribus, Perusine diocesis, ac Raynaldo Carocii de Tuderto, canonico Pictavensi*

4206 (CCLXVIII) Latran, 21 novembre 1301.

« Super inquisitione quorumdam jurium. » (fol. 71.)

Matthie, rectori comitatus Venaysini. Suam ad nos —.

Suprascripto mandatur, ut super quibusdam articulis querelosis, ab ambaxiatoribus prælatorum nobilium dicti comitatus traditis, se informet et, informatione facta, de eisdem domino papæ veraciter rescribat.

Dat. Laterani, XI kal. decembris, anno septimo.

POTTHAST, 25092.

4207 (CCLXVIIII) Latran, 13 novembre 1301.

« Preficitur in episcopum Civitatensem. » (fol. 71.)

Alfonso, episcopo Civitatensi. Militanti ecclesie —. Dudum siquidem Civitatensi ecclesia, per obitum bone memorie Antonii, Civitatensis episcopi, pastoris solatio destituta, dilecti filii . . decanus et capitulum ejusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, et, Spiritus Sancti gratia invocata, deliberantes in ipsius electionis negotio per viam procedere compromissi, sex ex eis, videlicet Johanni Laurentii, archidiacono de Camazes, Didaco scolastico, magistro Bernardo Garsie Johannis, Geraldo Garsie et Michaeli Andree, canonicis ejusdem ecclesie eligendi concorditer Civitatensem episcopum de gremio ipsius ecclesie concesserunt unanimiter potestatem, usque ad consumptionem cujusdam candele propter hoc accense in capitulo ejusdem ecclesie duraturam. Iidem vero compromissarii, hujusmodi potestate recepta, secedentes in partem, post diversos tractatus super hoc invicem habitos, deliberatione inter se prehabita diligenti, in te, tunc archidiaconum de Sabuceto in eadem ecclesia, direxerunt concorditer vota sua, et deinde predictus Garsias, ex potestate sibi et collegis suis predictis concessa, de mandato collegarum ipsorum ibidem presentium, vice sua, et eorundem collegarum ac predictorum decani et capituli, ante consumptionem dicte candele, in Civitatensem episcopum te elegit; iidem decanus et capitulum electionem hujusmodi acceptarunt, tuque electioni, presentate tibi vice et nomine dictorum decani et capituli, ad eorum instantiam, infra tempus super hoc a jure statutum, voluntarie consensisti, et a dilecto filio . . vicario venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Compostellani, metropolitani tui, apud Sedem Apostolicam

constituti, nomine tuo et dictorum decani et capituli, per tuos et eorundem decani et capituli certos procuratores et nuntios, habentes super hoc sufficiens et speciale mandatum, presentato eidem vicario ipsius electionis decreto, ut juxta formam canonicam electionem confirmaret eandem, si super hoc potestatem haberet, fuit humiliter postulatum. Set eodem vicario respondente dictum archiepiscopum sibi potestatem hujusmodi specialiter reservasse, teque et dictis decano et capitulo postmodum per quosdam alios procuratores, ad hoc a te et eisdem decano et capitulo specialiter constitutos, decreto predicto eidem archiepiscopo presentato, confirmari electionem predictam ab eodem archiepiscopo apud predictam Sedem, ut predicitur, commorante, humiliter, infra tempus debitum, cum instantia postulantibus, dictus archiepiscopus procuratoribus ipsis respondit, quod, cum esset extra suam provinciam et in nostra curia constitutus, se de hoc intromittere non poterat nec volebat, asserendo nichilominus quod, si tu velles ejusdem archiepiscopi reditum ad dictam Compostellanam ecclesiam prestolari, tunc faceret quod circa confirmationem electionis hujusmodi de jure existeret faciendum, et, si nolles hujusmodi suum reditum expectare, archiepiscopo placebat eidem, ut nostram adires presentiam pro confirmatione hujusmodi obtinenda. Tu autem, provide et diligenter attendens, quod eadem Civitatensis ecclesia interim detrimentum posset in spiritualibus et temporalibus sustinere, ac cupiens ipsam a detrimento hujusmodi preservare, ad nostram presentiam personaliter accessisti pro confirmatione hujusmodi obtinenda; ac electionis predicte nobis presentato decreto, ut confirmare electionem hujusmodi dignaremur, a nobis suppliciter petivisti. Nos igitur, electionem eandem tuamque personam per venerabilem fratrem nostrum Th[eodericum], episcopum Civitatis Papalis, et dilectos filios nostros Robertum, tituli Sancte Potentiane presbyterum, et Jacobum, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et, facta nobis ab eisdem episcopo et cardinalibus super hoc relatione fideli, quia eandem electionem invenimus de te, viro litterarum scientia predito, vite laudabilis, conversationis placide, morum honestate decoro, discretionis et consilii maturitate conspicuo ac in spiritualibus et temporalibus circumspecto, canonice celebratam, ipsam, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, confirmantes, te dicte Civitatensi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem ac deinde tibi fecimus per predictum Th[eodoricum] episcopum munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem Civitatensis ecclesia per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium preservabitur a noxiis et adversis, et multipliciter spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter, curam ejusdem Civitatensis ecclesie sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod ipsa gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, et, preter benedictionis eterne premium, benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Dat. Laterani, id. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Civitatensis — carissimo in Christo filio Fernando, illustri regi Castelle et Legionis.*

4208 (CCLXX) Latran, 15 novembre 1301.

« Hugoni, abbati monasterii Sancti Ægidii, Nemaucensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 71 v°.)

Hugoni, abbati monasterii Sancti Ægidii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis. Pia nos excitat —. Dudum siquidem monasterio Sancti Ægidii, per obitum quondam Raymundi abbatis, pastoris regimine destituto, dilecti filii conventus ejusdem monasterii insimul convenerunt et tandem — certis ejusdem monasterii monachis provideri ea vice ipsi monasterio de abbate, assumendo de ejus gremio ac etiam de se ipsis, potestatem plenariam unanimiter concesserunt —. Memorati vero compromissarii — demum in dilectum filium Bertrandum de Turre, priorem de Malezano, ejusdem ordinis, Uticensis diocesis, prefati monasterii monachum, direxerunt concorditer vota sua, et deinde dilectus filius Rostagnus de Salve, qui erat unus in compromissariis supradictis — eundem Bertrandum in abbatem elegit monasterii prelibati, dictique conventus electionem — voluntate unanimi approbarunt, ac postmodum idem Bertrandus electioni hujusmodi de se facte, infra tempus a jure statutum, consentire curavit, se propter hoc tempore debito Apostolice Sedis conspectui personaliter presentando, et tam ipse, per se, quam conventus predicti, per certos eorum procuratores ad hoc specialiter constitutos, presentato nobis hujusmodi electionis decreto, a nobis cum instantia supplici postularunt, ut electionem ipsam confirmare de benignitate solita dignaremur. Et tandem sepedictus Bertrandus omne jus, quod sibi ex electione competebat eadem, sponte ac libere in nostris manibus resignavit, cujus re-

signationem benigne duximus admittendam. Nos autem, ad ipsius monasterii bonum statum intendentes ac propterea volentes eidem de persona ydonea providere, predictum Bertrandum et nonnullos alios sepefati monasterii [monachos], tunc apud Sedem eandem constitutos, ad nostram presentiam duximus evocandos, districtius injungentes eisdem ut nobis aliquos ejusdem monasterii monachos ad ipsius regimen sufficientes et ydoneos nominarent; qui, hujusmodi mandato nostro recepto, in partem secedere curaverunt, et, deliberatione super hoc inter se diligenti prehabita, te, tunc priorem claustralem ipsius monasterii, nobis specialiter nominarunt, personam tuam, de litterarum scientia, honestate morum, conversationis et vite munditia et aliis probatis meritis, multipliciter commendantes. Verum nos, super hiis plenam cum fratribus nostris collationem et deliberationem habentes, te, de ipsorum fratrum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, eidem monasterio Sancti Ægidii preficimus in abbatem —. Tu itaque — augeantur. Dat. Laterani, XVII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Egidii — universis vassallis.*

4209 (CCLXXI) Latran, 28 novembre 1301.

« Super visitatione archidiaconatus. » (fol. 72.)

Aldebrandino, nato quondam Jacobi Riccardi Petri Anibaldi de Anibaldis de Urbe, archidiacono Exessie in ecclesia Londoniensi. Bonitatis meritis —.

Suprascripto, consideratione nobilis viri Riccardi, quondam Petri Anibaldi, avi ejus, indulgetur ut, studio litterarum insistens ubi illud vigeat generale, archidiaconatum Exessiæ in ecclesia Londoniensi, per personas idoneas, usque ad triennium, visitare possit et procurationes in pecunia numerata recipere.

Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis magistro Bernardo de Aquino, notario nostro, de Belvacino, Belvacensis, et Bartholomeo de Sancto Laurentio, Exoniensis archidiaconis, ac Stephano de Cavis, canonico Lateranensis ecclesiarum.*

4210 (CCLXXII) Latran, 25 novembre 1301.

« Indulgentia super fructibus percipiendis. » (fol. 72 v°.)

Guillelmo de Matiscone, canonico et archidiacono ecclesie Ambianensis. Tue devotionis merita —.

Suprascripto, consideratione G[uillelmi], Ambianensis episcopi, cujus nepos existit, indulgetur ut, usque ad quinquennium, juris civilis studio ubi solemniter vigeat, insistere ac in jure ipso regere, « si te licentiari contigerit in eodem », et ut, per idem tempus, proventus canonicatus et archidiaconatus, quos in ecclesia Ambianensi obtinet, ac aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum omnium in absentia percipere possit.

Dat. Laterani, VII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Visignolio et . . decano Foilliacensis, Ambianensis diocesis, ac Michaeli de Encra, canonico Ambianensis ecclesiarum.*

4211 (CCLXXIII) Latran, 8 novembre 1301.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 72 v°.)

Nobili viro Johanni dicto Robere, civi Alatrino, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Imille, filie quondam Angeli Landonis de Pofis, Verulane diocesis. Licet matrimonii contractum —.

Indulgetur suprascriptis, ad confirmationem concordiæ, ut possint matrimonium invicem contrahere, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, VI id. novembris, anno septimo.

4212 (CCLXXIIII) Latran, 7 décembre 1301.

« Committitur Gerardo Geratoni de Mazellinis rectoria terrarum vicariatus castri Sancti Archangeli, Ariminensis diocesis. » (fol. 72 v°.)

Gerardo, quondam Geratoni de Mazzolinis, civi Cesenatensi. Dum fidei et —. Dat. Laterani, VII id. decembris, anno septimo.

POTTHAST, 25105.

4213 (CCLXXV) Latran, 29 novembre 1301.

« Dispensatio super defectu. » (fol. 73.)

Roderico Petri, canonico Elberensi Illegitime genitos —.

Suprascripto indulgetur ut, non obstante defectu natalium, possit ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum, etiam cum cura animarum, licite obtinere.

Deinde, cum pro amplioris dispensationis gratia obtinenda, non personaliter sed per alium, apud Sedem Apostolicam institisses, fuit tibi affirmatum pro certo, quod duxerimus tibi, per nostras sub certa forma litteras, indulgendum, ut unicum aliud ecclesiasticum beneficium, cum cura vel sine cura, etiam si dignitas vel personatus existeret, si tibi canonice offeretur, recipere licite posses ac libere retinere. Sicque, vacante demum prioratu ecclesie Sancte Marie de Vunaravis, Bracharensis diocesis, curam animarum habentem, fuisti illum, alias canonice tibi collatum, sub fiducia dispensationis hujusmodi assecutum, dictumque prioratum una cum canonicatu et prebenda predictis tenuisti et retines, fructus percipiens ex eisdem. Cum autem ad te super hoc alique dispensationis nostre littere non pervenerint, tuque alias certitudinem obtinere nequeris super ea, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur.

Petita dispensatio conceditur.

Dat. Lateram, III kal. decembris, anno septimo.

4214 (CCLXXVI) Latran, 28 novembre 1301.

« Gregorio, archiepiscopo Tarentino. Conceditur sibi palleum. » (fol. 73.)

Gregorio, archiepiscopo Tarentino. Cum palleum insigne —. Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno septimo.

4215 (CCLXXVII) Latran, 28 octobre 1301.

« Super discordia que est inter nobiles et populares castri de Paternis. » (fol. 73.)

. . *rectori comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Venientes ad Apostolicam Sedem dilecti filii nobiles viri Raynaldus de Libra, de castro de Paternis, miles, et Rostagnus de Venasta, de eodem castro, domicellus, ambaxiatores aliorum militum et militarium personarum dicti castri, Carpentoratensis diocesis, nobis, nomine suo et aliorum predictorum, graviter sunt conqnesti, quod homines populares dicti castri, contra ipsos milites et militares personas furore iracundie sine causa rationabili concitati, ad sonum campane, quam temeritate propria pulsare fecerunt, in platea comuni dicti castri se insimul congregantes et clamantes altis vocibus : « Moriantur isti nobiles ! non evadant ! » ad fortallitium dicti castri, ubi dicti milites, persone et alii plures cum ipsius castri rectore manebant, cum armis ad bellum parati, hostiliter accesserunt, dictumque fortalitium cum lapidibus et balistis diutius obpugnando, conati sunt, quantum potuerunt, ipsum fortalitium expugnare, ut rectorem, milites et personas occiderent supradictos, et demum ad quandam domum seu lobiam, sitam in eodem castro, militibus et personis eisdem comunem, impetuose currentes, illam et nonnullas alias domos militum et personarum predictarum totaliter destruxerunt, munientes fortalitium ecclesie dicti castri hominibus armatis contra rectorem, milites et personas predictos, et claudentes introttus dicti castri clavibus et catenis, ne rectori, militibus et personis predictis provenire posset auxilium aliunde. Sedes preterea militum et personarum predictorum in eadem ecclesia existentes, in ipsorum militum et personarum majorom injuriam, frangere et de eadem ecclesia trahere presumpserunt. Conspirationes insuper et conjurationes contra rectorem, milites et personas predictos fecerunt populares predicti, satagendo sibi dicti castri dominium usurpare, et incitando alios de aliis terris et castris vicinis ad similia perpetranda, et alias eisdem militibus et personis dampna gravia et injurias multipliciter irrogando. Et licet tu, ab eisdem militibus et personis pluries, ut asserunt, fueris requisitus, ut super hujusmodi excessibus popularium predictorum inquireres, ac de ipsis eisdem militibus et personis justitiam exhiberes, tu tamen id facere, jam pluribus elapsis mensibus, neglexisti. Cum autem non deceat quod in exhibenda justitia te negligentem exhibeas vel remissum, nos, tuum in hac parte sollicitantes officium, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus super hiis, ad requisitionem militum et personarum predictorum, per te vel alium seu alios, solerter inquiras, prout facti qualitas exigit, veritatem, memoratis militibus et personis plenam super predictis et celerem justitiam faciendo. Quod, si qua forsan occurreret vel subesset causa, quare in predictis nolles procedere vel non posses, id nobis tuis litteris non differas intimare, ut remedium valeamus apponere oportunum. Dat. Laterani, V kal. novembris, anno septimo.

4216 (CCLXXVIII) Latran, 15 novembre 1301.

« Jacobo, abbati monasterii Sancti Pauli de Urbe. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 73 v°.)

Jacobo, abbati monasterii Sancti Pauli de Urbe, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti. Debitum officii nostri —.

Suprascriptus de regimine monasterii Sancti Sabæ assumptus, præficitur in abbatem monasterio suprascripto Sancti Pauli de Urbe, per obitum quondam Phylippi abbatis vacanti et dispositioni Apostolicæ Sedis ea vice reservato.

Dat. Laterani, XVII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Pauli — universis vassalis.*

4217 (CCXXLVIIII) Latran, 6 novembre 1301.

« Preficitur in episcopum ecclesie Legionensis. » (fol. 73 v°.)

Gundisalvo, electo Legionensi. Superni dispositione consilii —.

Suprascriptus, ecclesie Ovetanæ decanus, ecclesiæ Legionensi, per obitum bonæ memoriæ Fernandi episcopi vacanti, præficitur in episcopum. Capitulum direxerat concorditer vota sua in Johannem Michaelis, archidiaconum de Maliago, in ecclesia Ovetensi, et Legionensis ecclesiæ canonicum, sed idem, ad Sedem Apostolicam accedens pro confirmatione suæ electionis, sponte resignavit, et dominus papa provisionem ejusdem ecclesiæ ea vice dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno septimo.

In e. m *dilectis filiis.. decano et capitulo ecclesie Legionensis — clero — populo — universis vassalis — Fernando, regi Castelle et Legionis.*

4218 (CCLXXX) Latran, 6 novembre 1301

« Droconi, abbati monasterii Sancti Pauli Oyensis, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis. Confirmatur electio sua » (fol. 74 v°.)

Droconi, abbati monasterii Oyensis, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis. Dudum monasterio Oyensi, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis, per mortem quondam Michaelis, abbatis ejusdem monasterii, regimine destituto pastoris, dilecti filii conventus ipsius monasterii, petita et obtenta licentia eligendi a venerabili fratre nostro episcopo Trecensi, prout fore asseritur de consuetudine observatum, ac vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, insimul convenerunt, et demum duas electiones ab eis, in hujusmodi negotio per viam scrutinii procedentibus, unam videlicet, de Roberto de Challiaco, priore prioratus de Sancto Sepulcro, Cluniacensis ordinis, predicte diocesis, et aliam, de Galchero de Brechis, monacho monasterii Molismensis, prefati ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, contigit in discordia celebrari. Hujusmodi autem electionum negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam devoluto, nos illud dilecto filio nostro Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali, audiendum et examinandum commisimus et nobis postea referendum. Idem vero cardinalis, in dicto negotio rite procedens ac ipsum examinans diligenter, demum facta nobis super hiis ab eo relatione fideli, ac dilectorum filiorum nostrorum Johannis, tituli Sancti Marcellini et Petri presbyteri, et Matthei, Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalium, et plurium aliorum prudentum consilio, et speciali mandato nostro viva voce sibi facto, sententiando pronuntiavit neutrum predictorum a dicto conventu, ut premittitur, electorum ex prefatis electionibus jus habere, ipsis sententialiter [super] prosecutione ipsarum electionum perpetuum silentium imponendo. Nosque postmodum predicto R[oberto] cardinali commisimus provisionem ea vice de abbate dicto Oyensi monasterio faciendam, concedendo ei oraculo vive vocis preficiendi eidem monasterio personam ydoneam in abbatem ac alia circa provisionem hujus peragenda, que sibi necessaria et expedientia viderentur, plenam et liberam potestatem. Sane idem R[obertus] cardinalis, attenta meditatione cogitans de persona utili ad administrationem dicti Oyensis monasterii assumenda, in te, tunc priorem prioratus de Vernolio, Belvacensis diocesis, ad monasterium Molismense immediate spectantis, predicti ordinis sancti Benedicti, ac ejusdem monasterii Molismensis monachum, intuitum sue considerationis convertit, teque, cujus merita eidem R[oberto] cardinali nota familiari experientia existere dinoscuntur, et pro quo etiam ad ejusdem monasterii Oyensis regimen promovendo Gaufridus de Sancto Verano, prepositus, et Angibertus de Campo Auberti, ipsius monasterii [monachus] procuratores utriusque partis illorum, qui supradictos Robertum et Galcherum elegerant, dicto R[oberto] cardinali supplicarunt instanter, ex prefata potestate a nobis sibi concessa, eidem Oyensi monasterio in abbatem prefecit, plenam tibi curam et administrationem ejusdem

monasterii Oyensis in spiritualibus et temporalibus committendo ac decernendo irritum et inane, si secus circa dispositionem seu ordinationem ejusdem monasterii Oyensis ea vice scienter vel ignoranter attemptatum esset vel contingeret attemptari, prout in patentibus litteris inde confectis dicti R[oberti] cardinalis sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod sententialiter in premissis ab eodem R[oberto] cardinali factum est, ratum et gratum habentes, auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, et cetera usque : communimus. Tenorem earumdem litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est : « Frater Robertus, miseratione divina tituli Sancte Pudentiane presbiter cardinalis, venerabili et religioso viro domino Droconi, abbati monasterii Oyensis, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Olim monasterio Oyensi, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis, per mortem quondam Michaelis, abbatis ipsius monasterii, pastoris regimine destituto, religiosi viri . . prior claustralis et conventus — ejusdem monasterii, petita eligendi licentia a venerabili pastore domino . Trecensi episcopo, prout de consuetudine observatum fore dicitur et obtenta, et vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, insimul convenerunt, et tandem ab eis, in hujusmodi negotio per viam scrutinii procedentibus, quorum vota fuerunt in diversos diversa, duas electiones, unam videlicet, de Roberto de Challiaco, priore prioratus de Sancto Sepulcro, Cluniacensis ordinis, predicte diocesis, aliam vero, de Galchero de Brechis, monacho monasterii Molismensis, prefati ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, contigit in discordia celebrari. Hujusmodi autem electionum negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam devoluto, sanctissimus pater et dominus noster dominus Bonifatius sancta providentia papa VIII negotium ipsum nobis audiendum et examinandum ac sibi postmodum referendum commisit. Nos igitur partes ad procedendum in dicto negotio ad nostram presentiam pluries citari fecimus, in audientia publica, ut est moris, et, procuratoribus ipsarum partium coram nobis in judicio comparentibus, acta, litteras, instrumenta, jura et munimenta, que ad docendum de jure suo et instruendam causam producere voluerunt et hinc inde [1] de veritate dicenda prestito juramento, factisque per nos eis quibusdam interrogationibus et ad eas responsionibus subsecutis, testibus quoque receptis et eorum attestationibus publicatis, ac visis actis judicialibus et plenius intellectis, ceterisque rite peractis et tandem in causa ipsa concluso, factaque similiter super hiis et aliis causam ipsam contingentibus predicto domino papa relatione fideli, et deinde assignato dictis partibus certo termino ad nostram sententiam audiendam, ac Guillelmo Georgii, clerico, procuratore prefati Galcheri coram nobis in eodem termino comparente et alia parte absente per contumaciam, quia, per ea que fuerunt acta et exhibita in judicio coram nobis, constat neutri dictorum electorum jus ex predictis electionibus fore quesitum, de venerabilium patrum dominorum Johannis, tituli sancti Marcellini et Petri presbiteri, et Mathei, Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalium, aliorumque prudentum virorum consilio, et speciali mandato supradicti domini pape nobis viva voce facto, sententiando pronuntiavimus et pronuntiando sententiavimus neutrum electorum ipsorum ex prefatis electionibus jus habere, ipsis sententialiter super prosecutione dictarum electionum perpetuum silentium imponentes, prout in instrumento publico inde confecto, nostro sigillo signato, expressius continetur Postmodum vero memoratus dominus papa nobis commisit provisionem hac vice de abbate dicto Oyensi monasterio faciendam, concedendo nobis oraculo vive vocis preficiendi eidem monasterio personam ydoneam in abbatem ac alia circa provisionem hujus peragenda, que nobis necessaria et expedientia viderentur, plenam et liberam potestatem. Nobis autem de repperiendo viro sufficiente ad ipsius monasterii Oyensis regimen exercendum pensantibus, inter alios qui nostre mentis prospectui occurrerunt, vos fore ad hoc ydoneum extimamus, qui tunc eratis prior prioratus de Vernolio, Belvacensis diocesis, ad monasterium Molismense ejusdem ordinis, Lingonensis diocesis immediate spectantis, ac ejusdem monasterii Molismensis monachus, pensatis vestris meritis probitatis que nobis sunt per familiarem experientiam non ignota, ad quod etiam concordes voluntates fratris Gaufridi de Sancto Verano, prepositi, et fratris Angiberti de Campo Auberti, monachorum dicti monasterii et procuratorum partis eligentium utriusque, qui nobis quod eidem monasterio Oyensi provideremus de vobis cum instantia supplicarunt, ad faciendum provisionem hujusmodi securius et libentius nostre intentionis propositum inclinarunt. Spectantes itaque quod per vestre persone industriam, cui nobilitas generis, vite munditia, morum honestas et regularis observantia aliaque dona virtutum multiplicia suffragantur, prefatum monasterium Oyense poterit salubriter gubernari : vos ipsius monasterii, ex predicta potestate a prelibato domino papa, ut premittitur, nobis concessa, preficimus in abbatem, plenam vobis curam et administrationem ejusdem monasterii Oyensis in spiritualibus et temporalibus committentes, et decernentes

1. *Ms* : hincium.

irritum et inane, si secus circa dispositionem seu ordinationem prefati monasterii hac vice, scienter vel ignoranter, jam attemptatum est vel contigerit attemptari. Quocirca prudentiam vestram rogamus et hortamur attente, quatinus, suscipientes onus vobis a Domino impositum reverenter, ejusdem monasterii Oyensis regimen sic laudabiliter et utiliter gerere studeatis, quod exinde apud homines fama vestra per evidentiam operis comendandum suscipiat incrementum, vosque apud Deum retributionis eterne premium consequi valeatis. Dat. Rome, apud Sanctam Praxedem, die quinto novembris anno Domini M°CCC°I°, pontificatus ejusdem domini nostri Bonifacii pape VIII, anno septimo. » Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Laterani, VIII id. novembris anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Oyensis, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis.*

4219 (CCLXXXI) Latran, 4 novembre 1301.

« Citatio ad instantiam conventus monasterii in Olandebach, ordinis sancti Benedicti, Coloniensis diocesis. » (fol 75.)

. . decano et cantori Sancti Bartholomei Leodiensis, ac . . Huguitioni de Vercellis, capellano nostro, canonico Brugensis, Tornacensis diocesis, ecclesiarum. Ex parte Wilhelmi, custodis monachi et conventus monasterii in Glandebach, ordinis sancti Benedicti, Coloniensis diocesis, fuit propositum coram nobis, quod, licet quondam Theodericus, abbas ejusdem monasterii, dum viveret, ad regimen dicti monasterii canonice fuisset assumptus, illudque aliquandiu exercuisset pacifice et quiete, nichilominus tamen venerabilis frater noster . . archiepiscopus Coloniensis, ad ipsius abbatis aspirans gravamina, ipsum, non convictum de aliquo crimine nec confessum, non monitum nec citatum, immo absentem, set non per contumaciam, ab eodem amovit regimine, pro sue libito voluntatis, ac Ottonem dictum de Mattelar, monachum monasterii Werdinensis, ejusdem ordinis, predicte diocesis, de facto, cum id de jure fieri nequiverit, in abbatem monasterii in Glandebach supradicti prefecit, mandans ejusdem monasterii monachis, ut prefato Ottoni, tanquam abbati dicti monasterii in Glandebach, obedientiam et reverentiam exhiberent, propter que dicti abbas et conventus ad Sedem Apostolicam appellarunt, et super appellatione hujusmodi nostras ad . . Sancte Crucis, et . . Sancti Lamberti, ac . . Sancti Petri Leodiensium ecclesiarum decanos, in comuni forma litteras impetrarunt, idemque abbas predictum Ottonem, auctoritate dictarum litterarum, fecit coram eisdem judicibus super hoc ad judicium evocari. Verum, dum coram predictis judicibus hujusmodi causa penderet, dicto Theoderico viam universe carnis ingresso, predicti conventus prelibatum Willelmum in abbatem prefati monasterii in Glandebach concorditer elegerunt. Idem Willelmus, cum ad presentiam priorum cleri civitatis et diocesis Coloniensis, quibus hujusmodi electio de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, esse presentanda, et ad quos ipsius electionis approbatio pertinere dicuntur, pro approbatione, et predicti archiepiscopi, pro confirmatione ejusdem electionis obtinendis, propter dictorum archiepiscopi et Ottonis timorem, qui ei minas et terreres graves incusserant, secure accedere vel mittere non valeret, ad nostram audientiam appellavit, et tam ipse quam prefati conventus eandem electionem confirmari a nobis cum instantia petierunt. Nosque, hujusmodi examinationem negotii venerabili fratri J[ohanni], Tusculano episcopo, et dilectis filiis nostris Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero, ac Landulpho, Sancti Angeli diacono cardinalibus, commisimus oraculo vive vocis; sed, quia pro parte dictorum archiepiscopi et Ottonis, quibus hujusmodi appellatio notificata non fuit, nullus comparuit coram cardinalibus supradictis, in negotio ipso debitus non potuit haberi processus : quare, pro parte Willelmi et conventus predictorum, fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc ipsis paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni vestre, sub pena excomunicationis, quam vos eo ipso incurrere volumus, si mandatum nostrum in hac parte neglexeritis adimplere, per Apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, archiepiscopum et priores ac Ottonem prefatos, ex parte nostra, perhemptorie citare curetis, ut, infra duos menses post citationem hujusmodi, iidem archiepiscopus et priores, si sua viderint interesse, per procuratores ydoneos, ac predictus Otto, personaliter, cum omnibus actis, juribus et instrumentis suis negotium ipsum contingentibus, Apostolico se conspectui representent, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem autem citationis et formam, et quicquid super hiis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis. Dat. Laterani, II non. novembris.

4220 (CCLXXII) Latran, 2 octobre 1301.

« Quod possit facere celebrare antequam illucescat dies. » (fol. 75.)

Catherine, Constantinopolitane imperatrici. Votis tuis libenter —.

Suprascriptæ indulgetur, ut, antequam illucescat dies, divinis interesse possit, « proviso tamen quod parce concessione hujusmodi utaris, quia, cum in altaris officio immolatur noster Dominus, Dei filius, Jesus Christus, congruit illud non in noctis fieri tenebris sed in luce. »

Dat. Laterani, VI non. octobris, anno septimo.

POTTHAST, 25079.

4221 (CCLXXXIII) Même date.

« Quod possit sibi eligere confessorem. » (fol. 75 v°.)

Eidem. Desideriis tuis libenter —. Dat. ut supra.

4222 (CCLXXXIII *bis*) Même date.

Ut possit habere altare portatile. (fol. 75 v°.)

Eidem. Pium arbitramur et congruum —. Dat. ut supra.

4223 (CCLXXXIIII) Latran, 5 novembre 1301.

« Quod possit facere visitari archidiaconatum suum. » (fol. 75 v°.)

Stephano, nato dilecti filii nobilis viri Petri de Pileo, archidiacono Suessionensi. Ut tua et tuorum —.

Indulgetur suprascripto, ut, ubicumque morari contigerit, archidiaconatum suum per personas idoneas visitare possit, usque ad triennium, et procurationes in pecunia numerata recipere.

Dat. Laterani, non. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancte Genovefe Parisiensis, et Onufrio de Trebis, decano ecclesie Meldensis, capellano nostro, ac Trunerio de Placentia canonico Parisiensi.*

4224 (CCLXXXV) Latran, 28 octobre 1301.

« Confertur ecclesie prioratus Sancti Apolinaris Florentine Roberto, nato Guidonis de Battifolle. » (fol. 75 v°.)

Roberto, nato dilecti filii nobilis viri Guidonis de Battifolle, priori ecclesie Sancti Apolinaris Florentine. Apostolice Sedis benignitas —.

Ei prioratus suprascriptæ ecclesiæ, per promotionem Antonii, episcopi Fesulani, quem idem episcopus provisionis suæ tempore obtinebat, apud Sedem Apostolicam vacans, et Apostolicæ Sedis dispositioni reservatus confertur, non obstante quod in Cameracensi ecclesia, sub exspectatione vacaturæ præbendæ, in canonicum est receptus, aut quod patitur in ordinibus et ætate defectum, cum in ordinibus tantum minoribus et in duodecimo ætatis suæ anno sit constitutus.

Dat. Laterani, v kal. novembris, anno septimo.

In e. m. .. *abbati monasterii Vallisumbrose, Fesulane diocesis, et .. priori Sancti Jacobi Ultrarnum de Florentia ac Petro de Eugubio, cantori ecclesie Morinensis.*

4225 (CCLXXXVI) Latran, 5 décembre 1301.

« Committitur Mino de Tholomeis de Senis potestaria Viterbiensis. » (fol. 76.)

Nobili viro Mino, quondam Symonis de Tholomeis de Senis, militi, potestati Viterbiensi. Cupientes ut civitas Viterbiensis, que ad Sedem Apostolicam specialiter pertinet, in statu prospero conservetur et salubriter, auctore Domino, dirigatur, tibi, de cujus probitate plenam in Domino fiduciam obtinemus, ejusdem civitatis regimen, quod ad nos spectare dinoscitur, pro sex mensibus, inceptis in kalendis presentis mensis decembris, presentium auctoritate, committimus, per te prudenter et fideliter exercendum. Quocirca nos tibi, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, ad civitatem ipsam te personaliter conferens, predictum regimen et quod ad illud pertinet, in hiis que ad honorem nostrum et Ecclesie Romane ac bonum et pacificum statum civitatis predicte spectaverint, sic prudenter et fideliter studeas exercere, quod tue diligentie studium exinde commendare non immerito valeamus. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis consilio et comuni Viterbiensi.* Cupientes, et cetera ut supra verbis convenienter mutatis usque : exercendum. Quocirca universitati vestre per

Apostolica scripta mandamus, quatinus, eundem nobilem ad dictum regimen pro dicto tempore liberaliter admittentes, sibi tanquam potestati vestro in hiis que ad suum spectant officium intendere ac obedire curetis. Volumus autem quod prefatus miles prestet publice corporaliter juramentum, quod dictum regimen ad honorem nostrum et Romane Ecclesie ac bonum et pacificum statum vestrum et civitatis vestre fideliter exercebit, quodque in eo exhibebit justitiam et per officiales suos faciet exhiberi, cui, debitum officialium et familiarium numerum retinenti, consuetum salarium de ipsius civitatis obventibus tribuatis. Dat. ut supra.

4226 (CCLXXXVII) Latran, 18 octobre 1301.

« Mandatur conferri prebenda ecclesie Bononiensis Francisco de Lugnano [vacans] per resignationem Bonifatii, patrui sui. » (fol. 76.)

Leonardo, episcopo Albanensi. Cum dilectus filius —.

Mandatur suprascripto, ut, libera resignatione Bonifacii de Lugnano, canonici ecclesiæ Bononiensis, recepta, canonicatum et præbendam ejus Francisco de Lugnano, ejusdem nepoti, capellano suprascripti episcopi, conferat et assignet. « Porro quia non est verisimile, quod quis beneficium, de quo vite subsidia percipit, de facili, sine magna causa, sua sponte resignet, omnino provideas, ne super hoc, ex parte prefati Bonifacii resignantis, vel predicti Francisci recipientis eosdem canonicatum et prebendam, vel alias quomodolibet, aliqua pravitas intercedat. »

Dat. Laterani, XV kal. novembris, anno septimo.

4227 (CCLXXXVIII) Latran, 23 novembre 1301.

« Indulgentia super fructibus. » (fol. 76 v°.)

Johanni de Vilars, canonico et camerario ecclesie Lugdunensis. Probitatis tue meritis —.

Indulgetur suprascripto, bonæ memoriæ Henrici, archiepiscopi Lugdunensis, nepoti, ut, insistens scholasticis disciplinis, ubi studium vigeat generale, aut residens in aliqua ecclesiarum Lugdunensis, Viennensis et Gebennensis, quarum existit canonicus, proventus camerariæ et præbendarum suarum, usque ad quinquennium, integre percipere valeat.

Dat. Laterani, VIIII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Savigniacensis et . . priori de Plateria, Lugdunensis diocesis, ac . . cantori ecclesie Lugdunensis.*

4228 (CCLXXXVIIII) Latran, 19 octobre 1301.

« Super restitutione dotis Agnetis, relicte quondam Labri Vulpelli de Luca. » (fol. 76 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Lucano. Dudum, de mandato nostro tibi facto, bona que fuerunt quondam Labri Vulpelli, mercatoris de Luca, cepisti ad manus tuas et retines, ut de illis juxta beneplacitum Sedis Apostolice disponatur. Cum igitur nostre intentionis fuerit et existat, ut de bonis ipsis eris alieni justa deductio sequeretur, et, sicut asseritur, certa dos et quedam alia jura dilecte in Christo filie Agnetis, relicte dicti Labri vidue, in bonis consistant eisdem. Nos, ipsi vidue pio super hoc compatientes affectu, et intendentes etiam dilectis filiis comuni Lucano, a quibus super restitutione hujusmodi dotis et jurium ipsi vidue facienda devotas preces nobis porrectas nuper recepimus, complacere, volumus et fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem vidue de dote ac juribus supradictis plenam et debitam restitutionem impendas: intimaturus nobis, per tuas litteras harum seriem continentes, quicquid super hoc duxeris faciendum. Dat. Laterani, XIIII kal. novembris, anno septimo.

4229 (CCLXXXX) Latran, 6 novembre 1301.

« Preficitur in episcopum Castellanum. » (fol. 77.)

Hugolino, electo Castellano. Inter sollicitudines alias —.

Suprascriptus, rector ecclesiæ Sanctæ Luciæ de Monte, Castellanæ diocesis, ecclesiæ Castellanæ, per obitum bonæ memoriæ Jacobi episcopi vacanti, et dispositioni Apostolicæ Sedis ea vice reservatæ, præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno septimo

In e. m. *capitulo ecclesie Castellane.*

4230 (CCLXXXXI) Latran, 11 décembre 1301.

« Quod possit facere recipi unam in sua cathedrali, et aliam in de Sancto Gaudentio, sue diocesis, ecclesiis personas ydoneas, etiamsi unum vel plura beneficia ecclesiastica obtineant. (fol. 77.)

Bosoni, episcopo Convenarum. Tuam volentes honorare —. Dat. Laterani, III id decembris, anno septimo.

4231 (CCLXXXXII) Latran, 6 novembre 1301.

« Preficitur in episcopum Aprutinum. » (fol. 77.)

Raynaldo, electo Aprutino. Angit nos pastoralis —. Dudum siquidem Aprutina ecclesia, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie Francisci — pastoris solatio destituta — capitulum — die ad eligendum prefixa —, deliberantes per viam scrutinii — providere — tres ex ipsis — Angelerium, archidiaconum, Valentinum Andree, prepositum, et Conradum de Esculo, canonicum ejusdem ecclesie, ad scrutandum — assumpserunt, qui — mox in comuni vota hujusmodi publicarunt, et, collatione super hac habita diligenter, compertum extitit, quod omnes — tunc presentes inibi in te, archidiaconum de Castro Lidio in ecclesia Cenomanensi, dicte ecclesie Aprutine canonicum, in diaconatus ordine constitutum, direxerant unanimiter vota sua, — tuque — electioni predicte, infra tempus a jure statutum, consentiens, propter hoc ad Sedem Apostolicam infra tempus legitinum accessisti.

Electione et persona a J[ohanne], episcopo Tusculano, Johanne, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, ac Jacobo, Sancti Georgii ad Velum Aureum cardinalibus, examinatis, confirmatur dicta electio.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo Aprutino — universis vasallis ecclesie Aprutine — carissimo in Christo filio . . regi Sicilie illustri.*

4232 (CCLXXXXII *bis*) Latran, 16 novembre 1301.

De episcopi Aprutini consecratione. (fol. 77 v°.)

. . *episcopo Valvensi.* Cum nuper electionem —

Mandatur suprascripto, ut Aprutino electo, postquam fuerit in presbyterum ordinatus a quocumque episcopo catholico, secundum concessionem domini papæ, munus consecrationis impendat, duobus vel tribus episcopis harum partium assistentibus.

Dat. Laterani, XVI kal. decembris, anno septimo.

Forma juramenti.

Ego Raynaldus, episcopus Aprutinus, ab hora in antea — ut in forma.

4233 (CCLXXXXIII) Latran, 24 novembre 1301.

« Remittitur electio decanatus ecclesie Gratianopolitane. » (fol. 77 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo, et dilectis filiis capitulo ecclesie Grationopolitane. Ecclesiam vestram, in qua sub regulari habitu et observantia ordinis beati Augustini virtutum Domino militatis, affectu paterne caritatis amplectimur, et ad ejus statum prosperum desiderabiliter affectamus. Cum igitur decanatus ipsius ecclesie, quem tu, frater episcope, olim ipsius ecclesie decanus, promotionis tue tempore, in eadem ecclesia obtinebas, per promotionem hujusmodi, post consecrationis munus tibi apud Sedem Apostolicam de mandato nostro impensum, apud eandem Sedem vacavisse noscatur, et nullus, preter nos, decanatum ipsum conferre potuerit, pro eo quod nos eundem decanatum, infra mensem a die vacationis hujusmodi, collationi nostre ac Sedis ejusdem duximus reservandum, et decrevimus irritum et inane, si super hiis secus a quoquam scienter vel ignoranter attemptatum fuisset antea vel contingeret in posterum attemptari. Nos, de ipsius decanatus, de quo, ut asseritur, solet per electionem canonicam hactenus provideri, provisione prospera cogitantes, et attendentes, quod vos de personis ad hoc ydoneis notitiam habere poteritis pleniorem, de vestra quoque providentia confidentes, tuis, frater episcope, supplicationibus inclinati, provideri eidem ecclesie per electionem canonicam de decano, prout alias ad vos dicitur pertinere, liberam vobis, auctoritate presentium, de speciali gratia, concedimus facultatem : non obstantibus reservatione ac decreto predictis, seu si aliqui, super provisionibus sibi faciendis de personatibus et dignitatibus vel aliis beneficiis ecclesiasticis in eadem ecclesia specialiter vel in illis partibus generaliter, prefate Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarunt, etiam si ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit earum auctoritate processum, quibus, quoad assecutionem aliarum dignitatum et personatuum, nullum per hoc volumus prejudicium generari, aut quibusvis litteris, privilegiis et indulgentiis Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que, presentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus harum impediri valeat vel differri, et de quibus quarumve totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Vos itaque actus vestros in provisione hujusmodi sic provide dirigatis, quod possitis exinde merito commendari. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno septimo.

4234 (CCLXXXXIIII) Anagni, 30 septembre 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Johanne, episcopo Ulixbonensi. » (fol. 78.)

Titio, capellano nostro, archipresbytero de Colle, Vulterane diocesis, et .. preposito, ac Sante Guidonis, canonico Pistoriensis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum trium millium florenorum auri, quos Johannes, episcopus Ulixbonensis, recepit a Lante Agolantis de societate Amannatorum, mutuante pro se ac Martino et Marcho Jacobi Amannati, Nesio et Totto Bartholomei Amannati, Jacobo Agolantis, Lapo Bonichi, Filippo Franchi, Paulo Tegrini, Lanfranco Jandonati, Bartholomeo Nesis Amannati, Johanne Franchi, Albizo Spine et Simone Guidonis Agolantis ac ceteris eorum sociis de societate prædicta.

Dat. Anagnie, II kal. octobris, anno septimo.

4235 (CCLXXXXV) Latran, 29 octobre 1301.

« Quod possit condere testamentum. (fol. 78.)

Guichardo, episcopo Trecensi. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, IIII kal. novembris, anno septimo.

4236 (CCLXXXXVI) Latran, 17 octobre 1301.

« Super pluralitate. » (fol. 78.)

Magistro Jacobo Bernardi, rectori ecclesie Sancti Andree de Tuderto. Exposuisti nuper nobis —.

Indulgetur suprascripto, ut, præter ecclesiam Sancti Andreæ de Tuderto, quam, per mortem quondam Johannis de Petralio rectoris vacantem, virtute Apostolicarum litterarum obtinuit, et prioratum secularis ecclesiæ Sanctæ Romanæ, sitæ in territorio Montismarte, Tudertinæ diocesis, similem animarum curam habentem, quem, per mortem quondam presbyteri Johannis, qui apud Urbemveterem diem clausit extremum, vacantem, virtute reservationis litterarum antea concessarum acceptandum duxit, insimul licite retinere possit, una cum canonicatibus, præbendis seu beneficiis, quæ in Tudertinæ, Sancti Laurentii de Rubiata, et Sanctæ Ceciliæ de Aquasparta ecclesiis, et ecclesia Sancti Angeli de Furnello, sine animarum cura, quam noscitur obtinere, nec non et quadam annua pensione, quam a monasterio Sancti Petri de Monte, ordinis sancti Benedicti, Tudertinæ et Spoletanæ diocesium, percipit annuatim.

Dat. Laterani, XVI kal. novembris, anno septimo.

4237 (CCLXXXXVII) Latran, 2 décembre 1301.

« Super facto decime. » (fol. 78 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Senensi. Porrecta nobis, ex parte venerabilis fratris nostri .. episcopi, et dilectorum filiorum cleri civitatis et diocesis Lucane, petitio continebat, quod, si decima per nos novissime in Italie partibus imposita secundum solventium [1] conscientias exigatur, non solum oriri poterunt, ut in preteritis accidit, exinde inter eos improperia, altercationes et scandala eorumque animarum pericula, sed etiam diminutio debite solutionis decime supradicte : cum aliqui propter gravem inopiam, quam ex malitia temporum et ex multis incumbentibus expensarum oneribus incurrerunt, nonnulli vero propter avaritie vitium prolabantur in quandam temerariam suppressionem veritatis circa suorum reddituum quantitatem. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut, predictis scandalis et animarum periculis concurrentes, ac attendentes quod predictorum proventus ecclesiastici per collectores decimarum, que fuerunt olim Terre Sancte subsidio deputate, diligenti super hoc deliberatione prehabita, taxati fuerunt, et secundum taxationem hujusmodi extiterunt ex tunc ipse decime persolute, providere super hoc paterna sollicitudine dignaremur. Nos itaque, predictorum episcopi et cleri supplicationibus inclinati, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus ab ecclesiis, personis et locis ecclesiasticis dictarum civitatis et diocesis, quorum facultates in eo statu, in quo erant tempore taxationis prefate, existere dinoscuntur, juxta taxationem ipsam exigas decimam supradictam, a reliquis vero, quorum facultates notabiliter augmentate sunt vel etiam diminute, plus vel minus exigas quantum augmentum vel diminutio juxta taxationem decime memorate requiret. Dat. Laterani, IIII non. decembris, anno septimo.

In e. m. *eidem episcopo Senensi* pro .. episcopo et clero civitatis et diocesis Fesulane.

4238 (CCLXXXXVIII) Latran, 30 novembre 1301.

« Quod possit celebrare missarum solempnia in majore altari monasterii sui. » (fol. 78 v°.)

Jacobo, abbati monasterii Sancti Pauli de Urbe, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Be-

1. *Ms* : solvetium.

nedicti. Merita tue devotionis —. Dat. Laterani, II kal. decembris, anno septimo.

Potthast, 25094.

4239 (CCLXXXXVIIII) Latran, 13 novembre 1301.

« Mandatur recipi Monaldus de Tuderto in canonicum et in fratrem ecclesie Vicentine. » (fol. 78 v°.)

Dilectis filiis capitulo Vicentino. Ex parte dilecti —.

Mandatur suprascriptis, ut, non obstante edicto ab episcopo Vicentino approbato, quo, terdenarium canonicorum numerum ad denarium restringentes, statuerant ne ullus in canonicum reciperetur, nisi prius eadem ecclesia ad dictum denarium numerum deveniret ac deesset aliquis de eo, Monaldum de Tuderto ad canonicatum et præbendam, per obitum magistri Petri de Pontingnano vacantes, recipiant, juxta collationis et reservationis litteras, eidem tempore legationis suæ concessas, a M[atthæo], episcopo Portuensi, Sedis Apostolicæ legato in prædictis partibus.

Dat. Laterani, id. novembris, anno septimo.

4240 (CCC) Latran, 13 novembre 1301.

« Preficitur in episcopum Dumblanensem. » (fol. 78 v°.)

Nicolao, episcopo Dumblanensi. Dumblanensem ecclesiam —.

Dumblanensi ecclesiæ, per obitum bonæ memoriæ Alpini, Dumblanensis episcopi, vacanti, suprascriptus, abbas monasterii de Aberbrothac, ordinis sancti Benedicti, Sancti Andreæ diocesis, qui, a capitulo electus in discordia et apud Sedem Apostolicam accedens, jus, quod sibi ex hujusmodi electione competere poterat, resignavit, præficitur in episcopum, consecrationis munere ei a Theoderico, episcopo Civitatis Papalis, impenso.

Dat. Laterani, id. novembris, anno septimo.

In e. m. . .*decano et capitulo ecclesie Dumblanensis.*

Potthast, 25091.

4241 (CCCI) Latran, 4 décembre 1301.

« Sabine, abbatisse monasterii Sancte Agnetis de Urbe. Preficitur in abbatissam ejusdem monasterii. » (fol. 79.)

Sabine, abbatisse monasterii Sancte Agnetis de Urbe, ordinis sancti Benedicti. Etsi ex injuncto —. Nuper siquidem monasterio Sancte Agnetis de Urbe, ordinis sancti Benedicti, abbatisse regimine destituto, duas contigit inibi electiones in discordia celebrari, unam videlicet de te, tunc decana ejusdem monasterii, aliam vero de Constantia, moniali monasterii prelibati. Nobis itaque hujusmodi electionibus presentatis, nos, electiones ipsas, non personarum vitio, sed ex alia rationabili causa, cassavimus justitia exigente. Et demum in personam tuam direximus oculos teque, de fratrum nostrorum consilio, prefecimus in abbatissam monasterio memorato, tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum . . Tiburtinum episcopum munus benedictionis impendi. Dat. Laterani, II non. decembris, anno septimo.

4242 (CCCII) Latran, 1er décembre 1301.

« Indulgentia ad fabricam pro ecclesia Sancti Flaviani de Monteflascone. » (fol. 79.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Ecclesiarum fabricis —.

Universis vere pœnitentibus et confessis, qui reædificationi sæcularis ecclesiæ Sancti Flaviani de Monteflascone, Balneoregensis diocesis, vetustate consumptæ et pro parte dirutæ, adjuvarent, indulgentia centum dierum conceditur. « Presentibus post triennium minime valituris. Quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere juribus decernentes. »

Dat. Laterani, kal. decembris, anno septimo.

4243 (CCCIII) Latran, 5 novembre 1301.

« Confirmatur electio sua. » (fol. 79 v°.)

Petro, abbati monasterii Sancti Laurentii prope Tridentum, ordinis sancti Benedicti. Licet ea que —. Dudum siquidem monasterio Sancti Laurentii prope Tridentum, ordinis sancti Benedicti, per obitum quondam Gerardi, ipsius monasterii abbatis, regimine pastoris destituto, conventus ipsius monasterii, pro futuri substitutione pastoris — convenientes in unum — in te, tunc ejusdem

monasterii monachum, vota sua unanimiter et concorditer direxerunt, te quasi per inspirationem divinam in suum et ejusdem monasterii abbatem canonice eligendo. Tuque electioni hujusmodi de te facte consensum tuum, intra tempus a jure concessum, impendere curavisti. Sed magister Johannes, archidiaconus Tridentinus, qui tunc pro vicario venerabilis fratris nostri . . Tridentini episcopi se gerebat, electionem ipsam pro libito sue voluntatis infirmans, electionem postmodum, per Bonacursum, qui dicitur Crespetta, monasterii predicti apostatam, et Andream de Tridento, laicalem habitum deferentem, de Baldrico monasterio Sancti Eustachii Brixiensis, ordinis sancti Augustini, in predicto monasterio Sancti Laurentii temere attemptatam, contra justitiam confirmavit : propter quod, pro parte tua fuit ad Sedem Apostolicam appellatum. Nos autem, tam appellationis hujusmodi quam principalis negotii causam dilecto filio nostro Rizardo, Sancti Eustachii diacono cardinali, vive vocis oraculo commisimus audiendam. Idem vero cardinalis, hujusmodi commissione recepta, super eadem causa duxit aliquandiu procedendum; sed, eo tandem infirmitate gravato et propterea in causa ipsa procedere non valente, nos causam ipsam dilecto filio nostro Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, audiendam comisimus et fine debito terminandam. Qui, juxta nostre commissionis formam diligenter in ea causa procedens, electionem hujusmodi de te factam, exigente justitia, confirmavit, electione reliqua per jam dictos Bonacursum et Andream presumpta, ut premittitur, infirmata, prout in ejusdem Johannis cardinalis litteris super hac confectis et ejus sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinale factum esse dinoscitur in hac parte, ratum habentes et gratum, illud auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio comunimus, qui tibi jam fecimus per venerabilem fratrem nostrum L[eonardum], Albanensem episcopum, munus benedictionis impendi.

Inseritur tenor litterarum Johannis cardinalis incipientium : « In nomine Domini » sub data: « Anno Domini, a Nativitate ejusdem, millesimo trecentesimo primo, indictione XIIII[a], pontificatus sanctissimi patris Domini Bonifatii pape VIII anno septimo, die XV[a] mensis aprilis. »

Dat. Laterani, non. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Laurentii prope Tridentum, ordinis sancti Benedicti — universis vassallis — venerabili fratri . . episcopo Tridentino.*

4244 (CCCIIII) Latran, 17 novembre 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Gregorio, archiepiscopo Tarentino. » (fol. 80 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Urbevetano et dilectis filiis Jordano de Pilco, Cameracensis, ac Johanni Judicis Andree de Anagnia, Laudunensis ecclesiarum canonicis. Exponente nobis pridem —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum duorum millium florenorum auri, quorum mille et sexcentos et quinquaginta Gregorius, archiepiscopus Tarentinus, a Nicolao quondam Silvestri de Anagnia, milite, mutuante pro se et hæredibus suis, recepit.

Dat. Laterani, XV kal. decembris, anno septimo.

In e. m. notificatur eisdem mutuum duorum milium florenorum auri, quorum trecentos quadraginta quinque idem Gregorius a Riceho Corbali de Perusia, mercatore de societate Benci de Florentia, mutuante pro se ipso et Donato Benci, Mafeo Cionis ac ceteris eorum sociis recepit. Dat. ut supra.

4245 (CCCV) Latran, 6 novembre 1301.

« Preficitur in episcopum Taurinensem. » (fol. 80 v°.)

Thedisio, electo Taurinensi. In supreme dignitatis —. Sane olim Taurinensi ecclesia, per obitum bone memorie Gaufridi, episcopi Taurinensis, pastoris solatio destituta, dilecti filii . . prepositus et capitulum ejusdem ecclesie, die ad eligendum prefixa, dilectum filium Thomam de Sabaudia, canonicum Parisiensem, in minoribus ordinibus constitutum, in episcopum Taurinensem unanimiter postularunt. Sed nos deinde, hujusmodi postulationis ignari, provisionem ea vice faciendam dicte ecclesie de prelato Sedi Apostolice duximus specialiter reservandam, ac decrevimus ex hunc irritum et inane, si secus super hiis contingeret attemptari —.

Postulationem vero, a nuntiis dicti capituli præsentatam, « non vitio persone ipsius Thome sed ex certis aliis causis » non duxit admittendam dominus papa et suprascriptum, tunc canonicum Ambianensem et capellanum suum, prædictæ ecclesiæ Taurinensi præficit in episcopum.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno septimo.

In e. m. *. . preposito et capitulo ecclesie Taurinensis — clero civitatis et diocesis — universis vassalis — nobili viro Phylippo de Sabaudia, principi Achaye.*

4246 (CCCVI) Latran, 12 novembre 1301.

« Quod possit audire jura per quinquennium. » (fol. v°.)

Matheo, archipresbytero ecclesie Sancti Secundi de Insula Pulvensi, Perusine diocesis. Cum sicut ex parte —. Dat. Laterani, II id. novembris, anno septimo.

4247 (CCCVII) Latran, 27 octobre 1301.

« Indulgentia pro ecclesia Sancti Fortunati Tudertina. » (fol. 81.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Pia desideria devotorum —. Considerantes igitur devotionis affectum, quo nobis dilecti filii comune Tuderti humiliter supplicarunt, ut ecclesiam Beati Fortunati Tudertinam honorare certis indulgentiarum gratiis dignaremur, attentaque meditatione pensantes, quam necessarium existat et utile omnibus in hac regione umbre mortis sub carnis fragilitate degentibus, illos cultu devoto venerari et colere, et per cultum hujusmodi sibi constituere advocatos, quos, mortalitatis exutos tunica, consortes jam sue claritatis effecit Omnipotens et diademate perennis glorie coronavit, attendentes etiam, quanta sint veneratione colendi incliti Tudertine civitatis antistites et patroni gloriosi, videlicet martires Cassianus et Calixtus, qui pro Christi nomine ad supplicia sua corpora tradiderunt et, de mundi principe triumphantes, palmam assecuti sunt perpetue claritatis, ac sanctissimus confessor beatus Fortunatus, quem stola glorie induit Dominus et in eterna suorum gaudiorum tabernacula introduxit, nec non et perpetue virgines Romana et Digna a celesti sponso, cui, prudentum virginum more, lampadibus accensis obviam exiverunt, ad sempiterne exultationis nuptias introducte, quorum corpora in prefata ecclesia requiescunt, piis votis eorumdem comunis in hac parte duximus annuendum. Cum igitur ipsa sanctorum corpora, olim in eadem ecclesia non sine Divine Largitatis munere ac devota fidelium exultatione reperta, ad locum alium celebrem, ad hoc in prefata ecclesia preparatum, fuerint, auctoritate nostra, cum digna solemnitate translata, ut universitas vestra eo ferventius ad eorumdem sanctorum devotionem ac reverentiam et ad ejusdem translationis celebrandum diem anniversarium accendatur, quo se, illorum consideratione, conspexerint majoris ubertate gratie fecundari, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, meritis et auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad eandem ecclesiam prefato anniversario ejusdem translationis die, que quidem XIIII kalendas septembris extitit celebrata, quinque annos et totidem quadragenas, illis vero, qui, per octabas ejusdem anniversarii, causa devotionis accesserint, annuatim, unum annum et XL dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Laterani, VI kal. novembris, anno septimo.

4248 (CCCVIII) Latran, 12 décembre 1301.

« Conceditur sibi et heredibus suis castrum Chie, Ortane diocesis. » (fol. 81 v°.)

Guastapane, nato quondam Porcarii militis, olim domino castri Suriani. Romana mater ecclesia —.

Suprascripto castrum Chiæ, Hortanæ diocesis, sub annuo censu XL solidorum paparinorum, in feudum conceditur.

Dat. Laterani, II id. decembris, anno septimo.

POTTHAST, 25109.

4249 (CCCVIIII) Latran, 27 décembre 1301.

« Quod possit recipere munus consecrationis. » (fol. 81 v°.)

Ludovico, electo Lugdunensi. Personam tuam nobis —.

Suprascripto, qui, in ultramontanis partibus constitutus, ecclesiæ Lugdunensi præfectus fuit, conceditur facultas recipiendi munus consecrationis a quo maluerit archiepiscopo vel episcopo.

Dat Laterani, VI kal. januarii, anno septimo.

4250 (CCCX) Latran, 11 décembre 1301.

« Preficitur in archiepiscopum Bisuntinum. » (fol. 81 v°.)

Venerabili fratri Hugoni, archiepiscopo Bisuntino. Circa statum venerabilis —.

Ecclesia Bisuntina per bonæ memoriæ Odonis archiepiscopi obitum pastoris solatio destituta, dominus papa eam ea vice dispositioni Apostolicæ duxit reservandam.

Porro dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, hujusmodi nostre, prout asseritur, reservationis ignari, certa die ad eligendum prefixa, per viam scrutinii procedere elegerunt.

Et tandem, ipsorum votis in diversa divisis, due electiones, una videlicet de dilecto filio Henrico de Vergeyo, cantore, et altera de dilecto filio Henrico de Facoigneyo, thesaurario ejusdem ecclesie, fuerunt in ecclesia ipsa in discordia celebrate.

Dicti vero cantor et thesaurarius, cum ad Sedem Apostolicam accessissent, libere resignarunt.

Quorum resignationes benigne duximus admittendas, et deinde, patris more solliciti, ad ipsius ecclesie statum tranquillum et prosperum vigilantibus studiis intendentes, cantori et thesaurario sepedictis oraculo vive vocis injunximus, ut personam aliquam, de ipsius ecclesie gremio vel etiam aliunde, quam ad ejusdem ecclesie regimen sufficientem et ydoneam reputarent, nobis expresse ducerent nominandam : qui, hujusmodi mandato nostro recepto, secedentes in partem, inter se super hoc deliberatione prehabita diligenti [1], te, qui dudum sponte ac libere in nostris manibus Leodiensis episcopatus regimini cesseras, cui preeras, nobis aperte et spetialiter nominarunt personam tuam, de nobilitate generis, litterarum scientia, elegantia morum et aliarum virtutum titulis multipliciter commendantes. Unde nos te, de ipsorum fratrum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, eidem Bisuntine ecclesie in archiepiscopum prefecimus, tibique subsequenter palleum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, de corpore beati Petri sumptum, et a predicto thesaurario ac dilectis filiis Raynaldo de Ceys et Johanne de Vallegranosa, ejusdem ecclesie canonicis, pro te cum ea que decuit instantia postulatum, ad nomen et usum ejusdem Bisuntine ecclesie, per dilectos filios nostros Matheum, Sancte Marie in Porticu, et Neapoleonem, Sancti Adriani, ac Franciscum, Sancte Marie in Cosmedin diaconos cardinales, fecimus exhiberi. Firma —. Tu itaque —. Dat. Laterani, III id. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Bisuntine — populo — clero — universis vassallis — universis suffraganeis.*

4251 (CCCXI) Latran, 18 décembre 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo pro eodem archiepiscopo », usque ad summam sex millium florenorum auri. (fol. 82.)

Hugoni, archiepiscopo Bisuntino. Cum sicut in nostra — Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno septimo.

1. *Ms* : diligendi.

4252 (CCCXII) Latran, 13 décembre 1301.

« Johanni, abbati monasterii Sancti Petri Carnotensis, ordinis sancti Benedicti. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 82 v°.)

Johanni, abbati monasterii Sancti Petri Carnotensis, ordinis sancti Benedicti. Romani Pontificis —. Dudum siquidem monasterio Sancti Petri Carnotensi, ordinis sancti Benedicti, per obitum quondam Hervei, abbatis ejusdem monasterii, pastoris regimine destituto, major pars dilectorum filiorum conventus ipsius monasterii dilectum filium Guerinum de Tyras, monachum monasterii Sancti Dyonisii in Francia, dicti ordinis, Parisiensis diocesis, in abbatem ipsius monasterii Sancti Petri elegit. Sed, eodem Guerino hujusmodi electioni de se facte consentire nolente, dilecti filii prior ejus monasterii Sancti Petri et conventus predicti postmodum, certa die ad eligendum prefixa, insimul convenerunt, et due per viam scrutinii ab eis in eodem monasterio Sancti Petri electiones, una videlicet de Guillelmo, priore prioratus de Bruroliis, dicti ordinis, Carnotensis diocesis, et alia de Leodegario, monacho et camerario dicti monasterii Sancti Petri, fuerunt in discordia celebrate.

Qui quidem duo electi ad Sedem Apostolicam, cui causa per appellationem devoluta erat, accesserunt, et, postquam Landulphum, Sancti Angeli diaconum cardinalem, causæ auditorem recepissent, postmodum libere resignarunt.

Nosque, hujusmodi eorum resignatione recepta, provisionem ipsius monasterii Sancti Petri ea vice dispositioni Sedis Apostolice reservantes, in te, quem predicti Guillelmus et Leodegarius nobis spetialiter nominarunt, tunc abbatem monasterii Sancti Petri de Nealphaveteri, predicti ordinis, ejusdem Carnotensis diocesis, direximus oculos nostre mentis, teque eidem monasterio Sancti Petri Carnotensi preficimus in abbatem. Firma —. Quocirca —. Dat. Laterani, id. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Sancti Petri — vassallis — episcopo Carnotensi — nobili viro . . comiti Carnotensi.*

4253 (CCCXIII) Latran, 1er décembre 1301.

« Indulgentia de fructibus pro Ylario de Parma, canonico Parmensi. » (fol. 83.)

Ylario, nato dilecti filii Jacobi Blanci de Parma, militis, canonico Remensi. Studiis bonitatis vigilanter —.

Obtentu Gerardi, episcopi Sabinensis, nunc Apostolicæ Sedis legati, cujus nepos esse dinoscitur, indulgetur suprascripto, ut, usque ad quinquennium, fructus præbendarum, quas in Remensi et Belvacensi ecclesiis, quarum existit canonicus, obtinet, residens in altera dictarum ecclesiarum vel in scolis, in loco ubi vigeat studium generale, percipere possit.

Dat. Laterani, kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Longi Pontis et . . preposito Brugensis, Tornacensis diocesis, et . . thesaurario Suessionensis ecclesiarum.*

4254 (CCCXIIII) Anagni, 28 septembre 1301.

« Archipresbytero et capitulo ecclesie Sancte Marie de Monte Longo, Anagnine diocesis. Super confirmatione numeri. » (fol. 83.)

.. archipresbytero et capitulo ecclesie Sancte Marie de Monte Longo, Anagnine diocesis. Cum a nobis petitur —.

Statutum, quod, eorum accedente consensu, a Gerardo, Atrebatensi, tunc Anagnino episcopo, latum fuit et quo senarius clericorum numerus, archipresbytero computato, in ecclesia prædicta taxatur, ratificat et confirmat dominus papa, cujus tenor inseritur his verbis :

« Gerardus, miseratione divina episcopus Anagninus, dilectis in Christo . . archipresbytero et clericis ecclesie Sancte Marie de Monte Longo, Anagnine diocesis. Dignum est ut in ecclesiis determinatus sit numerus personarum, ne provisione careat superflua multitudo vel ex paucitate dignum Deo servitium subtrahatur. Ea propter, dilecti in Domino, vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, senarium clericorum numerum, te archipresbytero computato, facultatibus ecclesie vestre diligenter pensatis, taxamus in ipsa : statuentes ut eodem numero ecclesia ipsa de cetero sit contenta et ne aliquis recipiatur in ea, quousque collegium vestrum ad eundem numerum sit redactum et locus et beneficium vacaverint in eadem, nisi adeo ipsius excreverint facultates, quod merito illum exigant augmentari, et nulli de cetero, recipiendo in ecclesia ipsa ultra predictum numerum, teneamini de cotidianis distributionibus providere, nec ad assignandum alicui stallum in choro et vocem in capitulo, quamdiu sub exspectatione loci et beneficii vacaturi fuerint, compelli aliquatenus valeatis, et, ut predicta obtineant firmitatem, excommunicamus in hiis scriptis violatores indulgentie supradicte, Sedis Apostolice vel legatorum ejus auctoritate in omnibus semper salva. Ad quem numerum statutum, omnia et singula supradicta observanda perpetuo a vobis dompno Petro dicto Piper, archipresbytero, dompnis Petro dicto Vetulo, presbytero, Nicolao de Murolo, Gregorio Marci et Thoma Petri Lialis, nominate ecclesie clericis, recepimus tactis sacrosanctis evangeliis prestitum juramentum. In cujus rei testimonium, predicta omnia et singula per Jacobum, notarium nostrum infrascriptum, redigi fecimus in formam publicam et scripturam. Actum Anagnie, in palatio dicti domini episcopi, scilicet in camera superiori, presentibus hiis rogatis testibus, domino Jordano dicto Vetulo, canonico Anagnino, et dompno Sanctoro de Anagnia, presbytero. Anno Domini M°CC°LXXXVI, pontificatus domini Honorii pape IIII anno primo, indictione XIIII, mensis februarii die nonadecima. Et ego Jacobus Silvestri de Anagnia, Imperiali auctoritate publicus et ipsius domini episcopi notarius et clericus ecclesie supradicte, omnibus et singulis supradictis interfui, et, de mandato dicti domini episcopi et precibus dictorum archipresbyteri et clericorum, scripsi, et signum posui consuetum, et de observandis numero statuto et omnibus et singulis supradictis perpetuo prestiti, una cum prefatis archipresbytero et clericis, corporaliter juramentum. » Dat. Anagnie, IIII kal. octobris, anno septimo.

4255 (CCCXV) Latran, 26 décembre 1301.

« Preficitur in episcopum Legionensem. » (fol. 83, v°.)

Gundisalvo, episcopo Legionensi. Cum pridem dilectus filius magister Johannes Michaelis, archidiaconus de Malieo, in ecclesia Ovetensi, Legionensis canonicus, occasione electionis tunc de ipso in Legionensi ecclesia concorditer celebrate, ad Sedem Apostolicam accessisset, tandem ipse, in nostra presentia constitutus, omne jus, quod sibi ex electione hujusmodi competebat, sponte ac libere in nostris manibus resignavit. Nos autem, resignatione hujusmodi benigne admissa, provisionem ipsius Legionensis ecclesie ea vice dispositioni Sedis Apostolice et nostre duximus reservandam et — de te, tunc ipsius ecclesie Ovetensis decano, eidem Legionensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, duximus providendum, teque illis preficimus in episcopum —. Nosque tibi per venerabilem fratrem nostrum L[eonardum], episcopum Albanensem, munus benedictionis — fecimus impendi —. Dat. Laterani, VII kal. januarii, anno septimo.

4256 (CCCXV *bis*) Latran, 24 décembre 1301.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Gundisalvo, episcopo Legionensi, » usque ad summam trium millium florenorum auri. » (fol. 83, v°.)

Eidem. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno septimo.

4257 (CCCXVI) Latran, 13 novembre 1301.

« Quod habeat recommendatum Nicolaum, episcopum Dumblanensem. » (Fol. 83, v°.)

Nobili viro Malisio, comiti Dextrathern. Manet nostri pectoris —.

Ut episcopum Dumblanensem, nuper electum, habeat commendatum et ei vel procuratori ejus omnia bona ejusdem ecclesiæ, quæ, vacationis tempore proximo transacto, ratione juris patronatus quod in ea se habere asserit, percepit, sublato dilationis obstaculo, integre restituere non postponat.

Dat. Laterani, id. novembris, anno septimo.

4258 (CCCXVII) Latran, 5 décembre 1301.

« Preficitur in episcopum Cartaginensem. » (fol. 84.)

Martino, electo Carthaginensi. In supreme dignitatis —. Dudum siquidem Cartaginensi ecclesia, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie Didaci, Cartaginensis episcopi, pastoris solatio destituta, due in ea electiones, una videlicet de dilecto filio Ferrando Garsie, magistro scolarum ejusdem ecclesie Cartaginensis, reliqua vero de Gilaberto de Oroillis, priore secularis ecclesie Sancti Caprasii Agennensis, fuerunt a canonicis dicte Cartaginensis ecclesie tunc in ea presentibus in discordia celebrate ; sed ipsius magistri scolarum electores timuerunt, ex justa causa, electionem, quam de eodem magistro scolarum fecerant, inibi publicare, dictusque prior electioni de se facte sua spontanea voluntate renuit consentire. Cumque postmodum nominatus magister scholarum, necnon et aliqui electorum suorum, personaliter ad Sedem Apostolicam accedentes, electionis de dicto magistro scolarum facte nobis presentato decreto, a nobis electionem eandem confirmari infra tempus debitum postulassent, nos negotium electionis ipsius magistri scolarum dilecto filio nostro Landulpho, Sancti Angeli diacono cardinali, comisimus audiendum, et tandem, per eundem cardinalem negotio eodem plene discusso et de ipso nobis facta relatione fideli, prelibatus magister scholarum omni juri, si quid sibi ex electione, de se, ut predicitur, facta, fuerat acquisitum, in nostris manibus sponte cessit. Nosque hujusmodi resignationem duximus admittendam et cum, tam pro parte ipsius magistri scolarum et electorum suorum, quam reliquorum predictorum electorum, a nobis fuisset suppliciter postulatum, ut providere dicte Cartaginensi ecclesie de prelato paterna diligentia curaremus —.

Suprascriptus, tunc archidiaconus de Najara, in ecclesia Calaguritana, præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Cartaginensis — clero civitatis et diocesis — populo — carissimo in Christo filio Ferrando, illustri regi Castelle et Legionis.*

4259 (CCCXVIII) Latran, 27 décembre 1301.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 84 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni dicto de Aspello et dilecte in Christo filie nobili mulieri Rosate[1] *de Torralto, civibus Suessanis.* Licet matrimoii contractum —. Dat. Laterani, VI kal. januarii, anno septimo.

4260 (CCCXVIIII) Latran, 22 décembre 1301.

« Transfertur ad ecclesiam Noviomensem de Lectorensi. » (fol. 84 v°.)

Venerabili fratri Petro, Noviomensi episcopo. De precelso Sedis —.

Suprascriptus transfertur de Lectorensi ad Noviomensem ecclesiam. Eidem Noviomensi ecclesiæ, per translationem Symonis episcopi ad Belvacensem vacanti, et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatæ de magistro Radulpho de Aricuria, canonico Parisiensi, provisum fuerat ; « at ipse, ex certis rationalibus causis inductus, provisioni hujusmodi de se facte noluit consentire. »

Dat. Laterani, XI kal. januarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Noviomensis* —

1. *Ms* : Rosalte, sed clare legitur : Rosate in titulo qui scriptus est in nigro ad marginem.

clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie — archiepiscopo Remensi — carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francie illustri.

4261 (CCCXX) Anagni, 28 septembre 1301.

« Preficitur in episcopum Vulteranum. » (fol 85.)

Raynerio, electo Vulterano. Dudum ex certis —.

Ne ecclesia Vulaterrana, vacationis tempore, auxilio defensoris careat et ipsius bona pateant direptionibus malignorum, Raynerio, filio nobilis viri Belfortis de Belfortibus, Vulaterrano canonico, tam in spiritualibus quam in temporalibus, cura, administratio et procuratio illius plenarie committuntur.

Dat. Anagnie, IV kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *clero civitatis et diocesis Vulterane.*

POTTHAST, 25078.

4262 (CCCXXI) Latran, 3 janvier 1302.

« Quod possit recipere munus consecrationis » ab episcopo Pistoriensi. » (fol. 85 v°,)

Ragnerio, electo Vulterano. Personam tuam nobis —. Dat. Laterani, III non. januarii, anno septimo.

In e. m. . . *episcopo Pistoriensi.*

4263 (CCCXXII) Latran, 5 novembre 1301.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 85 v°)

Dilecto filio nobili viro Catenatio, nato quondam Theobaldi, militis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Ajugate, nate dilecti filii nobilis viri Johannis Spate, civibus Anagninis. Licet matrimonii contractum —.

Ad conservationem pacis indulgetur suprascriptis ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, non. novembris, anno septimo.

4264 (CCCXXIII) Latran, 27 septembre 1301.

Indulgentia super visitatione archidiaconatus. (fol. 85 v°.)

Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali. Decens et debitum —.

Suprascripto indulgetur ut archidiaconatum suum Richemundiæ, quem in Eboracensi ecclesia obtinet, per personas idoneas visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit.

Dat. Laterani, VI kal. januarii, anno septimo.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Anagnino et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Augustini Cantuariensis et . . archidiacono ecclesie Exoniensis.*

4265 (CCCXXIIII) Latran, 27 décembre 1301.

Judices deputantur ad jura Francisci, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, in Anglia conservenda (fol. 85 v°.)

Eisdem[1]. Turbarum plurimum —.

Cum Franciscus, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, super archidiaconatu Richemundiæ ac præbenda, quos in ecclesia Eboracensi obtinet, et eorum redditibus a nonnullis multipliciter molestetur, mandatur suprascriptis ut ejusdem jura conservent.

Dat. Laterani, VI kal. januarii, anno septimo.

4266 (CCCXXV) Même date.

Eadem gratia pro Francisco, nato nobilis viri Petri Gaitani. (fol. 86.)

Eisdem judicibus. Ad compescendos conatus —.

Cum Franciscus, natus nobilis viri Petri Gaitani, nepotis domini papæ, comitis Casertani, Militiarum domini, canonicus Eboracensis, super præbendis ecclesiasticis sive capellis et beneficiis suis ecclasiasticis, quæ in regno Angliæ obtinet, ac eorum redditibus a nonnullis multipliciter molestetur, mandatur suprascriptis ut ejusdem jura conservent.

Dat. ut. supra.

1. Supplendum nobis videtur : judicibus.

4267 (CCCXXVI) Anagni, 25 août 1301.

Pro eodem. Indulgentia super fructibus. (fol. 86.)

Francisco, nato dilecti filii nobilis viri Petri Gaitani, nepotis nostri, comitis Casertani, Militiarum domini, canonico et thesaurario ecclesie Turonensis. Ut tua et tuorum —.

Indulgetur suprascripto ut, apud Sedem Apostolicam moram trahens vel insistens scolasticis disciplinis, ubi studium vigeat generale, vel residens in aliqua ecclesiarum, ubi beneficium obtinet, possit, usque ad septennium, fructus omnium suorum beneficiorum in absentia percipere.

Dat. Anagnie, VIII kal. septembris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri.. episcopo Anagnino et dilectis filiis.. priori Sancte Genovefe Parisiensis, ac magistro Bartholomeo de Sancto Laurentio, archidiacono Exoniensi.*

4268 (CCCXXVII) Anagni, 25 août 1301.

Alia gratia pro eodem. (fol. 86 v°.)

Francisco, nato nobilis viri Petri Gaytani, nepotis nostri, comitis Casertani, Militiarum domini, canonico et thesaurario Turonensi. Ex parte tua fuit —.

Indulgetur suprascripto ut non teneatur facere residentiam ligiam, cui, ratione thesaurariæ quam in hac obtinet ecclesia, obligari dinoscitur.

Dat. Anagnie, VII kal. septembris, anno septimo.

4269 (CCCXXIII) Latran, 13 janvier 1302.

« Super detentione Bernardi, episcopi Appamiarum. ». (fol. 86 v°.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi, et .. Biterrensi, ac .. Magalonensi episcopis. Nuper non sine gravi mentis amaricatione percipimus, quod venerabilis frater noster Bernardus, episcopus Appamiarum, extra limites discretionis egressus et insane mentis effectus, pontificali decentia pretermissa, contra carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, diversimode ad gravem prorupit insaniam, prout in diversis articulis, quorum tenor infra describitur, plenius continetur. Nos igitur, ex hoc non immerito provocati, ac ex eo potissimum quod idem episcopus, si relatis veritas suffragetur, irruere non metuit in tanti principis lesionem, ac scire volentes super iis plenariam veritatem, de vestra quoque diligentia et circumspectione plenarie confidentes, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus, eodem episcopo ab omni potestate seu custodia seculari plenarie liberato, et ab omnibus bonis ejus et ecclesie Appamiarum, mobilibus et immobilibus seque moventibus, manu dicti regis et suorum prorsus amota, tu, frater archiepiscope, ipsum episcopum Appamiarum, auctoritate nostra, per te ac tuos, nomine nostro et Ecclesie Romane, sub fida custodia diligenter custodire procures. Vos autem, vel duo vestrum, si omnes ad id commode non poteritis interesse, super contentis in articulis prelibatis et eorum circumstantiis ac ad ea pertinentibus, infra trium mensium spatium a receptione presentium, summarie, de plano, sine strepitu et figura judiciii, plena tamen et libera defensione dicto episcopo reservata, ex officio nostro, a fidedignis personis, de quibus expedire videatis, studeatis inquirere diligentius veritatem, etiamsi super hec contingeret predictum Bernardum episcopum ad Sedem Apostolicam appellare, cujus appellationi seu appellationibus nolumus deferre in hac parte. Si vero idem B[ernardus] episcopus hujusmodi personas, quas in inquisitione hujusmodi examinari contigerit, vel earum dicta voluerit reprobare, testes, qui super approbatione hujusmodi producti fuerint, infra unum mensem predictas tres menses immediate sequentem, prudenter recipere ac diligenter examinare curetis, depositiones omnium hujusmodi personarum et testium fideliter in scriptis redactas, una cum presentibus litteris sub vestris inclusas sigillis, ad presentiam nostram quantocius transmissuri, ac significaturi nobis que et quanta sit fides hujusmodi personis, testibus et depositionibus adhibenda. Tuque, archiepiscope, prelibatum episcopum Appamiarum tunc ad presentiam nostram destinare procures. Quod si etiam duo vestrum legitimo forsan impedimento detenti exequutioni inquisitionis, examinationis et remissionis hujusmodi non potueritis interesse, reliquus illas et que dependent ab ipsis diligenter et fideliter exequatur: testes, quos super inquisitione ac reprobatione predicta vocari contigerit seu produci, cogendo ad perhibendum testimonium veritati, et contradictores, si qui in premissis fuerint, vel rebelles, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici vel excommunicari per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, sive quod eidem regi et tibi, archiepiscope,

scripsimus, per alias nostras sub certa forma litteras, super amovenda custodia ab eodem B[ernardo] episcopo et liberatione ipsius ac permissione libera ad nostram presentiam veniendi. Tenor autem predictorum articulorum talis est : in primis asseritur quod idem episcopus Appamiarum, in injuriam et blasphemiam dicti regis prorumpens, dixit, non solum semel et secundo, sed pluries et diversis locis et temporibus, coram multis personis, ecclesiasticis et secularibus, nobilibus et ignobilibus, quod sanctus Ludovicus avus dicti regis, olim, dum viveret, dixerat eidem episcopo, tunc abbati Appamiarum, quod temporibus ipsius Philippi regis debebat regnum Francie destrui, ac idem rex et sui debebant perdere regnum ipsum, et quod dictum regnum debebat ad alios devenire, nullatenus ad ipsum Philippum regem et suos reversurum ulterius. Item quod idem episcopus multoties dixit quod idem Philippus rex nihil omnino valebat. Item quod ipse rex non erat de genere clare memorie Caroli Magni, regis Francorum. Item quod nec de recto genere regum Francie. Item quod nec homo, nec bestia sed imago. Item quod nichil omnino faciebat nisi respicere homines. Item quod non erat dignus tenere regnum Francie, quia regnum ipsum regere nesciebat. Item quod tota curia Francie, intus et extra, huc et illuc, erant falsi, corrupti et infideles, neminem excipiendo, et quod idem rex erat eodem modo. Item quod omnes Gallici inimicabantur lingue tholosane, et quod nunquam fecerunt Tholosanis bonum sed semper malum, et quod auferebant eis quicquid habebant, et quod dictus rex faciebat eodem modo. Item quod dictus rex faciebat seu fabricari faciebat falsam monetam et erat falsator monete. Item quod moneta, quam fabricari faciebat, erat falsa et sine lege, nec poterat esse falsior, et quod falsus erat, qui fabricari faciebat eandem. Item quod dictus rex erat ex spuriis et bastardis. Item quod idem episcopus Appamiarum dixit pluries, quod civitas Appamiarum non erat in regno Francie, nec de ipso regno, et quod idem rex in ea nichil omnino habebat. Item quod idem episcopus pluries dixit et precepit gentibus suis, et cum gentibus comitis Fuxensis tractatum habuit, quod gentibus dicti regis, volentibus in ipsa civitate justitiam exercere, resisteretur manualiter et de facto. Item quod idem episcopus, tanquam sceleratissimus, diminutionem, blasphemiam et vituperium dicti regis et honoris regii, et subversionem ipsorum regis et regni voluit et consensit, ac ea proditionaliter tractavit, quantum potuit et in eo fuit, iniendo scelestam factionem, per se et per alios, fraudulosis machinationibus et dolosis, cum multis nobilibus et potentibus, et diversimodo tractando et eis promissiones multas et diversas, ut ad proditionem consentirent, faciendo, ea, quantum potuit et in se fuit, ad effectum perducens. Primo videlicet tractavit, quantum in eo fuit, proditionem contra ipsum regem cum comite Fuxi, tempore quo erat guerra in Guasconia inter regem eumdem et regen Anglie, promittendo dicto comiti et aliis pro eo, quod, si dictus comes vellet facere pacem cum dicto episcopo et conjurare cum ipso, idem episcopus dictum comitem faceret dominum totius terre Tholosane. Item quod idem episcopus promisit ipsi comiti, quod, si confederationem vellet facere cum eodum, episcopus ipse procuraret quod omnes Tholosani jurarent ei fidelitatem et ipsum reciperent in dominum suum, et tunc iidem episcopus et comes possent expellere de facili omnes Gallicos de patria Tholosana et illam acquirere totam sibi. Item promittebat et dicebat idem episcopus ipsi comiti, quod hec faceret per amicos suos, quos habebat in Tholosa, de suo genere, potentiores et nobiliores de tota ipsa civitate, sicut dicebat. Item promittebat et asserebat dicto comiti, quod omnes gentes de terra Tholosana ipsum comitem libenter reciperent in dominum suum, et eum juvarent in occupatione dicte terre, quia non diligebant dictum regem nec Gallicos, et quia dicti rex et Gallici nunquam fecerant bonum ipsi episcopo, sed semper malum, et similiter dicto comiti, et quod hoc idem comes bene sentiret, videret atque perciperet, si esset Vasconie guerra finita. Item quod episcopus tractavit cum dicto comite ac, quantum potuit, induxit eumdem, ut rescinderet vel non faceret matrimonium de filio suo cum filia quondam Philippi, primogeniti nobilis viri Roberti comitis Atrebatensis, sed quod faceret matrimonium de dicto filio suo cum filia regis Aragonum, ut ipsum Aragonum regem et suos adjutores haberet in occupatione et captione dicte terre Tholose. Item quod idem episcopus dicebat dicto comiti, quod in Gallicis nunquam inveniret fidelitatem et quod, dicto matrimonio celebrato de filio prefati Philippi, nihil appretiarentur eum, asserens etiam quod omnes de domo dicti regis Aragonum semper dilexerant ipsum comitem Fuxi et suos. Item quod idem episcopus obtulit et promisit dicto comiti Fuxi ire ad regem Aragonum, suis propriis sumptibus et expensis, pro dicto matrimonio procurando inter filium ejusdem comitis et filiam prefati regis Aragonum, et pro pace reformanda inter eosdem, asserens quod idem rex Aragonum erat suus intimus et magnus amicus. Item quod idem episcopus tractavit cum dicto comite Fuxi et, quantum potuit, induxit eumdem, ut faceret pacem cum comitibus Armaniaci et Convenarum, ut haberet eos adjutores in occupatione terre Tholose, dicens quod ipsi comites, colligati, uniti et conjuncti invicem, ac, hujusmodi matrimonio de filio suo et filia pre-

dicti regis Aragonum celebrato, et cum mala voluntate gentium dicte terre Tholose, quam habebant erga predictum regem Francie, terram ipsam de facil poterant occupare. Item quod tractavit dictus episcopus, per ejus litteras atque nuntium, cum comite Convenarum et, quantum potuit, induxit eundem, ut esset adversarius, hostis et inimicus predicti regis Francie, promittendo ipsi comiti quod gentes de Tholosa eum libenter reciperent in dominum suum, quia erat de recta linea comitis Tholosani, et, illa de causa, gentes dicte terre diligebant ipsum et eum pre omnibus in dominum suum vellent habere. Item quod volebat et tractabat dictus episcopus, quod idem comes Convenarum conveniret cum eo, et promittebat sibi, quod amici sui de Tholosa et de genere suo jurarent fidelitatem ipsi comiti. Item quod dictus episcopus tractavit cum eodem comite, quod episcopus Tholosanus expelleretur de episcopatu Tholosano, ut magis de facili per ipsum comitem predicta terra Tholosana capi et occupari valeret. Item quod idem episcopus misit quandam litteram ipsi comiti, que dirigebatur nobis, in qua multa et diversa mendacia inseruit contra eundem episcopum Tholosanum, et etiam idem episcopus Appamiarum suggessit ipsi comiti, quod consimiles litteras idem comes a suis universitatibus procuraret et fieri faceret sigilla ab universitatibus ipsis, quantumcumque essent modice, quibus sigillis dicte littere sigillarentur et dirigerentur nobis, et significavit ipsi comiti quod similem habebat idem episcopus a consulibus et universitate Tholose, et multis aliis viis frandulosis et machinationibus dolosis tractavit ad amovendum dictum episcopum Tholosanum, dicti regis Francie fidelem et devotum. Item quod idem episcopus Appamiarum significavit ipsi comiti Convenarum suadendo ei ut haberet bonum cor et nobile et quod omnia succederent sibi ad votum, asserens predicta sic concepta et tractata posse fieri de facili, quia predictus rex Francie nihil omnino valebat, et misit ipsi comiti unum computum de ave, recitando quomodo aves elegerunt in regem quamdam avem vocatum duc, et est avis pulcrior et major inter aves, et accidit semel quod picca conquesta fuit de accipite dicto duc regi, qui congregatis avibus nihil dixit nisi quod flavit; et idem esse de predicto rege Francie dicebat idem episcopus, quia ipse erat pulcrior homo de mundo et tamen nihil sciebat facere nisi respicere homines, significavit etiam sibi quod, tempore dicti regis Francie qui nunc est, regnum Francie finiretur, et quod idem episcopus hec audiverat recitari pluries a sancto Ludovico. Item quod predicta omnia, vel pro majori parte, idem episcopus Appamiarum cogitavit, dixit, tractavit et, in quantum in eo fuit, perfecit, durante guerra Vasconie inter dictum regem Francie ac regem Anglie, ad illum finem et cum illa intentione, ut homines ad proditionem citius moverentur et concitarentur contra dictum regem Francie, et ad subversionem totius regni Francie supradicti, et ad diminutionem honoris et juris regii, prout superius est expressum. Item quod de predictis omnibus et singulis est in partibus Tholosanis et in regno Francie publica vox et fama. Dat. Laterani, id. januarii, anno septimo.

POTTHAST, 25119.

4270 (CCCXXVIIII) Même date.

« Licentian de mutuo contrahendo pro Petro, episcopo Noviomensi », usque ad summam trium millium florenorum auri. (fol. 87 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Noviomensi Cum sicut in nostra — Dat. ut supra,

4271 (CCCXXX) Latran, 19 janvier 1302.

« Executoria pro eodem » (fol. 87 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilecto filio . . archidiacono Atrebatensibus, ac magistro Jordano de Pileo, canonico Cameracensi. Exponente nobis pridem —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum trium millium florenorum auri, quos Petrus, episcopus Noviomensis, recepit a Gerardo Lanfredini, de societate Bardorum de Florentia, mutuante pro se ipso et nomine Cini Bartholi Walterati, Lapi Symonis et Gualteri fratrum filiorum olim Jacobi de Bardis et Philippi Aldebrandinis Boninsegne, Angelini Tadei, Orlandi, Bici et Dofi fratrum filiorum Bartholi de Bardis ac aliorum de societate prædicta.

Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno septimo.

4272 (CCCXXXI) Latran, 27 octobre 1301.

« Conceditur — infrascriptis — ecclesia de Gonsyl, Lincolniensis diocesis. » (fol. 88.)

. . priori et conventui monasterii Sancte Marie de Bridelyngtone, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Eboracensis diocesis. Religionis vestre favor —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod felicis recordationis Clemens papa III, predecessor noster, parrochialem ecclesiam de Gonsyl in Lyndesia, Lincolniensis diocesis, in qua vos et nullus alius jus patronatus obtinere noscimini, vobis in usus proprios con-

tulit de gratia speciali. Et postmodum pie memorie Celestinus papa III, predecessor noster, vobis concessionem hujusmodi confirmavit, bone memorie Hugonis et Roberti episcoporum necnon capituli Lincolniensis ad id diversis temporibus accedente consensu, vosque dictam ecclesiam de Gonsyl per plures annos, juxta formam concessionis ejusdem, in usus hujusmodi tenuistis. Postmodum autem quidam prior monasterii memorati, qui tunc erat, carnali ductus affectu, vos, filii conventus, ad presentandum quendam clericum, consanguineum suum, ad prefatam ecclesiam de Gonsyl fraudulenter induxit: qui ad presentationem hujusmodi, ad prefati prioris sic procuratam instantiam, per bone memorie Lincolniensem episcopum, qui tunc erat, institutus fuit in rectorem ecclesie supradicte, sicque vos, filii prior et conventus, usque ad hec tempora, clericos seculares, cogente loci diocesano, ad eandem ecclesiam presentastis. Verum, cum propter frequentem concursum pauperum et hospitum accedentium ad monasterium prelibatum, magna vos subire oporteat onera expensarum, et alieno ere sitis graviter onerati, ac etiam ipsius monasterii redditus et proventus, faciente malitia temporis, sint plurimum diminuti, ne ab hujusmodi operibus necessariorum defectus desistere vos compellat invitos, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis de ipsa ecclesia de speciali gratia dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat. Laterani, vi kal. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . Dunelmensi, et . . de Tynemuthe, Dunelmensis diocesis, prioribus, ac . . precentori ecclesie Dunelmensis.*

4273 cccxxxii)) Latran, 9 décembre 1301.

« Reservatur — infrascripto — beneficium quod duxerit acceptandum, si quod in civitate vel diocesi Florentina vel Fesulana vacat, et cetera. » (fol. 88.)

Guidoni, nato dilecti filii nobilis viri Teglie de Frescobaldis, militis, canonico ecclesie Sancti Jacobi ultra Arnum Florentine. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione patris ejus, beneficium ecclesiasticum, etiamsi cum cura vel dignitas existat, si quod vacat ad præsens vel quam proximo vacaturum, infra mensis spatium duxerit acceptandum, conferendum reservat, non obstante quod in ecclesia Sancti Jacobi ultra Arnum canonicatum et præbendam noscitur obtinere vel quod patitur in ordinibus et ætate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in sexto decimo ætatis suæ anno sit constitutus.

Dat. Laterani, v id. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori Sancti Jacobi ultra Arnum Florentini ac . . plebano plebis Sancti Ipoliti, Florentine diocesis, ac magistro Petro de Eugubio, cantori ecclesie Morinensis.*

4274 (cccxxxiii) Latran, 11 janvier 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro T[hedisio], electo Taurinensi », usque ad summam mille quingentorum florenorum auri. fol. 88 v°.)

Dilecto filio T[hedisio], electo Taurinensi. Nuper ex parte tua —. Dat. Laterani, iii id. januarii, anno septimo.

4275 (cccxxxiiii) Latran, 21 janvier 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo », usque ad summam millium quingentorum florenorum auri. (fol. 88 v°.)

G. abbati monasterii Sancti Germani Autisiodorensis, ordinis sancti Benedicti. In nostra nuper —. Dat. Laterani, xii kal. februarii, anno septimo.

4276 (cccxxxv) Latran, 29 novembre 1301.

« Johanni, abbati monasterii Sancti Sabe de Urbe. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 88 v°.)

Johanni, abbati monasterii Sancti Sabe de Urbe, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Debitum officii nostri. —.

Suprascriptum monasterio Sancti Sabæ de Urbe, per promotionem Jacobi, post mortem Phylippi abbatis, monasterio Sancti Pauli præfecti vacanti et ea vice Apostolicæ dispositioni reservato, suprascriptus, tunc monachus Sancti Laurentii extra muros Urbis, præficitur in abbatem.

Dat. Laterani, iii kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . conventui monasterii Sancti Sabe de Urbe, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti — universis vasallis.*

4277 (CCCXXXVI) Latran, 12 janvier 1302.

« Super causa que vertitur inter magistrum Sigerum de Vive, rectorem ecclesie Sancti Johannis Gandensis, Tornacensis diocesis, et .. abbatem et conventum monasterii Sancti Petri Gandensis. » (fol. 89.)

.. *decano ecclesie Parisiensis.* Exposuit nobis dilectus filius magister Sigerus de Vive, rector ecclesie Sancti Johannis Gandensis, Tornacensis diocesis, quod bone memorie S., episcopus Penestrinus, tunc in illis partibus Apostolice Sedis nuntius, cui recipiendi resignationes ecclesiarum a quibuscunque illas in eisdem partibus obtinentibus et eas volentibus in ipsius manibus resignare, ac ecclesias et beneficia ipsa, per hujusmodi resignationes vacantia, personis ydoneis conferendi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, specialiter fuerat per ipsius Sedis litteras concessa potestas, a .. procuratore magistri Egidii dicti Mackelnoet, tunc rectoris ejusdem ecclesie, super hoc ab eo speciale mandatum habente, libera ejusdem ecclesie resignatione recepta, ecclesiam ipsam, per hujusmodi resignationem vacantem, prefato magistro Sigero, quem ad hoc reputavit ydoneum, litterarum predictarum auctoritate, duxit canonice conferendam. Idemque magister Sigerus, auctoritate litterarum dicti episcopi, fuit postmodum in ipsius ecclesie corporalem possessionem inductus, in contradictores et rebelles excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis promulgatis, ac demum venerabilis frater noster .. episcopus Tornacensis, ad titulum ejusdem ecclesie, ipsum magistrum Sigerum in presbiterum ordinavit. Verum .. abbas et conventus monasterii Sancti Petri Gandensis, dicte diocesis, qui se patronos ipsius ecclesie fore proponunt, predicta moleste ferentes, eorumque occasione contra dictum rectorem sine alia causa rationabili gravius concitati, diversis ipsum vexationibus molestare non cessant, multiplicibus malignitatis astutiis adinventis. Ipsi namque .. abbas et conventus, mendaciter pretendentes quod idem rector in quedam verba injuriosa contra dictum abbatem proruperat, et nonnulla bona ad monasterium ipsum spectantia subripuerat, dictum rectorem super hoc, petendo eum sibi in quibusdam quantitatibus pecunie pro satisfactione injurie et dampni hujusmodi condempnari, coram .. officiali Tornacensi, qui prefato rectori, certis ex causis legitimis, erat et est valde suspectus, malitiose fecerunt ad judicium evocari, ac nichilominus eundem rectorem quibusdam proventibus, ad eum ratione dicte ecclesie spectantibus, et rebus aliis spoliavit, et per magistrum Jordanum de Sancto Bavone, Petrum de Clenikerke, presbyteros, et Gosvinum dictum Riim, clericum, Theodericum de Lake et Johannem filium Cisane, laicos, magistros seu provisores fabrice dicte ecclesie, spoliari temere procurarunt. Nec hiis contenti, rectorem eundem, ut ipsum magis afficerent injuriis et jacturis, coram diversis judicibus super pluribus causis, que sub uno judice tantum comodius tractari valerent, fecerunt maliliose citari, alias ipsum super diversis articulis multipliciter indebite molestando. Cum autem dictus rector, tot injurias et vexationes indebitas tolerare non volens, ad nostram super hiis duxerit providentiam recurrendum, nos, volentes sibi super hiis de oportuno remedio subvenire, discretioni tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus apud civitatem Parisiensem dicto magistro Sigero, ante omnia ad ea, quibus ut premittitur, spoliatus extitit, prout rationabile fuerit, restituto, omnes et singulas causas et lites principales et appellationum, que inter rectorem predictum, ex parte una, dictosque abbatem et conventum, presbyteros et magistros seu provisores conjunctim vel divisim, ex altera, super premissis et ea quomodolibet contingentibus, vel ipsorum aut alia occasione, vertuntur vel verti sperantur, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, legitimis in eis habitis servatis processibus, audias, et, quod justum fuerit, appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari : non obstantibus, si super premissis vel eorum aliquo, coram quibuscunque judicibus, quacunque auctoritate, processus facti fuerint seu cause pendeant, etiamsi forsan in hiis causis vel eorum aliqua jam ad litis contestationem vel alias quomodolibet sit processum, seu de duabus dietis, et cetera usque : mentio specialis. Dat. Laterani, II id. januarii, anno septimo.

4278 (CCCXXXVII) Latran, 11 janvier 1302.

« Confertur magistro Garsie de Za archidiaconatus mense in ecclesia Pampilonensi. » (fol. 89 v°.)

Magistro Garsie de Za, archidiacono mense in ecclesia Pampilonensi, ordinis sancti Augustini. Circumspecta Sedis Apostolice —.

Consideratione Francisci, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, pro eo supplicantis, suprascriptus archidiaconatus, per confirmationem electionis Raymundi in abbatem monasterii Sancti Saturnini Tholosani, ejusdem ordinis, a domino papa, dum residebat Anagnie factam, apud Sedem Apostolicam vacans et Apostolicæ dispositioni reservatus suprascripto con-

fertur, non obstante quod prioratum Sancti Petri de Blannato, ejusdem ordinis, Tholosanæ diocesis, subjectum prædicto monasterio Sancti Saturnini, cujus etiam existit canonicus, noscitur obtinere.

Dat. Laterani, III id. januarii, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Burgensi et dilectis filiis .. priori ecclesie Pampilonensis ac Gundisalvo Petri Dualva, canonico Palentino.*

4279 (CCCXXXVIII) Latran, 25 décembre 1301.

« Confertur magistro Jacobo de Casalibus decanatus ecclesie Sancti Severini Burdegalensis. » (fol. 90.)

Magistro Jacobo de Casalibus, canonico et decano ecclesie Sancti Severini Burdegalensis, camerario dilecti filii nostri Johannis, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis. Illos Apostolice Sedis —.

Canonicatus et decanatus suprascripti cum præbenda, per mortem quondam Raymundi de Ferraria, olim ejusdem ecclesie canonici et decani, qui dudum apud Sedem Apostolicam, dum dominus papa residebat Romæ, diem clausit extremum, vacantes et dispositioni Apostolicæ reservati, suprascripto, consideratione bonæ memoriæ Johannis, tituli Sanctæ Ceciliæ presbyteri cardinalis, cujus familiaris fuit, conferuntur non obstante quod parrochialem ecclesiam de Podio Nanteni et in Sancti Donatiani Brugensi, et Sancti Georgii de Sancto Pauliano, Carcassonensis, Tornacensis et Aniciensis diocesium, ac in Sancti Pauli Narbonensi ecclesiis canonicatus et prebendas noscitur obtinere.

Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati de Lumberiis in ecclesia Tholosana et .. preposito Mimatensis, ac .. thesaurario Aniciensis ecclesiarum.*

4280 (CCCXXXIIII) Latran, 7 décembre 1301.

« Super non observando interdicto in civitate et diocesi Revaliensi. » (fol. 90 v°.)

Venerabili fratri Henrico episcopo Revaliensi. Ex parte tua —.

Suprascripto mandatur, ne interdictum in regno Daciæ, occasione captionis et detentionis Johannis, archiepiscopi Lundensis, promulgatum, in sua diocesi, propter Ruthenos, Carelos, Ingeros, Watenos et Lethevinos ad fidem catholicam de novo conversos, « qui sunt in locis circumposite regionis » et « in occasione hujusmodi possent ab eadem fide de facili deviare » observet.

Dat. Laterani, VII id. decembris, anno septimo.

POTTHAST, 25104.

4281 (CCCXXXX) Latran, 1[er] décembre 1301.

« Scribitur judicibus super facto rectorie hospitalis Sancti Michaelis in Foro Lucano. » (fol. 90 v°.)

Dilectis filiis Johanni, preposito monasterii Sancti Georgii Lucani, per prepositum soliti gubernari, et Blanco, plebano plebis de Biuti, Pisane diocesis, ac Francisco de Molliano, canonico Bononiensi. Ex parte dilecti filii Nicolai, rectoris hospitalis Sancti Michaelis in Foro Lucano, fuit expositum coram nobis, quod, vacante olim rectoria hospitalis ejusdem per liberam resignationem quondam Rainerii, prioris ecclesie Sancti Michaelis in Foro Lucano, rectoris hospitalis ejusdem, factam in manibus dilectorum filiorum capituli ejusdem ecclesie, iidem prior et capitulum, ad quos electio et institutio rectoris ipsius hospitalis qui est pro tempore pertinet, eundem Nicolanum, ipsius ecclesie canonicum, ad rectoriam ipsam sic vacantem canonice elegerunt et instituerunt, ac ipsum in corporalem possessionem ipsius hospitalis etiam induxerunt. Verum, licet idem rector hospitalis predicti rectoriam possideret pacifice, sine lite, tamen, predicto priore viam postmodum universe carnis ingresso, venerabilis frater noster H[enricus], Lucanus episcopus, ad ipsius hospitalis usurpationem intendens, predicto rectori necnon inquilinis et pensionariis hospitalis ejusdem, ex arrupto (sic), propria auctoritate mandavit, sub pena excommunicationis, quam, si secus facerent, ipsos extunc incurrere voluit ipso facto, ut idem Nicolaus rector, de ipsius hospitalis administratione bonorum, que ad rectoriam ipsam spectarent. se nullatenus intromitteret, dicti vero inquilini et pensionarii eidem Nicolao rectori de fructibus, redditibus, proventibus, pensionibus et quibuscunque aliis bonis et juribus, ad rectoriam ipsam spectantibus, nullatenus responderet : a quibus mandatis et sententiis, pro parte ipsius Nicolai, extitit ad Sedem Apostolicam appellatum. Demum vero, suggesto mendaciter venerabili fratri nostri M[atheo], episcopo Portuensi, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legato, quod per prefati Rainerii obitum rectoria predicta vacabat, quanquam nec de jure nec de facto vacaret, idem legatus predicto episcopo Lucano dedit per suas spe

ciales litteras in mandatis, nulla in eis de predicto Nicolao rectore habita mentione, ut Thome de Pisis, archi diacono Lucano, de rectoria ejusdem hospitalis, quam per predicti Raynerii obitum vacare dicebat, providere curaret, ac ipsum Thomam, per se vel alium, in ipsius rectorie possessionem induceret corporalem et tueretur inductum, dicto Nicolao id penitus ignorante. Dictus autem episcopus Lucanus ad hujusmodi ipsius legati mandatum eidem Thome de rectoria ipsa providit — mandans eisdem Nicolao rectori ac inquilinis et pensionariis, ut idem Nicolaus, de ipsius hospitalis administratione bonorum — se nullatenus intromittens, rectoriam ipsam eidem archidiacono in pace dimitteret —, predicti vero inquilini et pensionarii, ut eundem Nicolaum non haberent ulterius pro rectore neque eidem de aliquibus pensionibus dicto hospitali debitis quomodolibet responderent — : ex quibus omnibus et singulis idem rector — iterato ad Sedem appellavit eandem —. Nos igitur, super premissis ex fidedignorum testimonio informati, quia predicto Thome non videmus super hoc justitiam suffragari, et alias hujusmodi provisionem factam sibi, ex certis considerationibus, molestam merito et ingratam ha bemus, cum ex ea possit verisimiliter in civitate Lucana scandalum suboriri, ac, propterea eundem Thomam ipsius provisionis comodo penitus carere volentes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus —, auctoritate nostra, hujusmodi provisionem ipsi Thome factam de hospitali predicto nec non predicta et quecunque alia mandata et excommunicationum sententias ac processus episcopi memorati, super hoc facta, latas et habitos, et quicquid ex eis secutum est, cassantes et anullantes, dictoque Thome super hospitali et rectoria predictis perpetuum silentium imponentes, prefatum Nicolaum faciatis predicti hospitalis et hujusmodi rectorie — pacifica possessione gaudere. Dat. Laterani, kal. decembris, anno septimo.

4282 (CCCXXXXI) Latran, 11 janvier 1302.

« Quod possit celebrare in locis interdictis. » (fol. 91.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Noviomensi. Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Laterani, III id. januarii, anno septimo.

4283 (CCCXXXII) Latran, 11 janvier 1302.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 91.)

Eidem. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, III id. januarii, anno septimo.

4284 (CCCXXXXIII) Latran, 23 décembre 1301.

« Conceditur privilegium exemptionis . . priori et conventui heremi Sancte Crucis Fontis Avellane, per priorem soliti gubernari, Eugubine diocesis. » (fol. 91 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Suadet honestas et —.

Conventus heremi Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti, Eugubinæ diocesis, cum omnibus aliis ejusdem monasterii prioratibus, ab omni potestate, jurisdictione atque dominio tam episcopi Eugubini quam capituli ecclesiæ Eugubinæ et quorumlibet archiepiscoporum, episcoporum et aliarum quarumlibet ecclesiasticarum personarum absolvitur, eximitur et perpetuo liberatur.

Dat. Laterani, x kal. januarii, anno septimo.

POTTHAST, 25116.

4285 (CCCXXXXIIII) Latran, 13 janvier 1302.

« Preficitur in episcopum Lectorensem. » (fol. 92.)

Raymundo, electo Lectorensi. Ex suscepte servitutis —.

Ecclesiæ Lectorensi, per translationem Petri episcopi ad Noviomensem vacanti et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatæ, suprascriptus, tunc sacrista ecclesiæ Narbonensis, præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, id. januarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Lectorensis, — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie — venerabili fratri . . archiepiscopo Auxitano.*

4286 (CCCXXXXV) Latran, 21 décembre 1301.

« Venture, episcopo Eugubino. Confirmatur ei et mense episcopali Eugubine quedam ecclesie, que fuerunt . . prioris et conventus heremi Sancte Crucis Fontis Avellane, Eugubine diocesis. » (fol. 92 v°.)

Venerabili fratri Venture, episcopo Eugubino. Exhibita nuper nobis —.

Confirmatur sententia, quam tulerant Theodoricus, episcopus Civitatis Papalis, et Petrus, Sanctæ Mariæ Novæ diaconus cardinales, in quæstione orta inter eum, ex parte una, et Jacobum priorem conventumque heremi Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ

super jurisdictione. Eorum videlicet judicio ita res composita est, ut prior et conventus præfato episcopatui Eugubino castrum Ilceyæ concederent, cum capella Sancti Christophori ibidem sita, itemque ecclesiam Sancti Apollinaris, sitam in territorio Eugubino, et denique ecclesiam Sancti Blasii de Alfiolo, cum omnibus suis ædificiis, juribus et bonis, atque ita deinceps ab omni jurisdictione episcopi Eugubini eximerentur, nec ei quidquam tributi, decimarum aut alio quovis nomine, pendere deberent, tam pro monasterio Avellanensi, quam pro ceteris, monasteriis, sacerdotiis et bonis quæ infra fines dioceseos Eugubinæ haberent.

Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno septimo.

POTTHAST, 25112.

4287 (CCCXXXXVI) Latran, 13 janvier 1302.

« Remittitur electio de abbate conventui monasterii Briviensis, Lemovicensis diocesis. » (fol. 93 v°.)

Dilectis filiis . . sacriste et conventui monasterii Bruensis (sic) per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Lemovicenssis diocesis. Inter ceteras sollicitudines —. Cum itaque quondam Bernardus, prior monasterii vestri, qui super quibusdam excessibus, de mandato nostro, ad denuntiationem Martini Magistri, canonici monasterii ejusdem, citatus, personaliter ad Apostolicam Sedem accessit, apud eandem Sedem nuper sit viam universe carnis ingressus, nos vero, intendentes hac vice per nos ordinari dictum monasterium de prelato, set cupientes ut persona ydonea, per vestre operationis studium, ad ipsius monasterii regimen, absque dampnose more interventu, celeriter assumatur, volumus ac universitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus memorato monasterio, per electionem canonicam vel postulationem concordem, infra tempus a jure statutum a die qua presentes receperitis computandum, de priore providere curetis. Dat. Laterani, id. januaarii, anno septimo.

4288 (CCCXXXXVII) Latran, 18 janvier 1302.

« Conceditur prioratus de Calvomonte, Appamiarum diocesis, magistro Arnaldo de Caviaco. » (fol. 93 v°.)

Magistro Arnaldo de Caviaco, priori prioratus de Calvomonte, ordinis sancti Augustini, Appamiarum diocesis. Apostolice Sedis circumspecta —.

Suprascriptus prioratus, spectans ad monasterium Sancti Saturnini Tholosanum, per confirmationem electionis Raymundi, olim prioris ejusdem prioratus, in abbatem dicti monasterii, apud Sedem Apostolicam vacans et ejus dispositioni reservatus suprascripto, qui in theologica facultate magister existit et in ea regens actu Parisius claritate refulget, confertur, non obstante qod prioratum de Liurato, predicti ordinis et ejusdem diocesis, ad prefatum monasterium pertinentem noscitur obtinere. « Volumus autem quod, postquam predictum prioratum de Calvomonte fueris pacifice assecutus, prefatum prioratum de Liurato, quem ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis. »

Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . de Coquinis Tholosani, et Sancti Genii extra muros Lectorensis prioribus, ac . preposito ecclesie Tholosane.*

4289 (CCCXXXXVIII) Latran, 19 décembre 1301.

« Mandatur provideri monasterio Sancti Martini Yprensi de preposito. » (fol. 94.)

Venerabili fratri . . episcopo Atrebatensi et dilecto filio . . abbati monasterii de Monte Sancti Eligii, ordinis sancti Augustini, Atrebatensis diocesis. Dudum monasterio Sancti Martini Yprensi, per prepositum solito gubernari, ordinis sancti Augustini, Morinensium diocesis, per martem quondam Roberti — regimine destituto pastoris, contigit dilectum Hugonem, abbatem monasterii de Tivebeka, predicti ordinis, ejusdem diocesis, postulari, dilectum vero filium fratrem Johannem dictum Waghelart, canonicum dicti monasterii Sancti Martini, eligi in prepositum Sancti Martini monasterii sepedicti; hujusmodi ergo postulationis et electionis negotio per appellationem dicti fratris Johannis ad Sedem Apostolicam devoluto, nos tandem postulationem hujusmodi, ex certis et rationabilibus causis, non duximus admittendam.

« Cum autem postmodum contra eundem fratrem Johannem coram nobis oppositum et objectum fuisset, quod ipse, ob gravis rupture periculum quam proprio patiebatur in corpore, ad regimen dicti monasterii Sancti Martini inhabilitatem exhibebat », dominus papa dederat in mandatis suprascripto episcopo et bonæ memoriæ Jacobo, Morinensium episcopo, ut, ad præfatum monasterium accedentes, inquirerent de ruptura hujusmodi veritatem, et, si plene constaret quod idem electus propter eam rupturam ad regimen dicti monasterii impotens esset, ejus electionem cassata vel eo cedente, aliam personam idoneam, de gremio ipsius monasterii, auctoritate Apostolica, præficerent in præpositum, alioquin electionem de eodem fratre Johanne celebratam eadem auctoritate confirmarent. Licet vero suprascriptus episcopus et dictus Morinensium episcopus,

dum adhuc viveret, mandatum Apostolicum exequi cœpissent, eodem tamen Morinensium episcopo interim defuncto, hoc negotium ad effectum nequivit debitum pervenire. Quocirca suprascriptum abbatem prædicto Morinensium episcopo in executione hujus negotii subrogat, mandans ut, juxta prædictarum litterarum continentiam, procedant, servata vero ea modificatione, scilicet quod possint de dicti monasterii gremio aut aliunde personam idoneam, præfati tamen ordinis, in præpositum præficere.

Per hoc autem non intendimus ut Morinensium ecclesie, cui monasterium ipsum Sancti Martini dicitur esse subjectum, aliquod imposterum prejudicium generetur. Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno septimo.

4290 (CCCXXXXVIIII) Latran, 20 novembre 1301.

« Conceditur Nisio quondam Bartholi, canonico ecclesie Civitatis Castelli, beneficium quod duxerit acceptandum in ipsa civitate vel diocesi. » (fol. 94 v°.)

Nisio quondam Bartholi, militis, canonico ecclesie Civitatis Castelli, ordinis sancti Augustini. Dignum est —.

« Suprascripto, « ob sua et suorum grate devotionis studia » confertur beneficium in civitate vel diocesi prædicta, cum cura vel sine cura, consuetum canonicis ecclesiæ Civitatis Castelli, ordinis sancti Augustini, assignari, ad collationem seu præsentationem præpositi et capituli ecclesiæ prædictæ pertinens, si vacat ad præsens, vel, cum vacaverit, reservatur, infra unius mensis spatium acceptandum.

Dat. Laterani, XII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis.. abbati monasterii de Petrorio, et.. archipresbytero de Valiano, Castellane diocesis, ac.. archidiacono Atrebatensis ecclesiarum.*

4291 (CCLL) Latran, 30 novembre 1301.

« Mandantur visitatio, correctio, reformatio et pacificatio fieri in monasterio Sancti Petri ad Montes Cathalaunensi. » (fol. 94.)

..*priori de Caritate, Cluniacensis ordinis, Autisiodorensis diocesis.* Accedentes olim ad Apostolicam Sedem dilectus filius Henricus Munerii et Petrus Piccardi, monachi monasterii Sancti Petri ad Montes Cathalaunensis, ordinis sancti Benedicti, nobis exponere curaverunt, quod, cum ipsi contra Theobaldum, ipsius monasterii abbatem, occasione vitii symonie et aliorum criminum et defectuum sibi per eos objectorum, ad Sedem Apostolicam appellassent, et nonnulli alii ejusdem monasterii monachi, quorum aliqui priores erant quornmdam prioratuum dicto monasterio subjectorum, aliqui vero administrationes et officia in dicto monasterio obtinebant, appellationi hujusmodi adhesissent, memoratus abbas, contra appellantes et adherentes eosdem graviter provocatus, post et contra appellationem predictam, priores, eorum prioratibus, ac alios predictos administrationes et officia obtinentes, hujusmodi suis officiis et adminis trationibus, contra justitiam, pro sue voluntatis libito, spoliavit. Sane nos in causa hujusmodi appellationis dilectum filium nostrum R[obertum], tituli Sancte Pudentiane presbyterum cardinalem, dedimus auditorem, in cujus presentia, per dictos appellantes, eadem crimina et defectus expressa, et, per Reynaldum, monachum et eleemosinarium dicti abbatis, quedam pro ipsius abbatis excusatione proposita extiterunt. Cumque nobis fuisset, pro parte dictorum appellantium et adherentium, supplicatum, ut prioribus prioratus et aliis predictis hujusmodi officia et administrationes, quibus, ut premittitur, fuerant spoliati, restitui faceremus; nos, volentes, tam super dictis criminibus et defectibus, quam alias de statu dicti monasterii et membrorum ipsius ac personis degentibus in eisdem, plenius informari, dilectis filiis magistris Stephano de Sogiaco, archidiacono Brugensi in ecclesia Tornacensi, et Reginaldo de Dompno Benigno, officiali, ac Petro Sainge, canonico Cathalaunensibus, nostris certi tenoris litteris, inter alia dedimus in mandatis, ut ipsi, personaliter accedentes ad locum, inquirerent in eodem monasterio, tam in capite, quam in membris, super premissis et aliis, de quibus eundem abbatem aliasque personas monasterii et membrorum predictorum invenirent apud bonos et graves publice diffamatos, infra certum terminum in eisdem litteris comprehensum, diligentius veritatem, et que super hiis invenirent, fideliter in scriptis redacta, sub eorum nobis inclusa sigillis quamtotius destinarent, ac super restitutione facienda prioribus et aliis predictis taliter spoliatis, de prioratibus, administrationibus et officiis eorum prefatis, prout de jure faciendum esset, providere curarent; sed iidem archidiaconus, officialis et canonicus, que sibi in eisdem mandabantur litteris, infra dictum terminum exequi non curarunt. Propter quod Johannes, Sancte Genovefe, et Reginaldus, Sancte Crucis de Vitriaco castro prioratum priores, dicte diocesis, eidem monasterio subjectorum, qui sunt de adherentibus supradictis, ad nostram providentiam recurrentes, nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hiis, non solum ipsis et aliis appellantibus et adherentibus prelibatis, sed ejusdem monasterii statui, ne idem monasterium, premisso-

rum occasione, spiritualiter et temporaliter collabatur, paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, hujusmodi negotio per cardinalem eundem, qui ejus seriem nobis diligenter exposuit, intellecto, super premissis de tali cupientes providere remedio, per quod monasterio, membris ac personis predictis, scandalis et turbationibus omnino submotis, tranquillitatis comodum proveniat et quietis, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, cujusque conscientiam in hac parte specialiter oneramus, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, ad monasterium ipsum accedens personaliter et habens pre oculis solum Deum, in eo auctoritate nostra visites, corrigas et reformes ac etiam pacifices, tam in capite quam in membris, quecunque visitationis, correctionis et reformationis ac etiam pacificationis officio noveris indigere, memoratos vero Johannem et Reginaldum priores et alios taliter spoliatos, quos nos ex nunc ad hujusmodi prioratus, administrationes et officia eorum, quibus post appellationem predictam fuerunt, ut premittitur, spoliati, ad plenum restituimus in corporalem possessionem prioratuum, administrationum et officiorum predictorum, omni exceptione postposita, eadem nostra auctoritate reducas ante omnia et reductos etiam tuearis, non obstante, si aliquibus ab eadem Sede indultum existat, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes, et cetera usque : mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam, et cetera usque : compescendo. Quod si abbas ipse forsan se tibi opponeret in predictis, vel hujusmodi tuis processibus quomodolibet obviaret, tu predictos appellantes et adherentes, per nos taliter restitutos, in suorum prioratuum, administrationum et officiorum nichilominus pacifica possessione defendens, ipsosque illa gaudere faciens, eundem abbatem extunc ab administratione bonorum dicti monasterii omnino suspendas, ac eum et appellantes et adherentes predictos, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut, infra certum terminum post citationem tuam. predictus abbas, personaliter, appellantes vero et adherentes predicti, per se vel per procuratorem idoneum, compareant coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis super hiis plenarie parituri, ac facturi et recepturi super premissis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi tue citationis, et formam, et quicquid inde duxeris faciendum, nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, fideliter studeas intimare. Volumus autem ut hiis exequendis illam celeritatem adhibeas et diligentiam circumspectionis apponas, quod nos tue discretionis et sollicitudinis studia opere sentiamus. Dat. Laterani, II kal. decembris, anno septimo.

4292 (CCCLI) Latran, 11 janvier 1312.

« Quod tres clerici sui, suis obsequiis insistentes, possint percipere fructus beneficiorum suorum usque ad triennium. » (fol. 95.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Noviomensi. Meritis tue devotionis —. Dat. Laterani, III id. januarii, anno septimo.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Suessionensi, et . . Forojuliensi episcopis, ac dilecto filio . . preposito ecclesie Aptensis.*

4293 (CCCLII) Latran, 18 décembre 1301.

Ecclesia Sanctæ Crucis de Villagemina, Perusinæ diocesis, infrascriptis conceditur ut ad eam suum monasterium transferant. (fol. 95 v°.)

Dilectis in Christo filiabus Bartholomee abbatisse, et Johanne ac aliis sororibus monasterii Sancte Marie dicti de Paradiso de Agello ordinis Sancti Benedicti, Perusine diocesis. Pastoralis officii cura —.

Cum suprascriptum monasterium, a Bartholo Oderini cive Perusino fundatum, oportuisset cum fratribus ordinis Minorum prædicti loci de Agello, « pretendentibus prefatum monasterium Sancte Marie in eorum prejudicium esse constitutum, per plures annos coram diversis judicibus delegatis a Sede Apostolica litigare, non sine magnis laboribus et expensis, » et suprascriptæ moniales necessario cogantur de ipso monasterio, « in quo per plures annos sub hujusmodi persecutionibus et angustiis » permanserunt, ad locum alium se transferre, eisdem conceditur Apostolica auctoritate ecclesia Sancte Crucis de Villagemina, Perusinæ diocesis, ad monasterium Sancti Pauli de Vallepontis, præfati ordinis, ejusdem diocesis, cum domibus, terris et pertinentiis suis, ut se ad eamdem ecclesiam transferant et monasterium ædificent, non obstante quod episcopus Perusinus prefatam ecclesiam « Fatio converso et professo monasterii Sancti Viti, ordinis prelibati, Tudertine diocesis, auctoritate Apostolica, post appellationem dictorum filiorum . . abbatis et conventus predicti monasterii Sancti Pauli super hoc ad Sedem Apostolicam interjectam dicitur contulisse. »

Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno septimo.

In e. m. *. . episcopo Theanensi, . . abbati monasterii Sancti Petri, ordinis sancti Benedicti, et archipresbytero ecclesie Perusine.*

POTTHAST, 25111.

4294 (CCCLIII) Latran, 2 janvier 1302

« Reservatur collationi Sedis Apostolice hac vice plebanatus plebis de Castro Florentino, Florentine diocesis. » (fol. 96.)

Dilectis filiis capitulo plebis de Castro Florentino, Florentine diocesis. Devotionis vestre —.

Supplicationibus suprascriptorum annuens, reservat dominus papa ea vice collationi et dispositioni Apostolicæ Sedis plebanatum plebis de Castro Florentino, si vacat ad præsens vel quamprimum eum, per resignationem sive obitum Raynutii plebani aut alio quovis modo, vacare contigerit.

Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno septimo.

4295 (CCCLIIII) Latran, 19 décembre 1301.

« Quod possint redimere decimas de manibus laicorum. » (fol. 96 v°.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Morinensium. Affectu sunt admittende —.

Suprascriptis conceditur facultas redimendi decimas de manibus laicorum in parrochiis alienis civitatis et diocesis Morinensium, rectorum ecclesiarum, in quorum parrochiis decimæ ipsæ consistunt, accedente consensu, « sufficienti a vobis prestita cautione de restituendis decimis ipsis eisdem ecclesiis, quandocunque ab ipsarum rectoribus fuerit de redemptionis pretio satisfactum. »

Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno septimo.

4296 (CCCLV) Latran, 29 novembre 1301.

« Riccardo, priori ecclesie Dunelmensis. Restituitur ad prioratum ejusdem ecclesie. » (fol. 96 v°)

Dilecto filio Riccardo, priori ecclesie Dunelmensis. Sedis Apostolice circumspecta benignitas, gravaminibus compatiens subjectorum, confugientes ad eam favoribus salutaribus confovet, ac remediis prosequitur oportunis, sollicite curans ab oppressionibus ipsos et injuriis relevare eisque comoda exhibere quietis, prout, negotiorum qualitate pensata, id salubriter conspicit expedire. Ex parte siquidem tua et dilectorum filiorum capituli ecclesie Dunelmensis, ordinis sancti Benedicti, fuit expositum coram nobis, quod, cum olim venerabilis frater noster Antonius, episcopus Dunelmensis, tibi et eisdem capitulo intimasset, quod ad visitandum te et ipsos procedere intendebat, tu et ipsi capitulum, conjicientes et etiam metuentes, ex certis causis probabilibus et verisimilibus conjecturis, turbari et immutari nonnullas dicte ecclesie libertates et laudabiles consuetudines per eundem, ne hoc fieret, ad Sedem Apostolicam provocastis; sed idem episcopus, postmodum ad ecclesiam ipsam accedens cum multitudine tam laicorum quam clericorum secularium ac regularium alterius ordinis copiosa, tibi et capitulo memoratis injuncxit, ut ipsum ad exercendum hujusmodi visitationem admitteretis presentibus clericis et laicis prelibatis. Pro parte vero tua et ipsorum capituli fuit coram ipso episcopo excipiendo propositum, quod, cum episcopi Dunelmenses, qui pro tempore fuerant, ejusdem ecclesie claustrum soli, ceteris aliis exclusis, consuevissent tempore visitationis intrare, idque tanto fuisset tempore observatum, quod super hoc tu et ipsi capitulum eratis legitima prescriptione muniti, prout id vos offerebatis legitime probaturos, tu et ipsi capitulum, qui eratis in possessione vel quasi hujusmodi juris ac parati visitationem episcopi predicti recipere, si eam juxta hujusmodi formam solitam impendere voluisset, admittere ad visitationem eandem clericis et laicis eisdem presentibus, presertim in tanta multitudine, episcopum non tenebamini supradictum. Et, quia dictus episcopus exceptionem hujusmodi admittere contra justitiam recusavit, ex parte tua et ipsorum capituli ad Sedem predictam extitit appellatum. At idem episcopus, hujusmodi secunda appellatione contempta, in te et quosdam de dicto capitulo excommunicationis sententiam promulgavit : propter quod, ex parte tua et ipsorum capituli, fuit ad Sedem iterum appellatum eandem. Porro dictus episcopus, contra te ac dictos capitulum gravius provocatus, te ac ipsos citari fecit, ut coram eo deberetis die sequenti comparere, penam pro demeritis recepturi, ac, eodem adveniente die, magister Robertus, decanus ecclesie prebendalis de Ancland, Dunelmensis diocesis, et magister Johannes de Lascy, clericus, auctoritate, ut dicebant, ipsius episcopi, eis in hac parte commissa, contra te privationis et amotionis ab administratione dicte ecclesie contra justitiam sententiam fulminarunt. A qua pro parte tua fuit iterum ad Sedem eandem, et, pro tuitione tua, ad venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Eboracensem, loci metropolitanum, juxta quandam Eboracensis provincie consuetudinem, appellatum. Sane . . officialis Eboracensis, de hujusmodi tuitoria appellatione cognoscens, pronuntiavit te fore defendendum in jure tuo, pendentibus eisdem appellationibus ad dictam Sedem, ut premittitur, interjectis, et omnia que post appellationes predictas in tuum prejudicium attemptata fuerant revocanda. Sed episcopus ipse proponi fecit

edictum, ne aliquis de subjectis suis, clam vel palam, super hujusmodi negotio, litteras ab eodem archiepiscopo vel ejus curia pro te reciperet, in clericos, privationis ab officio et beneficio, in laicos vero, qui contra facerent, perpetui exilii de terris ipsius episcopi sententias promulgando. Cumque dictus archiepiscopus eidem episcopo mandavisset, ut omnia post appellationes predictas taliter attemptata in statum debitum revocaret, nec, appellationibus eisdem pendentibus, quicquam in tui prejudicium attemptaret, idem episcopus non solum hujusmodi archiepiscopi predicti mandato parere contempsit, sed, gravamina gravaminibus addens, quosdam ipsius ecclesie Dunelmensis monachos, conspiratores et inimicos tuos, ad suam presentiam evocavit, inducendo eos ut alium priorem eligerent in Dunelmensi ecclesia prelibata. Et demum, quia ipsi non potuerunt de certa concordare persona, Henricum de Luteby, pseudo monachum dicte ecclesie Dunelmensis, conspiratorem, prefecit eidem Dunelmensi ecclesie in priorem : qui, prefati episcopi fultus potentia, ad ecclesiam predictam Dunelmensem, cum eisdem aliis conspiratoribus ac multitudine armatorum accedens, te ac monachis predictis ipsius potentie resistere nequeuntibus, ac propter hoc vos infra claustrum receptantibus, claustrum ipsum, fractis illius hostiis, introivit. Cumque tu et iidem capitulum super hiis et aliis pluribus, que pro parte tua et ipsorum capituli fuerant olim exposita coram nobis, ad nostram duxissetis providentiam recurrendum, nos episcopum Dunelmensem et Henricum predictos, per nostras certi tenoris litteras, citari fecimus, ut, infra certum terminum post citationem hujusmodi, comparerent personaliter coram nobis, super hiis recepturi pro meritis ac alias facturi quod justitia suaderet, sicque, te ac magistro Adam de Drifeld, episcopi, et Henrico de Luteby, Henrici predictorum procuratoribus, in nostra et fratrum nostrorum presentia comparentibus, ipsi procuratores, a nobis interrogati quo jure dictus episcopus Dunelmensis eundem Henricum in ejusdem ecclesie Dunelmensis priorem prefecerat, responderunt, quod ex potestate ad ipsum per lapsum temporis secundum Lateranensis statuta concilii legitime devoluta. Postmodum vero compertum extitit, quod, quando dictus Henricus per eundem episcopum fuit taliter in priorem assumptus, ab hujusmodi privatione de te facta nondum semestre tempus, in eodem concilio statutum, effluxerat : ex quo patuit evidenter, quod, etiamsi privatio ipsa de te facta fuisset canonica, non tamen dicta potestas ad eundem episcopum fuerat secundum dicti statuta concilii devoluta. Nos igitur, auditis et intellectis omnibus, que super hiis in nostra et fratrum eorumdem presentia fuerunt hinc et inde proposita, provisionem hujusmodi de prefato Henrico, per eundem episcopum, ut premittitur, attemptatam, cassamus, irritamus seu cassam et irritam nuntiamus, teque ad possessionem prioratus ipsius ecclesie Dunelmensis, auctoritate Apostolica, restituimus ac reducimus, quoad possessionem eandem, in eum statum, in quo eras tempore privationis hujusmodi de te facte, ita tamen, quod, si dictus episcopus privationem eandem de jure defendere forte voluerit, jus suum super hoc, postquam tu possessionem ipsam corporaliter fueris assecutus, contra te, in petitorio dumtaxat judicio, prosequi libere valeat, ac tecum super hoc judicialiter experiri. Nulli ergo, et cetera, nostre cassationis, irritationis, nuntiationis, restitutionis et reductionis, et cetera. Si quis, et cetera. Dat. Laterani, III kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Eboracensi et . . Theanensi, ac . . Karleolensi episcopis.*

4297 (CCCLVI) Latran, 5 décembre 1301.

« Mandatur provideri de ecclesia de Leecheworde, Lincolniensis diocesis, Roberto de Donnebrugge, clerico Lichefeldensis diocesis. » (fol. 97.)

Venerabi fratri . . episcopo Lincolniensi. Inter cetera que in processibus per nos olim contra Jacobum de Columpna et Petrum nepotem ejus, quondam Sancte Romane Ecclesie cardinales, — et contra fautores, sequaces et adjutores eorum — factis et habitis continentur, — nos omnes capellanos, clericos et familiares eorum vel ipsorum alterius, qui ipsis Johanni vel Petro vel eorum alteri post privationem et depositiones ipsorum dederunt auxilium —, et illos maxime, qui remanserunt cum eis vel eorum altero, postquam in scisma vel blasphemiam sunt prolapsi, omnibus dignitatibus — Apostolica auctoritate privavimus. Quia igitur Johannes de Ulsesy, olim rector ecclesie de Leecheworche, tue diocesis, post depositionem, rebellionem et scisma dictorum Jacobi et Petri, fuit familiaris Jacobi memorati et moratus extitit cum eodem, ac etiam, in sua malitia perseverans, occasione hujusmodi, captus fuisse dinoscitur et nostro carceri mancipatus, licet demum, tanquam sibi male conscius, aufugerit de eodem, propter que hujusmodi privationis aliasque sententias nostras contra tales latas incurrisse dinoscitur, declaramus eundem Johannem predicta ecclesia de Leecheworche ipso facto ac jure fuisse ac esse privatum, et propterea eandem ecclesiam vacavisse. Verum, sicut pro parte dilecti filii Roberti de Donvebrugge

(*sic*), clerici Lichefeldensis diocesis, exhibita nuper nobis petitio continebat, quod, predicta ecclesia de Leecheworche sic vacante, dilecti filii . . abbas et conventus monasterii de Sancto Albano, ordinis sancti Benedicti, predicte tue diocesis, veri patroni ejusdem ecclesie, ipsum R[obertum] ad dictam ecclesiam taliter vacantem bone memorie O[liverio], Lincolniensi episcopo, predecessori tuo, tunc viventi, instituendum in rectorem ipsius ecclesie, presentare curarunt; sed idem predecessor, quamvis sibi per inquisitionem de mandato ejus factam legitime constitisset, quod alias ad eosdem abbatem et conventum ecclesie predicte presentatio pertinebat, quia tamen non erat certus an hujusmodi ecclesiam, sic vacantem, duxissemus hac vice collationi nostre ac Sedis Apostolice reservandam, et idem Robertus de hujusmodi adherentia et familiaritate dicti Johannis in partibus illis per testes de veritate comode docere non poterat, eundem Robertum, ad predictam ecclesiam, ut premittitur, presentatum, admittere recusavit, propter quod dictus Robertus supplicavit nobis humiliter, ut providere sibi super hiis gratiose de benignitate Sedis Apostolice dignaremur.

Suprascripto episcopo mandatur ut dictum Robertum, « cui obstare nolumus si dicta ecclesia fuerat hac vice collationi nostre ac dicte Sedis reservata », ad ecclesiam ipsam prætextu prædictæ præsentationis admittat, si sit idoneus nec ipsa ecclesia de jure alii debeatur.

Quod si hujusmodi mandatum nostrum exequi forte contempseris, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Cantuariensi et dilectis filiis . . archidiacono Oxonie in ecclesia Lincolniensi et magistro Guillelmo de Brixia, medico nostro, canonico ejusdem ecclesie, damus per alias nostras litteras in mandatis, ut ipsi vel alter eorum te ad id, monitione premissa, auctoritate nostra, appellatione remota, compellant. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Cantuariensi et dilectis filiis . . archidiacono Oxonie in ecclesia Lincolniensi ac magistro Guillelmo de Brixia, medico nostro, ecclesie predicte canonico.*

4298 (CCCLVII) Latran, 21 janvier 1302.

« Preficitur in electum Claromontensem. » (fol. 97 v°.)

Petro, electo Claromontensi. Dum sollicite considerationis —.

Suprascriptus, Claromontensis canonicus, eidem Claromontensi ecclesiæ, per obitum bonæ memoriæ Johannis episcopi « in illis partibus decedentis » vacanti et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatæ, præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Claromontensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie — venerabili fratri . . archiepiscopo Bituricensi — carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri.*

4299 (CCCLVIII) Latran, 4 décembre 1301.

« Ordinatio super discordia que vertebatur inter . . episcopum Ambianensem et capitulum Ambianense. » (fol. 98.)

Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos susceptum a Domino summi apostolatus officium, ut pro felicis statu ecclesiarum omnium et personarum ecclesiasticarum sollicite vigilantes, inter eas litigiorum anfractus, querelas, lites et discordias, cum emergunt, per vias utiliores ad pacem taliter amputemus, quod, cessantibus scandalis, ad quietis et pacis comoda reducantur. Dudum siquidem inter venerabilem fratrem nostrum Guillelmum episcopum, ex parte una, et dilectum filium . . decanum et capitulum Ambianenses, ex altera, materia scandali, discordie et dissentionis exorta, videlicet super confirmatione electionis quondam Philippi, electi in abbatem monasterii Sancti Atheoli siti juxta civitatem Ambianensem, ordinis sancti Augustini, facta per ipsum episcopum, et super quibusdam sententiis excommunicationis, suspensionis et interdicti per eumdem episcopum in abbatem et conventum seu canonicos monasterii Sancti Martini de Gemellis Ambianensis, ejusdem ordinis, promulgatis in quibus monasteriis et personis eorum dicti decanus et capitulum omnimodam jurisdictionem ordinariam, excepta tantum certo modo benedictione abbatum, ad se asserunt pertinere, ac super visitationis officio, quod dictus episcopus volebat seu nitebatur in ipsos decanum et capitulum exercere, que omnia dicti decanus et capitulum contra eorum privilegia, libertates, exemptiones, consuetudines, prescriptiones, observantias, possessionem notoriam, jurisdictionem et jura, et in ipsorum prejudicium esse facta dicebant, et quorum occasione iidem decanus et capitulum divinorum organa in eorum Ambianensi ecclesia suspenderunt, ac super quibus, tam pro parte ipsorum decani et capituli, quam predictorum electi ac abbatis et conventus et aliorum eis adherentium, diverse appellationes et provocationes fuerant ad Sedem Apostolicam interjecte, ipso Ambianensi episcopo in contrarium

asserente, quod omnia, que super premissis fecerat, duxerat rite ac legitime et prout de jure sibi dicebat competere facienda, et quod propter hoc dicti decanus et capitulum non debuerant hujusmodi suspendisse organa contra ipsum, tandem mediantibus bonis viris de communi concordia partium, dictus episcopus, quicquid in premissis confirmatione, sententiis et visitatione pro ejus parte factum fuerat, revocavit et illud habere voluit pro infecto, dictique decanus et capitulum in eadem Ambianensi ecclesia resumpserunt hujusmodi suspensa organa divinorum ac renunciaverunt omnibus appellationibus et provocationibus supradictis, ita tamen quod per hoc nullum prejudicium fieret in petitorio vel possessorio, neque jus novum acquireretur vel accresceret, neque quicquam de suo jure decresceret alicui partium earumdem, ac nichilominus, tam super predictis tribus, quam super nonnullis aliis articulis, super quibus quedam monitiones aliique processus, ex parte dicti episcopi, contra ipsos decanum et capitulum et adherentes eisdem emanaverant insimul vel divisim, necnon et super quibusdam articulis, ex parte dictorum decani et capituli traditis episcopo supradicto, in nos sub certa forma iidem episcopus, decanus et capitulum compromittere curaverunt. Postmodum autem, hujusmodi compromisso pendente, predicti decanus et capitulum, asserentes quod idem episcopus certa gravamina et injurias indebite innovaverat contra eos, Thomam de Villaribus, post cessionem dicti Phylippi electum in abbatem predicti monasterii Sancti Atheoli, cujus electionem ipsi decanus et capitulum admittendam duxerant et etiam confirmandam, per ipsos decanum et capitulum benedicendum eidem episcopo presentatum, benedicere recusando, et denegando admittere quosdam presbyteros, canonicos predicti monasterii Sancti Atheoli, sibi per dictum Thomam sic electum et confirmatum ad quasdam parrochiales ecclesias presentatos, et eis curam ipsarum ecclesiarum non tanquam presentatis sed auctoritate propria confirmando, denegando etiam ad ordines promovere quosdam canonicos predictorum monasteriorum vel eorum alterius, per superiores seu superiorem ipsorum presentatos sibi ad ordines promovendos, et insuper auferendo et detinendo oblationes exequiarum quorumdam defunctorum ad ipsos decanum et capitulum pertinentes, necnon in predicta monasteria vel eorum alterum, in personas ipsorum vel alterius eorumdem, diversas excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias promulgando, ac alia in eorum prejudicium faciendo, iterato contra prefatum episcopum in eadem Ambianensi ecclesia divinorum organa suspenderunt. Sed nichilominus post iteratam cessationem hujusmodi dictus episcopus quosdam alios processus, sententias et gravamina, contra ipsos decanum et capitulum et sibi adherentes et in eorum prejudicium, indebite, ut dicitur, attemptavit, faciendo pulsari campanas ipsius Ambianensis ecclesie violenter, celebrando contra morem inibi alta voce et ipsius immunitatem ecclesie violando; ipsum quoque suspendendo decanum, et prefatum interdicendo capitulum, et in quosdam rectores ecclesiarum, ipsis decano et capitulo mediate vel immediate subjectarum, diversas excommunicationum et suspensionum sententias promulgando, et nonnullos etiam ex dictis rectoribus ipsis ecclesiis spoliando, et conferendo eas aliis, et alias diversimode ipsis decano et capitulo ac predictis et nonnullis aliis eorum subditis seu adherentibus molestias, dampna, injurias et gravamina indebite irrogando. Prefato episcopo in contrarium asserente, quod ea, que super illis fecerat, sibi de jure licebant, et quod ipsi decanus et capitulum contra quosdam presbyteros et capellanos ipsius Ambianensis et aliarum ecclesiarum, eidem episcopo subjectos, in ipsius episcopi prejudicium processerant, ferendo in eos excommunicationis sententias et privando ipsos choro et distributionibus minus juste, et quod alias ipsi decanus et capitulum necnon alii, occasione ipsorum et causa, nonnullas injurias presumpserant contra eum. Super quibus omnibus vel eorum aliquibus diverse appellationes, hinc et inde, ad eandem Sedem fuisse interjecte dicuntur. Hujusmodi autem negotiis per constitutionem nostram, editam super suspensionibus divinorum organorum seu super cessationibus a divinis, ac per compromissum et appellationes supradictas ad nostram audientiam devolutis, nos dilecto filio nostro, Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali, commisimus ut causas ipsas audiret, nobis quod inveniret postmodum relaturus. Sed deinde sibi super hoc dilectum filium nostrum Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum cardinalem, duximus adjungendum. Qui, causis auditis eisdem, nobis quod invenerunt referre curarunt. Et demum audita per nos relatione hujusmodi, et vocatis procuratoribus predictarum partium coram nobis, Jacobus de Guarcino, procurator episcopi memorati, et Adam de Buignivilla, procurator decani et capituli predictorum, in nostra propter hoc presentia constituti, nobis ex parte ipsorum episcopi, decani et capituli cum instantia supplicarunt, ut dignaremur hujusmodi causas per viam compendii terminare. Nos igitur, qui Christi fidelibus et potissime personis ecclesiasticis, quarum discordia cedit multipliciter in dispendium animarum, libenter quietis et pacis comoda procuramus, et obviamus turbationibus, scandalis et dispendiis eorumdem, intendentes hujusmodi predictorum episcopi, decani et capi-

tuli et aliorum discordias, questiones et scandala sub compendio terminare, tam auctoritate Apostolica et de Apostolice plenitudine potestatis, quam ex hujusmodi arbitraria potestate, per viam ordinationis et provisionis, omnes processus et excommunicationum, suspensionum, interdicti ac privationum sententias supradictos et quoscumque alios, premissorum occasione seu causa, per eundem G. episcopum, vel ejus auctoritate sive mandato, factos, latos et habitos, contra predicta decanum et capitulum, monasteria, abbates, conventus et rectores seu quaslibet alias personas totaliter revocamus et tollimus ac etiam relaxamus et ipsa decanum et capitulum, monasteria, abbates, conventus, rectores et personas, tam quoad hujusmodi processus et sententias, quam quoad possessionem rerum, jurisdictionum et jurium, quorum occasione et causa ipsi processus et sententie facti et late fuerunt, in eum statum reducimus et haberi volumus pro reductis, in omnibus et per omnia, in quo erant eo tempore, quo fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti. Omnes quoque illos ex eis, qui ab hujusmodi excommunicationum et suspensionum sententiis absolutione indigent, et hujusmodi presbyteros et capellanos, ipsi subjectos episcopo, in quos prelibatum capitulum tulit, ut prefertur, excommunicationis sententias, a sententiis ipsis absolvimus et cum eis super irregularitate, si quam post predictas sententias se divinis officiis immiscentes incurrerunt occasione sententiarum ipsarum, si dispensatione indigeant, dispensamus et eosdem presbyteros et capellanos, subjectos episcopo memorato, privatos choro et distributionibus, ut prefertur, ad chorum et distributiones hujusmodi restituimus et volumus pro restitutis haberi. Ad hec eidem inhibemus episcopo sibique districte precipimus, ut, dum negotium pendebit hujusmodi, nullam super premissis vel eorum aliquo seu super aliis ea contingentibus, pendentibus coram nobis, contra predictos decanum et capitulum vel contra alios supradictos, quos ea contingunt, per se vel alium faciat novitatem, et quod secus actum fuerit ex nunc irritum decernimus et inane ac nullius existere firmitatis, presertim cum predictus Jacobus, procurator ipsius episcopi, recognoverit in judicio coram nobis eosdem decanum et capitulum fuisse, tempore provisionis nostre predicte, in possessione habendi et exercendi omnimodam potestatem et jurisdictionem spiritualem, censuram ecclesiasticam, commissionem cure animarum, destitutionem, correctionem omniaque jura episcopalia in predicta monasteria Sancti Atheoli et Sancti Martini ac personas eorum, tanquam subjecta ipsis decano et capitulo ac libera et exempta ab omni potestate, jurisdictione ac jure episcopali Ambianensis episcopi, benedictione abbatum ipsorum monasteriorum dumtaxat excepta, facienda certo modo per Ambianensem episcopum ad presentationem decani et capituli predictorum. Volumus autem, quod per premissa vel infrascripta seu eorum aliquod neutri dictarum partium, quoad petitorium vel possessorium, prejudicium aliquod generetur, sed utrique ipsarum partium jus petitorii et possessorii salvum et integrum reservamus. Et insuper, ad perpetuam rei memoriam, in penam predictorum episcopi, decani et capituli, et ne Ambianenses episcopi, qui pro tempore fuerint, proni sint vel faciles ad dandas occasiones seu causas cessandi a divinis contra eos decano et capitulo memoratis, neve ipsi decanus et capitulum similiter de facili hujusmodi cessationis causam assumant, tam ipsi episcopo quam predictis decano et capitulo, sub excommunicationis in eosdem episcopum et decanum et singulares personas de dicto capitulo ac interdicti in dictum capitulum penis, districte precipimus, quod quelibet ipsarum partium, infra unum annum a die denuntiationis presentium faciende, in eadem Ambianensi ecclesia teneatur et debeat facere ac fieri faciat unam ymaginem argenteam deauratam, episcopus scilicet papalem, et decanus et capitulum beate Virginis, quarum quelibet valoris seu pretii mille librarum Parisiensium antiquorum ad minus existat, expensis operum ipsarum ymaginum minime computandis, et interim hujusmodi duo milia librarum Parisiensium penes dilectum filium . . abbatem monasterii Sancti Cornelii Compendiensis, ordinis sancti Benedicti, Suessionensis diocesis, partes ipse deponant, pro predictis ad ipsius dispositionem abbatis ymaginibus faciendis. Super depositione autem hujusmodi fieri volumus duo publica consimilia instrumenta, quorum unum penes ipsum abbatem remaneat, reliquum vero nobis per fidelem nuntium transmittatur. Que quidem ymagines ponentur et poni debeant singulis solennibus festivitatibus super majus altare ipsius Ambianensis ecclesie, dum missa celebratur in eodem, nec unquam possint vel debeant ymagines ipse per episcopum aut decanum et capitulum Ambianenses seu alium vel alios vendi vel alienari aut obligari quomodolibet seu ad usus alios deputari. Ad hec mandamus et volumus, quod, statim facta denuntiatione ordinationis et provisionis hujusmodi in Ambianensi ecclesia memorata, prefati decanus et capitulum resumant et resumpta continuent suspensa per eos propter hec organa divinorum. Ceterum, si super petitorio vel possessorio partes ipse vel earum altera seu quivis predictorum super premissis, vel aliquo seu aliquibus premissorum aut super aliis contingentibus ea vel aliquod seu aliqua eorumdem aut dependentibus ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus, voluerint de suo jure contendere, pars que

agere voluerit contra alteram, formatis articulis super quibus experiri proponet ac intentionem suam fundare voluerit, illos tradere parti alteri teneatur et denuntiare quod super eis intendit experiri seu agere contra eam. Quibus traditione et denuntiatione sic factis, ambe partes, a die denuntiationis hujusmodi infra duorum mensium spatium, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis negotium contingentibus, comparere coram nobis per procuratores ydoneos teneantur, facture et recepture quod justitia suadebit. Parati enim sumus exhibere ipsis, tam Apostolica, quam arbitraria potestate, justitie complementum, prout viderimus expedire. A qua quidem arbitraria potestate recedere non intendimus per premissa, quin ex ea nobis audiendi, procedendi, diffiniendi, providendi et ordinandi ulterius, sicut oportunum fuerit et expedire videbimus, ac in premissis, que ordinavimus et providimus, et eorum singulis addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, declarandi, interpretandi et in melius reformandi, quando et quotiens ac prout expedire viderimus, sit nobis libera reservata facultas. Nulli ergo, et cetera, nostri mandati, ordinationis, provisionis, voluntatis, revocationis, reductionis, relaxationis, absolutionis, dispensationis, inhibitionis, precepti, constitutionis et reservationis, et cetera. Si quis, et cetera. Dat. Laterani, II non. decembris, anno septimo.

4300 (CCCLVIIII) Latran, 18 janvier 1302.

« Mandatur inquisitio fieri in monasterio Sancte Genovefe Parisiensi. » (fol. 97.)

Dilectis filiis . . Sancti Satiri, Bituricensis, et . . Sasmensis, Suessionensis diocesium monasteriorum abbatibus, ac Andree, canonico monasterii Sancti Eligii, Atrebatensis diocesis, in theologia doctori. Gerentes in desideriis —. Accedentes siquidem ad presentiam nostram dilecti filii fratres Gannus, prior prioratus de Spinolio, ad monasterium Sancte Genovefe Parisiense, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis sancti Augustini, spectantis, ac Johannes de Sancto Lupo, canonici dicti monasterii, nobis exponere curaverunt, quod ipsi contra Johannem, ejusdem monasterii abbatem, occasione vitii symonie et aliorum criminum, super quibus ipsum denuntiare volebant, ad Sedem Apostolicam appellarunt. Cum itaque, sicut accepimus, multa in eodem monasterio committantur, que limam Apostolice correctionis exposcunt, nos — discretioni vestre, de ipsorum appellantium ac procuratoris dicti abbatis assensu, per Apostolica scripta mandamus, quatinus — inquiratis in eodem monasterio — quecumque super statu eorumdem monasterii et monachorum videritis inquirenda, et que super hiis inveneritis, infra tres menses post receptionem presentium, fideliter in scriptis redacta, vestris inclusa sigillis, ad nostram presentiam transmissuri. — Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno septimo.

4301 (CCCLX) Latran, 4 décembre 1301.

« Super faciendis ymaginibus deauratis in ecclesia Ambianensi. » (fol. 99 v°.)

. . abbati monasterii Sancti Cornelii Compendiensis, ordinis sancti Benedicti, Suessionensis diocesis. Dudum inter venerabilem fratrem nostrum Guillelmum, episcopum, ex parte una, et dilectos filios . . decanum et capitulum Ambianenses, ex altera, super certis articulis, quorum occasione et causa dicti decanus et capitulum in eorum Ambianensi ecclesia divinorum organa suspenderunt, materia scandali et discordie ac dissensionis exorta, super quibus vel eorum aliquibus diverse appellationes, hinc et inde, fuerunt ad Sedem Apostolicam interjecte, ac in nos etiam sub certa forma extitit compromissum; et hujusmodi negotiis per constitutionem nostram, editam super suspensionibus divinorum organorum, seu supra cessationibns a divinis, ac per hujusmodi compromissum et appellationes, ad nostram audientiam devolutis, nos demum, in negotiis ipsis per viam compendii procedentes, ordinationem et provisionem quandam super hiis inter dictas partes, per nostras sub certa forma litteras, duximus faciendam, in qua inter cetera, ad perpetuam rei memoriam, in penam predictorum episcopi, decani et capituli, et ne Ambianenses episcopi, qui pro tempore forent, proni essent vel faciles ad dandas occasiones seu causas cessandi a divinis contra eos decano et capitulo memoratis, neve ipsi decanus et capitulum similiter de facili cessationis causam assumerent, tam ipsi episcopo quam predictis decano et capitulo, sub excommunicationis in eosdem episcopum et decanum ac singulares personas de dicto capitulo, ac interdicti in dictum capitulum penis, districte precepimus, quod quelibet ipsarum partium, infra unum annum a die denuntiationis litterarum earumdem faciende in eadem Ambianensi ecclesia, teneretur facere seu fieri faceret unam ymaginem argenteam deauratam, episcopus scilicet papalem, et decanus et capitulum beate Virginis, quarum quelibet valoris seu pretii mille librarum parisiensium antiquorum ad minus existeret, expensis operum ipsarum ymaginum minime computandis, et interim hujusmodi duo millia

librarum Parisiensium penes te partes ipse deponerent, pro predictis secundum dispositionem tuam ymaginibus faciendis. Intendentes igitur ut hoc, quod disposuimus de faciendis ymaginibus supradictis, ad debitum perducatur effectum, ac de tue fidelitatis et circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus partes ipsas, ut penes te, sicut premittitur, deponant pecuniam memoratam pro ipsis ymaginibus faciendis, et quod dictas ymagines juxta dispositionem tuam et prescriptum modum infra predictum terminum fieri faciant cum effectu, auctoritate nostra, appellatione remota, compellas : non obstante si eis communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras Apostolicas non facientes, et cetera : usque mentionem. Sic itaque ad executionem premissorum, que tibi in hac parte committimus, sollicite, diligenter, et provide te habere procures, quod possis exinde merito commendari. Super depositione autem hujusmodi confici facias duo publica consimilia instrumenta, quorum unum penes te retineas, reliquum vero nobis per fidelem nuntium destinare procures : intimando nobis nichilominus per tuas litteras, harum seriem continentes, quicquid inde duxeris faciendum. Dat. Laterani, II non. decembris, anno septimo.

4302 (CCCLXI) Latran, 3 janvier 1302.

« Super ordinatione plebanatus plebis de Sexto, Florentine diocesis, et aliarum ecclesiarum dicte diocesis. » (fol. 99 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Florentino. Nuper ad notitiam nostram pervenit, quod, vacante olim plebanatu plebis de Sexto, Florentine diocesis, per mortem quondam Talani, qui pro plebano plebis ipsius se gerebat, Bindus de Circulis et Baschera de la Tosa, cives Florentini, qui Ecclesie Romane indevoti et adversarii esse dicuntur, Thedaldum, canonicum plebis de Cumino, presbyterum ejusdem diocesis, per Bindum et Bascheriam, nepotes dicti Talani, juvenes utique et ignaros, ac quemdam alium canonicum dicte plebis, in plebanum plebis ejusdem de facto eligi procurarunt; et ipsi vel alter eorum sub pretextu prefati presbyteri, qui non residet in plebe predicta et quasi nunquam ad ipsam accessit, eandem plebem et ejus bona quasi propria retinent et fructus ex ea percipiunt, sicut de possessionibus propriis, pro eorum libito voluntatis, sicque per hoc prefati canonici et cives et nonnulli eorum consanguinei et amici, sequaces ipsorum, qui etiam eidem Ecclesie, ac ejus fidelibus adversantur, effecti sunt divites et potentes et ex bonis dicte plebis, que in ipsorum Ecclesie ac fidelium deberent cedere presidium et juvamen, non modicum ipsis Ecclesie ac fidelibus prejudicium generatur. Accepimus quoque, quod, licet Scolarius de la Tosa, canonicus plebis de Colenzano, predicte diocesis, sit privatus lumine oculorum nec unquam viderit, tamen canonicatum et prebendam dicte plebis ac hospitalia de Salveregio et de Calenzano (*sic*), ejusdem Florentine ac Fesulane diocesium, detinere presumit, in anime sue periculum et scandalum plurimorum, necnon Talanus, nepos ejus, canonicus plebis ejusdem, canonicatum et prebendam in ipsa plebe noscitur obtinere, ac eorumdem Scolari et Talani consanguinei et amici, qui Ecclesie et fidelium predictorum inimici et persecutores fore dicuntur, ex ipsius plebis bonis sunt non modicum exaltati et validiores effecti ad persecutionem Ecclesie ac fidelium eorumdem. Percepimus insuper, quod Raynerius de la Tosa, qui se gerit pro plebano plebis Sancti Stephani in Pane, predicte diocesis Florentine, vivente adhuc illo, qui in plebanum ipsius plebis canonice fuerat institutus, in plebanum plebis ejusdem de facto se eligi procuravit et in plebanatum ipsum temere se intrusit, illumque in anime sue periculum et scandalum plurimorum detinet occupatum, quodque idem Raynerius est ejusdem Ecclesie inimicus et Ecclesie ac fidelium predictorum emulos, adversarios et persecutores fovet, alit et nutrit, in ipsorum Ecclesie ac fidelium prejudicium manifestum. Cum igitur hec, si vera sint, non debeant equanimiter tolerari, nos, nolentes ea, sicuti nec debemus, conniventibus oculis preterire, ne cedant in exempli mali pernitiem aliis, fraternitati tue, de cujus diligentia et circumspectione plene confidimus, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, inquisita super hiis summarie ac de plano, sine strepitu et figura judicii, sicut expedire videris, veritate, si tibi videbitur quod prefati plebani et canonici seu qui pro plebanis et canonicis se gerunt sint, ex premissis causis vel earum aliquibus, indigni ad plebanatus, canonicatus, prebendas et hospitalia hujusmodi retinenda, ipsos et eorum quemlibet plebanatibus, canonicatibus, prebendis et hospitalibus prelibatis et omni jure, quod eis competit in eisdem, auctoritate nostra imperpetuum privare procures. Et, ut de hujusmodi plebanatibus, canonicatibus, prebendis et hospitalibus provide ac in nostrum et eorumdem Ecclesie devotorum et fidelium favorem et presidium disponatur, plebanatum dicte plebis de Sexto Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Rossi de la Tosa, canonicatus quoque ac prebendas prefate plebis de Calenzano eidem Johanni et Raynerio, fratri ejus, nato dicti nobilis, hospitalia vero predicta Johanni, filio pellatii de

la Tosa, plebanatum insuper predicte plebis Sancti Stephani Landoni de Cechio, presbytero dicte Florentine diocesis, si, pensatis meritis, devotione et conditionibus eorumdem, videris eos dignos ad hujusmodi plebanatus, canonicatus, prebendas et hospitalia obtinenda, eadem auctoritate, conferas et assignes. Alioquin de singulis plebanatibus, canonicatibus, prebendis et hospitalibus ipsis et insuper de predictis canonicatibus et prebendis predicte plebis de Sexto, singulis aliis viris, quos ad id dignos et ydoneos ac Ecclesie prefate devotos esse putaveris, auctoritate prefata providere procures; inducens eos vel ipsorum procuratores, eorum nomine, in illorum corporatem possessionem, per te vel alium seu alios, et defendens inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac faciens ipsos et eorum quemlibet ad hujusmodi plebanatus, canonicatus, prebendas et hospitalia, prout eis illas contuleris, sicut moris est, recipi et admitti, ac eis de illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi: non obstantibus quibuscumque predictarum plebium contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis, seu si aliqui Apostolica vel alia quavis auctoritate in ipsis plebibus vel earum aliqua in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, aut si super provisionibus faciendis aliquibus de canonicatibus, prebendis, personatibus, dignitatibus, plebibus, hospitalibus vel beneficiis ecclesiasticis, speciales vel generales in illis partibus nostre vel predecessorum nostrorum littere sint directe, etiamsi ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit earum auctoritate processum, quibus omnibus, quo ad assecutionem aliorum canonicatuum, prebendarum, plebanatuum, hospitalium et beneficiorum, nullum per hoc volumus prejudicium generari, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de canonicatibus, prebendis, personatibus, dignitatibus, plebibus, hospitalibus vel beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationnem vel quamcumque dispositionem spectantibus, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes, et cetera usque: mentionem, et qualibet alia ipsius Sedis indulgentia, generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis, seu si hii, quibus de canonicatibus, prebendis et plebanatibus supradictis duxeris, ut premittitur, providendum, vel eorum aliqui presentes non fuerint, ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum plebium vel alicujus earum solitum juramentum, dummodo in eorum absentia, per procuratores ydoneos, et, cum ad plebes ipsas accesserint, corporaliter illud prestent, sive si ipsi vel eorum aliqui unum vel duo aut plura ecclesiastica beneficia obtinere noscantur, ant quod idem Johannes patitur in ordinibus et etate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in duodecimo etatis sue anno vel circa illum constitutus esse noscatur, cum quo eadem auctoritate valeas dispensare, ut predictum plebanatum plebis de Sexto licite recipere ac retinere libere possit, predicto defectu etatis et ordinum et qualibet constitutione contraria non obstantibus: proviso quod plebanatus, canonicatus, prebende ac hospitalia supradicta debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura, in eis quibus illa iminet, nullatenus negligatur, quodque prefatus Johannes, postquam ad legitimam etatem pervenerit, prout ipsius plebanatus cura requirit, se faciat statutis temporibus ad ordines promoveri. Dat. Laterani, III non. januarii, anno septimo.

4303 (CCCCXII) Latran, 18 janvier 1302.

« Conceditur Roberto, duci Burgundie, quod quatuor clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum » in absentia, usque ad quinquennium. » (fol. 100.)

Nobili viro Roberto, duci Burgundie. Dignum reputamus —. Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Stephani Divionensis, Lingonensis diocesis, ac . . priori Sancti Symphoriani et . . archidiacono Avalonensi, ecclesie Eduensis.*

4304 (CCCLXIII) Latran, 12 janvier 1302.

« Citatio ad instantiam Jacobi, abbatis monasterii Sancti Petri Aquensis, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 100 v°.)

Dilectis filiis Bertholino, archidiacono ecclesie Alexandrine, et Petro, archipresbytero plebis de Vuiliis, Aquensis diocesis. Dilectus filius Jacobus, abbas monasterii Sancti Petri Aquensis, ordinis sancti Benedicti, proposuit coram nobis, quod olim, monasterio ipso per mortem quondam Petri, abbatis ejusdem monasterii, pastore vacante, major et sanior pars conventus ipsius monasterii eundem Jacobum canonice in dicti monasterii abba-

tem elegit, cujus electio auctoritate ordinaria extitit confirmata, idemque Jacobus, per novem menses et amplius, ipsius monasterii administrationem gessit. Sed postmodum Odo, abbas monasterii Sancti Quintini de Spigno, dicti ordinis, Saonensis diocesis, pretendens, quod duo monachi dicti monasterii Sancti Petri ei concesserant potestatem providendi dicto monasterio de abbate, Odoninum, natum nobilis viri Thome, marchionis Malespine, qui pro dicti monasterii Sancti Quintini monacho se gerebat, et nondum vicesimum etatis sue attigerat annum, et non nisi per duos vel tres dies ante hujusmodi potestatem concessam, ea intentione, habitum receperat monachalem, ut preficeretur in abbatem eidem monasterio Sancti Petri, de facto, in ipsius monasterii abbatem elegit ac dilectus filius O, Aquensis electus, dicto Jacobo non vocato, hujusmodi electionem, de facto, dicitur confirmasse, infra triduum a die quo idem Odoninus receperat habitum supradictum, dictusque Odoninus, laïcali fultus potentia, eundem Jacobum monasterio ipso spolians violenter, illius administrationi se ingessit et ingerere non veretur. Quare idem Jacobus nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse, sicut asserit, propter potentiam dicti Odonini non possit in illis partibus comode super hoc consequi justitie complementum, faceremus sibi super hiis apud Sedem Apostolicam justitiam exhiberi. Nos autem, ipsius supplicationibus inclinati, dilectum filium nostrum Robertum, tituli Sancte Pudentiane presbyterum cardinalem, in hujusmodi negotio deputavimus auditorem.

Mandatur suprascriptis ut prædictos electum Aquensem et Odoninum ac alios, qui sua putarunt interesse, citare curent, ut, infra unius mensis spatium, Odoninus, personaliter, electus vero et alii, per procuratores, Apostolico se conspectui repræsentent.

Dat. Laterani, II id. januarii, anno septimo.

4305 (CCCLXIIII) Latran, 20 janvier 1302.

« Matheo, electo Faventino. Preficitur in electum Faventinum. » (fol. 101.)

Matheo, electo Faventino. Onerosa pastoralis officii —.

Suprascriptus frater ordinis Heremitarum sancti Augustini, ecclesiæ Faventinæ præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, XIII kal. februarii, anno septimo.

POTTHAST, 25120.

4306 (CCCLXV) Latran, 23 janvier 1302.

« Matheo, episcopo Faventino. Fecit sibi munus consecrationis impendi. » (fol. 101.)

Matheo, episcopo Faventino. Volentes personam tuam —.

Suprascripto, cui fecit dominus papa per Johannem, episcopum Tusculanum, consecrationis munus impendi, mandat ut ad Faventinam ecclesiam accedat.

Dat. Laterani, X kal. februarii, anno septimo.

4307 (CCCLXVI) Latran, 15 décembre 1301.

« De provisione Barchinonensis ecclesie. » (fol. 101.)

.. *episcopo Valentino.* Dudum Barchinonensi ecclesia per obitum bone memorie Bernardi, episcopi Barchinonensis, pastoris regimine destituta, dilecti filii .. archidiaconus et capitulum ejusdem ecclesie, ad tractandum de futuri substitutione pastoris convenientes in unum, ac deliberantes in hujusmodi negotio per viam procedere compromissi, Hugoni de Cardona, archidiacono, Marco de Sancta Eugenia, sacriste, Petro Grunnii, precentori, et Petro de Capraria, Bernardo de Sartiano, magistro Arnaldo de Turri ac Umberto de Lauro, canonicis ipsius ecclesie, provideri ea vice eidem ecclesie de pastore concesserunt liberam potestatem. Iidemque archidiaconus, sacrista, precentor et canonici, ex hujusmodi potestate, vice sua et dictorum capituli, dilectum filium Pontium de Gualba, sacristam ecclesie Majoricensis, canonicum ejusdem Barchinonensis ecclesie, in Barchinonensem episcopum concorditer elegerunt, et hujus electio fuit ab eodem capitulo approbata. Cumque dicta electio venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Terraconensi, loci metropolitano, presentata fuisset, et petitum ab eo, ut eandem electionem, auctoritate metropolitica, confirmaret, Raymundus de Podiolo, canonicus Barchinonensis, electioni se opponens predicte, coram eodem archiepiscopo contra personam dicti Pontii crimina objecit et defectus; et, postquam in hujusmodi negotio fuit coram dicto archiepiscopo usque ad exhibitionem positionum et articulorum hinc inde factam processum, dictus Raymundus de Podiolo ex certis gravaminibus, que sibi ab eodem archiepiscopo illata fuisse dicebat, et etiam alias extra judicium a predicta electione ad Sedem Apostolicam appellavit : dictus vero archiepiscopus, hujusmodi appellationes manifeste frivolas reputans, ac in negotio predicto procedens, prefatam electionem aucto-

ritate ordinaria confirmavit ; sed idem R. de Podiolo ab hujusmodi confirmatione ad Sedem appellavit predictam. Et postmodum, dicto negotio in nostra presentia occasione dictarum appellationum proposito, nos illud dilecto filio nostro Guillelmo, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, commisimus audiendum, et, cum fuisset in predicto negotio coram eodem cardinali diutius litigatum, dicto R. de Podiolo proponente per predictas appellationes esse ad prefatam Sedem ipsum negotium devolutum, ac eundem Pontium non accessisse ad nostram presentiam infra tempus super hoc a jure statutum, et propter hoc ab omni jure, si quod ei ex predictis electione et confirmatione quesitum fuerat, cecidisse ; procuratore vero dictorum Pontii et capituli contrarium affirmante, ac super hiis, tam coram dicto cardinali quam coram nobis, diutius disputato, placuit nobis quod, suspensis dictis appellationibus et omni earum effectu, ex provisione nostra, cum predicto R. de Podiolo et procuratore dictorum Pontii et capituli coram eodem cardinali procederetur ad ulteriora negotii principalis : dictusque R. de Podiolo coram ipso cardinali petitionem, positiones et articulos contra dictum Pontium exhibuit ac testes et litteras quasdam produxit, facteque fuerunt confessiones quedam hinc et inde, et super predictis inter eosdem R. et procuratorem in ipsius cardinalis presentia aliquandiu extitit altercatum. Et tandem, facta nobis super premissis omnibus ab eodem cardinali, presentibus R. de Podiolo et procuratore prefatis, relatione fideli, cum per ea, que apud dictam Sedem in prefato nogotio acta sunt, utrum predicta objecta per dictum R. de Podiolo contra personam dicti Pontii vera sint an non liquere non possit, nos, nolentes quod hujusmodi occasione dicta Barchinonensis ecclesia diu viduitatis incomoda patiatur, sed cupientes pastorem ydoneum ipsius ecclesie regimini per nostre operationis studium presidere, ac, de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus in predicto negotio, servato processu in eo habito apud Sedem predictam, quem dictus cardinalis sub sigillo suo mittit inclusum, auctoritate nostra, previa ratione, procedas. Et si dictus R. de Podiolo in probatione predictorum defecerit objectorum, eidem Pontio, ascitis tibi duobus vel tribus episcopis, gratiam et comunionem predicte Sedis habentibus, munus consecrationis impendas : ita tamen quod per hoc Terraconensi ecclesie, cui dicta Barchinonensis ecclesia est metropolitico jure subjecta, nullum imposterum prejuditium generetur. Si vero dictus R. de Podiolo eadem objecta probaverit, tu, dicta electione cassata, injungas, ex parte nostra, capitulo supradictis, ut ad electionem de persona ydonea celebrandam procedant. Et, si concorditer et canonice personam ydoneam elegerint, hujusmodi electionem eandem, auctoritate nostra, confirmes, eidem persone prefatum consecrationis munus modo simili impensurus : contradictores per censuram ecclesiasticam, usque : compescendo. Quod si forsam dicti capitulum nequiverint in unam personam, ut premittitur, concordare, mandes eisdem, quod aliquos probos viros nominare procurent et ipsorum nomina sub ipsorum sigillis per fidelem nuntium nobis studeant intimare, ut, ex hiis plenius informati, de dicte Barchinonensis ecclesie utili provisione possimus, juxta nostre intentionis affectum, facilius et celerius cogitare. Dat. Laterani, xviii kal. januarii, anno septimo.

4308 (cccLxvii) Latran, 20 janvier 1302.

« Lotherio, episcopo Florentino. Transfertur de Faventina ecclesia ad Florentinam. » (fol. 101 v°.)

Lotherio, episcopo Florentino. Romani pontificis —.

Suprascriptus de Faventina ad Florentinam ecclesiam, per obitum bonæ memoriæ Francisci episcopi vacantem et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatam, transfertur.

Dat. Laterani, xiii kal. februarii, anno septimo.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Florentine — clero civitatis et diocesis — populo — universis ecclesie Florentine vassallis.*

4309 (cccLxviii) Latran, 28 novembre 1301.

« Mandatur recipi Faltrardus, dictus Barres, presbyter, in canonicum ecclesie Sancti Pauli Leodiensis. » (fol. 102.)

Dilectis filiis. . abbati monasterii Sancti Egidii de P[ubli]co monte prope Leodium et . . decano Nivellensis, ac Michaeli, capellano nostro, cantori Senogiensis ecclesiarum, Leodiensis et Cameracensis diocesium. Dilectus filius Fastrardus, dictus Barres, presbyter, canonicus ecclesie Sancti Pauli Leodiensis, proposuit coram nobis, quod, cum olim ipse, tunc rector ecclesie de Cens, Leodiensis diocesis, et Johannes de Heppegnies, tunc canonicus ejusdem ecclesie Sancti Pauli, canonicatum et prebendam, quos idem Johannes in dicta ecclesia Sancti Pauli obtinebat, ac prefatam ecclesiam de Cens intenderent, ex certis causis, ad invicem permutare, venerabilis fra-

ter noster Hugo, archiepiscopus Bisuntinus, tunc episcopus Leodiensis, ad quem in eadem ecclesia Sancti Pauli prebendarum collatio pertinebat, hujusmodi permutationi consentiens, post liberam resignationem dictorum canonicatus et prebende a prefato Johanne in ejus manibus sponte factam et ab ipso receptam, eodem Fastrardo prefatam ecclesiam alias modo simili resignante, quam dictus Johannes fuit pacifice assecutus, predictos canonicatum et prebendam — predicto Fastrardo duxit canonice conferendos — ac. . decano et capitulo ejusdem ecclesie Sancti Pauli mandavit, ut predictum Fastrardum ad eandem prebendam reciperent in canonicum et in fratrem, sibique de fructibus et proventibus dictorum canonicatus et prebende facerent integre responderi. Idem vero decanus et capitulum, asserentes, quod . . decanus et capitulum ecclesie Leodiensis, quibus dicebatur per litteras Apostolicas fore indultum, ut in manifestos occupatores bonorum ipsius ecclesie Leodiensis et notorios malefactores eorum, nisi, ab ipsis canonice moniti, et occupata hujusmodi eis restituerint, et de dampnis illatis eisdem satisfecerint congruenter infra competentem terminum, quem ipsis peremptorie ducerent prefigendum, possent excomunicationis et suspensionis sententias promulgare, ac eas usque ad satisfactionem condignam, auctoritate Apostolica, facere, appellatione remota, inviolabiliter observari, in dictum episcopum, pro eo quod ipse, ut dicebant, occuparat quedam bona Leodiensis ecclesie supradicte, et quod idem episcopus, ab ipsis canonice monitus, eadem bona restituere non curarat, ob hoc, auctoritate dictarum litterarum, excomunicationis sententiam promulgarant, ac ipsum faciebant per omnes ecclesias civitatis Leodiensis excomunicatum publice nuntiari, et quod episcopus ipse, tempore quo de canonicatu et prebenda predictis memorato Fastrardo, ut premissum est, providerat, predicta erat sententia excomunicationis ligatus, eundem Fastrardum ad eandem prebendam, hac de causa dumtaxat, recipere juxta mandatum ipsius episcopi distulerunt, prout etiam directe nobis super hoc dictorum decani et capituli ejusdem ecclesie Sancti Pauli littere continebant, per quas ipsi circa receptionem ipsius Fastrardi faciendam ad prebendam predictam ejusdem excomunicationis sententie in pendenti[1] submoveri obstaculum a nobis suppliciter petierunt. Quare idem Fastrardus nobis humiliter supplicavit, ut providere in hac parte sibi de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod predicte littere Apostolice ad episcopum Leodiensem, qui predictorum decani et capituli capud existit, nullatenus se extendunt, quodque per hoc dicti decanus et capitulum ecclesie Leodiensis in prefatum Hugonem, tunc episcopum Leodiensem, nequiverunt excomunicationis seu suspensionis sententiam, earundem litterarum auctoritate, proferre, ac per hoc nolentes, occasione hujusmodi excomunicationis sententie in eundem episcopum per eosdem decanum et capitulum, pretextu dictarum litterarum, ut predicitur, promulgate, quam nullam fore penitus reputamus, receptionem predictam seu effectum permutationis hujusmodi quomodolibet impediri, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus, premissis veris existentibus, eo quod de prefati episcopi excomunicatione ac ipsius denuntiatione, ut premissum est, proponitur nequaquam obstante, dummodo aliud canonicum non obsistat, vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, dictos decanum et capitulum ecclesie Sancti Pauli, quod prelibatum Fastrardum ad eandem prebendam recipiant in canonicum et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo assignatis, ac ei de fructibus et proventibus ipsius prebende, tam perceptis a tempore quo sibi fuit de dicto canonicatu et prebenda ipsa per episcopum memoratum provisum, quam ex eadem prebenda imposterum proventuris, plenarie faciant responderi, monitione premissa, per censuram et appellatione postposita compelliatis. Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno septimo.

1. *Ms* : impendenti.

4310 (CCCLXVIIII) Latran, 11 janvier 1302.

« Quod possit construere capellam, et cetera. » (fol. 102 v°.)

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Blance, nate dilecti filii nobilis viri Johannis ducis Britanie, relicte quondam Phylippi primogeniti dilecti filii nobilis viri Roberti, comitis Atrebatensis. Pium arbitramur —.

Conceditur suprascriptæ facultas construendi capellam in fundo proprio, Ebroicensis vel Bituricensis diocesium, aut in alio competenti loco et in ea idoneum capellanum habendi, dummodo assignet eidem capellano, sicut se ad id paratam esse proponit, annuos redditus usque ad summam viginti librarum Pariensium, reservato supradictæ et ejus successoribus in perpetuum jure patronatus in dicta capella.

Dat. Laterani, III id. januarii, anno septimo.

4311 (CCCLXX) Même date.

« Conceditur eidem quod sex clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum » in absentia, usque ad triennium. (fol. 102 v°.)

Eidem. Persoam tuam —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri.. episcopo Silvanectensi et dilecto filio.. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis.*

4312 (CCCLXXI) Anagni, 24 septembre 1301.

« Ad perpetuam rei memoriam. Preficitur prepositus de novo in ecclesia Anagnina. » (fol. 103.)

Ad perpetuam rei memoriam. Inter ceteras nobis —.

Statuit et ordinat dominus papa, ut ex nunc in ecclesia Anagnina præposituræ dignitas habeatur perpetuis temporibus duratura et ut præpositus bona omnia capituli Anagnini gubernet, cujus electionem ad capitulum prædictum et ejusdem electionis confirmationem ad Leonardum, episcopum Anagninum, ejusque successores pertinere decernit.

Dat. Anagnie, VIII kal. octobris, anno septimo.

POTTHAST, 25076.

4313 (CCCLXXII) Anagni, 25 septembre 1301.

« Conceditur prefata prepositura Odoni, dicto Spate. » (fol. 103.)

Odoni dicto Spate, preposito ecclesie Anagnine. Laudanda tue multiplicis —.

Suprascripto præposituram de novo creatam in eadem ecclesia, cujus est canonicus, confert dominus papa et providet ei de ipsa, non obstante quod in Tornacensi, et eadem Anagnina, et in Sanctæ Crucis Cameracensi ecclesiis canonicatus et præbendas noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, VII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis magistro Onufrio de Trebis, decano Meldensis, capellano nostro, et.. archidiacono Cameracensis ac.. archipresbytero Sanctorum Cosme et Damiani Anagnine ecclesiarum.*

4314 (CCCLXXIII) Anagni, 26 septembre 1301.

« Ordinatio quedam facta inter Leonardum, episcopum, et.. prepositum et capitulum Anagninos. » (fol. 103 v°.)

Venerabili fratri Leonardo episcopo et dilectis filiis.. preposito et capitulo Anagninis. Gerentes ab olim —. Sane considerantes attentius — quod inter te, frater episcope, ex parte una, et vos, filii capitulum, ex altera, occasione assisie seu vivande a te, episcope, diebus singulis, prout a longis retro temporibus noscitur observatum, vobis, capitulum, debite, gravis et multiplicis dissensionis materiam contingit frequentius exoriri, propter quod ejusdem ecclesie status nubilo turbationis obducitur eaque defectum tolerare conspicitur in divinis, multa nimirum sollicitudine ducimur — ut inter vos invicem nexus concordie vigeat et animarum ydempnitas perseveret. Statuimus igitur auctoritate Apostolica et etiam ordinamus, quod ex nunc tu, episcope predicte, castrum Acuti, Anagnine diocesis, cum omnibus juribus, possessionibus et pertinentiis suis et ad ea quomodolibet accedentibus, habeas et pacifice teneas, ita tamen quod tu, fili preposite, quandocunque de tua processerit voluntate, de silve dicti castri arboribus ad utilitatem et comodum ejusdem ecclesie ac domorum ejus, tam intus quam extra, et etiam castrorum consistentium ubicunque libere recipere valeas et habere, tuque, prefate episcope, hujusmodi arbores sive ligna ipsi preposito pro predictis concedere tenearis. Et quod tu etiam, episcope predicte, manerium seu reductum, quod Asperum vulgariter nuncupatur, necnon et ecclesiam Sanctorum Phylippi et Jacobi, cum omnibus bonis, juribus et possessionibus suis, ubilibet constitutis, ac universis ad ea quomodolibet accedentibus, in quibuscunque consistant, et fructus proventus et redditus qui proveniunt ex eisdem : quartam quoque partem fructuum, molendinorum, possessionum et vassalorum Villemagne Gorgieque castrorum, ejusdem diocesis, ac aliorum bonorum omnium ad ecclesiam pertinentium supradictam, occasione seu ratione concessionis et unionis seu incorporationis ei hactenus per nos facte de monasterio Sancti Petri castri Villemagne predicti, ministrandam et exhibendam tibi, episcope, per prepositum dicte ecclesie, pro cursu temporis existentem, deductis expensis quibuslibet, quas per eundem episcopum fieri contigerit in premissis : quartam etiam fructuum, redditorum et proventuum possessionum quarumlibet assisie ecclesie memorate : insuper tertiam partem oblationum omnium, tam in pecunia quam pane, vino, carnibus et cera, necnon et quorumcumque reddituum ecclesiarum in civitate consistentium Anagnina, provenientium ecclesie antedicte, habeas et percipias ac teneas pacifice et quiete. Preterea volumus, statuimus et ordinamus, auctoritate prefata, quod cetera bona ejusdem ecclesie, ubicumque consistere dinoscuntur, vestra, preposite ac capitulum predicti, existant ac ea quiete et pacifice teneatis. Volumus insuper et, eadem auctoritate, decernimus, ut hujusmodi per nos, pro bono pacis et unitate concordie,

inter vos facta divisio tamdiu robur firmitatis obtineat et in suo vigore persistat, quamdiu tu, episcope supradicte, regimini ejusdem ecclesie presidebis. Nulli ergo, et cetera, nostrorum statuti, ordinationis et constitutionis, et cetera, si qnis, et cetera. Dat. Anagnie, VI kal. octobris, anno septimo.

4315 (CCCLXXIIII) Anagni, 14 mai 1301.

« Confertur Petro Mathei Infantis de Reate prebenda ecclesie Vastinensis, Bituricensis diocesis. » (fol. 104.)

Petro Mathei Infantis de Reate, canonico ecclesie Vastinensis, Bituricensis diocesis. Digne agere credimus —. Sane dilecti filii . . prior et capitulum secularis ecclesie Vastinensis, Bituricensis diocesis, ad quos in ea canonicorum receptio et prebendarum collatio pertinere noscuntur, nobis per suas litteras humiliter supplicarunt, ut tibi providere de canonicatu et prebenda primo vacaturis in eadem ecclesia dignaremur. Cum igitur canonicatus et prebenda in ipsa Vastinensi ecclesia, per mortem quondam magistri Phillippi de Novaria, ejusdem ecclesie canonici, qui dudum apud Sedem Apostolicam, dum residebamus in Urbe, diem clausit extremum, vacavisse noscantur et nullus, preter nos, eosdem canonicatum et prebendam conferre potuerit constitutione felicis recordationis Clementis pape IIII — obsistente — nos, volentes tibi, tuis exigentibus meritis, et consideratione dilecti filii nostri M[atthei], Sancte Marie in Portieu diaconi cardinalis, cujus camerarius et capellanus existis, gratiam facere specialem, predictos canonicatum et prebendam, sic vacantes, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, Apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis providemus, non obstantibus quibuslibet ipsius ecclesie contrariis consuetudinibus, sive quod in basilica Principis Apostolorum de Urbe ac in Autisiodorensi, Narniensi et Sancti Johannis ac Sancte Cecilie Reatinis ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere. Dat. Anagnie, II id. maii, anno septimo.

4316 (CCCLXXV) Latran, 4 décembre 1301.

« Conservatoria pro Gualtero, nato Zacharie militis de Urbeveteri, archidiacono Pissaciensi in ecclesia Carnotensi. » (fol. 104.)

Dilectis filiis . . Sancti Germani in Campis, et . . Sancte Genovefe monasteriorum abbatibus, ac Ranucino de Murro, canonico ecclesie Parisiensis. Turbamur quam plurimum —.

Mandatur suprascriptis ut, cum Gualterus, natus Zachariæ militis de Urbeveteri, nepos Theoderici, episcopi Civitatis Papalis, archidiaconus Pisciacensis in ecclesia Carnotensi, super dicto archidiaconatu ac canonicatu et prœbenda, quæ in ecclesia Carnotensi obtinet, molestetur, eum adversus molestatores defendant. « Presentibus post quinquennium minime valituris. »

Dat. Laterani, II non. decembris, anno septimo.

4317 (CCCLXXVI) Latran, 2 janvier 1302.

« Citatio ad instantiam Johannis Judicis Andree de Anagnia, canonici Dunkaldensis. » (fol. 104 v°.)

Venerabili fratri . . . episcopo Dumblanensi et dilectis filiis Bartholoneo de Ferentino, Londoniensis, et Junte Nutii de Sancto Geminiano, plebis de Colle, Vulterane diocesis, canonicis. Exposuit nobis nuper dilectus filius magister Johannes Judicis Andree de Anagnia, capellanus et familiaris dilecti filii nostri Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, canonicus Dunkaldensis, quod, licet quondam Henricus, abbas monasterii de Albitbrothoc, ordinis sancti Benedicti, Sancti Andree diocesis, nomine suo et conventus ejusdem monasterii, ab eodem canonico omnes proventus prebende sue, pro certa quantitate marcharum argenti, recepisset ad firmam, idem tamen H[enricus], dum vixit, et tu, frater episcope, qui, eo postmodum rebus humanis exempto, eidem in dicti monasterii regimine sucessisti, — novem annis et amplius jam elapsis, ab hujusmodi prefate quantitatis solutione cessavistis. Cumque tu nuper de predicto regimine electus fuisses in episcopum Dumblanensem, et, pro confirmationis et consecrationis tue munere obtinendo a nobis, ad Sedem Apostolicam accessisses, idem canonicus, ante impensum tibi munus hujusmodi, te, super quantitate predicta non soluta, coram dilecto filio Johanne, camerario nostro, traxit in causam, sed, te proponente quod de bonis dicti monasterii nil habebas, idem camerarius in causa hujusmodi ulterius procedere non curavit. Quare dictus Johannes a nobis suppliciter petiit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Mandat suprascriptis præfatos conventum moneant, ut eidem Johanni, infra duos menses post monitionem, de ea non soluta pecunia satisfactionem impendant : alioquin, conventum et tres vel quatuor de majoribus ex eis officia habentibus peremptorie citare curent, ut ipse, per procuratores, illi vero, personali-

ter, infra trium mensium spatium, illos duos menses immediate sequentium, Apostolico se conspectui repræsentent.

Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno septimo.

4318 (CCCLXXVII) Latran, 23 décembre 1301.

« Prorogatio treugue inter Philippum, Francie, ex parte una, et Eduardum, Anglie reges, ex altera. » (fol. 105.)

Ad futuram rei memoriam. Dudum inter carissimos —.

Memorat dominus papa ordinationem quam fecit ut arbiter et amicabilis compositor inter reges Franciæ et Angliæ et prosequitur :

Postmodum autem, attendentes quod, faciente pacis Actore, a quo cuncta bona procedunt, ea que ordinanda duximus prospera successione virebant, et desiderantes admodum, ut in dicto negotio, ex nostris studiis, divina suffragatione fultis, felix et desideratus proveniret effectus, ac propterea, precavere volentes ne tempus ipsius perficiendi negotii laberetur, prefatas treuguas, prout fuerunt inite et indicte, ac inter omnes easdemque personas, inter quas et quoad quas extiterant indicte vel inite, nec non predicta compromissa et imposterum ferendum arbitrium seu arbitragium totumque negotium, prout ex futura nostra ordinatione ac decisione pendebant, sub certis terminis et demum usque ad festum Epiphanie, proximo futurum, dudum duximus proroganda, prout in nostris bullatis super hoc confectis litteris plenius continetur. Nunc vero, quia desideriis nostris valde votivum occurit, ut super hujusmodi negotio desideratus finis adveniat, et propterea nolentes, ut ejusdem tempus complendi negotii patiatur excursum, predictas treuguas, sicut fuerunt inite vel indicte, ac inter omnes easdemque personas, inter quas et quoad quas earum provenit indictio, et prefata compromissa et imposterum ferendum arbitrium seu arbitragium totumque negotium, prout ex futura nostra ordinatione ac decisione dependeat, usque ad festum beati Andree primo venturum, ex hujusmodi potestate arbitraria, prout nobis competit, prorogamus. Quam quidem prorogationem et omnem ejus effectum precipimus, sub penis in compromissis ipsis adjectis et aliis juxta nostrum arbitrium inferendis, inviolabiliter a partibus observari —. Dat. Laterani, x kal. januarii, anno septimo.

4319 (CCCLXXVIII) Latran, 6 novembre 1301

« Dragonetto, abbati monasterii Aureliacensis, Claromontensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 104.)

Dilecto filio Dragonetto, abbati monasterii Aureliacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis. Etsi monasteriorum quorumlibet —. Dudum siquidem monasterio Aureliacensi per obitum quondam Petri, ipsius monasterii abbatis, apud Sedem Apostolicam decedentis, pastoris regimine destituto, — provisionem ipsius monasterii ea vice dispositioni et ordinationi nostre, auctoritate Apostolica, duximus reservandam, et. volentes obviare dispendiis, que solent monasteriis ex vacatione diutina imminere, dilectos filios Arnaldium, de Arduno, et Guillelmum, de Drucgaco prioratuum priores, Caturcensis et Claromontensis diocesium, ejusdem monasterii monachos, tunc apud Sedem constitutos eandem, ad nostram presentiam duximus evocandos, districtius injungentes eisdem, ut aliquas nobis personas de jamdicti monasterii gremio, ad ejus regimen sufficientes et ydoneas, nominarent. Dicti vero monachi, juxta hujusmodi mandati nostri tenorem, super hoc sollicite procedentes, te, tunc priorem prioratus de Asperis, Vapincensis diocesis, ordinis predicti, prefati monasterii monachum, vive vocis oraculo specialiter nominarunt. —

Eum sic nominatum præficit dominus papa præfato monasterio in abbatem.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis... priori et conventui monasterii Aureliacensis — universis vassalis.*

4320 (CCCLXXVIIII) Latran, 3 janvier 1302.

De beneficiis quæ obtinet Vulteranus electus ab eodem conferendis. (fol. 105 v°.)

Dilecto filio Raynerio, electo Vulterano. Personam tuam —.

Indulgetur suprascripto, ut de canonicatu et præbenda ecclesiæ Vulteranæ ac plebanatu plebis Sancti Johannis Baptistæ de Fabrica, Vulteranæ diocesis, curam animarum habente, quæ obtinere dinoscitur, quam primum illa per consecrationem suam vel alio quovis modo vacare contigerit,

auctoritate Apostolica, alicui vel aliquibus personis idoneis providere possit.

Dat. Laterani, III non. januarii, anno septimo.

4321 (CCCLXXX) Latran, 12 décembre 1301.

« Super dissolutione confederationis comunium Perusine, Tudertine, Spoletane ac Narniensis civitatum. » (fol. 10.)

Ad perpetuam rei memoriam. Plerumque dissimulanda sunt. —

Omnia fœdera, inter Perusinam, Tudersinam, Spoletanam ac Narniensam civitates inita, annulat dominus papa et de pace inter Tudertinos et Urbevetanos ineunda præcipit.

Dat. Laterani, II id. decembris, anno septimo.

Potthast, 25108.

4322 (CCCLXXXI) Anagni, 27 septembre 1301.

« Dispensatur cum Johanne de Merkenfeld, presbytero, rectore ecclesie de Algerkirk, Lincolniensis diocesis, super pluralitate. » (fol. 106.)

Johanni de Merkenfelded[1], *presbytero, rectori ecclesie de Algerkirk, Lincolniensis diocesis.* Apostolice Sedis consueta. —

Suprascripto, qui, in minoribus ordinibus constitutus et præfatam ecclesiam de Algerkrik, curam animarum habentem, obtinens, ecclesiam de Elkerik, Eboracensis diocesis, similem curam habentem, assecutus fuit et eas insimul per biennium retinuit, fructus ex illis percipiendo, donat dominus papa fructus minus juste perceptos, et indulget, ut ambas prædictas ecclesias insimul retinere possit.

Dat. Anagnie, V kal. octobris, anno septimo.

4323 (CCCLXXXII) Anagni, 18 août 1301.

Ut testamentum licite condere valeat. (fol. 106.)

Venerabili fratri Ranutio, archiepiscopo Calaritano, in spiritualibus vicario nostro in Urbe. Quia presentis vite —. Dat. Anagnie, XV kal. septembris, anno septimo.

Potthast, 25066.

1. In nigro scriptum legitur ad marginem : Merkenfeld.

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM CURIE

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

ANNO SEPTIMO

4324 (CUR. I) Latran, 26 janvier 1301.

De negotiis Ecclesiæ Romanæ et Caroli, regis Siciliæ, apud Januenses. (fol. 111.)

Dilecto filio fratri Porchetto de domo Spinule Januensi, ordinis Fratrum Minorum, administratori ecclesie Januensis. Vidimus que misse —.

Suprascriptum laudat dominus papa propter studium adhibitum super illis, quæ ei pridem scripserat. Gaudet de providentia Januensium, qui de non præstando deinceps auxilium et favorem Frederico et Siculis rebellibus contra Ecclesiam et Carolum, Siciliæ regem, juxta rescriptum Apostolicum præstiterunt corporaliter juramenta etc. Mandat ei, ut ad executionem omnium, quæ ei injungat, diligentia exacta procedat.

Dat. Laterani, VII kal. februarii, anno septimo.

POTTHAST, 25007.

4325 (II) Même date.

Eadem de re. (fol. 111.)

Dilectis filiis fratri Parchetto de domo Spinule, ordinis Fratrum Minorum, administratori ecclesie Januensis ac .. inquisitori heretice pravitatis in provincia Januensi. Per tuas fili —.

Suprascriptis mandatur, procurent, ut potestas, abbas, antiani, consilium et commune Januenses, qui illos ex eis, qui præstiterunt juramenta de non favendo ulterius Friderico et Siculis rebellibus, perpetuo privaverunt et reddiderunt inhabiles ad communis officia et beneficia, hanc privationem et inhabilitationem penitus revocent.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25008.

4326 (III) Latran, 4 mars 1301.

De auxilio adversus Margaretam, natam quondam Ildebrandini comitis Rubei palatini, et Guidonem comitem de Sancta Flora mittendo. (fol. 111 v°.)

Dilectis filiis .. potestati .. capitaneo .. vexillifero justitie, prioribus, consilio et comuni Florentinis. Inter cetera Ecclesie —. Sane, sicut vestram credimus non latere notitiam, contra nobilem mulierem Margaretam, natam quondam Ildebrandini, comitis Rubei palatini, et etiam contra nobilem virum Guidonem, de Sancta Flora comitem, nostros et Ecclesie prefate rebelles, quos demerita propria Deo et hominibus representant obnoxios, ad eorum nequitiam edomandam, quam timor Dei nondum retraxit ab invio, procedendum decrevimus ipsosque hostiliter mandavimus impugnari dilectis filiis nobilibus viris Urso et Gentili, de filiis Ursi de Urbe, ad id guerre capitaneis deputatis, qui fideliter et ferventer hujusmodi negotium prosecuntur. Verum quia, prout indicia innuunt et veritas attestatur, considerationibus nostris occurrit, quod, si predicti comes et comitissa de hujusmodi eorum demeritis ferventi flagello et pena debita castigentur, per hoc status pacificus Tuscie prosperabitur et felicitatis suscipiet incrementa, quodque, si adversus eos manum suam non aggravaret Ecclesia memorata, eorum impunitas scelerum aliis ad delinquendam potius laxaret habenas, ipsiusque fideles Tuscie qui ejusdem Ecclesie nomen invocant debilitatis exinde paterentur incomoda, vestrum ad id invocare providimus auxilium et juvamen. Quare universitatem vestram cum fiducia magna requirimus et attente rogamus, quatinus, ad promotionem honoris predicte matris Ecclesie ac ad vestrum et aliorum fidelium Tuscie statum prosperum ampliandum, vota vestra nostris in hac parte effectibus conformantes ac exurgentes viriliter in hujusmodi auxilium et juvamen, velitis nobis et

eidem Ecclesie de ducentis vel saltem centun militibus vestre tallie, quos ad id putaveritis probiores, liberaliter providere, missuri eos bene munitos in equis et armis confestim, absque dilationis obstaculo, cum uno bono capitaneo devoto ipsius Ecclesie, de quo possit bene confidi, ad predictos Ursum et Gentilem capitaneos, ad minus per duos menses non computato adventu et reditu moraturos et sub eorumdem Ursi et Gentilis ducatu prosecuturos ferventes, fideliter et constanter, divina eis assistente potentia, negotium memoratum, unacum aliis fidelibus bellatoribus, qui contra dictos comitem et comitissam eorumque sequaces hujusmodi negotiam prosecuntur vel in antea prosequentur; sic itaque, filii, considerate negotium, sic hujusmodi petitionem nostram attendite sicque prompte, celeriter et liberaliter quod querimus adimplete, quod de bono in melius erga prelibatam Ecclesiam clara opera vestra reluceant, et nos ac ipsa Ecclesia vestram constantiam commandemus et reddamur in ampliandis vestris profectibus promptiores. Et, ut sciamus qualem apud vos effectum hujusmodi nostra petitio consequatur, rescribatis nobis per latorem presentium quam efficaciter exaudiveritis hujusmodi preces nostras. Dat. Laterani, IIII non. martii, anno septimo.

4327 (IIII) Latran, jeudi saint, 30 mars 1301

Renovantur processus contra res prohibitas deferentes Sarracenis, contra Fredericum et Siculos rebelles, contra Columpnenses ac contra commune Januæ. (fol. 111 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Contra falsos et impios —. Actum Laterani, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno septimo.

4328 (V) Latran, 13 avril 1301.

De negotiis Imperii. (fol. 112.)

Venerabilibus fratribus . . Maguntino, . . Coloniensi ac . . Treverensi archiepiscopis. Romano pontifici successori —.

Suprascriptis mandat dominus papa, ut denuntiare curent in civitatibus et terris, de quibus sit verisimile denuntiationem hujusmodi ad Alberti, nati claræ memoriæ Rudolphi Romanorum regis, notitiam perventuram, « quod, nisi præfatus Albertus, qui pro Romanorum rege se gerit, per suos solemnes nuntios et procuratores idoneos sufficienter instructos — infra sex mensium spatium — compareat coram nobis, ostensurus — suam innocentiam —, nos principibus electoribus ecclesiasticis et sæcularibus — injungemus, quod nullus sibi ut Romanorum regi obediat vel intendat, quin potius omnes recedant ab eo, et omnes et singulos ab homagiis factis ipsi Alberto — absolvemus » etc.

Dat. Laterani, id. aprilis, anno septimo.

Potthast, 25036.

4329 (VI) Latran, 16 mars 1301.

Confirmantur statuta a capitulo basilicæ Principis Apostolorum de Urbe condita (fol. 112 v°)

Dilectis filiis Matheo, Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, archipresbytero, ac . . priori, capitulo et canonicis basilice Principis Apostolorum de Urbe. Resultat in nobis —.

Statuta et ordinationes ab eis condita et facta confirmat dominus papa, decreti capitularis tenore inserto.

Dat. Laterani, XVII kal. aprilis, anno septimo.

Potthast, 25028.

4330 (VII) Latran, 7 mars 1301.

De quibusdam bonis ecclesiæ Sanctæ Praxedis in castro Castellionis tuendis. (fol. 114.)

Dilectis filiis . . archipresbytero Basilice Principis Apostolorum de Urbe et . . camerario nostro ac . . abbati monasterii Sancte Anastasie de Urbe predicta. Etsi ex injuncto nobis pastoralis offitii debito teneamur universis orbis ecclesiis efficacis defensionis adesse presidio et in earum servandis et recuperandis juribus nos propitios exhibere, eo magis astringimus invasores propellere et turbatores arcere bonorum ecclesiasticorum, que sub venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium gubernatione consistunt, quo ipsi plus ceteris, tanquam sublimes Ecclesie Romane columpne, pro negotiis universalis Ecclesie salubriter dirigendis dies laboriosos agentes et noctes perducentes insompnes, incumbentia onera nobiscum cura vigili et indefessis sollicitudinibus partiuntur. Sane, licet castrum Castellionis, quod dicitur castrum Sancte Prasedis, cum toto lacu qui dicitur de Burrano in ipsius castri territorio constituto, Tusculane diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ad ecclesiam Sancte Praxedis de Urbe pleno jure pertineat et

pertinuerit hactenus ab eo tempore cujus memoria non existit, prout nobis de hoc evidenter constat et ab olim constitit, dum essemus in minori offitio constituti, nonnulli tamen, ceca cupiditate seducti, sicut insinuatione dilecti filii notri Roberti, Sancte Pudentiane presbyteri cardinalis, cui ejusdem ecclesie cura et administratio per nos in spiritualibus et temporalibus est commissa, necnon dilectorum filiorum . . abbatis et conventus ejusdem ecclesie, ordinis Vallisumbrose, nuper accepimus, nonnullas ex terris in dicto territorio consistentibus et certam partem lacus ejusdem, que sunt de pertinentiis supradictis, invadere, occupare ac detinere propria temeritate presumunt, percipiendo fructus ex eis in animarum suarum periculum et predictorum cardinalis, abbatis et conventus et ecclesie non modicum detrimentum. Cum autem super hiis ad nos per cardinalem, abbatem et conventum predictos habitus sit recursus, nos, volentes super premissis de illo remedio providere, per quod hujusmodi invasorum, occupatorum, detentorum et turbatorum compescatur audatia, dictisque cardinali, abbati, conventui et ecclesie jura serventur illesa, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eisdem cardinali, abbati, conventui et ecclesie efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eos super dictis castro, lacu et pertinentiis ab aliquibus quomodolibet molestari : invasores, occupatores et detentores predictos, quotiens et quando vobis expedire videbitur, ad nostram personaliter evocando presentiam, et quod ea, que taliter invaserint, occupaverint et detinuerint prefatis cardinali, abbati, conventui et ecclesie, cum fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt a tempore invasionis, occupationis et detentionis hujusmodi, omnino in pace dimittant, et de illatis eis super hoc dampnis et injuriis satisfatiant competenter, et tam ipsos quam quoslibet alios, quod a similibus de cetero conquiescant, necnon molestatores hujusmodi et contradictores quoslibet et rebelles, quicunque aut cujuscunque condictionis fuerint aut status, quod a molestatione, contradictione ac rebellione hujusmodi resipiscant, auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendo : invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus constitutionibus tam nostra, qua cavetur ne quis, certis exceptis casibus, extra suam civitatem, et in illis, ne ultra unam dietam a finibus ejusdem diocesis ad juditium evocetur, quam de duabus dietis edita in concilio generali, seu si aliquibus, cujuscunque sint preeminentie, dignitatis, ordinis aut status a Sede Apostolica sit indultum vel contingat in posterum indulgeri, quod excommunicari sive interdici, vel ultra seu citra certa loca citari vel ad juditium evocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuscunque litteris, indulgentiis et privilegiis Apostolicis, generalibus aut specialibus, quibuscunque personis, ecclesiis sive locis et in quacunque forma verborum concessis, per que vestre jurisdictionis explicatio in hac parte impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis. Volumus autem quod a data presentium jurisdictio vobis et vestrum cuilibet super premissis omnibus et singulis perpetuationem accipiat, ac si per citationem vel alium perpetuata modum legittimum extitisset. Dat. Laterani, non martii. anno septimo.

4331 (VIII) Latran, 18 mars 1301

De solutione annui census regni Angliæ, per undecim annos non soluti. (fol. 114 v°.)

Carissimo in Christo filio nostro . . regi Anglie illustri. Quanto erga Romanam —.

Suprascriptum requirit et rogat dominus papa, ut censum annuum mille marcharum sterlingorum pro undecim annis proxime præteritis et etiam pro anno præsenti magistro Bartholomæo de Ferentino, canonico Londoniarum, assignet.

Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno septimo.

POTTHAST, 25030.

4332 (VIIII) Même date.

Ut regi Angliæ de solutione census regni Angliæ pro undecim præteritis et præsnti annis quitationem facere possit. (fol. 114 v°.)

Dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniarum. Cum super solutione —. Dat. ut supra.

4333 (X) Latran, 19 mars 1301.

De eodem censu assignando. (fol. 114 v°.)

Eidem. Cum carissimum —.

Eidem mandatur, ut litteras requisitionis census Angliæ regi præsentet, ipsum censum sociis de Spinorum et de Mozorum

de Florentia ac de Clarentum de Pistorio societatum, mercatoribus cameræ Apostolicæ in Anglia morantibus, assignaturus.

Dat. Laterani, xiiii kal. aprilis, anno septimo.

4334 (xi) Anagni, 19 mai 1302.

Mittitur Angelus, Nepesinus episcopus, ad partes Germaniæ. (fol. 114 v°.)

Venerabili fratri Angelo, episcopo Nepesino. Experta tue circumspectionis —.

Suprascriptum, ad partes Germaniæ destinat dominus papa eique mandat, ut illa, quæ ipsius circumspectioni committat, diligenter et fideliter exequatur et quæ super his fecerit referat.

Dat. Anagnie, xiiii kal. junii, anno septimo.

Potthast, 25048.

4335 (xii) Même date.

Ut magister Johannes de Turego, protonotarius Alberti ducis Austriæ, « qui pro Romanorum rege se gerit », gratiis Apostolicis privatus nuntietur. (fol. 114 v°.)

Venerabilibus fratribus H[enrico], Constantiensi, et P[etro], Basiliensi episcopis. Magistrum Johannem —.

Suprascriptis mandatur, ut magistrum Johannem de Turego, protonotarium Alberti ducis Austriæ, « qui pro Romanorum rege se gerit », cum per ingratitudinem se exhibeat Sedi Apostolicæ indevotum, omnibus dispensationibus et gratiis ab eadem Sede obtentis nuncient publice privatum.

Dat. ut supra.

Potthast, 25049.

4336 (xiii) Anagni, 17 mai 1301.

Committitur potestaria castri Aquæpendentis. (fol. 115.)

Dilecto filio Henrico Thome de Spoleto, potestati castri Aquependentis, Urbevetane diocesis. Devotionis et fidei —.

Suprascripto potestaria dicti castri pro uno anno incipiendo in kalendis mensis junii proximo futuris committitur.

Dat. Anagnie, xv kal. junii, anno septimo.

Dilectis filiis consilio et comuni castri Aquependentis, Urbevetane diocesis.

4337 (xiiii) Anagni 1er juin 1301.

Pacis fœdera inter Carolum, Siciliæ regem, et consilium ac comune Januenses confirmantur. (fol. 115.)

Ad perpetuam rei memoriam. Nuper ad andientiam —. Dat. Anagnie, kal. junii. anno septimo

Potthast, 25051.

4338 (xv) Anagni, 13 mai 1301.

Instituitur Nicolaus, Ostiensis episcopus cardinalis, legatus in Hungaria (fol. 115 v°.)

Venerabili fratri, Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, Apostolice Sedis legato. Rex excelsus filius —.

Committitur suprascripto plenæ legationis officium in regno Hungariæ et in Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Lodomeriæ, Galatiæ et Comaniæ partibus illi conterminis, ut regno Hungariæ in necessitatum ejus articulis opportunum adhibeat consilium.

Dat. Anagnie, iii id. maii, anno septimo.

In e. m. *venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis etc... per regnum Ungarie ac partes Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie Lodomerie et Galatie et Comanie onstitutis.*

In e. m. *dilectis filiis nobilibus viris universis comitibus,* etc...

In e. m. *dilectis filiis nobilibus viris ducibus Polonie,* etc.

Potthast, 25045.

4339 (xvi) Même date.

Ut clerici qui cum legato moram traxerunt durante ejus legatione proventus beneficiorum suorum in absentia percipere possint. (fol. 116.)

Venerabili fratri N[icolao], Ostiensi et Velletrensi episcopo, Apostolice Sedis legato. Cum te ad —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Paduano, et dilectis filiis magistris Jacobo de Normannis, preposito Maguntino, notario, et Altegrado de Landinario, canonico Ravennatensi, capellano nostris.*

4340 (XVII) Même date.

Ut per ea quæ specialiter ei commissa sunt his quæ ratione legationis ei competunt in nullo derogetur (fol. 116 v°.)

Eidem legato. Prosperum statum —. Dat. ut supra.

4341 (XVIII) Même date.

Ut in omnes personas ecclesiasticas vel laïcas suæ legationis, de quibus viderit expedire, censuram ecclesiasticam exercere possit. (fol. 116 v°.)

Eidem. Prosperum statum —. Dat. ut supra.

4342 (XVIIII) Même date.

Ut confessorem eligere possit (fol. 116 v°.)

Eidem. Ut favorem quo —. Dat. ut supra.

4343 (XX) Même date.

Ut nobilibus mulieribus semel in anno, durante legatione sua, monasteria quorumcumque ordinum intrandi licentiam concedere possit. (fol. 116 v°.)

Eidem. Consuevit interdum —. Dat. ut supra.

4344 (XXI) Même date.

Ut in terris legationis suæ personas per judices a Sede Apostolica delegatos et subdelegatos excommunicatos absolvere possit. (fol. 116 v°.)

Eidem. Ad audientiam nostram —. Dat. ut supra.

4345 (XXII) Même date.

Ut Fratres Prædicatores et Minores ac quoscumque alios religiosos ad suum assumere servitium et eisdem ingrediendi monasteria monialium, equitandi et vescendi carnibus licentiam dare possit. (fol. 116 v°)

Eidem. Ut in commissis —. Dat. ut supra.

4346 (XXIII) Même date.

Ut XV clericos suos in totidem ecclesiis suæ legationis, si ad id illorum ad quos collatio præbendarum in eisdem ecclesiis pertinet accedat assensus, recipi facere possit. (fol. 117)

Eidem. Tuam volentes honorare —. Dat ut. supra.

4347 (XXIIII) Même date.

Ut inobedientes clericos sæculares gratiis ab Apostolica Sede eis concessis privare possit. fol. 117)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4348 (XXV) Même date.

Ut vere pœnitentibus et confessis, qui ad fabricam ecclesiarum suæ legationis manum porrexerint adjutricem, indulgentiam X vel XX, XXX vel XL dierum, per triennium seu quadriennium impertiri valeat.

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4349 (XXVI) Même date.

Ut cum quibuscumque religiosis personis suæ legationis, cujuscumque sint ordinis, qui pro acquirendis vel exhibendis locis in monasteriis commiserunt vel commiserint legatione ipsa durante symoniacam pravitatem, possit dispensare. (fol. 117.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4350 (XXVII) Même date.

Ut, si fuerit partes suæ legationis ingressus et postmodum illas cum egredi forte contigerit, possit, quotiens opportunum fuerit, reingredi ad easdem. (fol. 117.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4351 (XXVIII) Même date.

Ut procurationes sibi debitas in absentia petere ac recipere libere valeat (fol. 117.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4352 (XXVIIII) Même date.

Ut omnes personas ecclesiasticas, religiosas et sæculares, ad contribuendum in procurationibus sibi debitis, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis, compellere possit. (fol. 117.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4353 (XXX) Même date.

Ut potestatem quoslibet religiosos, cujuscumque ordinis, qui super his quæ spectant ad suæ legationis officium et aliis sibi commissis, moniti mandatis suis plenarie parere contempserint, omnibus indulgentiis et privilegiis eis a Sede Apostolica concessis privare valeat. (fol. 117.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4354 (XXXI) Même date.

Ut evectiones quot commissis sibi negotiis viderit expedire ducere libere valeat. (fol. 117 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4355 (XXXII) Même date.

Alia gratia pro eodem. (fol. 117 v°.)

Eidem. Cum te —.

Ut quotiescumque eum proponere contigerit verbum Dei, consecrare altaria vel ecclesias aut moniales benedicere, in magnis quoque colloquiis et congregationibus, quæ occasione prædictorum negotiorum, tam infra fines suæ legationis quam extra, fecerit et in festivitatibus solemnitatibus, missarum solemniis et in translationibus sanctorum, centum dierum et, si quando in præmissis, raro tamen, magnus casus emerserit, unius anni et XL dierum indulgentias impertiri possit.

Dat. ut supra.

4356 (XXXIII) Même date.

Ut cum illis qui ex communicaverunt sine scriptis et postmodum se ingesserunt divinis super irregularitate dispensare valeat. (fol. 117 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4357 (XXXIIII) Même date.

Ut centum personis auctoritate Apostolica de beneficiis ecclesiasticis providere possit. (fol. 117 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4358 (XXXV) Même date.

Ut cum personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate, quam contraxerunt vel durante legatione contraxerint, ex eo quod excommunicatæ receperint ordines vel se divinis immiscuerint, dispensare possit. (fol. 117 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4359 (XXXVI) Même date.

Ut possit amovere a dignitatibus et beneficiis illos qui minus canonice ea tenent et aliis conferre infra numerum per alias litteras concessum. (fol. 117 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4360 (XXXVII) Même date.

Ut cum illegitime genitis dispensare possit. (fol. 117 v°.)

Eidem. Cum te —.

Ut cum clericis, de soluto genitis et soluta, defectum natalium patientibus in terris suæ legationis dispensare possit, ut illo defectu non obstante promoveri ad ordines et simplex benificium, ducenti vero clericorum eorumdem cum cura, centum vero dignitates citra episcopalem, viginti vero de presbyteris et constitutis in sacris ordinibus, decem de adulterio, decem de regularibus et septem de incestuosis geniti sine cura obtinere valeant.

Dat. ut supra.

4361 (XXXVIII) Même date.

Ut religiosis quibuscumque quæcumque utilitati suæ legationis viderit expedire injungere possit. (fol. 117 v°.)

Eidem Cum te —. Dat. ut supra.

4362 (XXXVIIII) Même date.

Ut prelatos et personas cujuscumque ordinis per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nuntiis, quos pro commissis sibi negotiis destinabit, compellere possit. (fol. 118.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4363 (XL) Même date.

Ut prædicare possit, per se et alium, contra hæreticam pravitatem et inquirere ac invocare auxilium brachii sæcularis. (fol. 118.)

Eidem. Cum te —, nos, cupientes ut fides catholica incrementum ex tuis studiis in illis partibus, actore Domino, consequatur, extirpato inibi vitio heretice pravitatis, fraternitali tue predicandi, per te ac alios, in terris et locis predicte legationis, de quibus videris expedire, contra pravitatem eandem et inquirendi etiam super ea ac providendi contra illos, qui fuerint in hujusmodi pravitate culpabiles, ac contra adjutores, fautores et receptatores eorum, ipsosque puniendi secundum constitutiones canonicas et civiles et specialiter secundum constitutiones a quondam Frederico, olim Romanorum imperatore, editas contra hereticos ac eorum fautores et receptatores, dum adhuc Fredericus ipse in Apostolice Sedis gratia persistebat, et invocandi ad hoc, cum opus fuerit, auxilium brachii secularis, contradictores insuper, cujuscumque status preeminentie, dignitatis, ordinis et conditionis extiterint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi, non obstante — concedimus plenam et liberam, auctoritate presentium, facultatem. Dat. ut supra.

4364 (XLI) Même date.

Ut tabellionatus officium tribus personis idoneis concedere possit. (fol. 118.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4365 (XLII) Même date.

Ut beneficia infra suæ legationis fines, quæ tanto tempore vacarunt, quod juxta concilium Lateranense eorum collatio ad papam devoluta est, conferre possit. (fol. 118.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4366 (XLIII) Même date.

Ut cum quatuor personis nobilibus suæ legationis quarto consanguinitatis gradu conjunctis super matrimoniis contractis vel contrahendis dispensare possit. (fol. 118.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4367 (XLIIII) Même date.

Ut alta voce, cum expedire viderit, in locis interdictis suæ legationis celebrare possit. (fol. 118.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4368 (XLV) Même date.

Ut in primo suo adventu alta voce in locis interdictis, tam infra quam extra suæ legationis terminos, celebrare possit. (fol. 118 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4369 (XLVI) Même date.

Ut beneficia decedentium vel cedentium clericorum suorum conferre possit. (fol. 118 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

4370 (XLVII) Même date.

Ut possit condere testamentum. (fol. 118 v°)

Eidem. Quia presentis vite —. Dat. ut supra.

4371 (XLVIII) Même date.

Ne de causis appellationum super electionibus Gregorii ad Strigoniensem ecclesiam et præposituram ecclesiæ Albensis se intromittat. (fol. 118 v°.)

Eidem. Cum cause appellationum, que vertuntur inter dilectum filium Gregorium, electum Strigoniensem, administratorem Strigoniensis ecclesie, ex parte una, et adversarios suos, ex altera, super electionibus de ipso Gregorio factis tam ad Strigoniensem ecclesiam quam ad prepositurам ecclesie Albensis, Strigoniensis vel Jaurien-

sis diocesis, ad examen Sedis Apostolice sint deducte ac ex commissione nostra pendeant [1] apud eam.

Mandatur ut prætextu legationis suæ de ipsis causis se nullatenus intromittat.

Dat. ut supra.

4372 (XLVIIII) Même date.

Littera de securo conductu. (fol. 118 v°.)

Bonifatius etc . . *venerabilibus fratribus . . patriarchis . . archiepiscopis* etc... Cum te —. Dat. ut supra.

4373 (L) Même date.

Ut benigne assistat Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato. (fol. 116.)

Carissimo in Christo filio . . regi Boemie illustri. Habet fili carissime —. Dat. ut supra.

4374 (LI) Même date.

Ut Nicolao, Ostiensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, super his quæ contingunt suæ legationis officium se promptum et favorabilem exhibere procuret. (fol. 116.)

Dilecto filio . . electo et administratori ecclesie Strigoniensis. Requirit conditio tui —. Dat. ut supra.

4375 (LII) Anagni, 18 juin 1301.

Petro et Benedicto Gaitani committuntur rectoriæ in temporalibus Marchiæ Anconitanæ et ducatus Spoletani. (fol. 119.)

Dilecto filio nobili viro Petro Gaitani, nepoti nostro, comiti Casertano, Militiarum domino, Marchie Anconitane rectori. Supra gregem dominicum —. Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum per Anconitam Marchiam constitutis.*

In e. m. *dilecto filio nobili viro Benedicto Gaitani, nato dilecti filii nobilis viri Petri Gaytani nepotis nostri, comitis Casertani, Militiarum domini, ducastus Spoletani rectori.* Supra gregem dominicum, et cetera ut supra mutato ubi dicitur Marchia ponatur ducatus.

In. e. m. *dilectis filiis universis nobilibus et potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum per ducatum Spoletanum constitutis*

4376 (LIII) Même date.

Andreæ de Eugubio et Johanni de Guercino committuntur rectoriæ earumdem provinciarum in spiritualibus. (fol. 119 v°.)

Magisto Andree de Eugubio, canonico Cathalaunensi, in spiritualibus Marchie Anconitane rectori. Cum in Anconitana —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque nobilibus, potestatibus, rectoribus, comunitatibus, universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per Anconitanam Marchiam constitutis.*

In e. m. *dilecto filio magistro Johanni de Guarcino, canonico Albanensi, in spiritualibus ducatus Spoletani rectori.* Cum in ducatu Spoletano, et cetera mutato ubi dicitur Marchia quod ponatur ducatus.

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis* et cetera mutatis mutandis.

4377 (LIIII) Anagni, 6 juillet 1301.

Napoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, committitur rectoria comitatus Sabinæ. (fol. 119 v°.)

Dilecte filio Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, comitatus Sabine rectori. Licet de singulis —.

Committitur suprascripto rectoria comitatus Sabinæ, qui potius propter iniquorum astutiam, qui comitatum eumdem affligunt persecutionibus et jacturis, defensionis auxilio noscitur indigere.

Dat. Anagnie, II non. julii, anno septimo.

1. *Ms* : pendeat.

In e. m. *dilectis filiis abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis, archidiaconis, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus et eorum capitulis ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Domus Militie Templi et Hospitalis Sancti Joannis Jerosolimitani magistris et preceptoribus, universis quoque baronibus, nobilibūs et potestatibus, capitaneis aliisque rectoribus, comunitatibus et universitatibus et personis secularibus castrorum et aliorum locorum per comitatum Sabinie constitutis.*

4378 (LV) Même date.

Eidem committitur ob easdem causas rectoria civitatis Interamnensis castrorumque Utriculi et Strunconis, et roccæ castrique Mirandæ. (fol. 120.)

Dilecto filio Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, civitatis Interamnensis, castrorum Utriculi et Strunconis ac districtuum et pertinentiarum eorumdem rectori. Grandia tue merita —. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis abbatibus, prioribus*, et cetera, ut in proxima de comitatu Sabinie usque : *et personis secularibus, per civitatem Interamnensem, castra Utriculi et Strunconis et eorum districtus et pertinentias constitutis.*

In e. m. eidem cardinali pro rocca et castro Mirande.

In e. m. *universo clero et secularibus hominibus per roccam et castrum Mirande ac ejus districtum et pertinentias constitutis.*

4379 (LVI) Anagni, 21 juin 1301.

De bonis Philippi Bernizonis, olim rectoris comitatus Venaysini, arrestandis. (fol. 120.)

Dilecto filio nobili viro H. dalfino Viennensi. Habet de te, fili carissime, concepta fiducia, ut que tibi scribimus devotis studiis exequaris. Dudum contra Philippum Bernizonis, civem Januensem, olim comitatus Venesini rectorem, ex eo quod de administratione, quam in comitatu eodem exercuit, compertus est in magna pecunie summa Romane Ecclesia obligatus, quia illam pluries monitus non curavit restituere neque curat, certos habuimus, justitia exigente, processus : quos ipse pertinaciter vilipendens, et, ad diffugiendum restitutionem hujusmodi, de Januensibus partibus se absentans, ad terram tuam dicitur confugisse, ubi de bonis immobilibus ad valorem quadringentarum librarum Viennensium annui redditus, ad vitam suam dumtaxat, sicut nobis pro certo a fidedignis asseritur, acquisivit. Volentes igitur indempnitatibus predicte Ecclesie precavere, nobilitatem tuam affectuose requirimus et rogamus, tibi nichilominus sub excomunicationis pena mandantes, quatinus, pro nostra et quam ad Romanam Ecclesiam habere diceris reverentia filiali, receptis presentibus, dictos redditus et alia quecumque bona dicti Philippi in terris tuis existentia, nostro et Romane Ecclesie nomine, facias arrestari, redditus ipsos, tam in presenti quam successivis temporibus, et alia bona predicta dilecto filio . . rectori comitatus predicti, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, assignando, percipiendos ab ipso donec de hujusmodi debito fuerit eidem Ecclesie integre satisfactum, quid et quantum assignari facies et quicquid de hiis etiam tua nobilitas egerit nobis tuis litteris rescripturus. Sic itaque in hiis, quesumus, te sollicite habeas, quod devotionem tuam, quam ad nos et eandem Ecclesiam habere te credimus, opere sentiamus. Dat. Anagnie, XI kal. julii, anno septimo.

4380 (LVII) Anagni, 9 août 1301.

De nonnullis Januensibus nobilibus mulieribus ad Terram Sanctam stolium mittere ac etiam personaliter se transferre proponentibus. (fol. 120 v°.)

Dilecto filio fratri Porchetto Spinule, administratori ecclesie Januensis. En quod expectabamus —. O miracula, o prodigia ! Femine preveniunt viros in sepedicte Terre succursum. He, amicte sole, temporalia sub pedibus suis sternunt significata per lunam. Reges et principes mundi succurrere, etiam invitati, effugiunt, femine imbecilles, ultra, se offerunt. Unde hoc? Desursum utique, a Patre hominum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit. An nōn in mulieribus istis innovata sunt signa et mirabilia immutata ? Accepimus namque quod predicte mulieres et ipsorum socie et sequaces decreverunt, suorum largitione bonorum, per viam marini stolii prefate Terre statui flebili subvenire, sub ductu dilectorum virorum Benedicti Zacharie, Jacobi Lomellini, Lanfranei Tartari, et Joannis Blanci, civium Januensium, et nonnulle ipsarum, femineos animos supergresse, ad perfectiora feruntur, disponentes personaliter, in particulari quasi passagio, transfretare ad exhibendum obsequia bellatoribus Crucifixi, per quos Christianitatis hostes, auxiliante Deo, poterunt impugnari, et in ipsa Terra morari ad calcandas hujus mundi

passiones, potius eligentes affligi cum populo Dei quam temporalis vite jucunditatem habere, aspicientes in remunerationem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, et [que] in cor hominis non ascendit. Cum igitur tam luminosa opera non sint ponenda sub modio, sed super candelabrum, ut ea, qui sunt in domo Dei, videant et provocentur ad imitationem ipsorum, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, congregatis clero et populo Januensi, ad eorum deducas notitiam supradicta, et ad imitandum tam salubria opera, secundum a Deo tibi concessam prudentiam, inducas eosdem et tam in civitate Januensi quam in ejus provincia, riparia et districtu, per te vel alium seu alios, ea denunties et denuntiari facias, prout videris expedire. Ceterum nolumus te latere, quod in adjutorium tam fructuosi negotii porrecte sunt nobis nonnulle petitiones pro parte virorum et nobilium mulierum predictorum, quas, prout expedire ipsi negotio vidimus, duximus liberaliter admittendas, prout in nostris aliis litteris continetur, et volumus, quod hoc etiam, per te vel alium seu alios, deducas in publicam notitiam, diligenter in premissis te taliter habiturus, quod exinde retributionis eterne premium consequaris a Deo, et nos tuam prudentiam merito commendare possimus. Qualiter autem processeris in premissis, et utilitatem, et fructus, quos proventuros ex his Deo auctore confides, nobis seriosius rescribas. Dat. Anagnie, v id. augusti, anno septimo.

Potthast, 25047.

4381 (LVIII) Même date.

Eadem de re. (fol. 120 v°.)

Eidem. In concilio generali —.

Ut omnibus vere pœnitentibus et confessis de civitate, diocesi, provincia, riparia et districtu Januensi, qui, signo Crucis assumpto, in predicto stolio ad expugnationem Sarracenorum processerint, illam remissionem peccatorum, quæ dudum in generali concilio transfretantibus in Terræ Sanctæ. subsidium est concessa, per se vel alios, concedere possit etc..

Dat. ut supra.

Potthast, 25048.

4382 (LVIIII) Même date.

Eadem de re. (fol. 120 v°.)

Dilectis filiis nobilibus viris Benedicto Zacharie, Lanfranco Tartari, Jacobo Lomellino et Joanni Blanco, civibus Januensibus. Receptis litteris vestris per dilectum filium fratrem Philippum, Saonensem lectorem ordinis Fratrum Minorum, ipsarumque considerato tenore, ac diligenter auditis, que dictus frater nobis exposuit oraculo vive vocis, exultavit cor nostrum in Domino, magna nobis ex iis letitie materia prebita, admirationis et laudis. Sane attendentes devotionis fervorem, caritatis incendium sanctumque propositum nobilium mulierum A. de Carmendino, J. de Ghisulphis, M. de Grimaldis, C. Francte, A. de Auria, S. Spinule, S. et P. de Cibo, P. de Caris et multarum aliarum mulierum, sociarum et sequacium, Januensium, que divinitus inspirate ordinaverunt per succursum marini stolii sub vestro ducatu Terre Sancte statui miserabili subvenire per particulare passagium, celeriter, auctore Domino, faciendum, petitionibus quibusdam, per eundem fratrem pro vestra et ipsarum nobilium mulierum parte porrectis, sicut decuit et expedire vidimus tanto negotio, duximus annuendum, prout hoc expressius in aliis nostris litteris continetur. Nobilitatem itaque vestram monemus, rogamus et hortamur attente, obsecrantes in filio Dei Patris, quatinus, cum dictarum mulierum subsidio, aperiatis viscera pietatis ad dicte Terre succursum, sicut athlete strenui Crucifixi, ut in presenti divinam consequamini gratiam et in futuro gloriam sempiternam, et sic, divina vobis et mulieribus ipsis assistente virtute, in instanti autumno possit hujusmodi particulare passagium fieri, quod multum nobis esset acceptum, tu, Benedicte Zacharie, qui fuisti nobis familiarior ab antiquo, cum uno ex predictis nobilibus, tuis consociis in hoc facto, ad presentiam nostram accedas, precedens dictum stolium aliquibus diebus, ut tu et socius per nos possitis super agendis plenius informari et circa Romanam vel Terre Laboris plagiam jungi stolio memorato. Dat. ut supra.

Potthast, 25060.

4383 (LX) Même date.

Eadem de re. (fol. 121.)

Eisdem. Marino stolio quasi —.

Ut ad reædificationem et reparationem alicujus castri, civitatis vel loci muniti, sitorum in Terra Sancta vel quavis parte

Syriæ, præsertim maritimorum, occupatorum per hostes fidei a tempore ultimi concilii Lugdunensis, ad utilitatem suam vel quarumcumque singularium sæcularium personarum aut cujusvis universitatis vel comunis, maxime Tripolitanæ civitatis, nullatenus procedant, absque Apostolicæ Sedis licentia speciali, per ejus patentes litteras apparente. « Nos enim de talibus, auxiliante nobis divina potentia, opportuno tempore disponemus ac etiam cathedralibus ecclesiis dictarum Terre Sancte et Syrie de pastoribus ydoneis providere curabimus, prout videbimus expedire. »

Dat. ut supra.

Potthast, 25061.

4384 (LXI) Même date.

Eadem de re. (fol. 121.)

Dilectis in Christo filiabus nobilibus mulieribus A. de Carmendino, J. de Ghisulphis, M. de Grimaldis, C. Francte, A. de Auria, S. Spinule, S. et *P. de Cibo et P. de Caris et aliis earum sociabus et sequacibus Januensibus.* Ex vestrarum et dilectorum filiorum nobilium virorum Benedicti Zacharie, Jacobi Lomellini, Lanfranci Tartari et Johannis Blanci, civium Januensium, litterarum tenoribus et relatione dilecti filii fratris Philippi, Saonensis lectoris ordinis Minorum, percepimus, quod vos et alie quamplurime mulieres civitatis Januensis — attendentes quod Casanus Magnus, Tartarorum imperator, cum multitudine sui exercitus, licet paganus, regnum Hierosolymitanum intraverat ad expellendos de Terra Sancta soldanum Babylonicum ejusque sequaces — induitis mente viros in carpore fragili, decernentes sibi vestrorum largitione bonorum per viam marini stolii subvenire.

Petitiones earum duxit liberaliter admittendas dominus papa.

Dat. ut supra.

Potthast, 25059.

4385 (LXII) Même date.

Eadem de re. (fol. 121 v°.)

Dilecto filio .. priori Fratrum ordinis Predicatorum Januensium. Qui fecit salutem —.

Ut transfretaturis in Terræ Sanctæ subsidium aliquos fratres sui ordinis, de consilio discretorum fratrum sui ordinis, adjungat.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilecto filio .. ministro provinciali Fratum ordinis Minorum provincie Januensis.*

Potthast, 25062.

4386 (LXIII) Même date.

Eadem de re. (fol. 121 v°.)

Dilecto filio fratri Porchetto Spinule, ordinis Minorum, administratori ecclesie Januensis. Sperantes in Domino —.

Ut verbum crucis prædicare faciat et transfretare volentibus in subsidium Turæ Sanctæ crucis signaculum imponat.

Dat. ut supra.

4387 (LXIIII Anagni, 16 août 1301.

De bello adversus Guidonem et Guillelmam, filios quondam Ildebrandini de Sancta Flora, comitis Palatini, gerendo. (fol. 122.)

Dilectis filiis .. potestati .. capitaneo .. priori, novem, consilio et comuni Senensibus. Nuper, de quo miramur, accepimus quod cum Guidone et Guillelmo, filiis quondam Ildebrandini de Sancta Flora, comitis Palatini, pacis federa iniistis, non attendentes quod ipsi sunt hostes Sancte Matris Ecclesie nosque bellum induximus contra eos. Cujus quidem belli dilectos filios nobiles viros Ursum et Gentilem, de filiis Ursi de Urbe, capitaneos duximus statuendos. Nos autem de hujusmodi pace, velut de re in ipsius Ecclesie dispendium attentata, grandem turbationem assumpsimus, ac miramur, et merito, quod, absque nostra conniventia et nobis irrequisitis, ad talia processistis, cum de vobis sicut de filiis predilectis et in hoc et in aliis pro ipsius Ecclesie honore ac statu prospero conservando habuerimus et geramus fiduciam specialem, et ejusdem hostes Ecclesie non sint a fidelibus relevandi. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatinus eisdem Guidoni et Guillelmo, dum in Ecclesie prefate rebellione permanserunt, nullum prestetis auxilium, consilium vel favorem, et significetis eisdem, quod, infra quindecim dierum spatium, ad nostra et Ecclesie prefate mandata omnino redire procurent. Quod si, infra hujusmodi tempus, redire ad mandata ipsa contempserint, vos extunc eos sicut manifestos hostes Ecclesie sepefate tractetis : non obstante concordia sive pace, que inter vos et ipsos Gui-

donem et Guillelmum, rebelles nostros, sub quavis forma, intervenisse dicitur, etiam si juramentorum vel penarum adjectione vel quacumque alia fuerit firmitate vallata. Ad hec credentes vos in beneplacitis Apostolice Sedis libenter servare constantiam, predictis preces adicimus, ut, nisi prefati nobiles ad mandata redierint, ut prefertur, vos extunc, absque tarditatis obstaculo, de centum bonis equitibus, bene munitis in armis et equis, cum predictis capitaneis adversus prelibatos Guidonem et Guillelmum per duorum mensium spatium moraturis, velitis liberaliter subvenire. Sic vos super hiis prompte ac provide habituri, quod fiducia, quam de vobis gerimus, non reperiatur inefficax, sed commendari merito valeatis ac nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius promereri. Dat. Anagnie, XVII kal. septembris, anno septimo.

4388 (LXV) Anagni, 29 juin 1301.

De solutione multorum præteritorum terminorum census regni Sicilie usque ad futurum festum Apostolorum Petri et Pauli dilata. (fol. 122.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, quod, cum pro censu octo milium unciarum auri ad generale pondus regni Sicilie, singulis annis per te Ecclesie Romane debito, secundum computationem dudum solenniter factam per ministros camere nostre cum officialibus tuis, ad hoc specialiter deputatis, tenereris ipsi Ecclesie, pro tempore preterito quo extitit in ipsius census solutione cessatum usque ad festum Apostolorum Petri et Pauli proximo transactum, quod fuit anno Domini M°.CCC°. in unciarum auri octuagintaquinque milibus et trecentis quadraginta ad generale memorati regni pondus, et hujusmodi octuagintaquinque milia, trecentas et quadraginta in ipso transacto festo comode nequiveris solvere, nec ea etiam in presenti festo ipsorum Apostolorum, quod est hodie, data presentium, in anno Domini M°.CCCI°. solvere valeas, nec solvere posse confidas, propter guerrarum strepitus et inimicorum insultus, quibus resistere, ipsosque repellere pro defensione ipsius regni necessario te oportet, ac propter varia diversaque incumbentia tibi negotia, necnon gravia onera expensarum, que urgente necessitate subiisti et subire compelleris, dilationem solutionum omnium predictarum octuagintaquinque milium et trecentarum quadraginta unciarum auri ad pondus predictum, usque ad festum predictorum Apostolorum exnunc primo venturum, quod erit anno Domini M°. trecentesimo secundo benigne concedere dignaremur. Nos itaque, hujusmodi tuorum impedimentorum conscii et onerum non ignari, super illis paterno tibi compatientes affectu, ac volentes te favore prosequi speciali, tuis supplicationibus inclinati, dilationem solutionis predictarum octuagintaquinque milium et trecentarum quadraginta unciarum auri census ejusdem usque ad prelibatum festum Apostolorum predictorum primo venturum, tibi gratiose concedimus, de fratrum nostrorum consilio et assensu. Adicimus autem, quod per petitionem et concessionem dilationis hujusmodi, conventiones et conditiones habite inter memoratam Ecclesiam et clare memorie Carolum, regem Sicilie, patrem tuum, ac te, nullam prorsus varietatem sentiant, nec immutationis dispendium patiantur, sed semper in sua permaneant firmitate. Volumus quoque, quod, si prefatam supplicationem tuam et dilationem nostram ratas habueris, super hoc patentes litteras tuas, harum seriem continentes, aurea bulla munitas, nobis ad ipsius Ecclesie Romane cautelam, infra kalendas mensis octobris proximo venturas, exhibere procures. Alioquin dicta dilatio nullius penitus sit roboris vel momenti. De censu vero octomilium unciarum auri, nobis et eidem Ecclesie debito, pro uno finito termino, qui est hoc die ipsius festi, data presentium, in ipso presenti anno domini M°.CCCI°. est nobis et eidem Ecclesie per te satisfactum realiter, sicut in aliis litteris nostris patentibus, ad cautelam tuam super hoc tibi concessis, clarius et distincius continetur. Dat. Anagnie, III kal. julii, anno septimo.

4389 (CXVI) Anagni, 30 juin 1301.

Quietatio census regni Siciliæ pro presenti anno soluti. (fol. 122 v°)

Eidem. Cum nuper nobis, nomine nostro et Ecclesie Romane, octomilia unciarum auri census, per te ipsi Ecclesie singulis annis debiti, ad que tenebaris nobis et Ecclesie supradicte, pro termino qui est hodie, data presentium, in festo Apostolorum Petri et Pauli in anno Domini M.°CCCI°. duxeris persolvenda et a te ipsa octo milia unciarum auri receperimus cum effectu, nos, volentes te super solutione ac receptione hujusmodi reddere cautiorem, fatemur, tenore presentium, per te fore nobis et Ecclesie memorate in predictis solutis nobis octomilibus unciarum, de predicto censu ejusdem termini integre satisfactum, de quibus, nomine nostro et ipsius Ecclesie, facimus tibi ac tuis in eodem regno successoribus, de fratrum nostrorum assensu, quietationem et re-

futationem ac promissionem de ulterius non petendo, dilationibus et prorogationibus dudum a nobis sub bulla nostra concessis pro multis preteritis terminis, in quibus est ab ipsius census solutione cessatum, et ratificationibus ac obligationibus regiis inde secutis in suo robore duraturis. Dat. Anagnie, II kal. julii, anno septimo.

4390 (LXVII) Anagni, 2 septembre 1301.

Confirmatur dispensatio matrimonii infrascriptis ab episcopo Ambianensi juxta tenorem litterarum Apostolicarum concessa. (fol. 122 v°.)

Dilecto filio nobili viro Carolo, comiti Andegavensi, fratri carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, et carissime in Christo filie Catherine, imperatrici Constantinopolitane illustri. Dudum exposita nobis tua, fili comes, petitio continebat, quod, cum conjugali existeres consortio destitutus, non obstante quod tu, comes, et tu, filia imperatrix, tertio consanguinitatis, et secundo affinitatis gradibus, vobis ad invicem attinetis, matrimonium libere contrahere et in contracto licite remanere valeritis, dispensare vobiscum de benignitate Sedis Apostolice dignaremur. Nos autem, quia ejusdem Sedis circumspecta providentia, nisi aliquo expresso colore congruo, in hujusmodi gradibus non dispensat, nequivimus, coloris hujusmodi expressione non habita, decenter procedere ad dispensationem hujusmodi faciendam, sicque venerabilibus fratribus nostri . . Vicentino, tunc Sedis predicte nuncio, et . . Ambianensi, ac . . Autisiodorensi episcopis, et eorum cuilibet, auctoritate litterarum nostrarum, commisimus, ut, si tu, comes, velles bona fide promittere, quod cum aliqua militum comitiva, de qua expedire videres, in tuis propriis sumptibus, absque more dispendio, in subsidium Romane Ecclesie et carissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris, contra Fredericum quondam Petri olim regis Aragonie filium, qui, paterne nequitie imitator, Sicilie insulam, terram utique peculiarem ipsius Ecclesie, detinebat et detinet nequiter occupatam, et complices ac fautores ipsius, ad partes regni Sicilie te conferres, predicti episcopi, vel duo aut unus eorum, vobiscum, postquam tu, comes, iter arriperes cum eisdem militibus in hujusmodi prefati regis Sicilie subsidium veniendi, prosecuturus sollicite dictum iter, ut matrimonium invicem libere contrahere valeretis et tandem in contracto licite remanere, impedimento non obstante predicto, auctoritate nostra dispensare curarent, prolem suscipiendam a vobis ex dicto matrimonio legitimam nuntiando ; postmodum autem conditionum ipsarum modum, quas per dictas litteras eisdem episcopis miseramus, moderari volentes, eis per alias nostras litteras mandavimus, ut, priorum litterarum in aliis forma servata, ad dispensationem procederent supradictam, dummodo tu, comes, infra quindenam festivitatis Omnium Sanctorum, tunc future, proxime, iter arriperes veniendi in subsidium ipsius Ecclesie ac regis Sicilie prelibati, prout dictarum priorum litterarum tenor habebat, prosecuturus iter hujusmodi cum effectu. Sed postea carissimi in Christo filii Phylippi, regis Francorum illustris, devicti instantia et supplicationibus excitati, hujusmodi terminum a predicta quindena ejusdem festivitatis Omnium Sanctorum usque ad festum Purificationis beate Virginis tum proxime secuturum prorogavimus de gratia speciali, mandantes per alias nostras litteras episcopis supradictis, ut, earumdem priorum litterarum formam in aliis observantes, si tu, comes, infra predictum festum Purificationis iter arriperes in subsidium Ecclesie memorate ac predicti regis Sicilie veniendi, prosecuturus iter hujusmodi cum effectu, sicut in eisdem prioribus litteris expressum extiterat ad dispensationem procederent prelibatam. Unde predictus episcopus Ambianensis, qui, ex forma mandati nostri predicti, solus procedere poterat in negotio dispensationis hujusmodi, te, comes, in ejus presentia constituto et promittente bona fide observaturum te quod per primas predictas nostras mandavimus litteras, qui jam iter arripueras cum dicta militum comitiva veniendi in subsidium prelibatum, quique promiseras sollicite ac efficaciter prosequi dictum iter, nec aliquam moram facere, quam non oporteret necessario fieri ac comodo, itineris supradicti, vobiscum, auctoritate nostra, super impedimento consanguinitatis et affinitatis hujusmodi dispensavit, juxta formam priorum nostrarum sibi et predictis episcopis super hoc directarum continentiam litterarum, prout in instrumento publico inde confecto, ipsius episcopi Ambianensis sigillo munito, plenius continetur, vosque, obtentu dispensationis ejusdem, matrimonium contraxistis et sic contractum invicem consumastis, tuque, imperatrix, ex hujusmodi matrimonio jam prolem etiam concepisti. Verum, ne contra dispensationem hujusmodi obici forte posset, si ab aliquibus diceretur quod tu, comes, juxta promissionem quam feceras coram Ambianensi episcopo supradicto, iter non continuaveras jam assumptum, tibi super hoc cupiens precavere, nobis humiliter supplicasti, ut, saltem ad cautelam, providere vobis de benignitate Apostolica curaremus. Nos itaque, attendentes eximie devotionis affectum, quem ad nos et prefatam Ecclesiam habere noscimini, quodque tu, comes, sicut benedictionis filius, ad beneplacitum nostrum et Ecclesie prelibate devote ac humiliter ad nostram

presentiam accessisti, tuis supplicationibus inclinati, predictam dispensationem inter vos, per dictum episcopum Ambianensem factam, ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate Apostolica confirmamus, ratificamus et approbamus ac habere decernimus pleni roboris firmitatem : supplentes omnem defectum, qui ex quibuscumque per nos adjectis conditionibus ac per te, comes, promissis, etiam si non explesti easdem, circa hujusmodi dispensationem inesset, de Apostolice plenitudine potestatis. Ceterum, ut super hujusmodi vestro matrimonio cujuslibet hesitationis scrupulus abscindatur, omnino denuo vobiscum, ad pleniorem cautelam, ut in ipso matrimonio remanere licite ac libere valeatis, impedimento hujusmodi tertii consanguinitatis et secundi affinitatis seu etiam remotiorum consanguinitatis vel affinitatis graduum et aliis quibuscunque predictis conditionibus non obstantibus, ex uberiori gratia dispensamus : prolem susceptam et suscipiendam a vobis ex eodem matrimonio ex nunc legitimam nuntiantes de ejusdem plenitudine potestatis. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, ratificationis, approbationis, constitutionis, suppletionis et dispensationis, et cetera. Dat. Anagnie, IIII non. septembris, anno septimo.

4391 (LXVIII) Latran, 1er mai 1301.

Declarat dominus papa roccam, montem et civitatem Penestre, a longis retro temporibus minus juste per Columpnenses occupatos et de mandato Apostolico dirutos, ad Ecclesiam Romanam rediisse. (fol. 123.)

Ad perpetuam rei memoriam. Post depositionem Jacobi —. Dat. Laterani, kal. maii [1], anno septimo.

Potthast, 25.040.

4392 (LXVIIII) Anagni, 3 septembre 1301.

Instituitur Carolus, comes Andegavensis, capitaneus generalis totius terræ Ecclesiæ Romanæ temporali jurisdictioni subjectæ. (fol. 123.)

Nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Audegavensi, totius terre Romane Matris Ecclesie temporaliter jurisdictioni subjecte capitaneo generali. Apostolice considerationis aciem —. Dat. Anagnie, III non septembris, anno septimo.

Potthast, 25.068.

1. Potthast male addidit, Theiner recte omisit « x » ante : kal. maii.

4393 (LXX) Même date.

Instituitur idem comes paciarius in terris Tusciæ Romano Imperio subjectis tempore vacationis ejusdem Imperii. (fol. 123 v°.)

Nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Andegavensi. Pater futuri seculi —. Dat. ut supra.

Potthast, 25 069.

4394 (LXXI) Latran, 22 avril 1301.

Instituitur Carolus, comes Andegavensis, rector in temporalibus Marchiæ Anconitanæ aliarumque provinciarum Ecclesiæ Romanæ subjectarum. (fol. 124 v°.)

Nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Andegavensi, in temporalibus Marchie Anconitane rectori. Supra gregem dominicum nostre vigilantie creditum, Eo disponente qui cunctis imperat, cui cuncta subserviunt, constituti, levamus vigilis more pastoris in circuitu oculos nostros, visuri quid ipsi gregi commisso nobis expediat et quid operis impendi debeat circa illum, ut Ejus fulcti presidio, cui cogitationes hominum preponuntur, quique laudabilia vota corroborat et potenter ex sua benignitate prosequitur, ad ea que fidelibus populis necessario expedire videmus et noscimus profutura, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus, et, cum nequeamus exolvere circa singula per nos ipsos debitum Apostolice servitutis, nonnunquam alios in partem nostre sollicitudinis advocamus, illis nostrorum partem onerum imponentes, de quorum fide fiduciam obtinemus, ut ea que ipsis committimus fideliter et laudabiliter exequantur. Sane licet de singulis provinciis specialiter nobis et Ecclesie Romane subjectis, quantum nobis ex alto permittitur, curam vigilem habeamus, circa statum tamen Anconitane Marchie reddimur eo majori attentione solliciti, quo ipsam potiori affectione prosequimur, velut infra nostra et Apostolice Sedis brachia constitutam. Et quia cordi gerimus, ut in eadem Marchia servetur cultus justitie, fidei puritas, devotionis integritas et opulentia pacis vigeant, personam, ad horum promotionem utilem, in illis partibus fore decrevimus deputandam, cujus industria sit salubris ad singula, virtutum plantatrix sedula, et expugnatrix avida vitiorum. Cum autem circa hec intendere personaliter nequeamus, innumerabilium dicte Sedis negotiorum varietate distracti, ad personam tuam in nostra presen-

tia constitutam, nobilitatis et generis excellentia refulgentem, potentia preditam et Ecclesie Romane devotam, per quam speramus in hac parte plenarie satisfieri votis nostris, nostre mentis intuitum duximus convertendum. De tue igitur magnanimitatis et probitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, rectoriam predicte Marchie in temporalibus Apostolica tibi auctoritate committimus, per te vel per alium quem ad hoc tuum vicarium deputaveris, usque ad nostrum beneplacitum exercendam, disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, exequendi et faciendi in eadem Marchia quicquid honori Ecclesie Romane ac prospero fidelium ejusdem Marchie statui expedire cognoveris, et contradictores quoslibet ac rebelles, quotiens expedierit, temporali districtione, appellatione postposita, compescendi, concedentes tibi plenariam potestatem. Quocirca nobilitatem tuam attentius exhortamur tibi per Apostolica scripta mandantes, quatinus, onus regiminis dicte Marchie devote suscipiens, sic laudabiliter illud gerere studeas, quod clara fama tui nominis latius extollatur, et tu exinde apud Deum et homines commendari valeas, ac nostram et dicte Sedis gratiam de bono in melius promereri. Nos enim processus et sententias sive penas, quos temporaliter per te vel dictum vicarium, rite fieri vel proferri atque statui contigerit in rebelles, ratos habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari : non obstantibus aliquibus privilegiis, et cetera, ut supra usque : mentio specialis. Dat. Laterani, x kal. maii, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum, et quorumcunque locorum per Anconitanam Marchiam constitutis.*

In e. m. *dilecto filio nobili viro Carolo, nato clare memorie Philippi regis Francorum, comiti Andegavensi, in temporalibus provincie Romanile, comitatus Brittenorii ac pertinentiarum eorumdem rectori.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus et potestatibus* etc. *per provinciam Romaniole, comitatum Brittenorii ac eorum pertinentias constitutis.*

In e. m. *dilecto filio nobili viro Carolo, noto clare memorie Philippi regis Francorum, comiti Andegavensi, in temporalibus ducatus Spoletani rectori.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus et potestatibus* etc. *per ducatum Spoletanum constitutis.*

In e. m. *dilecto filio nobili viro Carolo, nato clare memorie Philippi regis Francorum, comiti Andegavensi, in temporalibus Masse Trabarie, Terre Sancte Agathe ac pertinentiarum ipsarum rectori.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus et potestatibus* etc., *per Massam Trabariam, Terram Sancte Agathe ac eorum pertinentias constitutis*

4395 (LXXII) Anagni, 3 septembre 1301.

Conceditur Carolo, comiti Andegavensi, decima reddituum ecclesiasticorum in nonnullis diocesibus Romano Imperio subjectis. (fol. 125.)

Littere decime concesse Carolo comiti Andegavensi. Bonifatius etc. venerabilibus fratribus . . Lugdunensi, . . Viennensi, . . Bisuntino, . . Tarantasiensi, . . Ebredunensi, . . Aquensi, et . . Arelatensi archiepiscopis, et eorum suffraganeis, ac . . Metensi, . . Virdunensi, . . Tullensi, . . Leodiensi et . . Cameracensi episcopis, et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum, necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Domus Militie Templi, et Beate Marie Theotonicorum prioribus, preceptoribus seu magistris, ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per Lugdunensem, Viennensem, Bisuntinum, Tarantasiensem, Ebredunensem, Aquensem, et Arelatensem archiepiscopatus atque provincias, et per eorum ac Metensem, Virdunensem, Tullensem, Leodiensem et Cameracensem civitates et dioceses constitutis, salutem etc. Immoderata temporis moderni malitia, que in diversis mundi et potissimum Italie partibus, ex instigatione inimici humani generis, zizanie satoris, plus solito in Ecclesie Matris injuriam et Terre Sancte dispendium invalescit, inducit nobis compassionis incendium, infert graves turbationis angustias et, alias etiam, nostris et ipsius Ecclesie humeris gravium onerum sarcinam et impulsus necessitatum imponit. Sane compatimur ecclesiis et personis ecclesiasticis, pio compassionis affectu, super earum oneribus, gravaminibus et pressuris, et libenter ad relevationem ipsarum oportuna juvamina preberemus. Sed, proh dolor! languescente capite,

ac undique perturbato, rebellantibus subditis et impugnantibus hostibus contra illud, dissidentibus quoque inter se cismarinis principibus et nonnullis aliis Christianis, qui deberent potius ad exterminium infidelium commoveri, et impedientibus ipsi capiti circa negotium ejusdem Terre Sancte votive prosecutionis officium, status ecclesiasticus, ad cujus quietem et pacem cederet, si seculares principes et persone a dissidendo quiescerent, nequit pacificus et suavis sub jugo levi manere Domini, sed experiri cogitur pressuras et onera, et procellarum turbinibus pro tempore fluctuare. Quapropter ipsa Mater Ecclesia, que universarum ecclesiarum capud esse dinoscitur et magistra, non absque gravibus, quinimmo gravissimis, suis ac membrorum suorum oneribus et doloribus, mederi cogitur, ut Christianitas cismarina quiescat, et contra turbatores pacis compellitur actibus bellicis implicari. Ecce quidem, fratres et filii, non latet in abditis, sed per diversos orbis angulos innotescit, qualiter, jam fere viginti annorum spatio, quondam Petrus, olim rex Aragonum, subdolus nequitie perpetrator, et, subsequenter diversis temporibus, nati ejus, sibi succedentes in vitium, contra nos et eandem Ecclesiam et clare memorie Carolum, Sicilie regem, ac carissimum in Christo filium nostrum Carolum, ipsius Sicilie regem illustrem, natum ejus, insulam Sicilie occuparunt ac tenuerunt, et adhuc etiam pro majori parte detinent nequiter occupatam : quarum occupationis et detentionis occasione et causa, contigit olim perditio Terre Sancte, cum propter hoc ei non potuerit oportunum ministrari subsidium de partibus cismarinis. Et quamvis inopinatis auxiliis ac insperatis operibus, illucescente illi gratia Salvatoris, sit ipsi Terre Sancte via recuperationis, reparationis, inhabitationis et munitionis civitatum et locorum dudum ibidem deperditorum aperta, tamen ob induratam antiquate jam rebellionis nequitiam rebellium Siculorum et Friderici, nati predicti quondam Petri olim regis Aragonum, sub cujus devio in tenebris et umbra mortis ipsi rebelles obdormiunt, et propter alia scandala que insurgunt, prefata Mater Ecclesia in adhibendis oportunis eidem Terre subsidiis impeditur. Status insuper diversarum ipsius Italie partium et potissime Tuscie impetitur admodum fluctibus scandalorum. Civitates, loca et incole ipsi Matri Ecclesie subjecta, frequenter rebellant, nequitie venena fundentia et laborantia ingratitudinis vitio contra eam. Et, nisi eorum insolentie compescantur, invalescent plurimum rebelliones ipsorum et periculose succrescent. Et ideo, sub spe divine potentie, ad obviandum tot fluctibus totque malis et periculis resistendum, et ad rebellantium superbiam edomandam, sollicitis studiis et continuatis operibus remedia querimus, operationes impendimus et auxilia ministramus, ut, tranquillato statu Sicilie aliisque Italie partibus ad quietis et pacis reductis comoda, et rebellibus ad nostra et dicte Sedis mandata redactis, de oportuno ipsius Terre Sancte succursu possit utilius et efficatius, dante Domino, provideri, ac universalis occidentalis Ecclesie quies et optata prosperitas procuretur. Cum igitur, preter innumera sumptuum onera, laborum immensitatem, sollicitudinum multiplicia studia, persecutionum dispendia, rerum dampna non modica et gravia pericula personarum, que prelibata Ecclesia in se suisque fidelibus diutius pertulisse dinoscitur hactenus ob premissa, magnum adhuc, immo permaximum, pecuniarum subsidium, sit ipsi Ecclesie, si diligenter attenditur, oportunum, pro hiis ad optatum finem, annuente Domino, feliciter perducendis. Nos, attendentes quod absque auxilio membrorum Ecclesie memorate, ad tantorum onerum sarcinam deferendam, Ecclesia eadem impotens quodammodo redderetur, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum Lugdunensis, Viennensis, Bisuntine, Tarantasiensis, Ebredunensis, Aquensis, et Arelatensis provinciarum, ac tam earum, quam Metensis, Virdunensis, Tullensis, Leodiensis, et Cameracencis civitatum et diocesum, ea tamen Lugdunensis provincie ac Cameracensis diocesis predictarum parte, que est in regno Francie constituta dumtaxat excepta, pro hujusmodi oneribus et necessitatibus ipsius Ecclesie sublevandis, per tres annos, a festo Nativitatis beati Johannis Baptiste preterito proxime numerandos, imponimus auctoritate presentium, de fratrum nostrorum consilio et assensu, colligendam per certos collectores, quos sub distinctis modis, locis et terminis, per alias nostras sub certa forma litteras deputamus, et per subcollectores eorum, quos ipsi deputabunt, ad hujusmodi ministerium exequendum. Universitatem itaque vestram attente monemus, affectuose rogamus et obsecramus in Domino Jhesu Christo, vobis nichilominus per Apostolica scripta mandantes, in remissione peccaminum injungendo, quatinus magnam et instantem necessitatem negotiorum hujusmodi, que multam accelerationem promotionis exposcunt, maxime propter non modicam prefate indigentiam Terre Sancte, diligentius attendentes et, sicut membra capiti, compatientes ab intimis, laboribus, dispendiis, injuriis, pressuris, oneribus et expensarum profluviis ejusdem Ecclesie Matris vestre, ob divinam et ipsius Ecclesie ac nostram reverentiam, vestrorum omnium ecclesiasticorum reddituum, et proventuum civitatum, diocesum et provinciarum predictarum, ea tamen, sicut predicitur, Lugdunensis provincie ac Came-

racensis diocesis parte, que est in regno Francie constituta, dumtaxat excepta, decimam, ut premittitur, per triennium hujusmodi, liberaliter et integre, hujusmodi collectoribus deputandis a nobis, secundum quod per certa loca ipsorum officium distinguetur, et subcollectoribus deputandis ab eis, in prefigendis vobis terminis, liberaliter et integre persolvatis, cum illis exceptionibus et moderationibus, quas in aliis nostris litteris exprimemus. Alioquin collectoribus ipsis compellendi, per se ac alios, vos ad id, et contradictores quoslibet ac rebelles, monitione premissa, auctoritate nostra, quavis appellatione cessante, concedimus per predictas alias nostras litteras potestatem. Nos enim sententias sive penas spirituales, quas ipsi propter hoc rite tulerint in rebelles, ratas habebimus et faciemus, actore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari : non obstantibus si vobis vel vestrum aliquibus aut quibusvis aliis, communiter vel divisim, a Sede Apostolica sit indultum vel forte contigerit indulgeri, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras Sedis ejusdem, que de indulto hujusmodi ac tota ejus continentia, de verbo ad verbum et de propriis locorum et personarum nominibus specialem, plenam, certam, determinatam et expressam non fecerint mentionem, et quibuscunque aliis privilegiis, indulgentiis vel litteris quibuscunque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis, generaliter vel specialiter, sub quacunque forma vel conceptione verborum, ab eadem Sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena, et expressa mentio sit habenda, et per que, de verbo ad verbum presentibus non inserta vel nominatim et singulariter non expressa, effectus impositionis et solutionis hujusmodi decime impediri quovis modo valeat vel differri. Sic itaque in hac parte nostris mandatis, monitis, persuasionibus et exhortationibus pariturі, quod a Deo, de cujus negotiis agitur, eterne retributionis premium, ac a nobis et a Sede predicta precipui favoris augmentum non immerito consequi valeatis. Ceterum clericos illos ad prestationem ipsius decime teneri nolumus, quorum ecclesiastici redditus et proventus septem librarum turonensium parvorum summam, annis singulis, non excedunt. Dat. Anagnie, III non septembris, anno septimo.

4396 (LXXIII) Anagni, 8 septembre 1301.

Deputantur collectores decimæ Carolo, comiti Andegavensi, concessæ. (fol. 126.)

Bonifatius etc. venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime in Lugdunensi, Viennensi, Tarentasiensi, Bisuntina et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provinciis, ea parte ipsius Lugdunensis provincie, que est in regno Francie constituta, dumtaxat excepta, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos nuper imposite, deputato, salutem. etc. Cum te nuper —.

Dat. Anagnie, VI id. septembris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Massiliensi, collectori decime in Aquensi et Arelatensi civitatibus et diocesibus atque provinciis, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos nuper imposite, deputato.*

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Gandensi in ecclesia Tornacensi, collectori decime in Metensi, Virdunensi, Tullensi, Leodiensi et Cameracensi civitatibus et diocesibus atque provinciis, ea parte ipsius Cameracensis diocesis, que est in regno Francie constituta, dumtaxat excepta, pro oneribus. etc.*

4397 (LXXIIII) Anagni, 24 septembre 1301.

De declarationibus in collectione decimæ Carolo, Andegavensi comiti, concessæ observandis. (fol. 126 v°.)

Bonifatius etc... venerabili fratri . . episcopo Massiliensi, collectori decime, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos nuper imposite, in Aquensi et Arelatensi civitatibus et diocesibus atque provinciis deputato. Cum nuper in Aquensi et Arelatensi ac in nonnullis aliis civitatibus, diocesibus atque provinciis decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum trium annorum, numerandorum a festo Nativitatis beati Johannis Baptiste proxime preterito, duxerimus imponendam — ecce declarationes quasdam, quas in ipsius negotio decime volumus et precipimus observari, fecimus ad instructionem tuam presentibus annotari que tales sunt : De redditibus et proventibus — ut supra in regesto eo dem litterarum non curialium capitulo CLXXXXVIII° usque in finem —. Dat. Anagnie, VIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilecto filio . . archidiacono Gandensi in ecclesia Tornacensi, collectori decime — in Metensi, Virdunensi etc.*

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime — in Lugdunensi, Viennensi. etc.*

4398 (LXXV) Anagni, 23 septembre 1301.

Statuuntur vicarii generales Caroli, comitis Andegavensis, in temporalibus per provincias, quarum rectoria eidem comiti commissa fuit. (fol. 127.)

Jacobo de Renzano, dilecti filii nobilis viri Caroli, nati clare memorie Philippi regis Francorum, comitis Andegavensis, in temporalibus Marchie Anconitane rectoris, vicario generali. Ad statum prosperum et tranquillum Anconitane Marchie paternis studiis intendentes, dilecto filio [Carolo], nato clare memorie Philippi regis Francorum, comiti Andegavensi — rectoriam ejusdem Marchie in temporalibus per alias nostras sub certa forma litteras duximus committendam, exercendam per ipsum vel alium aut alios, quos ipse ad id duceret deputandos. Verum, cum prefatus Carolus adpresens comode nequeat personaliter in ipsa Marchia residere, nos, ut ipsum ab onere substituendi vicarium relevemus, te, de cujus legalitatis et circumspectionis industria plene confidimus, generalem vicarium memorati Caroli, rectoris in eadem Marchia, duximus auctoritate presentium statuendum, volentes ut tibi, tanquam persone ipsius Caroli rectoris, in omnibus, que ad hujusmodi rectoris spectant officium pareatur —. Dat. Anagnie, VIIII kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilecto filio Antonio, electo Fesulano, dilecti filii nobilis viri Caroli, nati clare memorie Philippi regis Francorum, comitis Andegavensis, in temporalibus totius ducatus Spoletani ac pertinentiarum ejusdem rectoris, vicario generali.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum et quorumcunque locorum per totum ducatum Spoletanum ac ejus pertinentias constitutis.*

In e. m. *venerabili fratri Jacobo, episcopo Reatino, dilecti filii Caroli — totius provincie Romaniole et comitatus Brittenorii ac pertinentiarum eorundem rectoris vicario generali.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus etc. per provinciam Romaniolam et comitatum Brittenorii ac pertinentias eorumdem constitutis.*

In e. m. *eidem episcopo Reatino, et cetera usque : in temporalibus in Massa Trabaria et Terra Sancte Agathe et pertinentiarum earumdem rectoris, vicario generali.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus etc. per Massam Trabariam et Terram Sancte Agathe et pertinentias earumdem constitutis.*

4399 (LXXVI) Même date.

Statuuntur usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ rectores in spiritualibus per easdem provincias. (fol. 127 v°.)

Venerabili fratri Jacobo, episcopo Reatino, in spiritualibus totius provincie Romaniole et comitatus Brittenorii ac pertinentiarum earumdem rectori. Cum in provincia —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus.. episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Domus Militie Templi magistris, universis quoque nobilibus, potestatibus, rectoribus, comunitatibus, universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per provinciam Romaniole et comitatum Brittenorii ac pertinentias eorumdem.*

In e. m. *eidem episcopo Reatino, in spiritualibus Masse Trabarie et Terre Sancte Agathe et pertinentiarum earumdem rectori* ut in alia Provincie Romaniole que dirigitur ei.

In e. m. *venerabilibus fratribus.. episcopis et dilectis filiis electis* et cetera ut in alia usque : *locorum per Massam Trabariam et Terram Sancte Agathe.*

In e. m. *dilecto filio Antonio, electo Fesulano, in spiritualibus ducatus Spoletani rectori.*

In e. m. *venerabilibus fratribus.. episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus. etc.*

In e. m. *venerabili fratri Johanni, Auximano episcopo, in spiritualibus Marchie Anconitane rectori.*

In e. m. *venerabilibus fratribus.. episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus. etc.*

4400 (LXXVII) Latran, 17 octobre 1301.

De negotio regni Ungariæ. (fol. 128.)

Dilecto in Christo filio W[*enceslao*], *regi Boemie*. Etsi reges —.

Suprascriptum objurgat dominus papa de assumptione Wenceslai ejus filii in regem Ungariæ illiusque coronatione a Johanne, Colocensi archiepiscopo, facta; addit, se, ad pacem procurandam inter dissidentes, Niolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum cum plenæ legationis officio illuc destinare, regemque hortatur, ut per se ipsum remediet, quæ circa præfatum filium in hac parte inconsulte attentata noscantur etc.

Dat. Laterani, XVI kal. novembris, anno septimo.

POTTHAST, 25.081.

4401 (LXXVIII) Même date.

De eodem negotio. (fol. 128.)

Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, Apostolice Sedis legato. Romanus pontifex super —.

Suprascripto scribit dominus papa Johannem, Colocensem archiepiscopum, in tantam prorupisse audaciam, quin potius ad tantam devenisse insaniam, quod Wenceslaum, filium W. Boemi regis, in regem regni Ungariæ « de facto, cum de jure non posset, coronare presumpsit », licet Carolus, nepos Caroli, Siciliæ regis, per Gregorim, Strigoniensem electum, in ejusdem regni Ungarie regem fuisset antea coronatus, mandat ei, ut prefatum archiepiscopum Colocensem, sub pœna privationis et depositionis, peremptorie citet, ut, infra quatuor menses post hanc citationem, suspensus ab omni beneficio et officio, personaliter compareat coram pontifice maximo.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25080.

4402 (LXXVIIII) Anagni, 28 septembre 1301.

Committitur administratio ecclesiæ Vulaterranæ. (fol. 128 v°.)

Raynerio, nato dilecti filii nobilis viri Belfortis de Belfortibus civis Vulterani, canonico et administratori ecclesie Vulterane. Dudum ex certis —.

Ne ecclesia Vulaterrana, vacationis tempore, auxilio defensoris careat et ipsius bona non pateant direptionibus malignorum, ejusdem cura, administratio et procuratio tam in spiritualibus quam temporalibus committuntur Raynerio, filio nobilis viri Belfortis de Belfortibus, Vulaterrano canonico.

Dat. Anagnie, IV kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Vulterane — clero civitatis et diocesis — populo civitatis et diocesis.*

POTTHAST, 25078.

4403 (LXXX) Anagni, 6 septembre 1301.

Legitimatio filiorum et filiarum quondam Sanctii, nati Alphonsi regis Castellæ ac Legionis. (fol. 228 v°.)

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, relicte quondam Sanctii nati clare memorie Alfonsi regis Castelle ac Legionis. Sensus hominis proni —.

Maria, relicta quondam Sanctii, nati Alfonsi regis Castelle ac Legionis supplicante, Fernandum, Petrum, Philippum, Isabellam et Beatricem ejus liberos ex contubernio procreatos legitimationis titulo decorat dominus papa.

Dat. Anagnie, VIII id. septembris, anno septimo.

POTTHAST, 25070.

4404 (LXXXI) Anagni, 16 septembre 1301.

Ut cum Alphonso et Fernando natis quondam Fernandi patrui sui se reconciliet. (fol. 129.)

Carissimo in Christo filio Fernando, regi Castelle ac Legionis illustri. Adhibeas, fili, quesumus paternis exhortationibus filialis promptitudinis intellectum, cum prodeant ex caritatis affectu que scribimus, et tue salutis et quietis comoda respicere dinoscantur. Si enim affectum patris diligenter attendas et effectum proventurum ex ipsius affectione recogites, fructum spiritualis et temporalis comodi in illis quippe reperies, superficie cujuslibet rancoris vel hesitationis exclusa. Profecto ubique pacis comoda querimus et ubique nitimur extinguere fomites odiorum. Ad hec enim precipue nostra versatur intentio pro salubri quiete populi, cure nostre, Domino disponente, commissi, et ad id voto ferventi ducimur, pro evitandis discriminibus animarum, periculis corporum, dampnis rerum. Circa talia procuranda, cum expedit, presertim in Ispanie partibus et Ispaniarum incolis eo ferventius excitamur, quo magis, si, quod absit, in illis fidelium devotio dissentionum fluctuatione lentes-

ceret, pheda Sarracenorum impietas, ipsis quippe immediate vicina, seviret in renatos fonte baptismatis et, nedum particularia, sed etiam generalia Chistianitati posset pericula ministrare. Revera, si veritas sermonibus nostris adhereat, si operibus pateat quod labia prolocuntur, gratiarum multitudo nostrarum, quibus te ac dilectos filios nobiles viros Petrum et Philippum, fratres, ac dilectas in Christo filios nobiles mulieres Isabellam et Beatricem, sorores tuos, necnon, in te ac ipsis, carissimam in Christo filiam nostram Mariam, reginam Castelle ac Legionis, relictam clare memorie Sancii, regis Castelle ac Legionis, tuam ac ipsorum fratrum et sororum matrem, honorare curavimus, patentius indicat et aperte demonstrat. Venientibus enim nuper ad presentiam nostram tuis et eorum nuntiis, ac eis et litteris, quas portarunt, paterna benignitate receptis, petitas legitimationum et etiam super matrimoniis contrahendis cum regis Portugalie natis dispensationum gratias, quamvis in eis, ex qualitate negotiorum et agendorum gravitate, maxima difficultas inesset, nec ad hujusmodi legittimationis gratiam concedendam potuerit alicujus predecessorum nostrorum auctoritas inclinari, duximus concedendas, sicut per diversas nostras bullatas litteras inde confectas, quas per latores presentium destinamus, tibi et eis plenius apparebit. Per hujusmodi quidem legittimationem tibi ac predictis fratribus et sororibus tuis tituli regii ac cujuslibet dignitatis habilitatio gratiosa largitur, legitimorum actuum prestatur auctoritas, parentum aboletur infamia et totius domus regie fama dudum denigrata clarescit. Hec est gratia que ipsi domui pacem preparat, salutem prestat et pandit aditum ad quietem. Hec est que ipsius domus extollit culmina eaque illuminat radiis claritatum, si ejus cognoscatur effectus, si tu ac iidem fratres et sorores tui eam in pacis observantiam convertatis. Verum, quia donum gratie ingratitudine tollitur, sed gratia devote recognita suscipit incrementa, ut crescat tibi beneficiorum collatio, de supernis exultes celitus, perceptorum gratus existas, sanctam Matrem Ecclesiam, cui ob hec obligatus esse nosceris in immensum, summis studiis et efficacia operum cures, more devoti filii, revereri, te sibi gratum, fidelem et utilem oportunis temporibus exhibendo. Vite decor te reddat acceptum a tue primordio juventutis. Erumpat, care fili, vena [1] cordis et mel mansuetudinis fundat. Lac fluat munditie, quod pectus bonorum operum decursu madescat, et de sinu Magistri Celestis in tue mentis solium salutis spargantur semina, que votive crescant, ac demum optatis fructibus incrementa concludant. Cum autem inter cetera, que, circa te, pro honore ipsius Matris Ecclesie ac pro tua et aliorum procuranda quiete votiva sensibus nostris occurrunt, specialiter affectamus, ut dilecti filii nobiles viri Alfonsus et Fernandus, nati quondam Fernandi patrui tui, quos, ut nosti, premissa contingunt, tibi reconcilientur ad gratiam, et, inter te ac ipsos sedatis quibuslibet discordiarum anfractibus, vere pacis amenitas et salubris concordia reformetur, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, in pacis et salutis Actore paternis tibi consiliis suadentes, quatinus, prudenter attendens, quod, tamquam pius princeps, qui teneris erga singulos benignitatem et mansuetudinem exercere, ipsorum Alfonsi et Fernandi, quorum a te post Deum immediate vita dependet, tanto benignius debes statui compati et indigentie misereri, quanto miserabilius viverent, dum tue celsitudinis faciem turbatam sibi sentirent et tuam gratiam ab eis perciperent alienam, sic erga ipsos, quibus tua domus dedit originem, pro divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia et pro tue domus honore debitum humanitatis exolvas, sic eis tuam reconcilies gratiam, sic ipsos sub tuarum alarum umbra confoveas ac sub tuo dominio et protectione conserves, sedatis inter te ac eos cujuslibet raucoris scrupulo et discordiarum anfractibus, quod per hoc tu et ipsi quietis et pacis ubertate fruamini, tibique, preter divine retributionis premium, humane laudis proveniat incrementum. Et ecce venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Toletano et .. episcopo Seguntino duximus per alias nostras litteras specialiter committendum, ut inter te ac predictos Alfonsum et Fernandum quietem, pacem et concordiam tractent, ordinent et reforment, quorum archiepiscopi et episcopi salubribus monitis, inductionibus et exhortationibus, que tibi super hiis, ex parte nostra, fecerint, sicut divinam et nostram ac prefate Sedis benedictionem et gratiam desideras plenius promereri, velut devotus filius, acquiescas. Dat. Anagnie, XVI kal. octobris, anno septimo.

1. *Ms* : venam.

4405 (LXXXII) Anagni, 18 septembre 1301.

Un circa eamdem reconciliationem operam suam impendant. (fol. 129 v°.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Tholetano et .. episcopo Seguntino. Novimus quod —. Nos quidem ubique pacis querentes comoda — specialiter affectamus, ut carissimus in Christo filius noster Fernandus, rex Castelle et Legionis illustris, dilectos filios nobiles viros Alfonsum et Fernandum, natos quondam Fernandi patrui

regis ejusdem, ad magnificentie sue gratiam prudenter revocet ac reconciliet diligenter —. Propter quod eundem regem — necnon carissimam in Christo filiam nostram Mariam, reginam Castelle ac Legionis illustrem, ipsius regis matrem, per litteras nostras attentius exhortamur, ut ad hujusmodi reformationem pacis benigne se coaptent vestrisque super hoc salubribus monitis inductionibus et exhortationibus — promptius acquiescant. De vestra igitur diligentia et circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, — fraternitatem vestram attentius excitamus per Apostolica vobis scripta in virtute obedientie districtius injungentes, quatinus, virtutes datas vobis a Domino exercentes apud eosdem regem et reginam ac Alfonsum et Fernandum et alios, de quibus expedire videritis, diligentius in hac parte, inter eosdem regem Alfonsum et Fernandum pacem et concordiam tractare ordinare ac reformare curetis —. Dat. Anagnie, XIIII kal. octobris, anno septimo.

4406 (LXXXIII) Même date.

Eadem de re. (fol. 129 v°.)

Carissime in Christo filie Marie, regine Castelle ac Legionis illustri, relicte clare memorie Sancii regis Castelle et Legionis. Adhibeas, filia, quesumus —.

Exposita rerum serie eisdem fere verbis quibus supra capitulo LXXXI, concludit dominus papa his verbis :

Quocirca celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente in filio Dei Patris ac in tuorum remissione peccaminum tibi nichilominus suadentes, quatinus, premissis omnibus matura, diligenti et debita consideratione pensatis, prelibatum regem Fernandum ad predicta omnia et specialiter ad reconciliationis gratiam et reformationem vere pacis et concordie cum Alfonso et Fernando predictis sic solerter inducas, sic diligenter animes ac efficaciter dirigas et informes, quod per hoc tuam et illorum quietem, salutem et prosperitatem procurasse ac promovisse verius comproberis, et tibi exinde crescat apud Deum bonorum meritorum cumulus et apud homines clara fama, et nos et Apostolica Sedes ad ea que tui et predictorum natorum tuorum honoris incrementa respiciant fortius animemur. Et ecce venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Toletano et . . episcopo Seguntino per alias nostras committimus litteras, ut te ac predictum Fernandum regem alloquantur plenius super hiis et hinc et inde pacem et concordiam tractent, ordinent et reforment, quorum archiepiscopi et episcopi salubribus monitis, inductionibus et exhortationibus, que tibi super hiis, ex parte nostra, fecerint, sicut divinam et nostram ac prefate Sedis benedictionem et gratiam promereri cupis, devotius acquiescas, et procures quod idem rex, tanquam filius benedictionis et gratie, cum efficacia operum se coaptet. Dat. Anagnie, ut supra.

4407 (LXXXIIII) Anagni, 16 septembre 1301.

Ut usque ad triennium tertiam partem fructuum bonorum ecclesiasticorum, ad fabricas ecclesiarum prius deputatam, adhuc percipere valeat, sed ad bona vacantium cathedralium ecclesiarum de cætero manus suas non extendat. (fol. 130.)

Carissimo in Christo filio Fernando, regi Castelle ac Legionis illustri. Cum, sicut accepimus, regna Castelle ac Legionis teneas ibique regalem exerceas dignitatem, et eorumdem regnorum rex ab omnibus comuniter nomineris, nos, pii patris fungentes officio, ad tuum, fili, statum prosperum affectu benigno ducimur et, more paterno, ad ea que tue saluti expediunt, bonori et utilitatibus tuis congruunt, salutaribus exhortationibus invitamus. Persuasiones itaque nostras animo devoto suscipias, hiis, que tibi paterne suggerimus, aures adhibiturus intentas et ad ea oculos mentis habiturus apertos, ut, deducta in rationis examen et illius examinata scrutinio, admittantur devotius et expressius imprimentur admissa, et impressa tibi ad salutem, concedente salutis Actore, proficiant, pacem germinent producantque quietem. Ut autem ad hec promptius, Deo auspice, obtinenda efficacius, cum ipsius auxilio, te disponas et prepares, in tue juvenilis etatis auspiciis inhere virtutibus et sic virtuosis actibus assuesce, ut ex assuefactione mores fiant et nunquam avertaris ab illis, nunquam ad prava et perversa opera deducaris, sed semper dirigaris prudentia, commemorando preterita, consulte ordinando presentia et futura sollicite providendo. Et quidem, si ad preterita referas considerationis intuitum, occurrent tibi quamplurima periculosa et gravia, quibus, nedum quondam rex Sancius, pater tuus, fuisse noscitur, sed etiam tu ipse nosceris involutus. Occurret nostra et pie Matris Ecclesie erga personam tuam immensa benignitas, qua, ut Deo, nobis et eidem Ecclesie reddaris gratior, te curavimus prevenire. Occurret etiam, inter alia, prelatorum et cleri et ecclesiarum Castelle ac Legionis regnorum mansuetudo laudabilis et erga te sincerus et multipliciter commandandus affectus, qui, licet gravibus fuerint injuriis lacessiti, vexati molestiis et dampnis

affecti, nichilominus tamen pro te apud Sedem Apostolicam oportune supplicationis instantia institerunt. Profecto prelatos, clerum et ecclesias supradictos graves injurias, oppressiones innumeras et dampna enormia et immensa gravamina contra scita sacrorum canonum substinuisse diutius et cotidie substinere percipimus a te et a baronibus et nobilibus ac aliis predictorum regnorum incolis, pretendentibus in hiis, ut fertur, minus rationabiliter, longum usum, qui, si consonent facta relatibus, dicendus potius est abusus. Accepimus enim, quod, cum olim clare memorie Fernando, rege Castelle ac Legionis, proavo tuo, pro imminente tunc sibi et regnis suis Castelle ac Legionis guerra et defensione ac impugnatione contra Sarracenos, tertia pars fructuum, reddituum et proventuum bonorum ecclesiasticorum, que prius consueverat ad ecclesiarum fabricas deputari, in certis eorumdem regnorum locis et partibus gratiose fuisse dicatur ad certum tempus ab Apostolica Sede concessa, et idem rex vel successores ipsius, progenitores tui, fuerint hujusmodi gratia per nos indulta temporis prorogatione abusi, tu, in hoc pravis eorum inherendo vestigiis, hujusmodi partem tertiam per te ac alios illicite exegisti et exigis, ac etiam percepisti et percipis, et, in nonnullis ipsorum regnorum locis, alii etiam, ex tua concessione vel permissione, exegerunt et exigunt, et perceperunt atque percipiunt, in tue ac ipsorum animarum periculum, proprie fame dispendium et ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum dampnum, injuriam et jacturam. Tu quoque, per te vel alios, bona omnium ecclesiarum cathedralium de regnis predictis vacantium, pretextu custodie, quam progenitores tuos abolim exercuisse pretendis seu potius usurpasse, quamdiu vacant, accipis et detines, ac ipsorum bonorum fructus, redditus et proventus percipis, ac alii etiam, ex tua concessione vel permissione, accipiunt et percipiunt, eos in usus proprios convertendo, infamia proprii nominis proprieque salutis dispendio et earumdem ecclesiarum gravi dampno et prejudicio non vitatis, quamvis ipsi fructus debeant futuris ecclesiarum ipsarum pastoribus conservari. Cum igitur, civili etiam censura, male adinventa maleque consuetudines, nec ex longo tempore nec ex longa consuetudine confirmentur, ac prolixitas temporis in talibus peccatum non minuat sed augmentet, neve laïcalis persona quecumque posset auctoritatem dare de talibus abusis (*sic*) contra libertatem ecclesiasticam usurpandis, magnitudinem tuam hortamur et obsecramus in Domino, sano tibi consilio in remissione peccaminum suadentes, quatinus, premissis omnibus matura, consulta debitaque attentione pensatis, prelatos, clerum et ecclesias supradictos super premissis vel aliis non affligas vel affligi permittas ulterius dampnis, injuriis, gravaminibus et pressuris, sed super hujusmodi tertiis ac bonis et fructibus juxta infrascriptum beneplaciti nostri modum, in quo tibi satis gratiose deferimus, te liberaliter habens, ipsos prelatos, clerum et ecclesias oportunis favoribus, consiliis et auxiliis, sicut amator divini nominis, tuearis. Nos quidem, personam tuam in hac parte volentes prosequi gratiose, Apostolica tibi auctoritate concedimus, ut hujusmodi tertiam partem fructuum, reddituum, proventuum et obventionum bonorum ecclesiasticorum eorumdem regnorum Castelle ac Legionis, quam tu et dicti alii taliter percepistis hactenus et percipitis, possitis in tuorum sublevatione onerum usque ad triennium, a festo Natalis Domini futuro proxime numerandum, percipere et habere licite, absque contradictione cujusquam, in illis eisdem locis et bonis dumtaxat in quibus estis percipere consueti. Preteritos autem fructus, proventus, obventiones et redditus, quos tu et ipsi alii, tam ex hujusmodi tertia quam ex predictis ecclesiarum vacantium bonis taliter hactenus percepistis, eadem auctoritate tibi et eis remittimus, concedimus et donamus, de gratia speciali, statuentes et districtius injungentes, ut, finito triennio supradicto, hujusmodi tertiam tu et ipsi alii dimittatis omnino, libere ac in pace illis ecclesiis et personis ecclesiasticis, quibus de jure competere dinoscitur, nec illam ulterius in aliqua ipsorum regnorum parte de quibuscunque bonis ecclesiasticis tu vel alii predicti percipiatis ullatenus vel quomodolibet exigatis, sed tu ipsos alios, ut ipsam partem, finito triennio supradicto, ulterius non exigant nec percipiant quoquomodo, cum effectu compellas. Et insuper, ut hujusmodi bona ecclesiarum vacantium, si quas teneas vel officiales tui aut alii pro te, sive quivis alii, ex tua concessione vel permissione, teneant, absque difficultatis obstaculo a receptione presentium ecclesiis ipsis restituas et dimittas ac restitui facias et dimitti, nec ulterius ad hec bona et fructus cathedralium ecclesiarum vacantium regnorum ipsorum, hujusmodi pretextu custodie vel alias, illicite extendas quomodolibet manus tuas, vel per tuos extendi facias seu permittas, sed bona et fructus hujusmodi per capitula ipsarum ecclesiarum, quamdiu vacaverint, teneri et percipi absque difficultate permittas, futuris ecclesiarum ipsarum pastoribus conservanda : alioquin te ac alios predictos super hujusmodi parte tertia vel super hujusmodi bonis ecclesiarum vacantium seu eorum fructibus, redditibus et proventibus contra statutum et mandatum nostrum hujusmodi temere attentantes vel non servantes illud excomunicationis sententia, quam exnunc ferimus, decernimus esse ligatos. Civitates vero, castra, ville aliaque loca ipsorum regnorum, in quibus tu vel alii predicti aut eorum aliquis

fueritis vel ad ea perveneritis, quamdiu sic ligati steteritis in eisdem, ecclesiastico subjaceant interdicto. Sic itaque, fili, exhortationes, persuasiones, mandata nostra efficaciter adimplere procures quod predictis injuriis, oppressionibus, gravaminibus atque dampnis omnino sublatis, prelati, persone ecclesiastice et ecclesie supradicti quiete letentur et debita gaudeant libertate, tuque proinde retributionis eterne premium apud Deum et apud homines bonam famam ac penes nos et Apostolicam Sedem promptitudinem favoris et gratie in tuis oportunitatibus merearis. Dat. Anagnie, XVI kal. octobris, anno septimo.

4408 (LXXXV) Anagni, 16 septembre 1301.

Instituuntur infrascripti collectores decimæ, pro Terræ Sanctæ negotio in concilio Lugdunensi impositæ, in Alemaniæ, Ungariæ et Boemiæ regnis et in ducatu Poloniæ. (fol. 131.)

Magistro Gabrieli, plebano plebis de Valleneto, Pisane diocesis, capellano venerabilis fratris nostri Theoderici episcopi Civitatis Papalis. Inter cetera que mentem nostram intenta meditatione sollicitant, — gerentes cordi negotium Terre Sancte — multa reddimur attentione solliciti, ut ipsum negotium debita prestatione subsidii, apostolatus nostri tempore, non fraudetur —. Sane felicis recordationis Gregorius papa decimus, predecessor noster, — decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum in predicte Terre subsidium duxit per certi temporis spatium, sacro ejus Lugdunensi approbante concilio, concedendam. Ad hujusmodi autem decimam colligendam in Alamanie, Ungarie, Boemie regnis ac in ducatu Polonie et partibus, tam per ipsum predecessorem, quam, post ejus obitum, diversis temporibus per Apostolicam Sedem — per diversas Apostolicas litteras deputati sunt hactenus collectores. Verum, quia ipsius collectio decime in predictis regnis, ducatu et partibus per aliquos collectorum predictorum in parte ac per nonnullos in totum dicitur esse neglecta, nos, ferventi desiderio anelantes, quod decime prefate negotium processu provido dirigatur et felicem, dante Domino, consequatur effectum, de tue quoque probitatis industria specialem in Domino fiduciam obtinentes, te in ministerio collectionis ipsius decime in Maguntina, Treverensi, Coloniensi, Bremensi, Magdeburgensi et Salzeburgensi provinciis, ac in earum et in Eistetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus in ejusdem Alamanie regno et partibus constitutis, omnibus hujusmodi collectoribus in illis per eundem predecessorem et per Sedem Apostolicam, ut predicitur, deputatis et eorum cuilibet auctoritate Apostolica subrogamus et constituimus ipsius decime collectorem, juxta tenorem litterarum Apostolicarum dudum directarum eisdem et eorum cuilibet super ejusdem negotio decime processurum; prefatos collectores et quemlibet eorum, post redditam tibi ab eis debitam et plenariam rationem absolventes a commisso ipsis dudum officio in hac parte. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus in hujusmodi decretis tibi locis et partibus juxta predictarum litterarum Apostolicarum tenorem in negotio memorato, diligentia exacta, procedas. Et nichilominus super ipso negotio et contingentibus illud generaliter et specialiter, prout qualitas facti suaserit et tibi videbitur, ex officio tuo diligenter inquirens, super quo tibi auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem, collectores predictos in eisdem decretis tibi locis et partibus, ut premittitur, deputatos ac ipsorum quemlibet et quoscunque alios, de quibus videris expedire, quod tibi quaslibet Apostolicas litteras eis super collectione predicta directas, omnesque scripturas, per eos vel de mandato seu commissione ipsorum inde confectas, vel quas ipsi vel eorum aliqui quomodolibet detinerent, exhibeant, et quod collectores iidem quantum per se ac alios receperunt de decima supradicta, et penes quos, ac ubi, quando et qualiter, et coram quibus, et sub quibus securitatibus seu cautelis pecuniam ab eis in hac parte receptam deponere curaverunt, quantum adhuc de ipsa decima et in quibus restat locis seu partibus colligendum, quantum etiam, quando et qualiter, et ubi de ipsa decima expenderunt in prosequendis hiis que contingebant eandem, et si ab eis vel ab aliis, quibus interdum super hujusmodi collectionis negotio vices suas, vel in eo executionem aliquam commiserunt, extat adhuc aliquid de collectis forsitan assignandum, ac super aliis omnibus negotium contingentibus memoratum, de quibus expedire putaveris, reddant diligentem et plenariam rationem. Archiepiscopos insuper et episcopos, abbates, priores, rectores ceterosque prelatos et clericos ac personas ecclesiasticas provinciarum, civitatum et diocesum predictarum, cujuscunque status seu dignitatis existant, quos tibi constiterit per inquisitionem, quam super hiis duxeris faciendam, ex probabilibus seu verisimilibus conjecturis, pensatis eorum proventibus, minus debito notabiliter, ita quod super hoc suspecti merito sint habendi, de decima persolvisse, necnon et eos ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, prelatis, rectoribus, clericis et ecclesiasticis personis prefatis, quos tibi ob premissas causas excommunicationis sententiam, in nullo modo

aut scienter non integre, vel non in constitutis super hoc terminis solventes decimam sive fraudem adhibentes circa solutionem ipsius, seu alias prestantes impedimentum, quominus ipsa decima solveretur, prolatam in dicto Lugdunensi concilio vel per collectores predictos aut eorum aliquem constiterit incurrisse, ut de proventibus suis hujusmodi decimam cum integritate persolvant et de impedimento hujusmodi tibi pro dicte Terre subsidio plenam et debitam satisfactionem impendant, necnon et quoscumque depositarios dicte decime, ut deposita recepta per eos, et quoslibet etiam de pecunia dicte decime alias quomodolibet detinentes, quod hujusmodi pecuniam per eos detentam, cessante difficultate qualibet, tibi exhibere procurent, infra competentes terminos, a te super hiis pro qualitate facti juxta tue discretionis arbitrium eis omnibus vel ipsorum cuilibet statuendos, ex parte nostra, efficaciter moneas et inducas. Quod si tales infra premissos terminos tuis monitis parere forte contempserint, tu eos, auctoritate predicta, nominatim ecclesiastica censura percellas. Et si per unum mensem censuram hujusmodi substinuerint animis induratis, eos extunc peremptorie citare procures, ut, infra competentis termini spatium, a te prefigendum eisdem post citationem tuam, per se vel per procuratores ydoneos aut etiam personaliter, illi de quibus personalem citationem merito videris emanandam, compareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri ac facturi et recepturi quod justitia suadebit. Diem vero citationis et prefixionis hujusmodi et quicquid inveneris et feceris in predictis nobis per tuas litteras et nichilominus per scripturam autenticam, horum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Ceterum, ut officium tibi in hac parte commissum utilius et efficatius valeas exercere, compellendi, si opus fuerit, prelatos aliasque personas ecclesiasticas provinciarum, civitatum et diocesum earundem ad providendum tibi et nuntiis tuis ac illis, quos ad hujusmodi decimam colligendam duxeris deputandos vel quibus interdum aliquam executionem commiseris in negotio memorato, de securo conductu, cum super hoc a te vel ab illis extiterint requisiti, ac exigendi in eisdem provinciis, civitatibus et diocesibus legata et obventiones quomodocunque Terre predicte subsidio deputatas, et procedendi in omnibus predictis et singulis et ea omnia et singula exequendi, per te ac alios, qualiter et quotiens expedire putaveris, et contradictores quoslibet ac rebelles, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, plenam tibi concedimus, tenore presentium, facultatem : non obstantibus si aliquibus fuerit ab eadem Sede indultum, quod interdici — mentionem, aut quod tempus ad solutionem predicte decime statutum in eodem concilio est elapsum. Si autem hii qui, premissorum occasione vel causa, fuerint excommunicationum, suspensionum vel interdicti sententiis innodati, postmodum super hiis, pro quibus sic excommunicati, suspensi vel interdicti fuerint, satisfacere forte decreverint, tu eis, post plenam et integram satisfactionem, auctoritate nostra, super eisdem sententiis juxta formam Ecclesie de absolutionis et relaxationis beneficio studeas providere, ac dispensare super irregularitate cum illis ex eis, qui, taliter ligati, non abstinuerint a divinis. Considerans itaque quod in premissis negotium Dei prosequeris et in conspectu agis Ejus qui cuncta discernit, sibique necnon et nobis, qui circa hoc omnem diligentiam adhibere intendimus, teneberis reddere rationem, ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte, quod in utriusque judicio non solum vites pene confusionis discrimina, set laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequaris. Dat. Anagnie, XVI kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilecto filio magistro Bonajuto de Casentino, canonico Aquilegensi, scriptori nostro.*

4409 (LXXXVI) Anagni, même date.

Ut infrascriptus censum qui vocatur denarius Sancti Petri in ducatu Poloniæ colligat. (fol. 131 v°.)

Magistro Bonajuto de Casentino, canonico Aquilegensi, scriptori nostro. Cum te ad Boemie et Ungarie regna ac ducatum Polonie et marchionatum Moravie, pro negotio decime olim Terre Sancte subsidio in Lugdunensi concilio deputate, specialiter destinemus, quia in eodem Polonie ducatu, certus redditus seu census, qui vocatur denarius Sancti Petri, Ecclesie Romane debetur, nos — discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, in ipso Polonie ducatu hujusmodi redditum vel censum sive denarium ab omnibus et singulis personis et locis, tam ecclesiasticis quam secularibus, cujuscumque fuerint dignitatis, ordinis, eminentie sive status, a quibus hujusmodi redditus aut census vel denarius debeatur, pro tempore preterito quo extitit in ejus solutione cessatum, petas, exigas, colligas et recipias, inquirendo etiam ex officio nostro super hoc, sicut expedire videris : super quo etiam tibi plenam concedimus, auctoritate presentium, potestatem et contradictores quoslibet ac rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi —. Dat. Anagnie, ut supra.

4410 (LXXXVII) Anagni, 17 septembre 1301.

De pecunia decimæ Terræ Sanctæ subsidio deputatæ, in infrascriptis partibus collecta, nonnullis mercatorum Sanctæ Sedis assignanda. (fol. 131 v°.)

Eidem. Cum te —.

Ut pecuniam, quam virtute litterarum præcedentium collegerit, per se vel per collectores ab eo in Boemiæ, Ungariæ regnis ac in ducatu Poloniæ et marchionatu Moraviæ deputatos, Rogerio et Lapo Spinæ de Spinis ac Symoni Gerardi de societate Spinorum de Florentia, Jacobo Gaitano, Johanni Falconis et Guidoni Balsamo de societate quæ dicitur Benedicta de Pisis mercatoribus legati vel ipsorum et dictarum societatum sociis assignare procuret, æquis inter societates easdem portionibus dividendam.

Dat. Anagnie, xv kal. octobris, anno septimo.

In e. m. *dilecto filio magistro Gabrieli, plebano plebis de Valleneto, Pisane diocesis, capellano et familiari venerabilis fratris nostri Thoderici, episcopi Civitatis Papalis.* Cum te — in Maguntino, Treverensi, Coloniensi, Bremensi, Magdeburgensi et Salzeburgensi provinciis ac in earum et Eistetensi, Bambergensi et Caminensi civitatibus et diocesibus.

In e. m. *eidem Gabrieli.* Cum te —.

Ei deputatur singulis diebus salarium trium florenorum auri percipiendum de pecunia ex ipsa decima colligenda.

In e. m. *magistro Bonajuto predicto.* Cum te —.

Idem salarium ei deputatur.

Dat. ut supra.

4411 (LXXXVIII) Latran, 8 novembre 1301.

Ut sua studia conjungat cum Nicolao, Ostiensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato. (fol. 132.)

Dilecto in Christo filio W[enceslao], regi Boemie. Pridem ad nostram —.

Suprascriptum rogat et hortatur dominus papa, ut conjungat studia sua cum Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato in Ungaria, ad reformandum pacique restituendum ejusdem regni statum.

Dat. Laterani, vi id. novembris, anno septimo.

POTTHAST, 25084.

4412 (LXXXVIIII) Même date.

Eadem de re. (fol. 132 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Cracoviensi. Debent episcopi —.

Suprascripto nunciat dominus papa, se pro reformatione Ungarie regni, quod nunc multipliciter esse noscatur prelatorum etiam subversione proh dolor! dissipatum, Nicolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum, ad partes illas cum plenæ legationis officio destinasse, eumque monet et hortatur, ut eidem legato ad hujusmodi reformationem ac pacem et concordiam stabiliendas in ipso regno assistat.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25089.

4413 (LXXXX) Même date.

Reservatio ecclesiæ Colocensis. (fol. 132 v°.)

Ad perpetuum rei memoriam. Sicut ex fide digna —.

Cum Johannes, archiepiscopus Colocensis, nuper diem clauserit extremum, reservatur provisio ecclesiæ Colocensis dispositioni et ordinationi Sedis Apostolicæ.

Dat ut supra.

POTTHAST, 25090.

4414 (LXXXXI) Même date.

De negotio regni Ungariæ. (fol. 232 v°.)

Venerabili fratri Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, Apostolice Sedis legato. Misse nobis nuper —.

Suprascripto aperit dominus papa, se provisionem ecclesiarum Strigoniensis et Colocensis Apostolicæ Sedi reservasse, eumque monet, ut inducat regem Boemiæ ad revocandum ex Ungaria Wenceslaum, filium suum.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25085.

4415 (LXXXXII) Même date.

Ut inobedientes prælatos punire possit. (fol. 233.)

Eidem legato. Ut ea que —.

Suprascripto, ut efficacius exequi possit quæ ei commissa sint exercenda circa reformationem et pacem regni Ungariæ, concedit dominus papa facultatem puniendi archiepiscopos, episcopos, electos, abbates etc... infra legationis suæ terminos, qui ipsi non paruerint in his quæ fuerint reformationis aut pacis etc.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25087.

4416 (LXXXVIII) Même date.

De episcopo Cracoviensi citando (fol. 233.)

Eidem. Ad audientiam nostram —.

Suprascripto mandat dominus papa, citet Cracoviensem episcopum propter abhorrenda discrimina, mala, dampna et pericula animarum, corporum atque rerum, quæ in regno Ungariæ temporibus istis invaluisse noscuntur, sub pœna suspensionis, ut infra tres menses se Apostolico conspectui repræsentet.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25083.

4417 (LXXXXIIII) Même date.

De negotio regni Ungariæ. (fol. 233.)

Eidem. Ad ea que —.

Suprascripto respondens dominus papa mentionem injicit tractatus cœpti in Ungaria pro concordia facienda inter Carolum, nepotem regis Siciliæ, et Wenceslaum, filium regis Boemiæ.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25086.

4418 (LXXXXV) Même date.

Eodem de re. (fol. 233.)

Venerabilibus fratribus . . archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis . . electis, abbatibus, prioribus ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis per Ungariam, Dalmatiam, Sclavoniam et Poloniam constitutis. Ex relatione venerabilis —.

Eos exhortatur dominus papa, ut legato Apostolicæ Sedis, potissime circa reformationem, directionem et ordinationem regni Ungariæ dampnabiliter deformati, prompte ac reverenter assistant.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25088.

4419 (LXXXXVI) Même date.

Ut citetur episcopus Balneoregensis. (fol. 233 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Viterbiensi. Fidelium cunctorum —.

Cum de S[tephano], episcopo Balneoregensi, multa sinistra et gravia sint domini papæ auribus intimata, quæ limam Apostolicæ correctionis exposcunt, mandatur suprascripto quatinus dictum episcopum citare curet, ut infra octo dies post citationem comparent.

Dat. Laterani, xv kal. decembris, anno septimo

4420 (LXXXXVII) Latran, fête de la dédicace de la basilique de Saint-Pierre, 20 novembre 1301.

Innovantur processus adversus deferentes prohibita Sarracenis, adversus Fredericum et Siculos rebelles, et adversus scismaticos Columpnenses eorumque fautores et receptatores. (fol. v° 133.)

Ad perpetuam rei memoriam. Contra illos falsos et impios Christianos, qui, contra Deum et Christianum populum, res prohibitas deferunt Sarracenis et contra accedentes ad terras que per soldanum Babilonie vel Egipti tenentur et cum rebus prohibitis redeuntes ab eis, nec non et contra Fredericum, natum quondam Petri olim regis Aragonum, qui insulam Sicilie, ad nos et Romanam Ecclesiam ac carissimum in Christo filium nostrum Carolum, Sicilie regem illustrem, spectantem, temere occuparo presumpsit et adhuc pro certis ejusdem insule partibus detinet occupatam, et Siculos sequaces ipsius et participantes in crimine criminoso, ac insuper contra scismaticos Columpnenses et adjutores, fautores et receptatores eorum, dudum per Apostolicam Sedem diversi

habiti sunt processus, spirituales et temporales sententias, penas continentes et mulctas, que in archivo dicte Ecclesie conservantur. Nos vero processus ipsos, sententias, penas et mulctas in suo manere volentes robore firmitatis, — innovamus eosdem —. Actum Laterani, in festo dedicationis basilice Principis Apostolorum de Urbe, pontificatus nostri anno septimo.

4421 (LXXXXIII) Latran, 19 et 20 novembre 1301.

Committitur episcopo Faventino rectoria terrarum Medicinæ et Argellatæ (fol. 133 v°.)

Venerabili fratri L[otherio], episcopo Faventino, rectori terrarum Medicine et Argellate, Bononiensis diocesis. De statu terrarum Medicine et Argellate, Bononiensis diocesis, — cogitamus attentius —, unde reddimur ex corde solliciti, ut ad illarum regimen personam ydoneam deputemus, cujus ope efficaci — inter ipsos ac dilectos filios comune Bononie, Ecclesie prefate devotos, concordie unitas conservetur nec possit inter eos dissensionis seu scandali materia exoriri. Considerantes igitur tue devotionis constantiam, — rectoriam predictarum terrarum — Apostolica tibi auctoritate committimus, per te vel alium, quem ad hoc tuum vicarium deputaveris, exercendam usque ad nostre beneplacitum voluntatis —. Dat. Laterani, XIII kal. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis comunitatibus terrarum Medicine et Argellate, Bononiensis diocesis* —. Notificatur eis dicta provisio —. Dat. Laterani, XII kal. decembris, anno septimo.

4422 (LXXXXVIIII) Latran, 4 décembre 1301.

Suspenduntur omnes gratiæ regi Franciæ concessæ, kalendis novembris anni proximi domino papæ præsentandæ (fol. 324) [1].

Ad perpetuam rei memoriam. Salvator mundi, secundum ordinatissimam distributionem temporum, nature postquam durum Mosayce, ac tandem evangelice gratie suave ac leve jugum imposuit : et ideo non mirandum si ejus vicarius Petrique successor, secundum varietatem temporum, personarum et locorum qualitate pensata, statuta, privilegia, indulgentias, concessiones et gratias, que a Sede Apostolica pro tempore conceduntur, credente ipsa conjectura prodesse aut necessitate urgente vel utilitate publica suadente, postquam experimento inutilia comprobantur, suspendit, revocat et immutat, presertim propter ingratitudinem vel abusum illorum, quibus hujusmodi gratie ac privilegia et indulgentie sunt concessa, et tendit ad noxam quod concessum fuerat ad medelam. Ejus quoque, quod ex causa conceditur, ea cessante, cessare debet effectus. Jureque patet pariter et exemplo, quod promissa vel concessa ex causa revocantur postmodum rationabiliter et mutantur. Nec Romanus Pontifex in concedendis gratiis sic plenitudinem potestatis astringit, quin possit eas, cum decet et expedit, revocare ac etiam immutare. Nos igitur, attendentes quod nonnulla privilegia, indulgentias et gratias carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, ejusque successoribus et specialiter pro defensione regni sui sub certis formis duximus concedenda et gratiose aliqua concessimus clericis et laïcis, qui de suo et successorum suorum stricto consilio fuerint vel majori parti eorum : quorum privilegiorum, gratiarum indulgentiarum et concessionum occasione, per abusum, ecclesiis et ecclesiarum prelatis ac personis religiosis et secularibus dicti regni magna dispendia et gravamina sunt illata, et gravia scandala sunt exorta et inantea possent oriri : ac precaventes ne tali pretextu supradicti ecclesie, prelati ac persone ecclesiastice plus graventur, providimus super hoc salubre remedium adhibere. Unde illa omnia, quantum ad omnem ipsorum effectum, de fratrum nostrorum consilio, usque ad predicte Sedis beneplacitum duximus suspendenda, illa maxime que occasione guerrarum, quibus dicti regni status pacificus turbabatur tunc temporis, fuere concessa. Nec considerationem nostram pertransit, quod, divina faciente clementia, per ministerium nostrum, inter ipsum et carissimum in Christo filium nostrum E[dwardum], regem Anglie illustrem, pacis est reformatio subsecuta, et saltem non est tanta necessitas defensionis hujusmodi, cum tanto onere aliorum, ac, si qua sit, esse dignoscitur culpa sua. Insuper quicquid prelatis et personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, dicti regni, sub titulo decime vel cujusvis subsidii, quocumque nomine censeatur, impositum fuerit, petitum vel requisitum ab eis, etiamsi ad illud solvendum prelati et persone predicti assensum prestiterint, vel ad hoc se duxerint obligandos, nec adhuc exactum fuerit vel solutum, absque Sedis ejusdem speciali mandato decernimus

1. Hæc epistola omnino erasa est in regesto jussu papæ Clementis V, prout mandatum fuit in inscriptione, quæ legitur in margine ad vicesimam primam lineam : « *Omnino tollatur* », et prout constat ex protocollo ab Oddone de Sermineto notario confecto, quod legitur in regesto fol. 140. Eam edimus non ex exemplari originali, regi Philippo misso, quod frustra conquisivimus in tabulario Parisiensi ; sed ex ejus textu, in epistola sequenti, « Nuper ex rationabilibus causis » incipienti, inserto, cujus exemplar originale, pariter regi Philippo missum, reperimus in eodem tabulario J. 479 n° 20 et adhibuit Dupuy in « Histoire du Différend » pr. 42.

non solvendum : executoribus super premissis vel aliquo premissorum a dicta Sede concessis districte mandantes, ut, contra hujusmodi suspensionem et decretum nostra, aliquos non aggravent vel molestent, aut contra eos, hujusmodi occasione vel causa, aliquo modo procedant, et, si secus fecerint, illud decernimus irritum et inane et nullius volumus existere firmitatis. Ceterum, quia labilis est humana memoria et ipsi regi, se corrigenti et habilitanti ad gratiam promerendam, libenter, quantum cum Deo possumus absque multorum scandalo complacemus, dictis suspensione ac decreto in sua firmitate manentibus, kalendas novembris proximo venturas pro peremptorio termino assignamus, ut omnia privilegia gratie, indulgentie et concessionis, que dicto regi et successoribus suis ac clericis et laïcis de ipsorum consilio, illa presertim, que, dum in Urbeveteri vel Anagnia cum nostra moraremur curia, sub quavis forma noscimur concessisse, dicte Sedis conspectui presententur et ad nostram et ipsius Sedis notitiam deducantur, ut, consideratis ipsis et visis, provideri possit, si dicta suspensio fuerit in aliquo vel aliquibus moderanda. Dat. Laterani, II non. decembris, pontificatus nostri anno septimo.

Potthast, 25096.

4423 (c) Latran, 5 décembre 1301.

Deducitur ad notitiam regis Franciæ suspensio omnium gratiarum ei concessarum (fol. 134 v°) [1].

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Nuper ex rationabilibus causis moti, presertim ad relevanda gravamina et quasi importabilia onera ecclesiarum, prelatorum et ecclesiasticarum personarum, regularium et secularium, regni tui, litteras infrascripti tenoris fieri fecimus et bulla nostra bullari, quarum tenorem ad tuam providimus notitiam presentibus deducendum. Tenor autem talis est : Bonifacius, et cetera, ad perpetuam rei memoriam. Salvator mundi, ut in proxima superiori usque in finem. Tu igitur, sicut filius predilectus, in hiis que rationabiliter et pro utilitate publica fecimus, non turberis ; sed ea equanimiter toleres, prudenter attendens, quod, ut premittitur, terminum assignamus, quo privilegia, indulgentie, gratie et concessiones predicte nostro conspectui presententur et ad nostram et dicte Sedis notitiam deducantur, ut, consideratis ipsis et visis, provideri possit, si dicta suspensio fuerit in aliquo vel aliquibus moderanda. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

4424 (ci) Latran, 5 décembre 1301.

De excessibus a rege Franciæ commissis et de nunciis Romam ab eodem mittendis kalendis novembris, tempore quo prælati regni Franciæ ibidem de eisdem cum papa consulent [1].

Charissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Asculta, fili carissime, precepta patris et ad doctrinam magistri, qui geret Illius vices in terris qui solus est magister et dominus, aurem tui cordis inclina, viscerose sancte Matris Ecclesie amonitionem libenter excipe et cura efficaciter adimplere [2] *ut in corde contrito ad Deum reverenter redeas, a quo, per desidiam vel depravatus consilio, nosceris recessisse ac Ejus et nostris beneplacitis te devote conformes.* Ad te igitur sermo noster dirigitur, tibi paternus amor exprimitur et dulcia matris ubera exponuntur. Campum siquidem militie humane mortalitatis ingressus, renatus sacri fonte baptismatis, renuntians diabolo et pompis ejus, non quasi hospes et advena, sed jam domesticus fidei et civis sanctorum effectus, ovile dominicum intravisti, colluctaturus non solum contra carnem et sanguinem, sed etiam contra aereas potestates mundique rectores presentium tenebrarum, sic veri Noe es arcam ingressus, extra quam nemo salvatur, catholicam scilicet ecclesiam, unam [3] columbam, immaculatam unici Christi sponsam, in(qua) Christi vicarius Petrique successor primatum noscitur obtinere, qui, sibi collatis clavibus regni cœlorum, judex a Deo vivorum et mortuorum constitutus agnoscitur, ad quem sedentem in judicii solio dissipare pertinet suo intuitu omne malum. *Hujus profecto sponce* [4], que de cœlo descendit, a Deo parata sicut sponsa ornata viro suo, Romanus Pontifex capud existit. *Nec habet plura capita*

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta. Hæc epistola non legitur integraliter in regesto, multæ sententiæ ejusdem erasæ sunt jussu papæ Clementis V, prout mandatum fuit in inscriptione : « *Corrigatur secundum notam* » quæ adhuc legitur, quanquam deprehenduntur conatus eam eradendi, in margine ad lineam decimam nonam, et prout constat ex protocollo, cujus mentionem jam fecimus et quod commemorat hæc inscriptio in margine sœculo XVII aut XVIII exarata : « Pagina infra 140 dicitur quod rasuræ istæ factæ fuerunt de mandato Clementis pp. V. ». Sententiæ erasæ impressæ sunt italicis caracteribus. Epistolam edimus ex textu a Dupuy edito, collato cum regesto in partibus ibidem servatis et cum textu asservato in exemplari processus adversus Bonifacium VIII quod asservatur in tabulario Vaticano X, 193, p. 303.

2. *Ms* : et infra.

3. Falso apud Dupuy : *veram.*

4. Hæc verba rescripta fuerunt.

monstruosa, cum sit sine macula, sine ruga, nec habens aliquod inhonestum [1].

Sane, fili, cur ista direxerimus [2], *immininente necessitate ac urgente conscientia, expressius aperimus. Constituit enim nos Deus, licet insufficientibus meritis, super reges et regna, imposito nobis jugo Apostolice servitutis, ad evellendum, destruendum, disperdendum, dissipandum, edificandum atque plantandum sub ejus nomine et doctrina, et ut, gregem pascentes dominicum, consolidemus infirma, sanemus egrota, alligemus fracta et reducamus abjecta, vinumque infundamus et oleum vulneribus sauciatis. Quare, fili carissime, nemo tibi suadeat, quod superiorem non habeas et non subsis summo jerarche ecclesiastice jerarchie, nam desipit qui sic sapit, et pertinaciter hoc affirmans convincitur* [3] *infidelis, nec est intra boni pastoris ovile; et, licet de singulis regibus et principibus sub fide militantibus Christiana, pro eorum salute, sollicite cogitemus, erga te tamen officii nostri debitum eo amplius eoque carius et attentius dirigere debemus et exequi quo majore* [4] *personam tuam paterna et materna caritate complectimur, et non solum te, sed et progenitores, domum et regnum tua in diversis nostris statibus, plena et pura sumus benevolentia prosecuti. Nec possumus, cum non debeamus, preterire silentio, quin ea, per que oculos divine majestatis offendis, nos perturbas, gravas subditos, ecclesias et ecclesiasticas secularesve personas opprimis et affligis, nec non pares, comites et barones, aliosque nobiles et universitates ac populum dicti regni multosque diversis angustiis scandalisas, tibi apertius exprimamus. Profecto erga hactenus servasse nos novimus ordinem caritatis, interdum personaliter per nos ipsos, dum nos minor status haberet, ac, postquam nos Dominus provexit ad apicem Apostolice dignitatis, per multiplices litteras, solemnes nostros et tuos nuncios, prelatos et comites, alios domesticos nostros et tuos, te, opportunis studiis et temporibus, inducendo, ut errata corrigeres, emendares excessus, regnum tuum in pacis dulcedine ac tranquillitate disponeres ac cleri et populi gravaminibus abstineres, tuoque jure contentus in aliorum injuriam occupatrices non extenderes manus tuas. Sed quod te correxeris, quod in te salutis semina sata, ut vellemus, fructificaverint, non videmus; quin immo, delinquendi licentiam et multiplicandi peccata videris, proh dolor, in consuetudine produxisse* [5], *et, ut aliqua explicabiliter inferamus: ecce quod, licet pateat manifeste ac explorati juris existat, quod in ecclesiasticis dignitatibus, personatibus et beneficiis, canonicatibus et prebendis, vacantibus in curia vel extra curiam Romanam, pontifex summam et potiorem obtinet potestatem, ad te tamen hujusmodi ecclesiarum, dignitatum, personatuum, beneficiorum, canonicatuum collatio non potest quomodolibet pertinere nec pertinet, nec per tuam collationem in ipsis vel eorum aliquo potest alicui jus adquiri, sine auctoritate vel consensu Apostolice Sedis, tacitis vel expressis, quos qui acceperit et se denegat accepisse, eis per ingratitudinem est privandus, et etiam ille qui permissa vel concessa abubitur potestate, et qui contrarium tibi suadet est contrarius veritati, nichilominus tu, metas et terminos tibi* [1] *positos irreverenter excedens, et factus impatiens, super hoc injuriose obvias ipsi Sedi, ejusque collationes, canonice factas, executioni mandari non sustines sed impugnas, quamvis tuas, qualitercumque factas, precedere* [2] *dinoscuntur: et, cum in judicio esse debeat distinctio personarum, tu tamen, in propriis causis, jus tibi dicere, et, non in communi, sed in proprio judicio, partes actoris et judicis sortiris* [3], *et, si quemquam injuriari tibi reputas, contemnis de ipso conqueri coram competenti judice, seu etiam coram nobis, quantumcumque injuriatus sit persona ecclesiastica vel mundana, de regno tuo vel extra, et de illatis per te vel tuos injuriis atque damnis, ac, de tuis et tuorum excessibus, recusas per aliquem judicari, et ad saisienda et occupanda ecclesiastica bona et jura, pro libito voluntatis, occupatrices manus extendis in casibus tibi non concessis ab homine vel a jure. Prelatos insuper et alias personas ecclesiasticas, tam religiosas quam seculares, regni tui etiam super personalibus* [4] *actionibus, juribus et immobilibus bonis, que a te non tenentur in feudum, ad tuum judicium pertrahis et coarctas, et inquestas fieri facias et detineri tales, licet in clericos et personas ecclesiasticas nulla sit laïcis attributa potestas: preterea contra injuriatores et molestatores prelatorum et personarum ecclesiasticarum eos spirituali gladio, qui eis competit, uti libere non permittis, nec jurisdictionem eis competentem in monasteriis seu locis ecclesiasticis, quorum recipis guardiam vel custodiam vel a predecessoribus tuis receptam proponis, pateris exercere; quin potius sententias seu processus, per dictos prelatos ac personas ecclesiasticas licite promulgatos et latos, si tibi non placeant, directe vel indirecte revocare compellis. Et, quod tacere nolumus, Lugdunensem ecclesiam, tam nobilem, tam famosam, tam caram in predicte Sedis pectore constitutam, que in spiritualibus et temporalibus hactenus reflorebat, tu*

1. Hæc verba rescripta fuerunt. Post « inhonestum » legitur: et infra.
2. Apud Dupuy : *dixerimus*.
3. *Ms* : committitur.
4. *Ms* : majora.
5. Apud Dupuy : *in consuetudinem deduxisse*.

1. *Ms* : tuos.
2. *Ms* : procedere.
3. *Ms* : sortiaris.
4. *Ms* : personatibus.

et tui injuriosis gravaminibus et excessibus ad tantam inopiam et oppressionis augustiam deduxistis, quod vix adicere poterit ut resurgat, quam constat non esse infra limites regni tui, nosque, qui quandoque fuimus canonicus in eadem ecclesia ejusque libertatum, privilegiorum et jurium notitiam plenam habemus, non revocamus in dubium quod injuriose nimis tractas eandem. Vacantium etiam regni tui ecclesiarum cathedralium redditus et proventus, quos tu et tui appellatis regalia, per abusum tu et ipsi tui non moderate consumitis : sic fit, ut, quorum custodia fuit ab initio regibus pro conservatione commissa, nunc ad consumptionis noxam discriminose deveniant et discriminosis abusibus exponantur. Quod enim custodiendum est rapitur et quod conservandum illicite devoratur, et custodes sunt lupi rapaces effecti, et sub pretextu custodie status ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum dispendia perfert, damna sustinet et miserabiles [1] *sortitur eventus, primeve conservationis spe utique defrandatus. Et quidem prelati [et] ecclesiastice persone, nedum hii quos regni tui continet incolatus, sed per illud alienigene etiam transeuntes, bona propria mobilia de regno ipso nequaquam extrahere permittuntur, ex quo diversa patiuntur incommoda, et qui super hoc libero uti debent arbitrio, servitutis jugo premuntur. Ac, ut de mutatione monete aliisque gravaminibus et injuriosis processibus, per te ac tuos magnis et parvis regni ejusdem incolis irrogatis et habitis contra eos, qui procesus temporis explicari poterunt, taceamus ad presens, qualiter in premissis et aliis libertas ecclesiastica et immunitas tuis sunt enervate temporibus, qualiter tu a sacris et piis, providis et maturis progenitorum tuorum vestigiis, que per universi mundi climata emitebant* [2] *illustrissimos radios claritatum, degenerare noscaris. Nempe multorum ad nos insinuatio clamosa perducit, ac, nedum in regno ipso sed in diversis mundi partibus, innotescit, et ecclesie dicti regni, que solebant hactenus libertatibus et quiete vigere, nunc facta sunt sub tributo, sicut luctuosus clamor earum sub intolerabili persecutione testatur. Nec ignoras quod super iis et consimilibus de* [3] *te ad Deum, nec non ad te, sepius nedum sepe, clamavimus et exaltavimus vocem nostram, annunciavimus scelera, delicta deteximus, sperantes te ad penitentiam salubriter revocare et adeo desudavimus in clamando, quod rauce facte sunt fauces nostre ; sed tu, velut aspis surda, obturasti aures tuas, et nostra salubria monita non audisti nec recepisti ea velut medicamenta curantis. Verum, licet ex premissis contra te sumere arma, pharetram atque arcum non indigne nec injuste possemus, ut te a tanto revocaremus invio ad semitam*

1. *Ms*: miabilis.
2. *Ms* : enitebant.
3. *Ms* : ad.

reducendo salutis, adhuc nichilominus, dum tamen filialiter metuas, hec tibi presignificare decrevimus, ut saniori ductus consilio a facie arcus inflexibilis sententie potius, imo prorsus, effugias, quam exspectes debite judicium ultionis, cum tutius dignoscitur ante casum occurrere quam remedium querere post ruinam. Cum autem nos debitum pastoralis officii urgeat et publice utilitatis intersit, ut qui nec Deum timent nec deferunt Ecclesie neque censuram canonum reverentur et, quasi descendentes in profundum malorum, contempnunt, quamvis eis displiceat, ad salutem etiam trahamus invitos, nos, nolentes ne ex dissimulatione tam longa nos tua culpa reddat obnoxios, ne, si nos vel te, quod absit, incorrectum Deus de hac vita subtraheret, anima tua de nostris manibus requiratur, neve tui custodia, quam suscepimus in commisso nobis officio Apostolice servitutis, in nostrum cedat periculum et discrimen ac perditionem multorum, dissimulando talia et diutius tolerando, ecce amore paterno commoti, qui omnem vincit affectum, ex affluentia materne sollicitudinis excitati, ad providendum ne perdat cum impiis Deus animam tuam neve tua et tam ameni [1] *regni claritas malis* [2] *et detestandis insolentiis denigretur, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita pleniori, venerabiles fratres nostros archiepiscopos, episcopos ac dilectos filios electos et Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis nec non Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, et Majoris Turonensis, ordinis sancti Benedicti, monasteriorum abbates et capitula ecclesiarum cathedralium regni tui, ac magistros in theologia et in jure canonico et civili, et nonnullas alias personas ecclesiasticas oriundas de regno predicto, per alias nostras patentes litteras, certo modo ad nostram presentiam evocamus : mandantes eisdem, quod in kalendis novembris futuris proxime, quas eis pro peremptorio termino assignamus, nostro se conspectui representent, ut, apud te ac alios sublata repentini exceptione consilii, quin immo maturiori cautela servata et frustratoriis objectibus amputatis, super premissis et aliis deliberate consulamus eosdem, cum quibus, sicut cum personis apud te suspicione carentibus, quin potius acceptis et gratis, ac diligentibus nomen tuum, et affectantibus statum prosperum regni tui, tractare consultius et ordinare salubrius valeamus que ad premissorum emendationem tuamque directionem* [3]*, quietem atque salutem, ac bonum et prosperum regimen ipsius regni videbimus expedire. Si tuam itaque rem agi putaveris, eodem tempore per te vel fideles viros et providos, tue conscios voluntatis, ac diligenter instructos, de quibus plene valeas habere fiduciam, hiis poteris interesse, alioquin*

1. Apud Dupuy : amati.
2. *Ms* : malibus.
3. Apud Dupuy : quam directionem.

tuam vel ipsorum absentiam divina replente presentia, in premissis et ea contingentibus ac aliis, prout superna nobis ministraverit gratia et expedire videbitur, procedemus. Tu autem audies quid loquetur in nobis Dominus Deus noster: in quibus tamen sine offensa Dei, scandalo et periculo Ecclesie, offensione justitie et utilitatis publice lesione, [1] *honoris tui poterimus minorationis* [2] *vitare dispendia, deferre tibi disponimus, et tui etiam culminis salubria comoda promovere, si te correxeris et habilitaveris ad gratiam promerendam. Ceterum, licet super premissis et similibus, ad excusandas excusationes in peccatis, te aliqui excusare nitantur, non tantum ea tibi quantum et tuis pravis consiliariis imputando, in hoc tamen tu inexcusabilis comprobaris, quod tales consiliarios, honoris tui utique destructores, tueque salutis et fame falsos et impios consumptores, assumis et retines, eisque regium prebes assensum, qui ad tam enormia et delectabilia te inducunt. Hi sunt quasi falsi prophete* [3] *suadentes tibi falsa et stulla, quia non viderunt a Domino visionem. Ergo fraudulentis detractionibus et subversionibus talium, sub adulationis et falsi consilii utique velamento confictis, minime quesumus acquiescas, quia in vastitate quadam hostili devorant incolas regni tui, et non tibi sed eis mellificarunt apes. Isti sunt secretiora illa hostilia, per que ministri Bel sacrificia que superponebantur* [4] *a rege clanculo* [5] *asportabant. Hi sunt qui sub, umbra tui, longa manu, tua et aliorum bona diripiunt, et, sub obtentu justitie palliate, subditos opprimunt, ecclesias gravant et redditus alienos violenter invadunt, pupillo et vidue non intendunt, sed impinguantur* [6] *lacrymis* [7] *et divitum oppressione* [8], *discordias suscitant et fovent, guerras nutriunt ac pacem de regno tollere pravis operationibus non verentur* [9]. *Verumtamen cadit in hoc illa prava dissimulatio Judeorum, qui, dum linguis crucifigentes Dominum, dicentes tamen eis non licere interficere quemquam, tradebant eum occidendum militibus, ut ab eis culpa in alios transferretur* [10]. *Tantam* [11] *namque prudentiam Deus tibi ministrat ex alto, tantam vides et audis in aliis, quorum potes exemplo doceri, totque tibi meminimus salubria consilia destinasse, quod, si tu studia converteres solerter ad bonum, talium te curares consiliariorum juvamine communire, qui te in stultum finem nequaquam impingerent, sed ad incrementa salutis et utilitatis publice prudentius animarent; sed timemus ne apud te, cujus interiores oculi putantur illicitis excitati* [1], *vilescat sermo dominicus et verba, edificativa vite, productiva salutis, amoris defectui* [2] *ascribantur.* Ad hec, ne Terre Sancte negotium, quod nostris et tuis ac aliorum fidelium debet carius insidere precordiis, nos putes oblivioni dedisse, memorare, fili, et discute quod progenitores tui Christianissimi principes, quorum debes laudanda vestigia solerti studio et claris operibus imitari, exposuerunt olim personas et bona in subsidium dicte Terre, sed, Saracenorum invalescente perfidia et Christianorum ac *maxime* tua et aliorum regum et principum devotione solita tepescente, Terra eadem tuis utique temporibus, heu! deperdita noscitur et prostrata. Quis itaque canticum Domini cantat in ea, quis assurgit in ejus subsidium et recuperationis oportune juvamen adversus impios Saracenos, malignantes et operantes iniquitatem ac debacchantes in illa. Ad ejus quippe succursum arma bellica periisse videntur et abjecti sunt clippei fortium qui contra hostes fidei dimicare solebant. Enses et gladii evaginantur in domesticos fidei et serviunt in effusionem sanguinis Christiani, et, nisi a populo Dei domestice insolentie succidantur et pax ei proveniat salutaris, Terra illa, fedata actibus malignorum, a periculo desolationis et miserie per ejusdem populi ministerium [3] non resurget. Si hec et similia hiis benivola mente revolvas, invenies quod obscuratum est aurum et color optimus immutatus. An non ignominia et confusio magna tibi et aliis regibus et principibus Christianis adesse dinoscitur, quod versa est ad alienos hereditas Jhesu Christi et sepulcrum ejus ad extraneos devolutum? Qualem ergo retributionis gratiam merebuntur apud Dominum reges et principes et ceteri Christiani, in quibus Terra querit respirare predicta, si non est qui substentet eam ex omnibus filiis quos genuit ipse Deus, nec est qui supponat manum ex omnibus quos nutrivit? Clamat enim ad Dei filios civitas Jerusalem, et suas exponit augustias, et in remedium doloris ejus filiorum Dei implorat affectus. Si ergo filius Dei es, dolores ejus excipias; tristare et dole cum ipsa, si diligis bonum ejus. Tartari quidem pagani et alii infideles eidem Terre succurrunt, et ei non subveniunt in ea Christi sanguine pretioso redempti, nec est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Hoc a dissidiis privatis obvenit, dum utilitas publica cupiditatis ardore consumitur, nonnullis que sunt sua querentibus, non

1. *Ms* : et.
2. *Ms* : immo rationis.
3. *Ms* : prohete.
4. *Ms* : ponebat.
5. *Ms* : baculo.
6. *Ms* : impugnantur.
7. *Ms* : lacrymas.
8. *Ms* : oppressorum.
9. *Ms* : merentur.
10. *Ms* : transferatur.
11. *Ms* : tantum.

1. Apud Dupuy : exccieati.
2. *Ms* : defectu.
3. In regesto : misterium.

que Christi, quorum peccata Deus, ultionum Dominus, non solum in ipsis vindicat sed etiam in progenies eorumdem. Tremenda sunt itaque Dei judicia et timenda, ante que non parantes justitiam damnabuntur, justus autem de augustia liberabitur et cadet impius in laqueum quem tetendit. Tu vero, fili, communiens in tribus temporibus vitam tuam, ordinando presentia, rememorando preterita et previdendo futura, sic te prepares in premissis *et aliis sic reformes, quod ad judicium Dei et nostrum ab illo dependens non damnandus accedas,* ut in presenti divinam gratiam et in futuro salvationis ac retributionis eterne gloriam merearis. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

Potthast, 25097.

4425 (CII) Latran, 6 décembre 1301.

Notificatur prælatis regni Franciæ tenor epistolæ « Asculta fili » incipientis, regi Franciæ nuper missæ [1]. (fol. 136.)

Bonifatius etc. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis electis et . . Cisterciensis, . Cluniacensis, et.. Premonstratensis, necnon Sancti Dionysii in Francia, Parisiensis diocesis, et Majoris Turonensis, ordinis sancti Benedicti, monasteriorum abbatibus; necnon capitulis ecclesiarum cathedralium regni Francie et doctoribus in theologia et magistris in jure canonico et civili de regno natis eodem salutem etc. Ex rationabilibus causis moti mittimus charissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri litteras nostras infrascripti tenoris qui talis est: « Bonifacius etc., charissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri. Asculta, fili charissime », et cetera ut in proxima superiori usque in finem. Vos igitur potissime, quos per alias nostras litteras ad presentiam nostram sub certa forma vocamus, supradictum tenorem diligentius attendatis, et super contentis in eo sic vos modis congruis informetis, quod possitis consultius, certius et salubrius vestra nobis dare consilia in agendis. Dat. Laterani, VIII id, decembris, anno septimo.

Potthast, 25103.

4426 (CIII) Latran, 5 décembre 1301.

Vocantur prælati regni Franciæ Romam, kalendis novembris proxime futuris, de injuriis a rege Franciæ ecclesiis et personis ecclesiasticis in regno Franciæ et alibi ac etiam aliis illatis cum papa consulturi [1]. (fol. 136.)

Bonifatius etc. . venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis, electis et capitulis ecclesiarum cathedralium regni Francie, ac doctoribus in theologia et magistris in jure canonico et civili de regno natis eodem salutem etc. Ante promotionem nostram ad summi Apostolatus officium, dum adhuc nos minor status haberet, et post usque in presentiarum, multa sunt nostro Apostolatui reserata fide digna assertione multorum, quorum nonnulla etiam ad contingentia regna et populos in mali exempli perniciem sunt diffusa, et ea multos ex vobis credimus non latere, super excessibus, culpis, insolentiis, injuriis atque dampnis, que prelatis, ecclesiis et personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, in regno Francie constitutis et alibi per charissimum in Christo filium nostrum Phylippum, regem Francie illustrem, et officiales suos seu balivos multipliciter inferuntur; ac etiam paribus, comitibus aliisque nobilibus, universitatibus et populo dicti regni, prout hec et alia in aliis nostris litteris, quas eidem regi dirigimus, seriosius continetur. Unde super hoc cum fratribus nostris deliberatione habita pleniori, de ipsorum fratrum consilio, ad nostram presentiam vos providimus evocandos. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica scripta vobis in virtute obedientie districtius injungentes, quatinus in kal. novembris proximo futuris, quas vobis pro peremptorio termino assignamus, instructi et informati super premissis et aliis, super quibus instructionem et informationem vestram videritis opportunam, vos, fratres archiepiscopi et episcopi, necnon electi, doctores et magistri, personaliter, vos vero capitula, per procuratores ydoneos cum sufficienti mandato et informatos plenius, nostro vos conspectui presentetis, ut super premissis et ea contingentibus vestra possimus habere consilia, qui apud eumdem regem suspicione caretis, et sibi et regno accepti estis et grati, et diligitis ipsum regem; necnon tractare, dirigere, statuere, procedere, facere et ordinare que ad honorem Dei et Apostolice Sedis, augmentum catholice fidei, conservationem ecclesiastice libertatis, ac reformationem regis et regni, correctionem preteritorum excessuum, et bonum regimen regni ejusdem viderimus expedire. Nos enim ipsi regi per alias nostras significamus litteras, ut si rem suam agi putaverit in premissis, suaque crediderit interesse, per se vel per fideles viros et providos, sue conscios voluntatis, ac diligenter instructos, cum sufficienti mandato, coram no-

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

bis possit, si velit, eodem termino comparere. Alioquin suam, vel illorum, aut etiam vestram absentiam divina replente presentia, in premissis et ea contingentibus ac aliis, prout fuerit nobis ministratum a Domino, et expedire viderimus, procedemus. Vos autem mandatis nostris in hac parte taliter obedire curetis, quod non possitis de contemptu vel negligentia seu inobedientia reprehendi, sed magis de diligentie, obedientie ac devotionis promptitudine commendari. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

Potthast, 25099.

4427 (ciiii) Même date.

Eadem de re [1]. (fol. 136 v°)

. . *abbati Cistercii.* Cum ex rationabilibus causis venerabiles fratres nostros universos archiepiscopos et episcopos et dilectos filios electos, et capitula ecclesiarum cathedralium regni Francie, ac doctores in theologia et magistros in jure canonico et civili de regno natos eodem, ad nostram presentiam sub certa forma per alias nostras litteras evocemus, kalendis Novembris futuris proximo eis pro peremptorio termino assignatis, ut compareant coram nobis, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus tu in predicto termino personaliter coram nobis comparere procures. Hujusmodi ergo nostro mandato taliter studeas obedire quod non possis de contemptu, negligentia et inobedientia reprehendi, sed de diligentie, obedientie ac devotionis promptitudine commendari. Dat. ut supra.

In e. m. . *abbati Cluniacensi.*

In e. m. . . *abbati Premostratensi.*

In e. m. . . *abbati monasterii Sancti Dionisii in Francia, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis.*

In e. m. . . *abbati monasterii Majoris Turonensis, ordinis sancti Benedicti.*

4428 (cv) Latran, 5 décembre 1301.

Quo modo probabuntur impedimenta legitima a prælatis Romam convocatis allegata [2]. (fol. 136 v°.)

Bonifatius venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis per regnum Francie constitutis ac . . Cisterciensis, . . Cluniacensis, . . Premonstratentis, necnon et . . Sancti Dionysii in Francia, Parisiensis diocesis, ac . . Majoris Monasterii Turonensis, ordinis sancti Benedicti, monasteriorum abbatibus. Vos et universos doctores in theologia et magistros in jure canonico et civili, de regno Francie oriundos, ad nostram presentiam per nostras alias litteras evocamus, ut certo tempore compareatis coram nobis personaliter : illos tantum doctores seu magistros in jure canonico et civili ab hujusmodi comparutione volumus excusatos haberi, qui coram suis ordinariis se duxerint excusandos legitime et super hoc fidem fecerint coram eis. Impedimenta vero legitima, si, quod absit, archiepiscopis, episcopis, electis et abbatibus vel vestrum alicui vel aliquibus evenerint probare volumus coram nobis, illo vel illis quos ad hoc duxerimus deputandos. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

Potthast, 25100.

4429 (cvi) Latran, 5 décembre 1301.

De doctoribus in theologia et jure canonico designandis, Parisius ad actu regendum remansuris [1]. (fol. 136 v°.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Genovefe, ordinis sancti Augustini, et . . decano ac . . cancellario ecclesie Parisiensis. Discretioni vestre committimus, quatinus vos, duo aut unus vestrum, presertim, tu, cancellarie, providere possitis de tot et talibus doctoribus et magistris, ut Parisius remaneant ad actu regendum ibidem, de quot et quibus videritis providendum, ita quod tam utile studium et famosum doctores sufficientes habeat in theologia et jure canonico predictis. Per hec autem, tu, cancellarie, statuto tempore venire personaliter ad nostram presentiam non omittas. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

Potthast, 25102.

4430 (cvii) Même date.

Ut magistrum Petrum de Lemovicis secum ducat Romam Ebroicensis episcopus. (fol. 136 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Ebroicensi. Cum venerabiles fratres nostros universos archiepiscopos et episco-

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.
2. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

pos, et te ac dilectos filios electos, et nonnullas alias personas ecclesiasticas regni Francie, ex rationabilibus causis, per alias nostras litteras duxerimus evocandos, ut in kalendis Novenbris futuris proximo, quas tibi et ipsis pro peremptorio termino assignavimus, compareatis coram nobis, demusque per alias nostras litteras dilecto filio magistro Petro de Lemovicis, Ebroicensi canonico, in mandatis, ut, eodem termino, nostro se conspectui representet, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus in societate tua ducas eundem, et, cum sit homo scolasticus et in redditibus non multum habundans, de expensis et aliis oportunis pro itinere curialiter sibi providere procures. Dat. ut supra.

4431 (CVIII) Même date.

Vocatur Romam kalendis novembris magister Petrus de Lemovicis. (fol. 136 v°.)

Magistro Petro de Lemovicis, canonico Ebroicensi. Cum venerabiles fratres nostros universos archiepiscopos et episcopos ac dilectos filios electos, et cetera ut supra in proxima usque : ut in kalendis Novembris futuris proximo, quas ipsis pro peremptario termino assignavimus, compareant coram nobis, tuamque velimus habere presentiam, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus coram nobis in eodem termino comparere procures. Nos enim pro tua comoditate venerabili fratri nostro Ebroicensi episcopo, per alias litteras nostras, mandamus, ut in sua comitiva te ducat et de expensis et aliis oportunis tibi curialiter providere procuret. Dat. ut supra.

4432 (CVIIII) Latran, 5 décembre 1201.

Ut episcopum Appamiarum libere abire et ad Sedem Apostolicam venire permittat rex Francie [1]. (fol. 137.)

... *regi Francie illustri.* Secundum divina, canonica et humana jura, ecclesiarum prelati et persone ecclesiastice, tam regulares quam seculares, in quibus laicis nulla est attributa potestas, multa debent libertate et immunitate gaudere : et hoc laudabilium predecessorum tuorum tempore servabatur. Et ideo plus dolemus, si, tuo tempore, cujus regnum Deus tantum dilatavit et auxit, tanto devotior Deo non redderis, imitando laudabiles predecessorum ipsorum actus, quanto a Deo ampliora nosceris recepisse. Sane ad nostrum pervenit auditum, quod tu venerabilem fratrem nostrum Appamiarum episcopum personaliter ad presentiam tuam deduci fecisti sub tuorum cauta custodia, utinam non invitum! quem, sub colore securitatis persone ipsius, custodiendum diceris commisisse venerabili fratri nostro Narbonensi archiepiscopo, metropolitano ipsius. Magnitudinem igitur tuam rogamus et hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eumdem episcopum, cujus volumus habere presentiam, abire libere et ad nostram presentiam securum venire permittas, omniaque bona mobilia et se moventia, ac immobilia, que per te vel tuos occupata, saisita vel detenta sunt, ad eum vel commissam sibi ecclesiam pertinentia, sibi restitui facias, et de iis, que forsan non extarent, debitam satisfactionem impendi, nec in antea ad similia per te vel tuos occupatrices manus extendas, habiturus te taliter in premissis, quod majestatem non offendas divinam nec Sedis Apostolice dignitatem, nec oporteat nos aliud remedium adhibere : sciturus, quod, nisi ad excusationem tuam aliquid rationabile coram nobis propositum fuerit vel ostensum, et premissis veritas suffragetur, quin incurreris sententiam canonis, propter injectionem temerariarum manuum in dictum episcopum, non videmus. Nos enim dicto archiepiscopo damus per alias nostras litteras in mandatis, ut eumdem episcopum liberet et ad nos venire permittat, non obstante custodia, quam a te de eo dicitur recepisse. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

Potthast, 25101.

4433 (CX) Latran, 6 décembre 1301.

Eadem de re. (fol. 137.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Narbonensi. Ad audientiam nostram non sine amaritudine et turbatione pervenit, quod carissimus in Christo filius noster Philippus, Francie rex illustris, venerabilem fratrem nostrum . . Appamiarum episcopum, deductum ad suam presentiam sub custodia, et utinam non coactum! tue commisit custodie, tuque recepisti ab eo custodiendum episcopum memoratum. Nos itaque, dicti episcopi presentiam habere volentes, fraternitati tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus episcopum ipsum, omni amota custodia, liberum abire et ad nos sine more dispendio venire permittas, et eundem regem ex parte nostra moneas et inducas, ut bona mobilia et se moventia, necnon et immobilia. ad eum et ad Appamiensem ecclesiam pertinentia, que per ipsum re-

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

gem vel per suos officiales vel balivos vel per alios de mandato suo arrestata, saisita et occupata sunt, eidem restitui faciat; et, si qua forsitan non existant, de eis debitam satisfactionem impendi; quodque occupatrices manus, per se vel per alium seu alios, in antea ad similia non extendat. Scire quoque te volumus, quod, nisi ad excusationem regis ejusdem aliquid rationabile coram nobis propositum fuerit vel ostensum, et relatibus nobis factis veritas suffragetur, quin incurrerit sententiam canonis, propter injectionem temerariarum manuum in dictum episcopum, non videmus, et hoc scripsimus ipsi regi. Dat. Laterani, VIII id. decembris, anno septimo

4434 (CXI) Latran, 2 et 3 décembre 1301.

Ut ad provinciam Tusciæ celeriter accedat infrascriptus et cum Carolo, comite Andegavensi, concurrat cum moderatione et mensura ad pacem inibi restaurandam. (fol. 137.)

Venerabili fratri . . Portuensi episcopo. Cum nobilis provincia Tuscie multis foret confossa doloribus, guerrarum concitata dissidiis, civilibus bellis licentie laxatis habenis, ac deformata ruinis, decuit nos, ad animarum, corporum et rerum vitanda pericula, in ipsa prosequi vias pacificas et ad unitatem reducere discordantes, ne se mutuo lacerarent, impeterent ac molestarent injuste, ut tam nobilis tantaque provincia in tabernaculis fiducie requiesceret et in pacis dulcedine habitaret, et, per hoc, in ea purgaretur heretica pravitas, cohiberetur predonum audacia, honoraretur Sancta Romana Ecclesia et fidelium devotio nutriretur. Ad nos namque relatio fidedigna perduxerat, quod nonnulli de dicta provincia, cum malitie sue conciis atque consortibus, habentes de ipsius turbatione pruritum, malignitatis sue in favorem nostrorum et Apostolice Sedis rebellium suos illicitos conatus moliebantur extendere, ut non cuiquam sua confirmaretur justitia, non cuiquam status suis debitus meritis servaretur. Unde, cum fratribus nostris habita deliberatione matura, attendentes quod Romanum vacat Imperium, cujus ad nos, presertim hoc tempore, pacifica conservatio dignoscitur pertinere, dilectum filium nobilem virum Carolum, natum clare memorie Philippi regis Francorum, comitem Andegavensem, de cujus strenuitate, armorum experientia et bonitate confidimus, conservatorem pacis in ea parte ipsius Tuscie, que predicto Imperio subjacet, de fratrum eorumdem consilio duximus deputandum. Qui, provinciam ipsam potenter et prudenter ingressus, hujusmodi commissum sibi paciaratus seu conservande pacis officium, divina sibi assistente virtute, cepit laudabiliter exercere, ita quod devoti et fideles Ecclesie sepedicte de ipsa provincia habere poterunt, dante Domino, bonum statum, eruntque prava in directa et vie aspere planabuntur. Verum, ut hec salubrius et efficacius impleantur cum quiete ac pace, te, de cujus legalitate, bonitate, circumspectione et experientia matura confidimus, ad partes easdem providimus destinare, in eadem provincia nostra tibi auctoritate concessa; per cujus dictus comes favorem protectus, directus consilio et maturitate adjutus, commissum sibi officium, juxta beneplacitum divinum et nostrum, cum moderatione ac mensura, tranquillius et utilius possit debite executioni mandare. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente per Apostolica tibi scripta mandantes, quatinus, celeriter te accingens, et ad partes illas personaliter festinus accedas, et ad ea, que comiti memorato commisimus, efficaciter promovenda et laudabiliter consummanda in provincia sepedicta, per te et alios de quibus expedire videris, ipsum solerter inducas, et tam tu quam ipse vestra studia convertatis ad seminandum in ea semen charitatis et pacis, ut, sedatis guerrarum et dissensionum turbinibus, qui nimis invaluerunt ibidem, provincia ipsa, tot impulsibus agitata, quasi post noctis tenebras floridum diei lumen aspiciat, post glaciei frigus hyemis aurea sibi tempora et serena succedant, in quibus afflicti, non solum temporalem letitiam sed eternam, auctore Domino, consequantur, contradictores et rebelles, auctoritate nostra, per te vel alium seu alios, per spirituales penas, appellatione postposita, compescendo. Et cetera. Dat. Laterani, IIII non. decembris, anno septimo.

POTTHAST, 25095.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Pisano et universis episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, conventibus et collegiis Cisterciensis, Camaldulensis, Vallis Umbrose, sancti Benedicti et sancti Augustini et aliorum ordinum, necnon prioribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Domus Militie Templi et Beate Marie Theotonicorum preceptoribus ceterisque personis regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per Tusciam Romano subjectam Imperio constitutis, salutem etc.* Cum nobilis provincia Tuscie multis esset confossa doloribus, et cetera ut in proxima superiori usque : nutriretur. Unde, cum fratribus nostris habita deliberatione matura, et cetera usque : laudabiliter exercere. Verum, ut hec salubrius et efficaciter impleantur

cum quiete ac pace, venerabilem fratrem nostrum M[atheum], Portuensem episcopum, de cujus legalitate, et cetera verbis competenter mutatis : executioni mandare. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus, eundem episcopum recipientes honorifice ac devote, pareatis ejus salubribus monitis et mandatis, et in hiis que sibi commisimus et ad ea spectantibus humiliter obediatis eidem. Alioquin sententias et penas spirituales, quas idem episcopus tulerit vel statuerit in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Dat. Laterani, III non. decembris, anno septimo.

In e. m. *dilectis filiis universis comitibus, baronibus, comunitatibus et universitatibus civitatum, castrorum, térrarum atque locorum, per Tusciam Romano subjectam Imperio constitutis.*

In e. m, *dilecto filio nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Andegavensi.* Cum nobilis provincia Tuscie, et cetera ut supra in proxima superiori usque : dinoscitur pertinere, te, de cujus strenuitate armorum, et cetera usque : executioni mandare, verbis competenter mutatis. Ideoque nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente per Apostolica tibi scripta mandantes, quatinus prefatum episcopum, ut filius benedictionis et gratie, quasi patrem devote recipias et reverenter honores, ejusque salubribus monitis humiliter acquiescas eaque studeas salubriter adimplere, ita quod finem commissi tibi paciariatus officii consequamur, qui fuit et est, ut pax solidetur inter dissidentes provincie supradicto, et fideles et devoti statum habeant prosperum et tranquillum, et indevoti ad devotionem et fidem Sedis Apostolice reducantur —.

4435 (CXII) Latran, 7 décembre 1301.

Ut clericos suos, ultramontanos vel alios, per quoscumque maluerit catholicos antistites ad ordines promovere possit. (fol. 137 v°.)

Venerabili fratri M[atheo], Portuensi episcopo. Cum ad partes Tuscie pro quibusdam arduis et urgentibus Ecclesie Romane negotiis duxerimus destinandum, ne hujusmodi tuus ab Apostolica Sede discessus impedimento existat capellanis et clericis tuis domesticis, ultramontanis vel aliis, qui de tua diocesi non existunt, volentibus minores ordines et quosvis sacros suscipere, quominus, in eisdem partibus tuis obsequiis insistentes, ad prefatos valeant ordines promoveri, tuis supplicationibus inclinati, promovendi prefatos capellanos et clericos ac promoveri faciendi eosdem per quoscunque malueris catholicos anthistites, gratiam et comunionem Apostolice Sedis habentes, ad omnes predictos ordines, constitutionibus felicis recordationis Clementis pape IIII, de clericis ultramontonis ab episcopis Italie, et Gregorii pape X, de clericis parrochie aliene absque superioris sui licentia non ordinandis, predecessorum nostrorum, seu quibuslibet aliis contrariis nequaquam obstantibus, tenore presentium plenam tibi concedimus facultatem. Dat. Laterani, VII id. decembris, anno septimo.

4436 (CXIII) Latran, 3 décembre 1301.

Ut decimæ, a Nicolao IIII in Anglia concessæ, colligendæ supersedeat infrascriptus et collectam apud mercatores cameræ Apostolicæ deponat. (fol. 137 v°.)

Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi. Ex tuarum serie litterarum nuper accepimus, quod felicis recordationis N[icolaus] papa IIII, predecessor noster, decimam ecclesiasticorum proventuum, per sex, in Terre Sancte, et nos postmodum, per tres annos, in Ecclesie Romane subsidium, in regno Anglie duximus concedendam, certis super collectione ipsius decime post mortem predecessoris ejusdem a nobis collectoribus deputatis. Unde, cum ex concursu collectionis utriusque decime in eodem regno et ex collusione seu negligentia collectorum seu officialium vel subcollectorum ipsorum, ut asseritur, subscitetur scandalum et fervor devotionis solite tepescere noscatur in plebe, nos, volentes super hoc de congruo remedio providere, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus collectoribus predictis, ex parte nostra, inhibere procures, ut collectioni decime per dictum predecessorem concesse supersedere procurent usque ad nostre beneplacitum voluntatis, de decima collecta per unum annum de sex annis premissis, quam iidem collectores recepisse dicuntur, ab eis rationem recepturus exactam, et tandem decimam per dictum annum vel pro majori tempore collectam seu penes quamcumque personam depositam, Ecclesie Romane nomine, tibi facias integraliter assignari, depositurus eam fideliter penes mercatores trium societatum camere nostre, juxta priorum nostrarum, eisdem directarum collectoribus, continentiam litterarum. Contradictores, et cetera, invocato ad, hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis,

proviso quod tempus in quo dicti collectores collectioni decime supersederunt memorato, redigi in autenticam scripturam facias in memoriam futurorum, faciens de predictis omnibus duo confici publica instrumenta, quorum unum penes te retineas, aliud nobis fideliter transmittendo, nobis nichilominus per tuas litteras rescripturus quicquid per te factum extiterit in premissis. Dat. Laterani, III non. decembris, anno septimo.

4437 (CXIIII) Même date.

Ut, correcto quodam errore in litteris Apostolicis, collectioni decimæ in Anglia in subsidium Ecclesiæ Romanæ per triennium concessæ procedant infrascripti. (fol. 138.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilecto filio Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi. Pridem ex tenore litterarum tuarum, fili Bartholomee, nobis innotuit, quod nos decime proventuum ecclesiasticorum, quam per tres annos in regno Anglie in subsidium Romane Ecclesie concessimus, per nostras litteras vos deputavimus collectores. Verum, quia in eisdem litteris, ubi debebat esse : per hujusmodi triennium, erat : per annum predictum, positum per errorem, supersedere collectioni dicte decime merito procurastis. Nos itaque, in hac parte vestram diligentiam commendantes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus in commisso vobis dicte collectionis officio diligenter procedatis, juxta formam litterarum ipsarum, errore hujusmodi non obstante. Dat. ut supra.

4438 (CXV) Latran, 13 décembre 1301.

De congruo subsidio doctoribus et magistris Romam convocatis ministrando. (fol. 138.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo Remensi. Ante promotionem nostram ad Summi Apostolatus officium, dum adhuc nos minor status haberet, et post usque impresentiarum, multa sunt nostro Apostolatui reserata fidedigna assertione multorum, quorum nonnulla etiam ad contingentia regna et popules in mali exempli pernitiem sunt diffusa, et ea te credimus non latere, super excessibus, culpis, insolentiis et injuriis atque dampnis, que prelatis, ecclesiis et personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, in regno Francie constitutis et alibi, per carissimum in Christo filium nostrum Phylippum, regem Francie illustrem, et officiales suos seu balivos multipliciter inferuntur, ac etiam paribus, comitibus, baronibus aliisque nobilibus, universitatibus et populo dicti regni, prout hec et alia in aliis nostris litteris, quas eidem regi dirigimus, seriosius continentur. Unde, super hoc cum fratribus nostris deliberatione habita pleniori, de ipsorum fratrum consilio, ad nostram presentiam te ac venerabiles fratres nostros universos archiepiscopes et episcopos ac dilectos filios electos, et capitula ecclesiarum cathedralium regni Francie, necnon doctores in theologia et magistros in jure canonico et civili de regno natos eodem, sub certa forma providimus evocandos. Quocirca fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica scripta in virtute obedientie districtius injungentes, quatinus in kalendis novembris futuris proximo, quas tibi pro peremptorio termino assignamus, instructus et informatus super premissis et aliis super quibus instructionem et informationem tuam videris oportunam, personaliter compareas coram nobis, et nichilominus venerabiles fratres nostros suffraganeos tuos et dilectos filios electos, et capitula ecclesiarum cathedralium necnon doctores in theologia et magistros [1] in jure canonico et civili civitatis, diocesis et provincie tuarum, infra dicti regni terminos constitutarum, per te vel alium seu alios, auctoritate nostra, peremptorie citare procures, ut dicti episcopi ac electi, doctores et magistri, personaliter, capitula vero, per procuratores ydoneos cum sufficienti mandato, in dictis kalendis, quas pro peremptorio termino ipsis assignes, nostro se conspectui representent, ut super premissis et ea contingentibus tua et sua possimus habere consilia, qui apud eundem regem suspitione caretis, et sibi et regno accepti estis et grati, et diligitis ipsum regem, necnon tractare, dirigere, statuere, facere et ordinare que ad honorem Dei et Apostolice Sedis, augmentum catholice fidei, conservationem ecclesiastice libertatis et reformationem regis et regni, correctionem preteritorum excessuum et bonum regimen regni ejusdem viderimus expedire. Nos etiam ipsi regi per alias nostras significamus litteras, ut, si rem suam agi putaverit in premissis suaque crediderit interesse, per se vel per fideles viros et providos, sue conscios voluntatis ac diligenter instructos, cum sufficienti mandato, coram nobis possit, si velit, eodem termino comparere. Alioquin, suam vel illorum aut etiam tuam et aliorum predictorum absentiam divina replente presentia, in premissis et ea contingentibus ac aliis, prout fuerit nobis ministratum a Domino et expedire viderimus, procedemus. Ad hec, quia doctores et magistri prefati in facultatibus seu proventibus ecclesiasticis omnes forsitan

1. *Ms* : magistris.

non habundant, nos, compatientes eisdem, volumus et mandamus, ut illis ex eis tue civitatis et diocesis, quos videris non posse comode adventus, more et reditus subire onera expensarum, de tuo subsidium congruum facias aut eos in tua comitiva seu familia ducas et honeste pertractes, similiter per tuos suffraganeos, eadem auctoritate, mandans fieri suarum civitatum et diocesum doctoribus et magistris. Tu autem et ipsi mandatis nostris in hac parte taliter obedire curetis, quod non possitis de contemptu vel negligentia seu inobedientia reprehendi, set de diligentie, obedientie ac devotionis promptitudine commendari. Dat. Laterani, id. decembris, anno septimo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Rothomagensi — . . archiepiscopo Senonensi — . . archiepiscopo Bituricensi — . . archiepiscopo Turonensi — . . archiepiscopo Narbonensi — . . archiepiscopo Burdegalensi — . . archiepiscopo Auxitano.*

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Eduensi.* Ante promotionem nostram, et cetera ut supra usque : coram nobis, et nichilominus venerabiles fratres nostros omnes episcopos et dilectos filios electos et capitula ecclesiarum cathedralium necnon predictos doctores in theologia et magistros in jure canonico et civili provincie Lugdunensis, infra dicti regni terminos constitutos, per te vel alium, et cetera usque : pertractes. Similiter per predictos episcopos et electos dicte provincie, infra predictos terminos constitutos, eadem auctoritate, mandans fieri, et cetera usque in finem.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Nemausensi.* Ante promotionem, et cetera usque : in jure canonico et civili provincie Arelatensis, infra dicti regni terminos constitutos, et cetera usque in finem.

4439 (CXVI) Latran, 16 décembre 1301.

Ut litteras Apostolicas sibi commissas infrascriptus publicare et præsentare valeat, necnon contradictores compescere, non obstantibus quibuscumque Apostolicis privilegiis [1]. (fol. 138 v°.)

Magistro Jacobo de Normannis, notario nostro. Cum te, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, cum quibusdam Apostolicis litteris ad partes regni Francie destinemus, discretioni tue publicandi et faciendi publicari easdem litteras, ubi et quando tua discretio viderit expedire, necnon dictas litteras presentandi personis, quibus eedem littere, diriguntur, per te vel per alium seu alios, ac contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstante si aliquibus, cujuscumque preeminentie, dignitatis, ordinis, conditionis aut status existant, a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi aut interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam, auctoritate presentium, concedimus potestatem. Dat. Laterani, XVII kal. januarii, anno septimo.

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

4440 (CXVII) Même date.

Ut Jacobus de Normannis, cum litteris Apostolicis in Franciam missus, benivole recipiatur [1]. (fol. 138 v°.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francie illustri. Solet Apostolica Sedes ydoneos viros assumere ad exequendum negotia Sedis ejusdem magna, que pro tempore imminent peragenda. Unde reddimur corde solliciti, ut prosecutionem arduorum negotiorum nobis ingruentium, que specialiter insident cordi nostro, personis talibus committamus, de quarum scientia, probitate ac circumspectionis industria et virtute firmam fiduciam habeamus. Attendentes igitur, quod premissis et aliis donis virtutum dilectus filius magister Jacobus de Normannis, notarius noster, fore dinoscitur insignitus, eum, cum nostris litteris celsitudini tue directis de fratrum nostrorum consilio ad tuam presentiam destinamus, ut predictas litteras, continentes ea que publicam utilitatem, libertatem Ecclesie ac etiam tuum tuique regni respiciunt bonum statum, idem notarius, quem nedum Ecclesie Romane fidelem, set et tui ac dicti regni dilectorem novimus tuique nominis ac ejusdem regni honoris et comodi zelatorem, regali excellentie representet. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus dictum notarium, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, benigne recipias et honore condigno pertractes, ita quod [per] evidentiam operis appareat eundem notarium mansuetudinem regiam invenisse benivolam et benignam, tuque ex hoc merito commenderis. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis et capitulis ecclesiarum cathedralium per regnum Francie constitutis.*

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

4441 (CXVII) Latran, 18 décembre 1301.

Ut. decedentibus illis quibus hæc commissa fuerant, prælatos citare et doctoribus Romam vocatis expensas ministrare valeat infrascriptus [1]. (fol. 138 v°.)

Jacobo de Normannis, notario nostro. Super diversis gravaminibus et injuriis, que prelatis, ecclesiis et personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, in regno Francie constitutis, necnon paribus, comitibus, baronibus aliisque nobilibus, universitatibus et populo dicti regni per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, ac ballivos aliosque officiales ipsius multipliciter inferuntur, deliberatione cum fratribus nostris habita diligenti, de ipsorum consilio, venerabiles fratres nostros archiepiscopos, episcopos et dilectos filios electos, et capitula ecclesiarum cathedralium regni predicti, necnon doctores in theologia et magistros in jure canonico et civili, de regno natos eodem, ad presentiam nostram providimus evocandos, et ideo nonnullos ex eisdem archiepiscopis et episcopis per nostras certi tenoris injungimus litteras, ut et ipsi coram nobis certo termino comparere, ac alios, de quibus in eisdem continetur litteris, ad comparendum coram nobis eodem termino, ex parte nostra, peremptorie citare procurent; et, quia doctores et magistri prefati in facultatibus seu proventibus ecclesiasticis omnes forsitan non habundant, nos, compatientes eisdem, prefatis archiepiscopis et episcopis, quibus easdem dirigimus litteras, mandavimus, ut illis ex eis suarum civitatum et diocesum, quos viderint non posse comode adventus, more et reditus subire onera expensarum, de suo subsidium congruum faciant aut eos in sua comitiva seu familia ducant et honeste pertractent. Cum autem te, de cujus fide ac diligentia plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad partes illas super hujusmodi negotio, quod cordi nostro plurimum insidet, transmittamus, nolentes quod negotium ipsum, cujus expeditionem salubrem et celerem affectamus, occasione qualibet negligatur, vel etiam retardetur, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si quem ex predictis archiepiscopis vel episcopis, quibus, ut premittitur, hujusmodi citationes committimus, mori forsan vel alias impediri contingat, quominus ea que sibi in hac parte mandantur exequi comode valeat, tu ad commissam sibi citationem hujusmodi faciendam procedas, per te vel alium seu alios, juxta traditam illi formam, ac nichilominus eisdem doctoribus et magistris, qui taliter indigentes forent, si forte prelatum, per quem eis debebat in hujusmodi necessariis provideri, non extare contingat, per capitulum ejusdem ecclesie sic vacantis seu per eum, ad quem administratio bonorum temporalium episcopalis mense tunc temporis pertinuerit, in eisdem necessariis, ne propter eorum defectum predictorum doctorum et magistrorum impediatur adventus, mandes etiam provideri. Dat. Laterani, xv kal. januarii, anno septimo.

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

4442 (CXVIII) Même date.

Ut Jacobi de Normannis expensis provideant. (fol. 139.)

Bonifatius et cetera, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus, ac personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus, ecclesiarum et monasteriorum, capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini ac aliorum ordinum, necnon magistris et preceptoribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Domus Militie Templi et Beate Marie Theutonicorum, per regnum Francie constitutis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et cetera. Cum dilectum filium magistrum Jacobum de Normannis, notarium nostrum, latorem presentium, ad regnum Francie, pro quibusdam Ecclesie Romane negotiis, destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eundem notarium, cum per partes vestras transitum fecerit ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes, sibi, pro suis et familie sue expensis necessariis, in sex florenis auri, diebus singulis, cum super hoc ex parte nostra per ipsum vel ejus nuntium fueritis requisiti, in eundo, morando et redeundo, liberaliter providere curetis. Et si dictum notarium in aliquibus locis vel loco interdum moram trahere contigerit, volumus quod non solum earundem set etiam vicinarum et remotarum partium, sicut idem notarius pro hujusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire viderit, archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani, prepositi, archidiaconi, archipresbyteri, plebani et alii ecclesiarum prelati eorumque vices gerentes ac persone ecclesiastice, religiose et seculares, ecclesiarum et monasteriorum capitula et conventus, exempti et non exempti, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sancti Benedicti et sancti Augustini et aliorum ordinum, necnon magistri et preceptores Hospitalis Sancti Johan-

nis Jerosolimitani, Domus Militie Templi et Beate Marie Theotonicorum et quorumcunque aliorum locorum ecclesiasticorum regni predicti contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur. Sic itaque mandatum nostrum efficaciter adimplere curetis quod possitis exinde merito commendari. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, super quo plenam sibi concedimus, auctoritate presentium, potestatem, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Non obstantibus si aliquibus — impediri Dat. ut supra.

4443 (CXX) Latran, 19 décembre 1301.

Ut uni personæ tabellionatus officium concedere valeat. (fol. 139.)

Magistro Jacobo de Normannis, notario nostro. Cum te pro quibusdam arduis Ecclesie Romane negotiis ad partes regni Francie destinemus, et circa executionem negotiorum hujusmodi, sicut nobis exponere curavisti, aliqua persona publica sit tibi plurimum oportuna, discretioni tue concedendi, auctoritate Apostolica, tabellionatus officium uni persone, quam post diligentem examinationem ydoneam esse reppereris, recepto ab ea juramento juxta formam presentibus annotatam, plenam tibi concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Forma autem juramenti quod persona ipsa prestabit talis est : Ego . . ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro et Sancte Romane Ecclesie ac domino pape Bonifatio et successoribus ejus canonice intrantibus ; non ero in consilio, et cetera. Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno septimo.

4444 (CXXI) Latran, 5 décembre 1301.

Ut Corradum Spinulæ ab excommunicatione, quam adhærendo Siculis incurrerat, absolvere possit. (fol. 139 v°.)

Venerabili fratri P[orchetto], archiepiscopo Januensi. Mansuetudo Sedis Apostolice circa filios delinquentes nonnunquam plenitudinem benignitatis exercens, quos inspicit in humilitatis spiritu degere ac super delictis suis veniam implorare suppliciter, misericordi pietate prosequitur et eorum supplicationibus assensum benivolum impertitur. Sane pro parte nobilis viri Corradi Spinule, militis Januensis, nuper nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ab excommunicationis sententia, quam incurrit pro eo quod, contra prohibitionem et mandatum Apostolice Sedis, Friderico, nato quondam Petri olim regis Aragonie, et Siculis rebellibus seu fautoribus eorundem contra nos et Romanam Ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum C., Sicilie regem illustrem, dedit, per se vel alium seu alios, auxilium, consilium et favorem, absolvere misericorditer dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod, licet dictus Corradus deliquerit in predictis, sollicite tamen, fideliter et utiliter studia et labores impendit, quod civitas Januensis se nostris et predictorum Ecclesie ac regis beneplacitis coaptaret, ac in nostra et illorum dilectione persisteret, sperantes quoque quod pro augmento et observatione dilectionis hujusmodi successive de bono in melius vigilabit, et propterea volentes erga eum mansuetudinis gratiam exercere, fraternitati tue absolvendi hac vice, juxta formam Ecclesie, Corradum eundem, cum super hoc ab eo fueris humiliter requisitus, a qualibet excomunicationis sententia, quam incurrit impendendo hactenus, per se vel alium seu alios, taliter Frederico vel Siculis seu fautoribus supradictis auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, recepta prius ab eo corporaliter juratoria cautione quod super hiis stabit precise nostris et Ecclesie prefate mandatis, quotienscunque per nos vel alium seu alios faciendis, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Super absolutione vero et exhibitione ac receptione cautionis hujusmodi confici facias duo publica consimilia instrumenta, quorum unum penes te retineas ad cautelam, reliquum vero nobis per fidelem nuntium destinare procures. Per hoc autem processibus habitis per Sedem eandem contra Fridericum, Siculos et fautores predictos alias nullatenus derogetur, quin in sua permaneant firmitate. Dat. Laterani, non. decembris, anno septimo.

4445 (CXXII) Latran, 23 décembre 1301.

De forma provisionis Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ et Jerosolimitanæ patriarchalium ecclesiarum. (fol. 139 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Sancta Romana Ecclesia que, disponente Domino, super omnes alias ordinarie potestatis obtinet principatum a Deo, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, quatuor patriarchales sedes instituit, inter quas, post ipsam Romanam Ecclesiam, Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium et Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipsasque multis prerogativis et honoribus ac privilegiis decoravit. De quarum

provisionibus, cum eas vacare contingit, tanto est accuratius cogitandum et attentius providendum, quanto majori eminent altitudine dignitatis et periculosius erraretur in provisionibus earumdem. Super hoc igitur cum fratribus nostris habita deliberatione matura, inter alia nostre considerationi occurrit, quod, proh dolor! omnes predictarum sedium patriarchalium civitates aut sunt destructe aut occupate ab infidelibus vel scismaticis detinentur; ipsarum capitulis seu conventibus et canonicis dispersis undique, extra civitates ipsas, per alias regiones seu loca a civitatibus ipsis remota. Ex quo contigit, sicut experientia nuper nos docuit, quod vacante Constantinopolitana ecclesia per mortem bone memorie Petri, patriarche sui, per unum dumtaxat ejus canonicum fuit de novo pastore electio celebrata, aliis concanonicis suis agentibus in remotis. Dictus tamen electus, juri, si quod sibi ex electione hujusmodi competebat in nostris manibus sponte ac libere resignavit. Ideoque, de eorumdem fratrum consilio et Apostolice potestatis plenitudine, statuimus, ut, quamdiu civitates ipse scismaticorum aut infidelium subsunt aut suberunt ditioni aut detinebuntur per eos, canonici dictarum patriarchalium sedium, cum eas vel ipsarum aliquam seu aliquas vacare contigerit, ad electionem, postulationem seu quamvis provisionem de preficiendo sibi patriarcha vel pastore nullo modo procedant, absque Apostolice Sedis petita licentia et obtenta, per ipsius Sedis litteras apparente, quin potius vacatio earundem ecclesiarum quamprius comode fieri poterit ad ipsius Sedis notitiam deducatur. Nos enim a data presentium decernimus irritum et inane, si secus per dicta capitula, conventus vel canonicos aut quemvis alium vel alios scienter vel ignoranter fuerit attemptatum, non obstantibus quibuscumque ipsarum ecclesiarum vel alicujus earum consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque alia firmitate vallatis, seu constitutionibus, privilegiis vel indulgentiis Sedis ejusdem, per que effectus presentium impediri posset quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumcunque totis tenoribus, aut de verbo ad verbum, in nostris litteris habenda esset mentis specialis. Nulli ergo, et cetera, nostri statuti et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, x kal. januarii, anno septimo.

POTTHAST, 25115.

4446 (CXXIII) Latran, 10 décembre 1301.

In meliorem formam redigitur matrimonii dispensatio, natis regis Franciæ et ducis Burgundiæ concessa [1]. (fol. 139 v°.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri, et dilecto filio nobili viro Roberto, duci Burgundie. Pro parte vestra dudum exposito coram nobis, quod, cum, ex diversis causis et considerationibus plurimis, nobis expositis, non inutilibus utique nec indignis, pro regni Francie ac incolarum ejus bono et pacifico statu in melius reformando, expedire multipliciter nosceretur, ut utriusque vestrum proles, que a comuni stipite jam fere patiebatur descensus et declinationis excursum, reduceretur ad strictioris et indissolubilis vinculi unitatem, desiderabatis admodum dilectum filium Ludovicum, primogenitum, vel Phylippum, secundo genitum tuum, fili rex, et dilectam in Christo filiam Margaretam, natam tuam, dux, matrimonialiter invicem copulari, ac supplicatione porrecta, ut, cum id non posset absque dispensatione Sedis Apostolice deduci in effectum, obstante scilicet tertio consanguinitatis gradu, quo dicti Ludovicus et Phylippus cum eadem Margareta se contingunt, providere super hoc de oportuno dispensationis beneficio misericorditer dignaremur, nos, causas et considerationes hujusmodi benignius attendentes, et considerantes quod per hujusmodi matrimonium, si fieret, multa bona, utilitates et comoda prefato regno hinc et inde poterant provenire, vestris supplicationibus inclinati, ut inter eundem Ludovicum, vel si, quod abesset! interim ipsum morte preveniri contingeret, inter prelibatum Phylippum, secundo genitum, et prefatam Margaretam sponsalia et matrimonium licite contrahi possent, hujusmodi impedimento tertii gradus consanguinitatis nequaquam obstante, duximus per nostras litteras dispensandum. Verum, quia sicut porrecta nuper nobis vestra petitio continebat, fuit in petitione dispensationis hujusmodi per ignorantiam pretermissum, quod, preter predictum tertii gradus consanguinitatis impedimentum, quod est ex uno latere, predictis videlicet Ludovico et Phylippo, tertio gradu, eadem vero Margareta, secundo gradu a comuni stipite differentibus, pro eo scilicet quod clare memorie Phylippus, rex Francorum, pater tuus, rex, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Agnes, ducissa Burgundie, mater Margarete predicte, pie memorie sancti Ludovici, avi tui, rex, nati fuerunt, aliud etiam impedimentum, ex alio latere, quarti scilicet gradus consanguinitatis, quo ipsi Ludovicus et Phylippus eidem Margarete attinere noscuntur, eisdem videlicet Ludovico et

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

Phylippo, quarto, predicta vero Margareta, tertio gradu distantibus a comuni stipite, eo quod predictus sanctus Ludovicus rex, avus maternus predicte Margarete, et quondam Robertus, comes Atrebatensis, avus carissime in Christo filie nostre Johanne, uxoris tue, rex, matris predictorum Ludovici et Phylippi, tibi per dispensationem Apostolice Sedis legitime copulate, germani fuerunt, super hoc obstabat et obstat, nobis humiliter supplicastis, ut dignaremur super hoc de ampliori gratia providere. Nos igitur, nolentes a tanti boni, quod ex hujusmodi matrimonio provenire speratur, perfectione desistere, sed quod gratiose incepimus prosequi gratiosius intendentes, ut, neutro impedimentorum hujusmodi obsistente, inter eundem Ludovicum vel predictum Phylippum, si, quod absit! Ludovicum ipsum interim morte preveniri contigerit, ac prefatam Margaretam hujusmodi sponsalia et matrimonium licite contrahi possint, de pleniori gratia et Apostolice potestatis plenitudine, dispensamus. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis, et cetera. Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno septimo.

4447 (CXXIIII) Latran, 13 janvier 1302.

Ut infrascripti infra mensem compareant, de administratione et statu castri Agentæ, eorum custodiæ commissi, rationem reddituri. (fol. 140.)

Ponzardo, militi, et Mainetto, mercatori, de domo Pulicum de Florentia. Olim vobis, certis ex causis, custodiam et administrationem castri, territorii et districtus Argente, Ravennatis diocesis, ac fructuum et proventuum eorundem comisimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis, quas quidem huc usque gessisse noscimini, comissionem nostram hujusmodi exequentes. Verum, cum informationem de statu dicti castri et compotum de fructibus et expensis per vos scire et audire velimus, vobis et vestrum cuilibet, sub excomunicationis pena et alia nostro arbitrio infligenda, districte injungimus et mandamus, quatinus, infra unius mensis spatium, a receptione presentium computandum, vos ambo vel saltem alter vestrum, cum omnibus libris et quaternis rationum negotium contingentibus, nostro vos conspectui personaliter presentetis, compotum de omnibus fructibus et redditibus dictorum castri, territorii et districtus et factis ibidem expensis a tempore hujusmodi recepte custodie plenarie reddituri, ac alias facturi nos de statu et conditionibus dicti castri, prout a vobis quesierimus, certiores : proviso quod interim in dicto castro talis adhibeatur cautela custodie, ne ex vestra vel alterius vestrum absentia aliquod possit circa ipsum castrum imminere discrimen. Dat. Laterani, id. januarii, anno septimo.

« Ego [1] Oddo de Sermineto, publicus Apostolica auctoritate notarius ac litterarum Apostolicarum registrator, de expresso mandato reverendorum patrum domini Berengarii, episcopi Tusculani, ac domini Arnaldi, tituli Sancte Prisce presbiteri cardinalis, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, facto michi per eos ex parte sanctissimi patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape V, qui hoc eis pluries vive vocis oraculo mandaverat, ut dicebant, feci seu in presentia mea et magistrorum Andree de Setia et Emanuelis de Parma fieri feci rasuras vacuas [2], que sunt in quarto, quinto et sexto foliis proxime precedentibus, quarum primam immediate precedit quedam littera que incipit : « De statu terrarum » et cetera, et sequitur alia que incipit : « Nuper ex rationabilibus », et cetera, secunda vero rasura, facta in littera que incipit : « Asculta », incipit immediate post verba : « efficaciter adimplere et infra », et finit ante verba illa : « ad te igitur », et cetera. Tertia autem rasura, in eadem littera facta, incipit immediate post verba : « nec habens aliquod inhonestum, et infra », et finit ibi ante verba illa : « ad hec ne Terre Sancte negotium », et cetera, ibidem in quarta linea subsequenti facta una alia rasura unius tantummodo dictionis. Ultima quoque rasura incipit proxime post verba illa : « sic te prepares in premissis et infra », et finit ibi ante verba illa : « ut in presenti divinam gratiam », et cetera. Ideoque predicta de eodem mandato in rei geste testimonium scripsi sub solito signo meo. Vienne in hospitio domini cardinalis vicecancellarii supradicti.

Et ego Andreas Tacconi de Setia, publicus imperiali auctoritate notarius ac litterarum Apostolicarum registrator predicta omnia per eundem modum, ut predictus magister Oddo, de eodem mandato feci seu fieri feci. Ideoque de mandato predicto hic in rei geste testimonium in domo predicti domini vicecancellarii me subscripsi sub solito signo meo. »

1. Post ultimam epistolam sequitur fere sine intervallo hoc protocollum.
2. In *Ms* : « vacuas » bis legitur.

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM ANNI OCTAVI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

4448 (I) Latran, 28 janvier 1302.

Præficitur Guillelmus in abbatem monasterii Sancti Petri de Nelphaveteri. (Reg. 50, fol. 147.)

Bonifatius etc. . . dilecto filio Guillelmo, abbati monasterii Sancti Petri de Nelphaveteri, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis, salutem, etc. Inter sollicitudines varias —.

Monasterio suprascripto, ecclesiæ Carnotensi immediate subjecto, per promotionem Johannis in abbatem monasterii Sancti Petri Carnotensis auctoritate Apostolica factam vacanti et Apostolicæ dispositioni reservato, suprascriptus, tunc monasterii Sancti Petri Carnotensis monachus et prior prioratus de Bruroliis, ejusdem ordinis, prædictæ diocesis, præficitur in abbatem, munere benedictionis ei per Johannem, Tusculanensem episcopum, impenso.

Dat. Laterani, v kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Sancti Petri de Nelphaveteri, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis — decano et capitulo ecclesie Carnotensis.*

4449 (II) Latran, 2 février 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Thedisio, electo Taurinensi. » (fol. 147.)

Dilectis filiis abbati monasterii Sancti Syri, et magistro scolarum Januensis, ac . . archipresbytero Sancti Martini de Irchis, Januensis diocesis, ecclesiarum. Supplicante nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum mille quingentorum florenorum auri quos Thedisius, electus Taurinensis, a nobili viro Odoardo, nato nobilis viri Guillelmi de Camilla, mutuante pro dicto patre suo, recepit.

Dat. Laterani, IIII non. februarii, anno octavo.

4450 (III) Latran, 1er février 1302.

« Executoria super eodem pro G. abbate monasterii Sancti Germani Autisiodorensis. » (fol. 148.)

. . decano Senonensi et magistro Petro de Montechiello, archidiacono Aureliacensi in ecclesia Claromontensi. Supplicante nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum trium millium quingentorum florenorum auri, quos G. abbas monasterii Sancti Germani Autisiodorensis, ordinis sancti Benedicti, a Roberto, tituli Sanctæ Pudentianæ presbytero cardinali, recepit.

Dat. Laterani, kal. februarii, anno octavo.

4451 (IIII) Latran, 4 février 1302.

« Quod non faciant novitatem contra castrum Aquependentis. » (fol. 148.)

. . potestati,.. capitaneo,.. consulibus et communi Urbevetanis. Grave ferimus nec —.

Eos hortatur, ut a molestandis hominibus castri Aquæpendentis, « occasione cujusdam grassie per officiales curie . . rectoris Patrimonii Beati Petri in Tuscia vobis seu concivibus

vestris ablate, que ad loca, ut fertur, indebita portabatur », desistant.

Dat. Laterani, II non. februarii, anno octavo.

POTTHAST, 25125.

4452 (V) Même date.

« Quod dispenset super defectu natalium cum Francisco de Balena, clerico Terracinensi. » (fol. 148.)

Venerabili fratri .. episcopo Terracinensi. Ex parte dilecti —.

Ut dispenset super natalium defectu cum Francisco, nato Phylippi de Balena, clerico Terracinensi, de conjugato genito et conjugata, ita ut possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium recipere.

Dat. ut supra.

4453 (VI) Latran, 7 février 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Lotherio, episcopo Florentino », usque ad summam quatuor millium florenorum auri.

Lotherio, episcopo Florentino. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, VII id. februarii, anno octavo.

4454 (VII) Latran, 30 janvier 1302.

« Quod accedat ad ecclesiam Faventinam. » (fol. 148 v°.)

Matheo, episcopo Faventino. Volentes personam tuam —.

Ut accedat ad prædictam ecclesiam, munere consecrationis ei per Johannem, episcopum Tusculanum, jam impenso.

Dat. Laterani, III kal. februarii, anno octavo.

4455 (VIII) Latran, 10 février 1302.

« Quod possit recipere munus consecrationis. » (fol. 148 v°.)

Raymundo, electo Lectorensi. Personam tuam —.

Suprascripto « diacono existenti » conceditur, ut, cum ad Apostolicam Sedem diebus istis commode venire non possit, ordinem presbyteratus ab archiepiscopo Auxitano vel aliquo suffraganeorum suorum nec non et munus consecrationis recipere possit, sine præjudicio ecclesiæ Auxitanæ, cui metropolitico jure subest.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno octavo.

4456 (VIIII) Latran, 9 février 1302.

« Preficitur in archiepiscopum Sipontinum. » (fol. 148 v°.)

Venerabili fratri Leonardo, archiepiscopo Sipontino. Pastoralis officii —.

Sipontinæ ecclesiæ, per obitum quondam Gregorii, Sipontini electi, vacanti et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatæ, suprascriptus, tunc episcopus Urbevetanus, præficitur in archiepiscopum, palleo ei per Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, Landulphum, Sancti Angeli, Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Petrum, Sanctæ Mariæ Novæ, et Lucam, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconos cardinales, exhibito.

Dat. Laterani, V id. februarii, anno octavo.

In e. m. *capitulo ecclesie Sipontine — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis — suffraganeis — Carolo, regi Sicilie*.

4457 (X) Latran, 13 février 1302.

« Super pluralitate. » (fol. 149.)

Reginaldo de Barro, preposito ecclesie Sancte Marie Magdalene Virdunensis. Nobilitas generis —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod olim, prepositura ecclesie Sancte Marie Magdalene Virdunensis, per mortem quondam Guillelmi de Asperomonte, prepositi ejusdem ecclesie, qui in illis partibus debitum nature persolvit, vacante, dilecti filii .. decanus et capitulum ipsius ecclesie, ad quos in eadem ecclesia electio prepositi noscitur pertinere, attendentes quod per te bona et jura ecclesie predicte poterant utiliter defensari, te in ejusdem ecclesie prepositum concorditer postularunt, te pro eo eligere dubitantes, quod archidiaconatum Bisuntine, et primiceriatum Metensis ecclesiarum, licet ex dispensatione Apostolica, obtinebas, quos adhuc nosceris obtinere, tuque postulationi hujusmodi consensisti, sub spe dispensationis super hoc a Sede Apostolica obtinende.

Eam postulationem admittens, eamdem præposituram ei confert dominus papa et dispensat cum eo, ut dictam præposituram una cum primiceriatu, archidiaconatu, canonicatibus

et præbendis, quos in prædictis Bisuntina, Metensi ac Sanctæ Mariæ Magdalenæ necnon majoribus Virdunensibus ac Remensi et Belvacensi ecclesiis obtinet, possit licite retinere.

Dat. Laterani, id. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. de Sancto Michaele, Virdunensis diocesis, et .. Sancti Mansueti Tullensis monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Sancti Urbani Trecensis.*

4458 (XI) Latran, 14 février 1302.

« Mandatur citari Antonius, episcopus Dunelmensis, ad instantiam Ricardi prioris et capituli Dunelmensis, super diversis. » (fol. 149 v°.)

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Significavit dudum nobis Riccardus, prior, et capitulum ecclesie Dunelmensis, ordinis sancti Benedicti, quod, cum venerabilis frater noster Antonius, episcopus Dunelmensis, intimasset eisdem, quod ad visitandum eos procedere intendebat, iidem prior et capitulum conjicientes et etiam metuentes, ex certis causis probabilibus et verosimilibus conjecturis, turbari et immutari nonnullas eorum libertates et laudabiles consuetudines per eundem, ne hoc fieret ad Sedem Apostolicam provocarunt. Sed idem episcopus, postmodum ad capitulum predictum accedens, cum multitudine tam laicorum quam clericorum secularium ac regularium alterius ordinis copiosa, priori et capitulo memoratis injunxit, ut ipsum ad exercendam hujusmodi visitationem admitterent presentibus clericis et laicis prelibatis. Pro parte vero predictorum prioris et capituli fuit coram dicto episcopo excipiendo propositum, quod episcopi Dunelmenses, qui fuerunt pro tempore, dictum capitulum soli, ceteris aliis exclusis, consuevissent, tempore visitationis, intrare, idque tanto fuisset tempore observatum, quod super hoc erant legitima prescriptione muniti, prout se offerebant legitime probaturos [propter quod] dicti prior et capitulum, qui erant in possessione vel quasi hujus juris, ac parati visitationem episcopi predicti recipere, si eam juxta hujusmodi formam solitam impendere voluisset, admittere dictum episcopum ad visitationem eandem clericis et laicis eisdem presentibus, presertim in tanta multitudine, minime tenebantur. Et, quia dictus episcopus hujusmodi exceptionem admittere contra justitiam recusavit, ex parte ipsorum ad dictam Sedem extitit appellatum. At idem episcopus, hujusmodi appellatione contempta, in dictum priorem, Thomam, subpriorem, et Riccardum, tertium priorem dicte ecclesie ac alios singulos ejusdem ecclesie monachos, administrationes habentes, excommunicationis sententias promulgavit; propter quod ex parte ipsorum prioris et capituli fuit ad Sedem iterum appellatum eandem. Porro dictus episcopus, contra priorem et capitulum predictos gravius provocatus, ipsos citari fecit, ut coram se die sequenti comparere deberent, penam pro demeritis recepturi, ac, eodem adveniente die, magister Robertus, decanus ecclesie prebendalis de Lunkland, Dunelnensis diocesis, et magister Johannes Le Las, clericus, auctoritate, ut dicebant, ipsius episcopi eis in hac parte commissa, contra dictum priorem et ceteros monachos dicte ecclesie, administrationes habentes, privationis et amotionis ab administrationibus eorumdem, contra justitiam, sententias fulminarunt, loco singulorum eorundem, preterquam dicti prioris, alios subrogando, a quibus, pro parte dictorum prioris et capituli, fuit iterum ad Sedem eandem et, pro tuitione sua, ad venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Eboracensem, loci metropolitanum, juxta quamdam Eboracensis provincie consuetudinem, appellatum. Idem vero episcopus, appellationibus hujusmodi vilipensis, omnia bona dictorum prioris et capituli fecit, pro sue voluntatis libito, sequestrari, ad illa custodienda suos deputando custodes, amotis inde custodibus prioris et capituli predictorum, ac inhibendo custodibus predictis, ne de bonorum predictorum fructibus ipsis priori et capitulo responderent, aliasque bona, jura et juridictiones ipsorum prioris et capituli occupando. Nec hiis contentus idem episcopus priorem et monachos ejusdem ecclesie fecit in domibus ecclesie predicte recludi, quibusdam suis satellitibus ad custodiam positis, ne aliquis illorum inde permitteretur exire, nec deferri possent aliqua victualia quomodolibet ad eosdem; fistulas preterea plumbeas aqueductus eorundem prioris et capituli prefatus episcopus fecit excidi, molas et stagna molendinorum suorum frangi, ac dictorum prioris et capituli famulos seculares, capiendo eos et carceri mancipando nec non bona occupando ipsorum, ab eorundem prioris et capituli obsequiis cessare coegit. Sane .. officialis Eboracensis, de hujusmodi tuitoria appellatione cognoscens, pronuntiavit eosdem priorem et capitulum fore defendendos in jure suo, pendentibus eisdem appellationibus ad dictam Sedem, ut premittitur, interjectis, omnia que post appellationes easdem in eorum prejudicium attemptata fuerant revocando; sed episcopus ipse proponi fecit edictum, ne aliquis de subditis ejus clam et palam super hujusmodi negotio litteras ab eodem archiepiscopo vel ejus curia reciperet pro priore et capitulo supradictis, in clericos, privationis ab officio et beneficio, laicos vero, qui contra facerent, perpetui exilii de terris ipsius episcopi sententias promul-

gando. Cumque dictus archiepiscopus eidem episcopo mandavisset, ut omnia post appellationes predictas taliter attemptata in statum debitum revocaret, nec, appellationibus eisdem pendentibus, quicquam in ipsorum prioris et capituli prejudicium attemptaret, idem episcopus non solum hujusmodi archiepiscopi predicti mandato parere contempsit, sed, gravamina gravaminibus addens, quosdam ipsius ecclesie monachos, conspiratores et inimicos dicti prioris, ad suam presentiam evocavit, inducendo eos, ut alium priorem eligerent ecclesie prelibate. Et, quia demum ipsi non potuerunt de certa concordare persona, dictus episcopus Herricum de Lucebi, pseudo monachum ipsius ecclesie et conspiratorem, prefecit, de facto, eidem ecclesie in priorem, qui, prefati episcopi fultus potentia, ad ecclesiam predictam cum predictis aliis conspiratoribus et multitudine armatorum accedens, priore et monachis predictis ipsius potentie resistere nequeuntibus seque propter hoc receptantibus infra claustrum ipsum, fractis illius ostiis, introïvit; dictusque prior et singuli de dicto capitulo ad predictam ecclesiam confugerunt, se in eorum stallis ejusdem ecclesie receptantes, ubi sine cibo et potu per triduum moram trahere sunt coacti. Interea vero archiepiscopus memoratus, hoc audiens, iterum episcopo supradicto mandavit pluries, ut, revocatis in statum debitum hiis que post appellationes predictas fuerant attemptata, priorem et capitulum eosdem in possessione ac jure ipsorum, eisdem appellationibus pendentibus, non turbaret. Et, quia dictus episcopus, eidem archiepiscopo super hoc obstinata pertinacia parere contempnens, non est veritus protestari, quod nec pro papa nec pro rege nec etiam pro archiepiscopo vel aliquo alio dimitteret, quin in hac parte suum propositum adimpleret, et tam episcopus quam Herricus predicti, ab eodem archiepiscopo canonice moniti, ab hujusmodi eorum rebellione ac turbatione dictorum prioris et capituli desistere contumaciter non curarunt, dictus archiepiscopus in eos et eorum in hac parte fautores excommunicationis sententiam promulgavit, quam episcopus ipse dampnabiliter vilipendens ac mala malis accumulans priorem eundem nec non Johannem de Castro Bernardi et Hugonem Monhant, monachos ejusdem ecclesie, fecit ad carcerem suum, ausu sacrilego, violenter adduci, qui adhuc detineri dicuntur eidem carceri mancipati, alios autem de dicto capitulo fecit idem episcopus fame, siti et aliis incommoditatibus sic affligi, quod ipsi per vim et metum, qui potuerunt cadere in constantem, coacti sunt eidem Herrico sic intruso manualem obedientiam exhibere. Deinde vero prefatus episcopus, ad capitulum ipsos causa visitationis accedens eorumque domos cum quatuor clericis suis ingrediens, monachos de dicto capitulo, quantum potuit, fuit conatus inducere, quod renuntiarent appellationibus supradictis, ipsumque cum clericis eisdem admitterent ad visitationem inibi impendendam. Qui, attendentes quod dictus eorum prior tenebatur taliter carceratus, id, prout nec debebant, facere noluerunt, quin potius appellationes easdem in ipsius episcopi presentia innovarunt : Henricus vero jamdictus, sigillum prioris et capituli predictorum occupans, eo utebatur pro sue libito voluntatis. Hec et alia plura gravamina, dampna, injurias et offensas dicuntur episcopus et Herricus predicti memoratis priori et capitulo intulisse. Super quibus omnibus predicti prior et capitulum, ad nos recursum habentes, nobis humiliter supplicarunt, ut, cum premissa non solum in gravamen ipsorum et dicte ecclesie detrimentum, sed et contemptum et injuriam prefate Sedis, ad quam pro parte ipsorum totiens fuerat appellatum, redundare noscerentur, ipsis sic afflictis de oportuno providere remedio dignaremur. Nos vero, priori, capitulo ac ecclesie memoratis paterno in hiis compatientes affectu, eisque de illo subvenire remedio intendentes, per quod et ipsi possint sue justitie consequi complementum et malignantium compescatur audatia, eundem episcopum, ex parte nostra, diligenter moneri, quod dictum priorem, sic detentum, prosecuturum apud predictam Sedem personaliter jura sua et dicti capituli, restitueret pristine libertati, ac tam episcopum quam Herricum predictos peremptorie citari fecimus, ut, infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, compareterent personaliter coram nobis, super hiis recepturi pro meritis ac alias facturi et recepturi quod justitia suaderet. Verum, quia prefatus episcopus, non metuens contra stimulum calcitrare, monitione ac citatione hujusmodi vilipensis, in statuto sibi hujusmodi termino et post ipsum etiam diutius expectatus, comparere personaliter coram nobis contumaciter non curavit, quamvis per Henricum de Luceby procuratorem suum nisus fuerit apud nos se ab hujusmodi personali comparitione occasionibus et excusationibus frivotis excusare, nos, vocato et constituto coram nobis procuratore prefato, omnes articulos, quos dictus procurator ad excusandam absentiam episcopi memorati dederat coram nobis, cum in eis excusationis causa legitima non adesset, tanquam frivolas repellentes omnino, ac propterea reputantes eundem episcopum, exigente justitia, contumacem, ipsum, quia obedientia non prodesset humilibus, si superbis malitia non obesset, ex nunc, propter hujusmodi contumaciam suam, [ab] executione pontificalium, Apostolica auctoritate, suspendimus et denuntiamus esse suspensum. Et, licet non indigne possemus ad presens procedere gravius contra eum, volentes tamen

adhuc plenius experiri utrum pertinacie vel penitudinis spiritus tangat ipsum, ex quadam mansuetudine, monemus eundem, eique sub pena privationis episcopalis dignitatis, quam incurrat ipso facto, si non paruerit, districte precipimus, ut, infra sex menses a data presentium numerandos, quos sibi pro peremptorio assignamus termino, idem episcopus personaliter nostro se conspectui representet, recepturus pro meritis, ac alias facturus et recepturus quod justitia suadebit, nostrisque mandatis et beneplacitis pariturus, vel suam, si poterit, innocentiam ostensurus. Ceterum predicto Herrico de Lucheby et Adde de Dreffeld, qui se dicebat per eundem episcopum ad eandem Sedem pro ipsius episcopi promovendis negotiis destinatum, districte precipimus, ut infra biduum ex nunc de curia nostra recedant, et, continuatis dietis, confestim, prout eis possibile fuerit, dictum episcopum adire personaliter eique nostrum processum hujusmodi denuntiare procurent. Ut autem noster processus ad plenam ipsius episcopi notitiam deducatur, presentes litteras, processum continentes eundem, in audientia publica litterarum nostrarum legi et publicari solemniter faciemus, ita quod idem episcopus nullam postea possit excusationem pretendere, quod ad eum talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverit eundem, cum non sit verisimile remanere, quoad ipsum, incognitum vel occultum, quod tam solemniter publicatur, decernentes publicationem hujusmodi, quoad citationem predictam, plenum effectum habere post decursum sex mensium predictorum, ac si citatio ipsa personaliter episcopum apprehendisset eundem. Laterani, XVI kal. martii, anno octavo.

4459 (XII) Latran, 6 février 1302.

« Committitur potestaria Viterbiensis Piccardo quondam Manentis de Spoleto. » (fol. 145 v°.)

Nobili viro Piccardo quondam Manentis de Spoleto, militi, potestati Viterbiensi. Cupientes ut —.

Committitur ei regimen dictæ civitatis, « quod ad nos spectare dinoscitur, » pro uno anno incipiendo ab eo die quo in eadem civitate regimen exequi inceperit.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis consilio et communi Viterbiensi.*

Mandatur ut, eum accipientes, ei intendere ac obedire curent.

Volumus autem quod prefatus miles prestet publice corporaliter juramentum, quod dictum regimen ad honorem nostrum et Romane Ecclesie, ad bonum et pacificum statum vestrum et civitatis vestre fideliter exercebit, quodque in eo exhibebit justitiam et per officiales suos faciet exhiberi, cui, debitum officialium numerum retinenti, consuetum salarium de ipsius civitatis obventibus tribuatis. Dat. ut supra.

4460 (XIII) Latran, 6 février 1302.

« Scribitur judicibus, quod faciant recipi Alardum dictum Hurtaut in monasterio Sancti Amandi in Pabula. » (fol. 150 v°).

Venerabili fratri.. episcopo Atrebatensi et dilectis filiis.. decano et.. cantori ecclesie Tornacensis. Monasterio Sancti Petri Hasnoniensi, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, frater episcope, nuper vacante, quod adhuc vacare dinoscitur, tu, prefate episcope, asserens ad te illius provisionem ex certa causa legitime devolutam, ipsi monasterio de persona dilecti filii Alardi dicti Hurtaut, monachi monasterii Sancti Amandi in Pabula, dicti ordinis, Tornacensis diocesis, auctoritate ordinaria providisti, preficiendo ipsum in abbatem dicti monasterii Sancti Petri sibique munus benedictionis etiam impendendo. Hujusmodi vero negotio per appellationem Balduini, monachi et elemosinarii dicti monasterii, provisionem hujusmodi impugnantis, ad Sedem Apostolicam devoluto, prefatus Alardus, nolens, quod ex ipsius prorogatione negotii monasterium ipsum Sancti Petri prolixe vacationis exponeretur incomodis, in nostra presentia constitutus, omne jus, si quod ei ex hujusmodi provisione facta de ipso in eodem monasterio Sancti Petri quomodolibet competebat, sponte ac libere in nostris manibus resignavit, nosque hujusmodi resignationem duximus admittendam. Demum vero prefatus Alardus, dubitans an in dicto monasterio Sancti Petri, cui de eo taliter provisum fuerat, vel potius in eodem monasterio Sancti Amandi, de quo, ut premittitur, fuit assumptus, remanere deberet, nobis humiliter supplicavit, ut mandaremus ipsum in altero dictorum monasteriorum admitti. Nos igitur, prefatum Alardum in eodem monasterio Sancti Amandi remanere volentes — mandamus, quatinus — faciatis eundem Alardum in dicto monasterio Sancti Amandi admitti et sincera in Domino caritate tractari —. Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno octavo.

4461 (XIIII) Latran, 8 février 1302.

« Mandatur provideri de abbate monasterio Sancti Petri Hasnoniensi. » ((fol. 150 v°.)

Venerabili fratri.. episcopo, et dilectis filiis.. Sancti Vedasti Atrebatensi, ac.. de Monte Sancti Eligii, Atrebatensis diocesis, monasteriorum abbatibus. Dudum monasterio Sancti Petri Hasnoniensi, ordinis sancti Benedicti, Atrebatensis diocesis, per liberam resignationem Oddonis, olim ipsius monasterii abbatis, in manibus tuis, frater episcope, ex causa legitima sponte factam, et a te receptam, vacante, conventus dicti monasterii convenerunt insimul, pro futuri electione abbatis in eodem monasterio celebranda, eorumque votis in diversos divisis, nonnulli ex eis Jacobum dictum Camus, dicti monasterii monachum, in ejusdem monasterii abbatem, per viam scrutinii, elegerunt, et reliqui Balduinum, elemosinarium ipsius monasterii, in eodem scrutinio nominarunt. Sane dicto Jacobo consentiente electioni hujusmodi de se facte, ac petente illam per te, prefate episcope, auctoritate ordinaria confirmari, ex parte Balduini et eum nominantium predictorum, plura sibi et ejus electoribus objecta fuerunt crimina et defectus. Et, licet ex parte prefati Jacobi ex certo gravamine, quod sibi a te, qui de causa hujusmodi auctoritate predicta cognoscebas, dicebat illatum, ad Sedem Remensem, loci metropoliticam, appellatum fuerit, tu tamen, eodem revocato gravamine, in eadem causa procedens, ac asserens, per ea que coram te habita fuerant, constitisse, quod tam Jacobus et Balduinus quam eligentes et nominantes predicti, tempore electionis et nominationis predictorum, majorum erant excommunicationum ligati sententiis, quodque electio et nominatio supradicte per ipsos eligentes et nominantes de prefatis Jacobo et Balduino, personis indignis, scienter fuerant de facto presumpte, eas pronuntiasti sententialiter esse nullas, dictosque conventum ea vice fore eligendi potestate privatos, ac ad te potestatem hujusmodi devolutam, et postmodum dicto monasterio de persona Alardi dicti Hurtaut, monachi monasterii Sancti Amandi in Pabula, predicti ordinis, Tornacensis diocesis, providisti, preficiendo ipsum in abbatem ejusdem monasterii Sancti Petri, sibique benedictionis munus etiam impendendo : propter quod idem Balduinus, ad Apostolicam Sedem appellans, appellationem hujusmodi prefato Jacobo legitime notificare curavit. Porro, Balduino et Alardo predictis, pro hujusmodi negotio prosequendo, ad Sedem accedentibus prelibatam, nos, in ejusdem appellationis et negotii principalis causa, dilectum filium nostrum J[ohannem], tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum cardinalem, deputavimus auditorem, qui prefatum Jacobum, elapso tempore, infra quod secundum constitutionem felicis recordationis Nicolai pape III predecessoris nostri, ad Sedem venire debuerat supradictam, citari fecit pluries et peremptorie in audientia publica, ut est moris, ut coram eo compareret, certis ad hoc statutis terminis, in dicta causa, mediante justitia, processurus, in quibus pro eodem Jacobo nemine legitime comparente coram cardinali predicto, dictus cardinalis pronuntiavit eundem Jacobum cecidisse propter hoc, juxta constitutionem eandem, ab omni jure, si quod ei ex eadem electione fuerat acquisitum, dictusque Alardus omne jus, si quod ei competebat in nostris manibus resignavit.

Mandatur suprascriptis judicibus, ut præfato monasterio Sancti Petri « de eodem Alardo seu alia persona ydonea, assumenda de gremio ipsius monasterii vel etiam aliunde », providere curent et ut prædictus episcopus ei munus benedictionis impendat.

Quod si non omnes in unam concordare personam, vel alias hiis exequendis potueritis interesse, tu, dicte episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Dat. Laterani, vi id februarii, anno octavo.

4462 (XV) Latran, 13 février 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Lotherio, episcopo Florentino. » (fol. 151.)

Dilectis filiis.. abbati monasterii Vallisumbrose, Fesulane diocesis, et.. archidiacono Atrebatensis, ac.. cantori Morinensis ecclesiarum. Exponentes pridem —.

Notificatur eis, executorio nomine, mutuum quatuor millium florenorum auri, quos Lotherius, episcopus Florentinus, a Symone Gerardi de societate Spinorum de Florentia, mutuante pro se et nomine Rogerii Spinæ, Lapi Hugonis Spinæ, Philippi et Spinæ fratrum, Nerii Cambii et Joannis Maffei ac aliorum de societate prædicta recepit.

Dat. Laterani, id. februarii, anno octavo.

4463 (XVI) Latran, 13 février 1302.

« Quod possit legere jura civilia apud Sedem Apostolicam. » (fol. 151.)

Magistro Gabrieli [1] *de Patientibus de Mediolano, juris civilis professori.* Cupientes ut in sortem Domini evo-

1. *Ms* : Grabrieli.

cati, moribus et scientia informentur, affectum eorum, qui, virtutum et honestati intendentes cultui, proficere in studio desiderant litterarum, benivolo favore prosequimur, et, ut obtatum sue affectionis in hac parte consequantur effectum, libenter eis, prout expedit, Apostolicum auxilium exhibemus. Cum itaque tu, de nostro beneplacito et mandato, apud Sedem Apostolicam in jure civili, cujus scientia et aliis etiam virtutum donis personam tuam multipliciter decoravit Altissimus, habere ac regere scolas, et alios, in jure ipso sub tua doctrina studere volentes, intendas fideliter edocere, nos, attendentes quod dicta scientia ecclesiasticis personis, tam circa curam temporalium quam administrationem spiritualium, est admodum utilis et etiam oportuna, et propter hoc volentes, ut persone ipse, pro acquirenda scientia supradicta, eo libentius et ferventius predicti juris studio immorentur, quo potioris favoris presidio per eandem Sedem in hac parte se noverint confoveri, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut persone predicte, apud Sedem consistentes eandem, in personatibus aut etiam sacerdotio constitute, qui regulares non fuerint, possint in eisdem scolis a te libere leges audire, et sub hujusmodi tua doctrina in eodem jure studere, felicis recordationis Honorii pape III, predecessoris nostri, et alia quacumque constitutione contraria non obstante : proviso quod hujusmodi personatus debitis interim obsequiis non fraudentur et animarum cura in illis, quibus illa iminet, nullatenus negligatur, nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, id. februarii, anno octavo.

4464 (XVII) Latran, 14 février 1302.

« Preficitur in episcopum Lamecensem. » (fol. 151.)

Alfonso, electo Lamecensis. Ad universalis ecclesie —.

Suprascriptus, canonicus Palentinus ac in subdiaconatus ordine constitutus, prædictæ ecclesiæ, per translationem Velasci ad Egitaniensem vacanti, præficitur in episcopum, de Apostolicæ plenitudine potestatis.

Dat. Laterani, XVI kal. martii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Lamecensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie — venerabili fratri . . archiepiscopo Compostellano — carissimo in Christo filio Dyonisio, regi Portugalie illustri.*

4465 (XVIII) Latran, 19 février 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Matheo, episcopo Faventino », usque ad summam mille quingentorum florenorum auri. (fol. 151 v°.)

Matheo, episcopo Faventino. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, XI kal. martii, anno octavo.

4466 (XVIIII) Latran, 15 février 1392.

« Ludovico electo Lugdunensi. Conceditur sibi palleum. » (fol. 151 v°.)

Ludovico electo Lugdunensi. Cum palleum —.

Palleum, quod « per magistrum Bartholomeum de Riperia, legum professorem, officialem et nuntium » suum, postulaverat, conceditur suprascripto, per eundem nuntium Viennensi et Ebredunensi archiepiscopis, assignandum ei per ipsos, destinandum.

Dat. Laterani, XV kal. martii, anno octavo.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Viennensi, et . . Ebredunensi archiepiscopis.*

4467 (XX) Latran, 31 janvier 1302.

« Preficitur in episcopum Urbevetanum. » (fol. 152.)

Guittoni, electo Urbevetano. In excelso Sedis —.

Suprascriptus, in minoribus ordinibus constitutus, prædictæ ecclesiæ, per translationem Leonardi ad Sipontinam vacanti, præficitur in episcopum, de Apostolicæ plenitudine potestatis.

Dat. Laterani, II kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Urbevetane — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie.*

4468 (XXI) Latran, 8 mars 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Matheo, episcopo Faventino. » (fol. 152.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . majoris[1] *et . . Sancti Petri Forisportam Spoletanis ecclesiarum prioribus.* Exponente pridem —.

1. *Ms* : majori.

Notificatur executorio nomine, mutuum mille quingentorum florenorum auri, quos Mathæus, episcopus Faventinus, ab Erricutio Monaldi et Mito Gregorii, civibus Spoletanis, mutuantibus pro se et « pro Blasio Patetti presbytero, Riccardello Vannetti, cive Spoletanis, Jacobo Spoletini, Andreitto Johannoni, Blasio Tadei, Angeletto Juntaronis Petriani, Angelitto et Errigetto fratribus » filiis Andree quondam Jacobi, et Philippo Thomassoni, Spoletane diocesis, recepit.

Dat. Laterani, VIII id. martii, anno octavo.

4469 (XXII) Latran, 20 février 1302.

« Citatio personalis quorumdam canonicorum Civitatis Castellane. » (fol. 152 v°.)

Dilectis filiis.. Civitatis Castellane, et.. Sancte Marie de Gallesio, Civitatis Castellane diocesis, ecclesiarum archipresbyteris. Ad audientiam nostram relatio gravis et querelosa perduxit, quod Petrus, Georgius et Nicolaus, presbyteri, et Pandulfutius Jacobi, canonici Civitatis Castellane, in reprobum sensum dati, quamvis essent plurium majorum excomunicationum sententiis innodati et excomunicati publice nuntiati, divina tamen officia, etiam in cathedrali ecclesia interdicta et per effusionem sanguinis violata, celebrare seu potius prophanare, seque divinis imiscere, scienter et in contemptum clavium, ausu nephario, presumpserunt; ipsis quoque procurantibus et facientibus fieri, camera venerabilis fratris nostri Munaldi, episcopi Civitatis Castellane, sacrilega temeritate fracta extitit, et exinde ornamenta episcopalia, crux grandis, calices et turribulum argentea, et alia ipsius episcopi ustensilia [1] violenter asportata fuerunt. Armaverunt etiam predicti canonici eandem ecclesiam cathedralem, inducentes in ipsam laicos armatos contra episcopum memoratum, et opponentes se ipsi episcopo nequiter in adversum, ac ejus familiam, nedum de dicta ecclesia, sed etiam de domibus episcopalibus expellentes. Vacantibus insuper canonicatu et beneficio in ecclesia prelibata, predicti canonici, eodem contempto episcopo, qui, sicut unus ex ejusdem ecclesie canonicis, in canonicorum electionibus habet vocem, Paulettum, nepotem prefati Pandulfutii [2] ad hujusmodi canonicatum et beneficium elegerunt, et ipsum, sic electum, in eadem ecclesia per laicalem potentiam intruserunt, et nonnulla alia predicti canonici mala et enormia commiserunt et committere cotidie non verentur, in contemptum Dei et prefate Sedis, ac animarum suarum periculum, proprie fame dispendium et scandalum plurimorum.

1. *Ms* : utensilia.
2. *Ms* : Pandalfutii.

Mandatur suprascriptis, ut « Petrum, Georgium, Nicolaum et Pandulfuttium canonicos prelibatos » peremptorie citare curent, ut, infra octo dierum spatium post citationem, personaliter compareant coram domino papa ac alias facturi quod justitia suadebit, « recepturi pro meritis vel suam, si poterunt, innocentiam ostensuri. »

Dat. Laterani, X kal. martii, anno octavo.

4470 (XXIII) Latran, 14 février 1302.

« Preficitur in episcopum Egitaniensem. » (fol. 152 v°.)

Velasco, episcopo Egitaniensi. Quum sicut onusta —. Dudum siquidem Egitaniensi ecclesia, per obitum bone memorie Johannis pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, certa die ad eligendum prefixa, deliberantes in electionis negotio per viam procedere compromissi, in te, tunc Lamecensem episcopum, ac dilectum filium Johannem de Alpan, decanum ecclesie Visensis, unanimiter et concorditer compromittere curaverunt, et demum tu ac idem decanus, hujusmodi compromisso recepto, secedentes in partem, in dilectum filium Stephanum Johannis, archidiaconum Santtarenensem in ecclesia Ulixbonensi, qui pro canonico Egitaniensi se gerebat, unanimiter consensistis, tuque, tua et ipsius college tui vice, adhuc tunc candela accensa durante, in Egitaniensem episcopum elegisti. Idemque archidiaconus electioni consensit. Cumque Johannes Gometii et Benedictus Fernandi, ejusdem Egitaniensis ecclesie canonici, eidem archidiacono et electioni hujusmodi se, ex certis causis, opponere curavissent, ac propter hoc ad Sedem Apostolicam, ut asserunt, appellassent, idemque archidiaconus, cum procuratoribus capituli predictorum ac decreto electionis ipsius, dictique canonici, personaliter, ad Sedem accessissent eandem, pro hujusmodi electionis et appellationis negotio prosequendo. Nos, presentato nobis decreto predicto, negotium electionis ipsius dilecto filio nostro Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, duximus committendum; sed idem archidiaconus, post aliquos processus, in manibus prefati cardinalis, de mandato nostro resignationem hujusmodi admittentis, libere resignavit. Nos igitur postmodum, provisionem ipsius Egitaniensis ecclesie ea vice dispositioni Sedis Apostolice reservantes, in te, tunc episcopum Lamecensem, direximus oculos nostre mentis, teque preficimus ipsi ecclesie Egitaniensi in episcopum et pastorem. Dat. Laterani, XVI kal. martii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Egitaniensis* —

clero civitatis et diocesis — populo — venerabili fratri . . archiepiscopo Compostellano — carissimo in Christo filio . . regi Portugallie illustri.

4471 (XXIIII) Latran, 8 février 1302.

« Mandatur excommunicari nobiles viri Otto et Conradus, marchiones Brandeburgenses, super injuriis illatis W., Brandeburgensi, et J , Havelburgensi episcopis. » (fol. 153.)

Venerabilibus fratribus . . Magdeburgensi, . . Bremensi archiepiscopis et . . episcopo Lubicensi. Sedes Apostolica pia —.

Suprascriptis mandat dominus papa, ut Wolradum, Brandeburgensem, et Johannem, Havelbergensem episcopos, capitula et clericos, ab Ottone et Conrado excommunicatis marchionibus Brandeburgensibus exbannitos et suis beneficiis spoliatos, in corporalem possessionem ecclesiarum, capellarum, decimarum, etc., reducant et reductos defendant, præfatos nobiles autem eorumque complices, pulsatis campanis et accensis candelis, iterum excommunicatos et eorum terras interdictas nuncient.

Dat. Laterani, VI id. februarii, anno octavo.

POTTHAST, 25126.

4472 (XXV) Latran, 4 mars 1302.

« Liberantur ab obligatione decem millium florenorum auri. » (fol. 194.)

Nobilibus viris Stephano et Francisco, filiis quondam Petri de Comite, civibus Romanis. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam habetis Ecclesiam, digne meretur, ut, vestris indempnitatibus oportunis remediis precaventes, quieti et profectibus vestris salubriter consulamus. Cum igitur quondam Petrus de Comite, pater vester, dum viveret, ad preces et instantiam quondam Agapiti, filii quondam Johannis de Columpna, tunc constituti in nostra presentia et eum rogantis et requirentis, tam pro se ipso quam vice et nomine, ut dicebat, Jacobi, patrui, et Petri, fratris sui, de Columpna, olim Sancte Romane Ecclesie cardinalium depositorum, nec non Stephani, Jacobi dicti Sciarre, Johannis dicti de Sancto Vito et Oddutii, fratrum ejusdem Agapiti, promiserit et se, ad penam decem milium florenum auri, obligaverit nobis, nomine nostro et ejusdem Ecclesie solemniter stipulantibus, se facturum et curaturum, quod iidem Jacobus et Petrus, olim cardinales, Agapitus, Stephanus, Jacobus dictus Sciarra, Johannes dictus de Sancto Vito et Oddutius starent et plene parerent mandatis et beneplacitis nostris, quotiescumque faciendis eisdem, super omnibus et singulis excessibus, offensis, culpis, rebellionibus, dampnis et injuriis, attemptatis, factis, commissis et perpetratis usque in illam diem per eos et quemlibet ipsorum contra nos et Ecclesiam prelibatam, et quod, de cetero, nullam, per se vel alios, contra nos rebellionem facerent vel assumerent, neque fieri quomodolibet procurarent, ac idem pater vester in penam hujusmodi incidisse noscatur, vosque ad eam solvendam, ratione successionis dicti patris vestri, nobis et ipsi Ecclesie teneamini, ex defectu patris ejusdem in promissione et obligatione predictis, pro eo quod prelibati Jacobus et Petrus, olim cardinales, Agapitus, Stephanus, Jacobus dictus Sciarra, Johannes dictus de Sancto Vito et Oddutius, tamquam rebelles et inhobedientes, nostris non paruere mandatis, sed latentes arripuere fugam et de assignato eis loco sine nostra licentia recesserunt, nec ad nostra postmodum rediere mandata, nos, volentes vobis super hoc misericordi pietate consulere, vos et vestrum quemlibet, filios, heredes et successores, ac bona vestra et cujuslibet vestrum, presentia et futura, a promissione, obligatione ac pena hujusmodi eximimus et totaliter liberamus, penam ipsam vobis remittentes ex toto, de gratia speciali, ita quod, occasione premissorum, vos vel heredes et successores vestri predicti super premissis vel eorum [aliquo] molestari vel inquietari nullatenus valeatis. Decernimus quoque, ex nunc, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre exemptionis, liberationis, remissionis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, IIII non. martii, anno octavo.

4473 (XXVI) — Même date.

« Conceditur castrum Sancti Johannis in Campo Oratii, Tiburtine diocesis. » (fol. 154.)

Eisdem nobilibus. Mater Ecclesia —. Cum itaque castrum Sancti Johannis in Campo Oratii, Tiburtine diocesis, quod habuerunt, tenuerunt et possederunt Jacobus de Columpna et Petrus, nepos ejus, et quondam Agapitus, Stephanus et Jacobus dictus Sciarra, Johannes et Oddo, fratres dicti Petri, aut aliquis vel aliqui eorumdem, cum suo territorio, pertinentiis et districtu, sit ad nos et Romanam Ecclesiam devolutum, sicut ex processibus et sententiis nostris seu nostra auctoritate factis, que in archivo dicte Ecclesie conservantur, evidenter apparet, nos — predictum castrum Sancti Johannis et ejus roc-

cam, nunc dirutam, cum suo territorio et districtu, mero et mixto imperio, jurisdictione, jure, actione, proprietate, vassallis, silvis, pratis, terris cultis et incultis, molendinis, aquis et aquarum decursibus, ac omnibus juribus et pertinentiis suis, vobis vestrisque heredibus et successoribus in perpetuum ex vestris corporibus per masculinam lineam legitime descendentibus, in feudum perpetuum, Apostolica auctoritate, concedimus de gratia speciali, statuentes ut vos et hujusmodi vestri heredes semel in vita vestra Romano Pontifici et Ecclesie sepedicte, infra annum post aditam hujusmodi feudi hereditatem, et predicti heredes et successores, postquam quartum decimum etatis sue annum exegerint, faciatis ligium homagium et prestetis fidelitatis debite juramentum, et, annis singulis, infra octavas Resurrectionis Dominice, duos solidos Provisinorum usualium, nomine census, Apostolice Sedis camere persolvatis, quodque hujusmodi feudum totaliter vel pro parte non transferatis aliquo alienationis genere vel contractus in supradictos depositos vel filios prefati Johannis aut eorum posteros, per masculinam vel femininam lineam descendentes, nec alias feudum predictum vel aliquam ejus partem alienetis vel quomodolibet distrahetis : quod si secus egeritis, illud ex nunc decernimus irritum et inane et nullius existere firmitatis, et feudum predictum ad nos et prefatam Ecclesiam libere devolvatur, nulli ergo, et cetera, concessionis, constitutionis et decreti, et cetera. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . Sanctorum Cosme et Damiani de Urbe, . . Sancte Marie de Montarella, Tiburtine diocesis, ecclesiarum prioribus.*

4474 (XXVII) Latran, 7 février 1302.

« Preficitur in episcopum Polensem. » (fol. 154 v°.)

Venerabili fratri Oddoni, episcopo Polensi. Ex suscepte servitutis —. Dudum siquidem Polensi ecclesia, per obitum bone memorie Mathei, episcopi Polensis, pastore vacante, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, — die ad eligendum prefixa, — per viam deliberantes procedere compromissi, in dilectum filium Johannem de Magrano, Marinum Casti et Nicolaum Petri, ipsius ecclesie canonicos — compromittere curaverunt et tandem dicti compromissarii, secedentes in partem, — dilectum filium Candicum, scolasticum ejusdem ecclesie, in Polensem episcopum duxerunt eligendum, ac idem scolasticus hujusmodi electioni consensit. Cumque idem scolasticus, cum procuratoribus dictorum capituli ac decreto electionis, — ad Sedem Apostolicam accessisset, presentato nobis eodem decreto, idem scolasticus — in nostris manibus resignavit. Nos, hujusmodi resignatione recepta, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni Sedis Apostolice reservantes, — in te, tunc episcopum Terralbensem, direximus oculos nostre mentis teque — preficimus ipsi ecclesie Polensi in episcopum et pastorem. Dat. Laterani, VII id. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono et capitulo ecclesie Polensis.*

4475 (XXVIII) Latran, 25 février 1302.

« Mandatur dispensari super defectu natalium cum Gobelino de Homberch, Coloniensis diocesis. » (fol. 174 v°.)

Venerabili fratri Wicboldo, archiepiscopo Coloniensi. Licet illegitime geniti, juxta rigorem canonum, a spiritualibus actibus arceantur, pro eo maxime, quod imitatores paterne incontinentie presumuntur, cum similia ex similibus soleant generari, virtutibus tamen decenter ornatis nos, in terris, licet immeriti, vicarii Jhesu Christi, tanquam misericordiam consecutis ab Ipso, non immerito dispensationis gratiam impertimur, cum, ubi largus est Dominus, dispensator non debeat esse parcus. Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum dilectus filius Gobelinus de Hombergh, tue diocesis, clericus et familiaris tuus, defectum natalium, de presbytero scilicet ac soluta genitus, patiatur, cum eo dignaremur misericorditer dispensare, quod, hujusmodi non obstante defectu, possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiamsi curam habeat animarum.

Suprascripto conceditur, ut cum dicto Gobelino dispensare valeat, ita tamen ut idem se faciat ad ordines promoveri, quos requiret onus beneficii, et personaliter resideat.

Dat. Laterani, V kal. februarii, anno octavo.

4476 (XXVIIII) Latran, 28 janvier 1302.

« Mandatur provideri ecclesie Monasteriensi de prelato. » (fol. 155.)

Eidem. Tue devotionis —. Sane petitio tua nuper nobis exhibita continebat, quod, vacante dudum ecclesia Monasteriensi, in tua provincia constituta tibique metropolitico jure subjecta, per obitum bone memorie Everhardi, episcopi Monasteriensis, tu, timens ex verisimi-

libus conjecturis electionem in ea de futuro episcopo in discordia celebrari vel aliquem in ipsa prefici de predicte Coloniensis ecclesie inimicis et persecutoribus, nobis tuas litteras transmisisti, supplicando humiliter, ut ad precavendum futuris periculis, que propterea poterant merito formidari, provisionem dicte Monasteriensis ecclesie dignaremur, ea vice, dispositioni Sedis Apostolice reservare. Postmodum vero per dilectos filios capitulum ipsius Monasteriensis ecclesie, die ad eligendum prefixa, et canonicis ipsius ecclesie, qui voluerunt, potuerunt, et debuerunt comode interesse, convenientibus in unum, ut moris est, pro futuri substitutione pastoris, ac eorum vota, que prius divisa erant in plures, ad concordiam divina clementia reducente, contigit in ipsa Monasteriensi ecclesia electionem de dilecto filio Ottone, fratre nobilis viri .. comitis de Reyberg, ejusdem ecclesie Monasteriensis canonico, viro utique moribus et genere nobili, bone conversationis et vite, ac alias ydoneo, canonice in concordia celebrari, tuque ignorans an ad nos hujusmodi tua supplicatio pervenisset, ad magnam instantiam cleri et nobilium, ministerialium, fidelium et totius populi Monasteriensium, considerato periculoso statu, cui propter invasiones hostiles eadem Monasteriensis ecclesia subjacebat, electionem predictam, tibi infra tempus debitum presentatam, quia eam invenisti de persona ydonea canonice celebratam, duxisti auctoritate propria confirmandam. Quare nobis humiliter supplicasti, ut, cum per eundem electum speretur dicta Monasteriensis ecclesia manuteneri posse in suis juribus salubriter et defendi, et ex tali electione provisum esse ipsi Monasteriensi ecclesie potius quam persone, quod super hoc actum est, ratum et gratum habere, ac ex certa scientia confirmare, auctoritate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, tuam et predictarum Coloniensis et Monasteriensis ecclesiarum quietem et statum prosperum desiderabiliter affectantes, ac intendentes ea paternis studiis promovere, que tua et ipsarum comoda respicere dinoscantur, tuis supplicationibus inclinati, quod circa electionem et confirmationem predictas provide factum est, ratum et gratum habentes, id, auctoritate Apostolica, non obstante reservatione, ea vice, de provisione ipsius Monasteriensis ecclesie, sive ante electionem predictam, sive post, per nos factam, et inhibitione ac decreto interpositis in eadem, ex certa scientia, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tibi, auctoritate predicta, nichilominus indulgentes, ut eidem electo munus consecrationis impendere valeas, sicut rite fuerit faciendum. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis et concessionis, et cetera. Dat. Laterani, v kal. februarii, anno octavo.

4477 (xxx) Latran, 21 mars 1302.

« Conceditur — ad biennium — Carolo, comiti Andegavensi, quod capellani sui possint ministrare familiaribus suis ecclesiastica sacramenta. » (fol. 155.)

Nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Andegavensi. Provenit ex benivolentie —. Dat. Laterani, xii kal. aprilis, anno octavo.

4478 (xxx) Même date.

Ut, quoties aliquem in missæ solemniis, eo presente, prædicare contigerit, prædicator ipse ei et aliis fidelibus quadraginta dierum indulgentiam valeat elargiri. (fol. 155.)

Eidem. Cum tu tanquam —. Dat. ut supra.

4479 (xxx *sic*) Latran, 21 mars 1302.

Ut altare portatile habere possit. (fol. 155) [1].

Eidem Carolo. Gerentes personam tuam —. Dat. Laterani, xii kal. aprilis, anno viii°.

4480 (xxxi) Latran, 18 mars 1302.

« Committitur rectoria — in temporalibus — Comitatus Venaysine. » (fol. 155.)

Nobili viro Rogerio de Spinis de Florentia, militi, comitatus Venaysini rectori. Etsi exigente —. Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis universis baronibus, aliisque nobilibus, communitatibus, universitatibus ac populis, ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum, aliorumque locorum per comitatum Venaysinum constitutis.*

4481 (xxxii) Latran, 28 janvier 1302.

« Preficitur in episcopum Caminensem. » (fol. 155 v°.)

Venerabili fratri Henrico, episcopo Caminensi. Ex suscepte servitutis —. Dudum siquidem Caminensi ecclesia, per obitum bone memorie Petri, Caminensis episcopi, pastoris solatio destituta, dilecti filii Johannes, preposi-

1. Hæc epistola addita fuit in margine inferiore post epistolam sub n° xxxi insertam.

tus, .. decanus et capitulum ipsius ecclesie, certa die ad eligendum prefixa, — eligentes — per viam procedere compromissi, in dictum prepositum, ac dilectos filios Fredericum, archidiaconum Uzenemensem in eadem ecclesia, Johannem, cantorem, Fredericum thesaurarium, et Nicolaum, canonicum ejusdem ecclesie — compromittere curaverunt, concessa eis providendi, ea vice, de se ipsis, aut alio de ipsius ecclesie gremio existente ex tunc usque ad horam nonam sequentis diei tunc proxime futuri, dicte ecclesie de pastore plena et libera potestate, — sicque prefatis compromissariis — secedentibus in partem — archidiaconus, cantor, et thesaurarius predicti in te, tunc archidiaconum Diminensem in eadem ecclesia, — consenserunt, ac deinde dictus cantor, suo et archidiaconi ac thesaurarii predictorum collegarum suorum et totius capituli predicti vice, — te in episcopum elegit, — tuque — hujusmodi electioni consensisti, et, licet diu postmodum prepositus, decanus et Nicolaus predicti, ac Bernardus de Eversten, ejusdem ecclesie canonicus, Gunterum de Guolre, canonicum Magdeburgensem, in Caminensem episcopum, de facto, duxerint postulandum, tu, tamen cum procuratoribus capituli supradicti ac decreto electionis hujusmodi, pro confirmationis electionis hujusmodi obtinendo munere, ad Sedem Apostolicam personaliter accessisti — nos examinationem tam electionis predicte quam persone tue venerabili fratri J., episcopo Tusculano, et dilectis filiis nostris Gentili, tituli Sancti Martini in Montibus presbytero, et Landulpho, Sancti Angeli diacono cardinalibus, duximus committendum, a quibus, post hujusmodi examinationem per eos habitam diligenter, facta nobis relatione fideli, tu, demum in nostra presentia constitutus, prefato Guntero postulato, cujus postulationem, utpote de facto presumptam, non duximus admittendam, se per ejus procuratorem tibi ac electioni tue predicte indebite opponente, cupiens dictam ecclesiam, que per litigiorum anfractus incurrere poterat detrimenta, a dispendiis preservari — resignasti. Nos igitur, hujusmodi resignatione recepta — ad te — convertimus aciem nostre mentis, teque eidem ecclesie Caminensi, de predictorum fratrum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, prefecimus in episcopum et pastorem —. Dat. Laterani, v kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. preposito .. decano et capitulo ecclesie Caminensis — clero civitatis et diocesis — populo — dilectis filiis universis ecclesie Caminensis vassallis.*

4482 (xxxiii) Latran, 12 mars 1302.

« Super facto decime in regno Anglie. » (fol. 156)

Venerabili fratri.. episcopo, et dilectis filiis magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi, decime omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, in toto regno Anglie totaque Ibernia pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos pridem imposite, collectoribus deputatis. Clara merita carissimi in Christo filii nostri E[dwardi], regis Anglie illustris, et sincere devotionis affectum, quo ipse ad Deum et Romanam Ecclesiam, matrem suam, ferverit (*sic*) hactenus, viget ad presens et, sicut speramus et credimus, in futurum, Domino auxiliante, fervebit, benigna consideratione pensantes, et attendentes, quod tam preteriti quam moderni malitia temporis eundem regem sumptibus plurimis ac laboribus et angustiis aggravatur, pia meditatione providimus ad eum super hiis animum paterne compassionis extendere ac ad subventionem ipsius munificentiam Apostolice Sedis reddere gratiosam. Cum igitur in toto regno Anglie ac tota Ibernia decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum pridem, ut nostis, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie memorate ad triennium duxerimus imponendam, ac vos ipsius decime deputaverimus collectores, nos, volentes ut idem rex in effectu percipiat quod erga eum gerit in hac parte mentis affectus, et eligentes potius in nobis ipsis egere, ut oportuna sibi, que super hoc possumus, subsidia ministremus, medietatem totius hujusmodi decime trium annorum ipsi regi duximus, per alias nostras litteras, in hujusmodi sublevationem sumptuum et laborum de speciali gratia concedendum. Quocirca discretioni vestre, per Apostolica scripta mandamus, quatinus medietatem predictam tam collecte videlicet quam colligende in posterum decime prelibate eidem regi vel procuratori seu procuratoribus ejus, ad hoc speciale mandatum habentibus, nomine nostro et Ecclesie prelibate, liberaliter exhibere curetis, reliquam medietatem pro nobis et eadem Ecclesia fideliter servaturi ad nostrum beneplacitum et mandatum. Dat. Laterani, iiii id. martii, anno octavo.

4483 (xxxiiii) Même date.

« Super eodem. » (fol. 156.)

Carissimo in Christo filio Eduardo, regi Anglie illustri. Clara celsitudinis tue merita et sincere devotionis affectum, quod ad Deum et Romanam Ecclesiam, et cetera ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque ;

ad triennium duxerimus imponendam. Nos, volentes ut tu in effectu percipias quod erga te gerit in hac parte nostre mentis affectus, et eligentes potius in nobis ipsis egere, ut oportuna tibi, que super hoc possumus, subsidia ministremus, medietatem totius hujusmodi decime predictorum trium annorum tibi, in hujusmodi sublevationem sumptuum et laborum, presentium auctoritate, concedimus de gratia speciali. Reliquam vero medietatem nobis et Ecclesie prelibate remanere volumus pro nostris et ejus oneribus et necessitatibus supradictis. Et ecce venerabili fratri nostro .. episcopo, et dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi, predicte collectoribus decime, damus per alias nostras litteras in mandatis, ut hujusmodi medietatem tibi concessam, tam collecte, videlicet, quam colligende in posterum decime prelibate, tibi, procuratori seu procuratoribus tuis assignare procurent. Tu itaque, fili carissime, sic ad ea que divine majestati complaceant, et honoris et exaltationis Ecclesie prelibate respiciant incrementa, mentem tuam dirigas, actusque conformes, quod apud Deum et homines ac Sedem Apostolicam commendari valeas, et amplioribus attolli favoribus in tuis oportunitatibus merearis. Dat. ut supra.

Potthast, 25131 [1].

4484 (xxxv) Latran, 12 mars 1302.

« Super facto decime regni Sicilie. » (fol. 156.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Capuano. Volentes ut decima regni Sicilie, per Apostolicam Sedem imposita et colligenda sollicitudini tue commissa, exigatur integre, et ejusdem regni necessitatibus proficiat oportune, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, decimam ipsam, per subcollectores, a te ad collectionem deputatos ipsius, integraliter exigi faciens, nullas compositiones cum solventibus ipsam decimam ineas aut per subcollectores eosdem iniri permittas. Nos enim faciendi compositionem aliquam super ea tibi et eis, auctoritate presentium, interdicimus facultatem, et, si forte compositiones alique jam processerint, illas per te volumus irritari, et, ut, eo celerius et habilius ipsa decima colligatur, quo diligentius atque solertius ipsius collectioni vacabitur, volumus, ut in qualibet regione sive provincia, ubi subcollectorem vel subcollectores ad exactionem hujusmodi decime deputasti, ad requisitionem carissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris, vel alterius, quem ipse ad hoc deputaverit, unum clericum, quem idem rex vel hujusmodi deputandus ab eo nominandum duxerit, ad exactionem hujusmodi deputes, qui una cum subcollectore, deputato per te, vacet collectioni dicte decime diligenter. Dat. Laterani, iiii id. martii, anno octavo.

4485 (xxxvi) Latran, 19 mars 1302.

« Super eodem. » (fol. 156 v°.)

Dilectis filiis Clarentino Anselmi et Baldo Raynerii, ac ceteris eorum sociis de societate Clarentum de Pistorio, nostre camere mercatoribus. Accepimus nuper ex relatione carissimi in Christo filii Caroli, Sicilie regis illustris, quod vos, ipsius oportunitatibus promptis affectibus occurrentes, ei quatuor milia unciarum auri ad generale pondus regni Sicilie per diversas vices, pro iminentibus sibi necessitatibus, causa prosequendi negotium guerre contra Fredericum de Aragonia et rebelles Siculos ac sequaces eorum, liberaliter mutuastis, quinque florenis auri pro uncia qualibet computatis, pro quibus restituendis idem rex, de nostra ratificatione confisus, decimam Italie ac ipsius Sicilie Sardinieque regnorum et principatus Achaye, per nos ad prosecutionem guerre ac negotii ipsius regni Sicilie contra hostes pridem impositam ad triennium, per suas patentes litteras obligavit, nos itaque, ipsorum regis et vestris supplicationibus inclinati, vestris super hoc indempnitatibus precavere intendentes, quia hujusmodi ipsius regis obligatio facta sufficiens non existit, cum ad id ei non fuisset a nobis attributa potestas, volumus et presentium vobis auctoritate concedimus, ut hujusmodi quatuor milia unciarum, taliter regi mutuata eidem, subscripto modo de pecunia dicte decime per venerabiles fratres nostros .. Mediolanensem, et .. Januensem archiepiscopos, .. Paduanum, .. Bononiensem, .. Auximanum, et .. Viterbiensem episcopos, in certis et distinctis locis per nos ad collectionem ipsius decime deputatos, vobis integraliter assignentur. Et ecce collectoribus ipsis damus per diversas nostras litteras in mandatis, ut predicti .. Mediolanensis, mille trecentas, .. Januensis archiepiscopi, ducentas, .. Paduanus vero, mille ducentas, .. Bononiensis, quingentas quadraginta, .. Auximanus, quingentas quinquaginta, et .. Viterbiensis episcopi, ducentas auri uncias, quarum summa in universo collecta capit quatuor milia unciarum, illi vel illis ex vobis, seu procuratori vel procuratoribus vestris ad hoc a vobis vel vestrum aliquo seu aliquibus, nomine omnium et predicte societatis, constituto vel constitutis,

1. Raynaldi plura omisit in editione ejus epistolæ.

qui eisdem collectoribus has et predictas alias nostras, prout diriguntur eisdem, litteras presentabunt, predicto modo penitus assignare procurent pro satisfactione vestri mutui supradicti. Dat. Laterani, xiiii kal. aprilis, anno viii.

4486 (xxvii) Même date.

« Super eodem. » (fol. 156 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Januensi, collectori decime, per nos pridem imposite ad triennium pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes, in civitate et diocesi ac provincia Januensi, riperia et territorio ac districtu earumdem deputato. Accepimus nuper —.

Mandatur suprascripto, eisdem fere ac in proxima superiore epistola, ut societati Clarentum de decima ab eo colligenda, « ducentas auri uncias ad dictum pondus quinque florenorum auri pro uncia qualibet computatorum » assignet in satisfactionem pro rata dicti mutui.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Bononiensi, collectori decime, et cetera ut supra usque : contra hostes, in Ravennati ac Romaniole provinciis et civitatibus ac diocesibus earumdem, aliisque locis infra earum fines constitutis deputato.*

Ut eidem societati quingentas quinquaginta auri uncias assignet.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Auximano, collectori decime, et cetera ut in proxima usque : contra hostes, in totius Marchie Anconitane provincia et civitate, ac diocesi Urbinate, aliisque locis infra earum fines constitutis deputato.*

Ut eidem societati quingentas quinquaginta assignet.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Mediolanensi, collectori decime, et cetera ut in proxima usque : contra hostes, in civitate et diocesi, ac provincia Mediolanensi, et in Placentina, Papiensi, et Ferrariensi civitatibus et diocesibus earumdem aliisque infra earum fines constitutis deputato.*

Ut eidem societati mille trecentas auri uncias assignet.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri episcopo Paduano, collectori decime, et cetera ut in proxima usque : contra hostes, in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus, ac civitatibus, provinciis et diocesibus eorumdem, necnon in tota Marchia Tervisina, ac civitate et diocesi Castellana aliisque locis infra earum fines constitutis deputato.*

Ut eidem societati mille ducentas auri uncias assignet.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri episcopo Viterbiensi, collectori decime, et cetera ut in proxima usque : contra hostes, in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, ac in civitate et diocesi Viterbiensi aliisque locis infra earum fines constitutis deputato.*

Ut eidem societati ducentas auri uncias assignet.

Dat. ut supra.

4487 (xxxviii) Même date.

« Super eodem. » (fol. 157.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Mediolanensi, collectori decime pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes per nos pridem imposite ad triennium in civitate et diocesi ac provincia Mediolanensi et in Placentina, Papiensi, Ferrariensi civitatibus ac diocesibus earumdem aliisque locis infra earum fines constitutis deputato. Cum tibi collectionem decime pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes per nos pridem imposite ad triennium in civitate et diocesi ac provincia Mediolanensi et in Placentina, Papiensi, Ferrariensi civitatibus ac diocesibus earumdem aliisque locis infra earum fines constitutis per nostras sub certa forma litteras duximus committendam, nos, ut hujusmodi decimam habere possimus in promptu, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, impensa prius de ipsa decima dilectis filiis Clarentino Anselmi et Baldo Raynerii ac ceteris eorum sociis de societate Clarentum de Pistorio, nostre camere mercatoribus, prout tibi per alias nostras injungimus litteras, satisfactione mille trecentarum unciarum auri de summa quatuor milium unciarum, que ipsi mercatores carissimo in Christo

filio nostro Carolo, regi Sicilie illustri, liberaliter mutua runt, totum residuum pecunie, quam de ipsa decima ad manus tuas, vel illorum quos ad hujusmodi collectionis ministerium deputasti vel deputabis, provenit et provenire contigerit, dilecto filio Gerardo Lanfredini, Cino Bartholo, Gualterotto et Simoni fratribus, filiis quondam Jacobi de Bardis militis, Bonensigne Angelini, Tadeo Orlandi, et Philippo Aldebrandini ac ceteris eorum sociis, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Bardorum, aut ipsorum alicui vel aliquibus, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem, ad hoc ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus predicte societatis ipsorum nomine specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sublata difficultate qualibet, assignes integraliter, et per subcollectores a te deputatos vel deputandos facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana Curia persolvendam, faciens de singulis assignationibus hujusmodi singula confici publica instrumenta, illa nobis, penes te retentis similibus, per fidelem nuntium transmissurus, ac significaturus nichilominus, per tuas litteras harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeris faciendum. Sic itaque te in hac parte vigilanter et fideliter habere procures, quod possis exinde merito commendari. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Bononiensi — . . archiepiscopo Januensi — . . episcopo Paduano — . . episcopo Auximano — . . episcopo Viterbiensi.*

4488 (XXXVIIII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 157 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Perusino, collectori decime per nos pridem imposite ad triennium pro prosecutione guerre ac negotii Sicilie contra hostes in Ducatus Spoletani et Masse Trabarie provinciis ac in Perusina et Tudertina civitatibus et diocesibus earum aliisque locis infra ipsarum fines constitutis deputato. Cum tibi collectionem decime duxerimus in Ducatus Spoletani et Masse Trabarie provinciis ac in Perusina et Tudertina civitatibus et diocesibus earum aliisque locis infra ipsarum fines constitutis per nostras sub certa forma litteras committendam, nos, ut hujusmodi decimam habere possimus in promptu, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus totam pecuniam, per te vel illos quos ad hujusmodi collectionis ministerium deputasti vel deputabis, ex decima ipsa collectam et colligendam dilectis filiis Gerardo Lanfredini, Cino Bartholo, Gualterotto et Symoni fratribus, filiis quondam Jacobi de Bardis militis, Bonensigne Angelini, Tadeo Orlandi et Phylippo Aldebrandini, ac ceteris eorum sociis, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Bardorum, aut ipsorum alicui vel aliquibus, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem, ad hoc ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus predicte societatis specialiter constitutis, et cetera ut supra capitulo proximo XXXVIII° usque in finem. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Anagnino, collectori decime, et cetera usque : contra hostes in Campanie, Maritime et Sabine provinciis, necnon in Tiburtina, Reatina, Narniensi, et Interamnensi civitatibus et diocesibus earum, ac in Sublacensi, Farfensi, et Sancti Salvatoris Reatini abbatiis aliisque locis et terris infra earum fines constitutis, civitate Romana, ac civitatibus cum diocesibus earum, quibus preesse cardinalis episcopus consuevit, quantum ad proventus Urbis et territorii Romani, duntaxat exceptis, deputato.*

Idem mandatur quod in proxima superiore.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Turritano, collectori decime per nos, et cetera usque : contra hostes in Sardinie et Corsice insulis ac civitatibus, castris, terris, et locis sitis in eis deputato.*

Idem mandatur quod supra.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Senensi, collectori decime, et cetera usque : contra hostes in omnibus partibus Tuscie Romano subjectis Imperio, necnon in Pisana, Massana, et Lunensi civitatibus et diocesibus, aliisque locis infra earum fines constitutis, deputato.*

Idem mandatur quod supra.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Capuano, collectori decime, et cetera usque : contra hostes in toto ipso regno, tam citra quam ultra Farum, ac civitatibus, castris, terris, villis, locisque aliis constitutis infra ipsius regni fines deputato.*

Idem mandatur quod supra.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Patracensi, collectori decime, et cetera usque : contra hostes, in principatus Achaye et ducatus Athenarum provinciis, ac insula Cretensi, et aliis insulis adjacentibus seu vicinis eisdem, et civitatibus, castris, terris, et locis sitis in eis deputato.*

Idem mandatur quod supra.

Dat. ut supra.

4489 (XL) Latran, 19 mars 1302.

« Super eodem. » (fol. 158.)

Dilectis filiis Gerardo Lanfredini, Cino, Bartholo, Gualterotto et Symoni fratribus, filiis quondam Jacobi de Bardis militis, Bonensingne Angelini, Tadeo Orlandi et Phylippo Aldebrandini, ac ceteris eorum sociis, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Bardorum. Per diversas nostras certi tenoris litteras universis et singulis collectoribus deputatis ad colligendum decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, per nos pridem pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes impositam in Italia et regno predicto et certis aliis provinciis, locis et partibus, damus districtius in mandatis, ut pecuniam, per ipsos vel alios de mandato eorum per totum tempus impositionis dicte decime ex decima ipsa collectam et colligendam, absque difficultatis obstaculo, vobis aut vestrum alicui vel aliquibus, seu procuratori vel procuratoribus vestris ad hoc a vobis vel vestrum aliquo vel aliquibus ipsius societatis nomine specialiter constitutis, predictas nostras inde confectas litteras deferentibus, nostro et Ecclesie Romane nomine assignent et faciant assignari, per vos nobis in Romana Curia ad nostrum beneplacitum persolvendam, exceptis quatuor milibus unciarum, quas per quosdam ex collectoribus ipsis particulariter assignari precipimus dilectis filiis Clarentino Anselmi, Baldo Raynerii ac ceteris eorum sociis de societate Clarentum de Pistorio, nostre camere mercatoribus, que ipsi mercatores carissimo in Christo filio nostro Carolo, regi Sicilie illustri, pro iminentibus sibi necessitatibus causa prosequendi negotium supradictum, liberaliter mutuarunt. Cum igitur nos eidem regi sex milia unciarum auri ad idem pondus eidem regi, de beneplacito nostro, pro ipsius prosecutione negotii mutuaturi et assignaturi sitis in instanti, necnon et alia quatuor milia et ducentas auri uncias, nomine dicti regis, dilecto filio nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Andegavensi, progressuro cum gente sua in insulam Sicilie contra hostes, in subsidium Romane Ecclesie et regis ejusdem, pro gagiis suis et hujusmodi gentis ejus, in medietate mensis septembris proximo futuri assignare ac solvere promiseritis, nos, volentes indempnitati vestre super hoc paterna sollicitudine precavere, presentium vobis auctoritate, concedimus, quatinus, pro satisfactione seu restitutione facienda vobis per nos et dictam Ecclesiam seu prefatum regem de predictis pecuniarum quantitatibus, per vos, ut premittitur, mutuatis ac mutuandis, et persolutis ac persolvendis, possitis vobis de hujusmodi pecunia dicte decime trium annorum, quam ex hujusmodi assignatione, facienda vobis seu procuratoribus vestris per collectores eosdem, ad manus vestras vel procuratorum eorundem pervenire contigerit, easdem quantitates, quarum summa in universo collecta capit quatuordecim milia unciarum et ducentas uncias, quinque florenis auri pro uncia qualibet computatis, licite ac libere retinere, nec ad restitutionem aliam faciendam de dictis quantitatibus, quas sic retinueritis pro predictis per vos taliter mutuatis et mutuandis, ac persolutis et persolvendis, unciarum auri quantitatibus aliquatenus teneamini, neque ad id a quoquam compelli vel coartari quomodolibet valeatis. Residuum vero totius pecunie decime prelibate, quam per vos seu procuratores vestros a predictis collectoribus vel ab aliis de mandato eorum, premisso modo, recipi contigerit et haberi, teneamini nobis in dicta curia ad nostrum beneplacitum assignare. Ceterum, cum pro satisfactione facienda vobis de predictis sex milibus unciarum alias nostras ad certos ipsius decime collectores litteras dudum vobis duxerimus concedendas, ne inculcatio litterarum dubitationem pariat, declaramus, tenore presentium, ut, quo ad eandem quantitatem sex milium unciarum, nulla implicatio vel varietas esse inter easdem et presentes litteras reputetur. Dat. Laterani, XIIII kal. aprilis, anno octavo.

4490 (XLI) Latran, 19 mars 1302.

« Mandatur provideri de certa quantitate pecunie nobili viro Ottoni de Grandisono de redditibus et proventibus Anglie olim Terre Sancte subsidio deputatis. » (fol. 148 v°.)

. . decano ecclesie Londoniensis, collectori decime ecclesiasticorum reddituum et proventuum Anglie ac Ibernie olim Terre Sancte subsidio deputate. Clara merita dilecti filii nobilis viri Othonis de Grandisono, quibus ipsa erga Romanam Ecclesiam et Terram Sanctam viguisse dinoscitur et specialis devotionis affectus, quam ad personam nostram eum habere percepimus, digne merentur, ut sibi favoribus et gratiis in suis opportunitatibus oc-

curramus. Sane considerantes dudum, quod idem nobilis, ab olim, ad eandem Terram Sanctam zelo fidei et devotionis accensus, tempore infelicis exterminii civitatis Acconensis, quam ferox Sarracenornm immanitas desolavit, pro defensione civitatis ejusdem et predicte Terre Sancte in eadem civitate personaliter moram trahens, ac personam et bona sua periculis exponere intrepidus non pavescens, pro suis et comitive sue necessitatibus ac subventione etiam aliorum, gravia expensarum onera subiit, amissa ibidem rerum majori parte suarum, quas habere secum dictus nobilis tunc temporis noscebatur, ita quod, secundum quod sua et aliorum fidedignorum habebat assertio, importabilia debita, secundum suarum facultatum vires, propterea cogente necessitate contraxerat, sicque bona sua erant gravibus debitorum oneribus obligata.

His consideratis dominus papa per alias litteras eidem nobili viro concesserat tria millia marcharum argenti de pecunia decime, episcopo Londoniensi et magistro Bartholomeo de Ferentino canonico executione super hoc commissa.

Verum, sicut nuper ex ejusdem nobilis insinuatione percepimus, tu et quondam . . abbas monasterii de Waltham, ordinis sancti Benedicti, Londoniensis diocesis, qui una tecum olim extitit ad ipsius collectionem decime deputatus, tunc vivens, cum vobis predicti episcopus et canonicus mandavissent, auctoritate hujusmodi litterarum directarum eis, ut predicta tria milia marcharum, juxta hujusmodi concessionis, donationis et provisionis nostre tenorem, ipsi nobili exhibere ac persolvere curaretis, pretendentes, quod in prefatis nostris litteris non exprimebantur vestra nomina, et quod nos mandaveramus totam pecuniam ipsius decime certis mercatoribus assignari, et quod nec etiam de certa decima faciebant ipse littere mentionem, exhibere ac persolvere predicta tria milia marcharum prefato nobili denegastis.

Mandatur suprascripto, ut, allegatis non obstantibus, dicto nobili dicta tria millia marcharum argenti absque difficultatis obstaculo exhibeat.

Alioquin predictis episcopo et Bartholomeo damus ad presens, per alias nostras litteras, in mandatis, ut ipsi vel eorum alter te ad id et contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Dat. Laterani, xiiii kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi.*

4491 (xlii) Latran, 19 mars 1302.

« Dispensatio super matrimonio in dioecsi Lausanensi. » (fol. 159.)

Dilecto filio nobili viro Johanni de Everdes et dilecte in Christo filie nobili mulieri Guilelmette de Oroins, Lausanensis diocesis. Licet matrimonium —.

Indulgetur, ad eorum et G. episcopi Lausanensis, cujus consanguinei esse noscuntur, preces, ut, ad sedandas discordias inter progenitores eorum, matrimonium contrahere possint, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, xiiii kal. aprilis, anno octavo.

4492 (xliii) Latran, 19 mars 1302.

« Quod possit facere recipi unum ex clericis suis in ecclesia Lausanensi. » (fol. 149.)

. . episcopo Lausanensi. Personam teram —.

Indulgetur suprascripto, ut in ecclesia Lausanensi, in qua canonicatuum collatio ad capitulum pertinere noscitur, ea vice auctoritate Apostolica unum ex clericis ejus idoneum, quem duxerit eligendum, recipi faciat.

Dat. Laterani, xiiii kal. aprilis, anno octavo.

4493 (xliiii) Latran, 13 février 1302.

« Citatio ad instantiam Thome Picaloti, canonici Eboracensis. » (fol. 159.)

Venerabili fratri . . episcopo Wyntoniensi et dilecto filio . . archidiacono Cantuariensi. Olim dilecto filio Thome Picalotto de Paliano, clerico et familiari nostro, canonico Eboracensi, canonicatum Eboracensis ecclesie, cum plenitudine juris canonici, et prebendam, quos bone memorie Herricus, archiepiscopus Eboracensis, promotionis sue tempore, in eadem ecclesia, cujus fuerat canonicus, obtinuerat, si per consecrationem forsan de ipso secutam vel alio quoquomodo vacabat et de jure nulli alii debebatur, Apostolica auctoritate contulimus et providimus de eisdem, vel, si prebenda ipsa non vacabat, nos prebendam eandem, cum vacaret, si de jure nulli alii deberetur, alioquin aliam, nulli alii de jure debitam, si tunc vacabat ibidem, vel, cum eam vacare contingeret, quam per se vel procuratorem suum infra certum tempus idem Thomas, postquam sibi vel dicto procuratori de ipsius pre-

bende vacatione constaret, duceret acceptandam, conferendam dicto Thome, donationi Apostolice reservavimus et decernimus irritum et inane, si secus super hiis a quoquam contingeret attentari, certis eidem super hoc executoribus per nostras litteras deputatis. Cumque dicti executores, sive unus eorum, prout ex forma litterarum ipsarum id fieri poterat, super hujusmodi executionis negotio sub certo modo, prout oportuit, processissent, procurator prefati Thome, hujusmodi litteris et etiam processibus executorum ipsorum prefato archiepiscopo ac Guillelmo dicto de Hameltone ac decano et capitulo Eboracensibus presentatis, ad prebendam de Wyghtone, quam dictus archiepiscopus dicto tempore in eadem ecclesia obtinuerat et que postmodum vacaverat per consecrationem de ipso secutam, ab eis se, nomine dicti Thome, petiit recipi et admitti. Et, licet prefati archiepiscopus, decanus et capitulum eundem procuratorem, nomine dicti T[home], recepissent in dicta Eboracensi ecclesia in canonicum et in fratrem, predictam tamen prebendam de Wyghtone sibi assignare ipsumque ad illam admittere recusarunt, pretendentes quod Amedeus de Sancto Johanne, canonicus Eboracensis, prebendam predictam, tamquam sibi de jure debitam, fuerat, auctoritate litterarum Sedis Apostolice, assecutus et aliquandiu eam tenuerat et possederat et tunc etiam possidebat. Et, cum inter ipsos Thomam et Amedeum super eadem prebenda, in qua uterque ipsorum jus se pretendebat habere, fuisset per alicujus temporis spatium litigatum, tandem idem Amedeus dictam prebendam et omne jus, si quod sibi competebat in ea, per procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, in manibus venerabilis fratris nostri P. episcopi Burgensis, hujusmodi resignationem de mandato nostro recipientis, libere apud Sedem Apostolicam resignavit. Cumque postmodum idem procurator prefati Thome coram venerabili fratre nostro T. archiepiscopo Eboracensi, dicti Herrici successore, ac . . decano et capitulo supradictis legitime de hujusmodi resignatione docuisset et prebendam pro eo peteret supradictam, iidem archiepiscopus, decanus et capitulum, in elusionem hujusmodi nostre gratie, minus veraciter asserentes, quod dicta resignatio fuerat defectiva, pro eo quod, sicut ipsi dicebant, non plene constabat de sufficienti mandato procuratoris Amedei predicti et alias diversas contra eundem T[homam] exceptiones frivolas opponentes, ad eandem prebendam ipsum admittere renuerunt. Demum autem, eodem Amedeo apud ipsam Sedem in ejusdem episcopi manibus eandem prebendam et omne jus ei competens in illa personaliter resignante, et quod per suum procuratorem super hoc factum extiterat approbante, nos nolentes, ut idem T[homas] effectu hujusmodi nostre sibi facte gratie quomodolibet fraudaretur, sed volentes quod libere, sine alicujus impedimenti obstaculo, prebendam de Wyghtone assequeretur predictam, ejusque pacifica possessione gauderet, suis supplicationibus inclinati, tam prefatas resignationem dicti procuratoris Amedei, habentis ab eodem A[medeo] super hoc speciale mandatum, quam ratificationem et resignationem ipsius A[medei] subsecutas, de quibus omnibus plene nobis constitit, auctoritate Apostolica, per alias nostras litteras, ex certa scientia duximus confirmandas, et omnem defectum, qui in eisdem resignationibus et ratificatione ac aliis supradictis, ex quacumque causa extiterat, supplevimus de Apostolice plenitudine potestatis, omne submoventes obstaculum quod dicto T[home] super assecutione dicte prebende posset obici vel opponi, et nichilominus eandem prebendam de Wyghtone, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, dicto T[home], auctoritate prefata, contulimus et de illa duximus providendum, ac decrevimus irritum et inane, si secus de ipsa prebenda scienter vel ignoranter attemptatum fuisset a quoquam vel contingeret [1] attemptari, certis etiam super hoc eidem Thome per alias nostras litteras executoribus deputatis. Cumque postmodum procurator prefatus, sicut idem T[homas] nobis exposuit, hujusmodi nostris litteris et quibusdam processibus, per secundos executores prefatos vel eorum alterum super hoc habitis, prelibatis archiepiscopo, decano et capitulo presentatis, petiisset ad dictam prebendam, predicto nomine, se admitti, memorati T. archiepiscopus, decanus et capitulum procuratorem ipsum ad prebendam receperunt eandem et cum eodem procuratore ad villam de Wyghtone, Eboracensis diocesis, ubi prebenda ipsa consistit, quemdam eorum nuntium transmiserunt, cui se injunxisse dicebant, ut dicto procuratori prebendam assignaret eandem. Verum nobilis vir Guillelmus de Ros, qui se dicit dominum dicte ville, falso pretendens se jam dicte prebende patronum existere, ut malitiose dictum procuratorem, ne possessionem ipsius prebende posset apprehendere, impediret, cum alias quod sibi jus patronatus in eadem prebenda competeret mentionem aliquam non fecisset, ad prefatam prebendam quendam suum presbyterum, de facto, ut dicitur, presentavit, et demum ipsum procuratorem, ad recipiendam possessionem prebende hujusmodi accedentem, fecisse dicitur acriter verberari in Apostolice Sedis injuriam et contemptum dictique T[home] prejudicium et gravamen; propter que facta ipsi T[home] de dicta prebenda provisio memorata ef-

1. *Ms* : contigeret.

fectum debitum adhuc sortiri nequivit. Quare idem T[homas], asserens quod per potentiam T. archiepiscopi, Guillelmi decani et capituli predictorum poterat et potest tanta ipsius nobilis injuria seu violentia propulsari, et quod idem nobilis, ipsis archiepiscopo, decano et capitulo renitentibus, talia minime presumpsisset, nobis humiliter supplicavit, ut providere in hac parte sibi de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, omnino volentes prefatum Thomam vel ejus procuratores libere possessionem dicte prebende nancisci et in ea pacifice permanere, ac intendentes ad debitam correctionem predicti tam gravis excessus nobilis memorati, in quo iidem archiepiscopus, decanus et capitulum culpabiles, saltem per tolerantiam, esse noscuntur, procedere, si super hoc ipsi nostre non faverent voluntati, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, auctoritate nostra, predictos archiepiscopum, decanum et capitulum, nec non presbiterum taliter presentatum, ac nobilem memoratos moneatis, ut, infra unum mensem post hujusmodi monitionem, iidem archiepiscopus, decanus et capitulum prefatum Thomam vel procuratorem suum pro eo in corporalem possessionem sepedicte prebende inducant seu induci faciant, et defendant inductum, et sibi vel dicto procuratori de fructibus ex prebenda ipsa, a tempore quo fuit de illa T[home] memorato provisum, perceptis, et qui percipi potuerunt, impendant seu faciant plenam satisfactionem impendi, dictique presbiter et nobilis ab omni molestatione ac perturbatione ipsius Thome seu procuratoris ejus super dicta prebenda penitus conquiescant; et nichilominus prefati archiepiscopus, decanus et capitulum taliter super hoc provideant, quod dictus T[homas] ac ejus procuratores ipsius prebende possessione pacifica gaudeant in futurum : alioquin tam archiepiscopum, decanum et capitulum, quam presbiterum et nobilem supradictos, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut, infra trium mensium spatium predictum unum mensem immediate sequentium, iidem decanus, presbiter et nobilis, personaliter, prefati vero archiepiscopus et capitulum, per procuratorem ydoneum, Apostolico se conspectui representent, suam super hiis, si poterunt, innocentiam ostensuri, alioquin pro meritis recepturi et nichilominus facturi super premissis quod ordo dictaverit rationis, diem vero hujusmodi monitionis, citationis et formam, et quicquid inde feceritis nobis, per vestras litteras harum seriem continentes, fideliter intimetis. Dat. Laterani, id. februarii, anno octavo.

4494 (XLV) Latran, 25 janvier 1302.

« Citatio in Wratislavia. » (fol. 160)

Venerabili fratri . . episcopo Olomucensi et dilectis filiis . . decano Xanctonensi et . . plebano Swedenig, Wratislaviensis diocesis. Significavit nobis —.

Scribit suprascriptis in facto Gualterii filii Raynaldi de Monteflorum, quem aliqui canonici ecclesiæ Wratislaviensis ad decanatum, canonicatum et præbendam in eadem ecclesia a Sede Apostolica ei concessum admittere recusabant.

Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno octavo.

Potthast, 25121.

4495 (XLVI) Latran, 31 janvier 1302.

« Citatio episcopi Tergestini. » (fol. 160 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Tergestino. Felicis recordationis Urbanus —.

Suprascripto mandatur, ut, propter injurias monialibus ordinis sancte Clarae et fratribus ordinis Minorum Tergestinis illatas, coram pontifice compareat.

Dat. Laterani, II kal. februarii, anno octavo.

Potthast, 25124.

4496 (XLVII) Latran, 5 avril 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Gundisalvo, episcopo Legionensi. » (fol. 161.)

Dilectis filiis . . preposito Pistoriensis, et . . decano Sancti Severini Burdegalensis ecclesiarum, ac . . officiali Nemausensi. Cum sicut venerabilis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum trium millium florenorum auri, quos Gundisalvus, episcopus Legionensis, a Clarentino Anselmi et Baldo Raynerii, mutuantibus pro se ac Merguliese et Johanne Brachii, Puttio de Floravantibus, Marsuppino et Anselmo Clarentis, Raynerio Morgiano et Phylippo Floravantis, Conrado Gay, Cino et Moto Pepi, Andrea Merguliesis, Symone et Lotto Anselmi, Bonino, Radulfo, Clarente et Brachio Clarentis, Jacobo Brachii, Paulo Johannis, Nello Andreæ, Sclatta Cepparelli et aliis eorum sociis, civibus et mercatoribus Pistoriensibus, de societate Clarentum contraxit.

Dat. Laterani, non. aprilis, anno octavo.

4497 (XLVIII) Latran, 4 mars 1302.

« Super absolutione communis civitatis Wolterane. » (fol. 161).

Venerabili fratri R. episcopo Vulterano. Exhibita nuper nobis, ex parte communis civitatis Vulterane, petitio continebat, quod, exposito dudum, pro parte bone memorie R. episcopi Vulterani, predecessoris tui, tunc viventis, venerabili fratri nostro Matheo, Portuensi episcopo, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legato, quod . . potestas . . capitaneus et duodecim defensores populi civitatis predicte, qui tunc erant, et predictum commune, in ipsius R. episcopi et ecclesie Vulterane offensam et derogationem ecclesiastice libertatis, quedam iniqua statuta ediderant, per que indirecte omnes familiares prefati episcopi, predecessoris tui, directe vero omnes dantes eidem predecessori auxilium vel favorem, qui sub eorumdem potestatis, capitanei, defensorum, communis et universitatis jurisdictione consisterent, secundum statuta eadem puniri mandabantur, et, injuriis hujusmodi non contenti, convocatis eorum in hac parte complicibus, exercitum super terris predecessoris et ecclesie predictorum banniri fecerant, assignatis vexillis et aliis necessariis ad exercitum preparatis, ordinatis quoque sex ex eorum concivibus, secundum quorum consilium deberet in hac parte procedi, prefatus legatus, nolens hec sub dissimulatione transire, predictos potestatem capitaneum, defensores, sex et commune peremptorie fecit, ex ipsius parte, citari, ut, certa die post hujusmodi citationem, iidem potestas, capitaneus, defensores et sex, personaliter, commune vero, per syndicum, coram eodem legato legitime comparere curarent, eisdem predecessori et ecclesie super hiis de justitia responsuri. Et nichilominus eisdem potestati, capitaneo, defensoribus et sex, sub excommunicationis, communi vero, sub interdicti penis, quas sufficienti monitione premissa ex tunc in eos, si secus facerent, legatus ipse in scriptis protulit, et ipsos incurrere voluit ipso facto, fecit ex parte sua similiter districtius inhiberi, ne, pendente hujusmodi negotio coram eo, per se vel alios, directe vel indirecte, contra predecessorem et ecclesiam prelibatos seu ipsorum bona aliquam facerent seu etiam, quantum in eis esset, paterentur fieri novitatem. Cum autem predicti tunc potestas, capitaneus, defensores et sex ac prefatum commune, tam canonis, propter temerariam editionem statutorum predictorum, quam hujusmodi excommunicationis et interdicti sententiis prefati legati, pro eo quod, citationi et inhibitioni hujusmodi non parentes, contra predecessorem et ecclesiam supradictos ac ipsorum bona fecerunt postmodum novitatem, castra et bona ipsorum predecessoris et ecclesie expugnando et occupando nequiter, et alias ipsis predecessori et ecclesie dampna gravia et injurias irrogando, ligati noscantur, ex parte dictorum potestatis, capitanei, defensorum, sex et communis, fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipsi, habentes penitudinis spiritum, parati sint prefata revocare statuta, et de premissis tibi et eidem ecclesie Vulterrane, satisfactionem congruam exhibere, providere ipsis, super hujusmodi excommunicationum et interdicti sententiis, de absolutionis et relaxationis beneficio misericorditer dignaremur.

Mandatur suprascripto, ut, « per eos statutis revocatis predictis et impensa tibi et eidem ecclesie de premissis satisfactione juxta tuum arbitrium competenti », supradictos, « ad humilem requisitionem ipsorum et dicti communis », ab hujusmodi excommunicationum et interdicti sententiis auctoritate Apostolica absolvere et relaxare procuret.

Dat. Laterani, IIII non. martii, anno octavo.

4498 (XLVIIII) Latran, 1er avril 1302.

« Super confirmatione Petri de Macla, electi in priorem monasterii Sancti Angeli de Cripta Vulterina, Esculane diocesis. » (fol. 161.)

. . *episcopo Auximano.* Ex parte dilecti filii Petri de Maccla, electi in priorem, et conventus monasterii Sancti Angeli de Cripta Vulterina, per priorem soliti gubernari, ordinis Heremitarum sancti Benedicti, Esculane diocesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, fuit expositum coram nobis, quod, vacante dudum eodem monasterio per mortem quondam fratris Bonagure, prioris ipsius, prefatus Petrus in ejusdem monasterii priorem per viam compromissi canonice fuit electus. Verum, quia hii, qui hactenus electi fuerunt in priores monasterii memorati, a rectoribus in spiritualibus Marchie Anconitane, qui fuerunt pro tempore, consueverunt suarum electionum confirmationem recipere, super quo non habet rector, qui est nunc, ejusdem Marchie, potestatem, ex parte electi et conventus predictorum nobis extitit supplicatum, quod, cum monasterium ipsum multa paupertate gravetur, confirmari electionem eandem in illis partibus per discretum aliquem mandaremus.

Mandatur suprascripto ut, « inquisita de studiis eligentium, forma electionis et electi meritis diligentius veritate », electionem illam, auctoritate Apostolica, si eandem invenerit canonice celebratam, confirmet.

Alioquin, eadem electione rite cassata, facias eidem monasterio per electionem canonicam vel postulationem concordem de persona ydonea provideri. Dat. Laterani, kal, aprilis, anno octavo.

4499 (L) Latran, 23 mars 1302.

« Conceditur Guidoni, abbati monasterii de Belloloco in Argona, Virdunensis diocesis, quod, una cum dicto monasterio, possit retinere prioratum de Montedesiderio, Cluniacensis ordinis, Ambianensis diocesis. » (fol. 161 v°.)

Guidoni, abbati monasterii de Belloloco in Argonia, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis. Adjutus virtute laudabilium meritorum sic gratum nostris te presentas affectibus, sicque apud nos fide dignorum testimonio commendaris, quod persona tua digne meretur gratia Apostolici favoris extolli et donis potioribus honorari. Dudum siquidem, cum te monasterio de Belloloco in Argona, ordinis sancti Benedicti, prefecimus in abbatem, intellecto quod idem monasterium, occasione guerrarum olim in illis ingruentium partibus, erat combustum et totaliter desolatum, nos, benigna consideratione pensantes, quod, quanto fecundius habundares, tanto facilius et efficatius oportunitatibus et necessitatibus ipsius monasterii poteras subvenire, tibi prioratum de Montedesiderio, Cluniacensis ordinis, Ambianensis diocesis, quem hujusmodi promotionis tue tempore obtinebas, usque ad triennium, auctoritate Apostolica, reservavimus, de gratia speciali, et decrevimus ex tunc irritum et inane, si super hiis contra reservationis nostre tenorem secus a quoquam contingeret attemptari, tibi nichilominus auctoritate simili concedentes, ut fructus, redditus et proventus prioratus ipsius, ex tunc per dictum triennium, etiam postquam benedictionis munus reciperes, valeres ubique percipere et habere, qualibet constitutione vel consuetudine contraria non obstante. Cum autem nos postmodum dictum monasterium . . abbati, conventui, monasterio et ordini Cluniacensibus, per nostras certi tenoris litteras, incorporaverimus et annexuerimus, de Apostolice plenitudine potestatis, pro parte tua fuit no[*bis*] humiliter supplicatum, ut circa statum tuum et ipsius monasterii de Belloloco Apostolice munificentie dexteram extendere dignaremur : volentes igitur, ut favorem in hac parte Apostolicum sentias per effectum et a nobis gratiam obtineas ampliorem, tibi, quod dictum prioratum, una cum memorato monasterio de Belloloco, quoad vixeris, licite retinere, ac fructus, redditus et proventus ipsius prioratus libere percipere valeas, auctoritate presentium, indulgemus, predicti ordinis Cluniacensis constitutione vel consuetudine et qualibet alia contraria non obstante : proviso quod personis in prioratu degentibus memorato de ipsis proventibus congrua provisio ministretur, ex qua comode valeant substentari, et quod propter hoc divinorum cultus non minuatur ibidem sed potius augeatur. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. archidiacono Eduensi et . . decano ecclesie de Pontisera, Rothomagensis diocesis, ac Johanni de Ansona, canonico Bisuntino.*

4500 (LI) Latran, 2 avril 1302.

« Conceditur Futio nato Odonis de Castro Focognano plebanatus plebis de Buiano, Aretine diocesis. » (fol. 161 v°.)

Futio nato nobilis viri Odonis de Castro Focognano, plebano plebis de Buiano, Aretine diocesis. Sincere devotionis affectus —.

Suprascripto, ob devotionem patris ejus ad Romanam Ecclesiam, plebanatum suprascriptæ plebis, per liberam resignationem Odonis, procuratoris Abbatis quondam plebani ipsius in manibus G[entilis], tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinali sponte factam apud Sedem Apostolicam vacantem, confert dominus papa et de illo providet, non obstante quod eidem reservavit beneficium sine cura, quod duceret, si quid in civitate vel diocesi Aretina vacaret, acceptandum, vel quod patitur in ætate et ordinibus defectum, cum in quintodecimo ætatis suæ anno existat et primam tantum tonsuram habeat clericalem.

Dat. Laterani, IIII non. aprilis, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Aretino et dilectis filiis . . de Socano, et . . de Castillione plebium plebanis, Aretine diocesis.*

4501 (LII) Latran, 29 mars 1302.

« Conceditur Giono de Alonis de Prato rectoria hospitalis Sancti Jacobi de Urbe. » (fol. 162.)

Venerabili fratri . . episcopo Spoletano et dilectis filiis . . decano Meldensi ac magistro Odoni de Sermineto, canonico Xanctonensi, camere nostre clerico. Etsi universis Christi —. Sane dilectus filius Gionus quondam Venture de Alonis de Prato, laïcus, Pistoriensis diocesis, in nostra

presentia constitutus, nobis exposuit, et alias ex fidedignorum assertione accepimus, quod idem Gionus, olim zelo fidei et devotionis accensus, crucis assumpto signaculo contra Columpnenses, Ecclesie predicte inimicos atque rebelles, cum aliis de exercitu nostro, in armis eques suis expensis accessit, et, dum cum aliis de exercitu ipso existeret ac cum inimicis prefatis, qui predictum exercitum de nocte agressi fuerant, viriliter propugnaret, ipsisque pro posse resisteret, contigit, quod Gionus ipse, preter plura vulnera, que ab inimicis prefatis proprio corpore pertulit, manu sinistra extitit mutilatus. Quare prefatus Gionus, cum propter mutilationem hujusmodi tanta premeretur inopia, quod non haberet unde cum uxore et familia ejus substentari valeret, nobis humiliter supplicavit, ut ei, ad vitam suam, de rectoria hospitalis Sancti Jacobi, siti in contrata que dicitur Cortona parva de Urbe, ad hospitale Sancti Jacobi de Altopassu, Lucane diocesis, pertinentis, dignaremur misericorditer providere. Nos — discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus — eidem Giono, postquam susceperit habitum fratrum predicti hospitalis de Altopassu, rectoriam ejusdem hospitalis Sancti Jacobi de Urbe, in quo preceptor ipsius hospitalis Sancti Jacobi de Altopassu rectorem de ordine suo pro tempore ponit et amovet ab eodem pro sue libito voluntatis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis assignare curetis, per eum, sub ipsius tamen rectoris obedientia, quamdiu vixerit, retinendam, inducentes ipsum — in ejusdem hospitalis — corporalem possessionem, amoto exinde fratre Castellan[o] de Pulgliano, qui ab eodem preceptore in ipsius hospitalis rectorem, ad ejusdem preceptoris beneplacitum dicitur institutus, et quolibet alio detentore, non obstantibus quod dictus Gionus non susceperit seu non professus fuerit ordinem vel regulam fratrum predicti hospitalis de Altopassu, seu quod est inhabilis ad susceptionem et professionem hujusmodi faciendas, pro eo quod conjugatus existit, et quibuslibet predictorum hospitalis de Altopassu seu fratrum vel ordinis contrariis consuetudinibus —. Insuper, cum eodem Gione, auctoritate predicta, ex uberioris dono gratie dispensetis, ut predictam rectoriam recipere libere ac retinere licite valeat, defectu non suscepti vel non professi dicti ordinis sive regule, et inhabilitate hujusmodi seu qualibet constitutione contraria non obstantibus, proviso quod dictus Gionus in eodem hospitali Sancti Jacobi de Urbe continue faciat consueta et debita hospitalitatis et alia caritatis opera exerceri. Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno octavo.

4502 (LIII) Latran, 8 février 1302.

« Dispensatio super matrimonio in Urbe. » (fol. 162 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni Petri Candulfi et dilecte in Christo filie nobili mulieri Altadonne Ricardi Petri de Urbe. Romani pontificis —.

Suprascriptis indulgetur ad sedandas inimicitias inter consanguineos eorum, ut matrimonium contrahere possint, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, VI id. februarii, anno octavo.

4503 (LIIII) Latran, 12 mars 1302.

« Indulgentia super fructibus percipiendis pro Francisco Petri Johannis Cinchii, canonico Rothomagensi. » (fol. 162 v°.)

Francisco Petri Johannis Cinchii, canonico Rothomagensi, capellano nostro. Studiis bonitatis —.

Suprascripto, in subdiaconatus ordine constituto, et obtentu Francisci, Sanctæ Luciæ in Silice diaconi cardinalis, pro eo nepote suo supplicantis, indulget dominus papa, ut fructus præbendarum, quas in Rothomagensi, Metensi et Suessionensi ecclesiis, quarum est canonicus, obtinet, apud Sedem Apostolicam moram trahens vel insistens scolasticis disciplinis aut in aliqua dictarum ecclesiarum residens, integraliter ad triennium percipere possit.

Dat. Laterani, IIII id. martii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Audoeni Rothomagensis, et . . archipresbytero Sancti Eustachii de Urbe, ac magistro Guillelmo de Urbino, canonico Virdunensis ecclesiarum.*

4504 (LV) Latran, 14 mars 1302.

« Reservatur Bancho Falchi, plebano plebis de Cersina, beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Florentina, nulli alii etc. » (fol. 162 v°.)

Bancho Falchi, plebano plebis de Cersina, Florentine diocesis. Laudabilia tue merita —.

Suprascripto reservatur beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam habeat vel personatus existat, vacans vel proximo vacaturum in civitate vel diocesi Florentina, quod infra unius mensis spatium duxerit acceptandum, non obstante quod « plebanatum plebis de Cersina curam animarum habentem

et in Sancti Petri de Vallia, et Sancti Stephani in Pane ecclesiis, Florentine diocesis, canonicatus et præbendas » noscitur obtinere, « ac in ecclesia Sancti Laurentii Florentina de canonicatu et præbenda — nec non de cotidianis distributionibus » per Apostolicas litteras nuper provisus fuit.

Dat. Laterani, II id. martii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Vallisumbrose, Fesulane diocesis, et . . priori Sancti Jacobi ultra Arnum Florentini, ac magistro Petro de Eugubio, cantori Morinensi, camere nostre clerico.*

4505 (LVI) Latran, 2 avril 1302.

« Confertur magistro Geraldo de Albulaco prebenda ecclesie Ilerdensis, cum mensata, que prepositura vulgariter nuncupatur. » (fol. 163.)

Magistro Geraldo de Albulaco, canonico Ilerdensi. Laudabilibus meritis probitatis, quibus te juvari novimus, et consideratione carissimi in Christo filii nostri Jacobi, regis Aragonum illustris, pro te clerico suo nobis in hac parte humiliter supplicantis, inducimur, ut ad personam tuam Apostolice munificentie dexteram extendamus. Cum igitur canonicatus et prebenda ecclesie Ilerdensis nec non mensata, que prepositura vulgariter nuncupatur, queve nec dignitas nec personatus existit nec curam habeat aliquam animarum, per mortem quondam Bernardi Fornarii, olim ejusdem ecclesie canonici, qui dudum in curia nostra, tunc residente Reate, decessit in Urbe, de qua discesseramus cum ipsa curia, quam ipse, tempore discessus hujusmodi, sequebatur, vacavisse noscantur et nullus preter nos — eosdem conferre potuerit — nos — predictos canonicatum prebendam ac mensatam sic vacantes — Apostolica tibi auctoritate conferimus, non obstantibus — quod in Valentina archidiaconatum de Muroveteri et canonicatum et prebendam ac mensatam — obtinere nosceris aut quod per legatos prefate Sedis in illis partibus statutum alicubi esse dicitur, quod in una ecclesia vel eadem civitate seu eodem plebanatu nullus possit duo vel plura beneficia ecclesiastica obtinere —. Dat. Laterani, IIII non. aprilis, anno octavo.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Theanensi, et . . Valentino episcopis ac dilecto filio Petro Beceti, canonico Terraconensi.*

4506 (LVII) Latran, 2 mars 1302.

« Confertur Radulpho de Haricuria, canonico Parisiensi, personatus vel dignitas quam duxerit acceptandam in ecclesia Parisiensi. — In e. m. conceditur Guidoni de Haricuria in ecclesia Rothomagensi. » (fol. 163 v°.)

Radulpho de Haricuria, canonico Parisiensi. Viros nobilitate preditos —.

Suprascripto, ob ejus merita et consideratione nobilis viri Johannis de Haricuria, fratris ejus, pro eo supplicantis, dignitatem, etiam cum cura, in ecclesia Parisiensi, cujus est canonicus, vacantem vel proxime vacaturam, quam duxerit acceptandam inter unius mensis spatium, reservat dominus papa, non obstante quod « archidiaconatum Augi, curam animarum habentem, in Rothomagensi, et custodiam, in Baiocensi, ex dispensatione Apostolica, et in eisdem Rothomagensi, Baiocensi, Parisiensi, ac etiam Remensi, Ebroicensi, Lexoviensi et Constantiensi ecclesiis » canonicatus et præbendas noscitur obtinere.

Dat. Laterani, VI non. martii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori Sancte Genovefe Parisiensis, et . . decano Sancti Marcelli juxta Parisius, ac . . archidiacono Aureliacensi, Claromontensis ecclesiarum.*

In e. m. *dilecto filio Guidoni de Haricuria canonico Rothomagensi.* Viros nobilitate preclaros, et cetera ut in alia que scribitur Radulpho, mutatis mutandis, scilicet de Parisiensi in Rothomagensi usque : habenda sit mentio specialis, seu quod archidiaconatum de Constantino, curam animarum habentem, in Constantiensi, et in eisdem Constantiensi et Rothomagensi, ac Parisiensi et Lexoviensi, canonicatus et prebendas et quasdam decimas in beneficium in de Postigni, Sagiensis diocesis, ecclesiis nosceris obtinere. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Aureliacensi, Claromontensis, et . . thesaurario, ac magistro Vincentio dicto Letravellie, canonico Ebroicensis ecclesiarum.*

4507 (LVIII) Latran, 31 mars 1302.

« Quod usque ad triennium non teneatur suscipere superiores ordines. » (fol. 164.)

Andree Angeli dicto de Sancto Johanne, plebano plebis Sancti Johannis de Castro Penne, Firmane diocesis, familiari nostro. Exigentibus devotionis —.

Suprascripto, in subdiaconatus ordine constituto, indulgetur ut, apud Sedem Apostolicam domini papæ insistens servitiis,

usque ad triennium ad suscipiendum superiores ordines, ratione plebanatus suprascripti, non teneatur.

Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno octavo.

4508 (LVIII) Latran, 26 février 1302.

« Reservantur quedam bona Jacobi et Johannis de Sancto Vito. » (fol. 164.)

Ad perpetuam rei memoriam. Dudum ex justis —.

Rebellionem Columpnensium solitis verbis memorat dominus papa nec non et pœnas contra eis adhærentes prolatas.

Cum igitur quondam Jacobus et Johannes, filii olim Sinibaldi de Sancto Vito militis, vassalli scismaticorum et rebellium predictorum, olim dum viverent, ipsis scismaticis et rebellibus in hujusmodi scismate et rebellione persistensibus, aut ipsorum alicui vel aliquibus publice adheserint ac dederint auxilium, consilium, et favorem, presertim morando cum eis in civitate olim Penestrina et alibi, et demum fugiendo cum ipsis, et se cum eis vel eorum aliquibus in insulam Sicilie conferendo, et morando inibi, quousque ibidem, ut asseritur, in crimine decesserunt nec redierunt ad nostra et Ecclesie Romane mandamenta, nos, eorumdem Jacobi et Johannis filiorum Synibaldi contemptu et demeritis exigentibus, omnes heredes et successores eorum et cujuslibet ipsorum omnibus bonis et rebus, mobilibus et immobilibus, atque juribus, feudalibus et non feudalibus, que fuerunt ipsorum Johannis et Jacobi Synibaldi, et que iidem Jacobus et Johannes in quibusvis terris et locis et presertim in Sublaco et Rujate castris, Tiburtine et Civitatis Papalis diocesium, hujusmodi predictorum Jacobi et Petri de Columpna depositionis et privationis tempore, seu etiam tempore mortis eorum, obtinebant, habebant, tenebant vel possidebant, per se vel alios, — in perpetuum omnino privamus, illaque omnia prefate Romane Ecclesie publicamus et etiam confiscamus —. Dat. Laterani, IIII kal. martii, anno octavo.

4509 (LVIIII) Même date.

« Conferuntur eadem bona Bonohomini de Sublacu, canonico Cameracensi. » (fol. 164 v°.)

Bonohomini de Sublacu, presbytero, supracoco et familiari nostro, canonico Cameracensi. Laudabilia tue merita probitatis, per familiarem experientiam nota nobis, ac grata et accepta servitia, que nobis impendisse dinosceris et impendis, digne nos excitant et inducunt, ut personam tuam munificentia Sedis Apostolice prosequamur. Dudum siquidem ex justis, et cetera ut supra in proxima, verbis convenienter mutatis, usque : seu aliquibus eorumdem. Volentes itaque tibi gratiam facere specialem, duos vassallos et omnia bona et jura per nos taliter confiscata, que prefati Jacobus et Johannes Synibaldi et quilibet eorum in predictis Sublacu et Rujate castris, et eorum territoriis, ut predicitur, obtinebant, tenebant vel possidebant, aut pertinebant ad eos et ipsorum quemlibet vel pertinere poterant, tibi ac tuis heredibus et successoribus in perpetuum, de corpore Centracloli, patris tui, per masculam lineam legitime descendentibus, locationis seu emphiteosis titulo, sub annuo censu duodecim denariorum Provisinorum, infra octabas Resurrectionis Dominice camere Apostolice Sedis, annis singulis, persolvendo, de gratia concedimus speciali, decernentes irritum et inane, si super hiis secus a quoquam scienter vel ignoranter attemptatum est vel attemptari contigerit in futurum. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis et constitutionis, et cetera. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . camerario nostro et . . archidiacono Tiburtine, ac Gregorio de Genezano, canonico Remensis ecclesiarum.*

4510 (LX) Latran, 17 mars 1302.

« Reservatur Philippo nato Tinatii Rolandi beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Tudertina. » (fol. 1640.)

Phylippo nato dilecti filii Tinacii Rolandi, clerico Tudertine diocesis. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione Francisci, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, cujus dictus Tinacius, pater ejus, domicellus et familiaris existit, pro eo supplicantis, beneficium, etiamsi dignitas existat, vacans vel proximo vacaturum in aliqua ecclesiarum Tudertine civitatis et diocesis, reservat dominus papa, non obstante quod ab ecclesia Sancti Laurentii de Antignano, Spoletanæ diocesis, certam frumenti quantitatem, pensionis nomine, percipit annuatim aut quod patitur in ordinibus et ætate defectum, cum sit in minoribus tantum ordinibus et in duodecimo ætatis suæ anno constitutus

Dat. Laterani, XVI kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancte Marie de Ficu et . . Sancti Laurentii Garbelance prioribus, Tudertine diocesis, ac Andree de Eugubio, canonico Cathalaunensi.*

4511 (LXI) Latran, 15 mars 1302.

« Dispensatio super matrimonio in Capua. » (fol. 165.)

Johanni, nato dilecti (filii) nobilis viri Tadei de Franco de Capua militis, et dilecte in Christe filie Sininsore, nate quondam Francisci de Molisio, ejus uxori. Intente salutis operibus —.

Cum quondam Bartholomæus, prior vir Sininsoræ, Johanni fuerit quarto consanguinitatis, et Johannes eidem, tertio consanguinitatis gradu, conjunctus, indulgetur suprascriptis, ut his non obstantibus in matrimonio, quod contraxerunt per verba de præsenti, inter eos « nondum carnali copula subsecuta », remanere possint.

Dat. Laterani, id. martii, anno octavo.

4512 (LXII) Latran, 20 mars 1302.

« Super provisione facienda de abbate monasterio Sancte Marie de Aquistris. » (fol. 165.)

Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Vacante dudum monasterio Sancte Marie de Aquistris, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, per mortem quondam Elye, abbatis ipsius, prior et conventus ipsius monasterii Elyam Iterii, prefati monasterii monachum, in eorum et ejusdem monasterii abbatem per viam compromissi concorditer elegerunt. Idemque Elyas Iterii hujusmodi electioni de se facte consensit, et, tam ipse, quam prior et conventus prefati, per procuratores ydoneos, quos ad tuam propter hoc presentiam destinarunt, presentato tibi hujusmodi electionis decreto, electionem confirmari predictam cum instantia petierunt. Tu, vero super dicte electionis forma et ipsius electi meritis inquisisti, ac demum, asserens quod idem electus intolerabilem patiebatur in litteratura defectum, quodque ipsi prior et conventus eundem elegerant scienter indignum, pronuntiasti electionem eandem, occasione hujusmodi, irritam et inanem, dictosque priorem et conventum fore ea vice eligendi potestate privatos, ac ad te, propter hujusmodi culpam ipsorum, potestatem eandem legitime devolutam. Cumque, pro parte prioris, conventus et electi predictorum, ad Sedem propter hoc Apostolicam appellatum, ac per te hujusmodi appellationi delatum fuisset, licet idem Elyas Iterii ad Sedem accesserit supradictam, pro hujusmodi negotio prosequendo, postmodum tamen, nolens quod ex hujusmodi prorogatione negotii monasterium ipsum incurreret detrimentum, jus, si quod ei ex electione predicta fuerat acquisitum sponte ac libere in nostris manibus resignavit. Nos igitur — fraternitati tue — per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem monasterio de persona, moribus et vita laudabili, — assumenda de ipsius monasterii gremio vel aliunde, hac vice, auctoritate nostra, providere procures —. Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, anno octavo.

4513 (LXIII) Latran, 20 mars 1302.

« Providetur Malpillio de Bardis de rectoria domus sive hospitalis Sancti Jacobi ad Sanctum Eusebium Florentini. » (fol. 165)

Malpillio, clerico, nato dilecti filii Cecchini de Bardis, rectori domus sive hospitalis Sancti Jacobi ad Sanctum Eusebium Florentini. Bonitatis tue merita, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, et grate devotionis studia, quibus tu et dilectus filius Cecchinus de Bardis, pater tuus, et alii tui erga nos et Romanam vigetis Ecclesiam, digne merentur, ut ad personam tuam Apostolice munificentie dexteram extendamus. Sane exhibita nuper nobis per eundem patrem tuum petitio continebat, quod, vacante dudum rectoria domus sive hospitalis Sancti Jacobi ad Sanctum Eusebium Florentini, cui cura non imminet animarum, per resignationem dilecti filii Bartholi Vite, olim ipsius domus sive hospitalis rectoris, de cujus quidem domus sive hospitalis facultatibus tam familiares ejusdem domus vel hospitalis, quam leprosi, qui de civitate et pleb[an]atu Sancti Johannis Florentinis illuc confluunt, possunt pro tempore sustentari, consules artis mercatorum Calismale de Florentia, ad instantiam vel mandatum communis Florentini, absque superioris licentia, ipsius domus sive hospitalis gubernationi seu potius occupationi se temere ingerentes, administrationem hujusmodi domus sive hospitalis, rectore carentis, presumpserunt et adhuc presumunt, contra libertatem ecclesiasticam et sanctiones canonicas, exercere, in animarum suarum periculum et ejusdem domus sive hospitalis grave prejudicium et jacturam. Quare idem pater tuus nobis humiliter supplicavit, ut, tam tibi quam ipsius domus sive hospitalis statui, cum, sicut asseritur, possit per tuam tuorumque potentiam de manibus eripi laicorum et alias salubriter gubernari, providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque — rectoriam hujusmodi domus sive hospitalis Apostolica tibi auctoritate conferimus — non obstantibus — sive quod pateris in etate defectum, cum in duodecimo etatis tue anno vel circa illum constitutus esse noscaris — proviso quod hujusmodi domus et hospitale debitis

obsequiis non fraudetur. Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Vallisumbrose, Fesulane diocesis, .. priori Sancti Jacobi ultra Arnum Florentini, ac .. cantori ecclesie Morinensis.*

4514 (LXIIII) Latran, 31 mars 1302.

« Declaratur ecclesia Oscensis esse regularis. » (fol. 165 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Solio Apostolici culminis —. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa IIII, predecessor noster, dum viveret, fidedignis relatibus intellecto, quod inter canonicos Oscensis ecclesie, super eo quod nonnulli ex eis dictam ecclesiam secularem, nonnulli vero regularem asserebant eandem, gravis dissensionis materia fuerat suscitata, quodque bone memorie D., Oscensis episcopus, prefatam ecclesiam absque auctoritate Apostolice Sedis fore decreverat secularem, et quia, propter hoc, quamplures ex canonicis supradictis habitum et observantias regulares duxerant dimittendos, et quia etiam, occasione hujusmodi, ad prefatam Sedem fuerat appellatum, bone memorie B., Terraconensi archiepiscopo, loci metropolitano, per suas injunxit litteras speciales, ut ipse, inquisita super premissis diligentius veritate, si rem ita esse contingeret inveniri, memorato episcopo auctoritate Apostolica districtius inhiberet, ne ad hujusmodi ordinationem ejusdem ecclesie faciendam quoquo modo procedere attemptaret, et, si eam inveniret forsitan esse factam, ipsam auctoritate Apostolica revocaret ac irritam decerneret et inanem. Prefatus autem archiepiscopus, receptis litteris supradictis, se ad eandem Oscensem ecclesiam duxit personaliter conferendum, et tandem, incipiens in hac parte procedere juxta traditam sibi formam, debitum nature persolvit. Successu vero temporis, pie memorie Gregorius papa X, predecessor noster, benigne intendens partium parcere laboribus et expensis, .. decanum Ilerdensis, et .. archidiaconum Cesaraugustane ecclesiarum per suas sub certa forma dedit litteras in mandatis, ut, convocatis partibus, causam audiret hujusmodi, et eam, legitimis, per quoscumque ordinarios judices vel a Sede Apostolica delegatos habitis, in eadem servatis omnino processibus, fine canonico terminarent, facientes quod decernerent per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Super hujusmodi quoque negotio auctoritate Sedis ejusdem ac etiam per venerabilem fratrem nostrum Rodoricum, archiepiscopum Terraconensem, loci metropolitanum, qui sua ex certis causis interesse dicebat, ut de negotio cognosceret supradicto, diversi et varii habiti sunt processus et etiam nonnulle appellationes ad Sedem Apostolicam interjecte. Nuper autem dilectus filius Johannes de Arteda, clericus Oscensis, procurator universitatis hominum civitatis Oscensis, ex parte universitatis ipsius, fecit in nostra proponi presentia negotium supradictum, nobis humiliter supplicando, ut, cum nullus pro regulari statu ad prosequendum memoratum negotium se offerret, ipsum ad prosecutionem illius benigne admittere dignaremur. Nos itaque, circa ea, que ad nostrum spectant officium, intentum animum dirigentes, prefatum negotium cum fratribus nostris exacta deliberatione discussimus et examinavimus diligenter, et, volentes illi debitum finem imponere, cum jam longi temporis spatio, non sine multis laboribus et sumptibus partium, perdurarit, dictam Oscensem ecclesiam, si de jure hactenus extitit secularis, ex nunc secularem esse, auctoritate Apostolica, declaramus, et etiam, si de facto secularis effecta fuisset, hoc ratum et firmum habentes, eam ordinamus et facimus perpetuo secularem. Et, si forte aliqui canonici regulares esse noscuntur, volumus, ut ad religiosorum monasteria vel alia loca studeant se transferre, ac, loco ipsorum, in eadem substituantur ecclesia canonici seculares. Nos enim ex nunc irritum et inane decernimus, si secus super hiis, scienter vel ignoranter, a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre declarationis, ordinationis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, II kal. februarii, anno octavo.

4515 (LXV) Latran, 19 mars 1302.

« Dispensatur cum Johanne de Godelee, rectore ecclesie de Holdesworthe, Exoniensis diocesis, super pluralitate. » (fol. 166.)

Johanni de Godelee, rectori ecclesie de Holdesworthe, Exoniensis diocesis. Cum tibi super —.

Suprascripto, obtentu Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro eo supplicantis, nec non Margaretæ, reginæ Anglorum, quæ domino papæ pro eo, thesaurario suo, super hoc similiter precamina destinavit, indulgetur, ut cum rectoria dictæ ecclesiæ unicum alterum beneficium, etiam curatum, recipere et retinere valeat.

Dat. Laterani, XIIII kal. aprilis, anno octavo.

4516 (LXVI) Latran, 5 février 1302.

« Decernitur quod non obsistat lapsus anni pro eo quod non fecit se promoveri. » (fol. 166.)

Petro de Insula, rectori ecclesie Sancti Stephani de Aquisvivis, Narbonensis diocesis. Ex parte tua fuit expositum coram nobis, quod, licet tu ecclesiam Sancti Stephani de Aquisvivis, Narbonensis diocesis, que parrochialis existit, jam anno elapso fueris assecutus, quia tamen post assecutionem hujusmodi venerabilis frater noster G[erardus], episcopus Sabinensis, cujus capellanus et familiaris existis, in Sicilie partibus, fungens ibi legationis officio, moram traxit, ubi nec ipse nec aliquis alius episcopus ordines medio tempore celebravit, tu, ejusdem episcopi insistens obsequiis, non fuisti ad sacerdotium infra annum predictum, sicut ex constitutione Lugdunensis concilii tenebaris, prout nec comode potuisti, hujusmodi occasione promotus. Cum autem in constitutione super hoc a nobis edita caveatur, quod hujusmodi lapsus anni non currat hiis, qui impedimento legitimo fuerint impediti, nos, impedimentum hujusmodi legitimum reputantes ac nolentes quod circa retentionem dicte ecclesie tibi quicquam propterea possit impingi, vel obstaculum aliquod interponi, ejusdem episcopi supplicationibus inclinati, Apostolica auctoritate decernimus, quod lapsus anni predicti tibi nequaquam obsistat, quominus eandem ecclesiam, quam alias canonice te proponis adeptum, licite valeas retinere, ita tamen quod exnunc ad susceptionem presbyteratus, prout ejusdem ecclesie onus exigit, tenearis, nulli ergo, et cetera, nostre constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, non. februarii, anno octavo.

4517 (LXVII) Latran, 30 mars 1302.

« Confertur Zampo Johannis de Urbeveteri plebanatus plebis Sancti Bartholomei de Venetiis. » (fol. 166.)

Zampo Johannis de Urbeveteri, plebano plebis Sancti Bartholomei de Venetiis, Castellane diocesis. Laudabilibus tue meritis —.

Suprascripto, consideratione Thedesii, episcopi Civitatis Papalis, cujus germanus existit, pro eo supplicantis, plebanatum hujus plebis, curatum, quem Leonardus, patriarcha Constantinopolitanus, tempore promotionis suæ obtinebat, et sic apud Sedem Apostolicam vacantem, confert dominus papa, non obstante quod in ecclesia Clusina canonicatum et præbendam, et plebanatum plebis Sanctæ Mariæ de Figino et ecclesiam de Gambes, cujus rector existit, Clusinæ et Carnotensis diocesium, quibus plebanatui Sanctæ Mariæ et ecclesiæ de Gambes cura animarum imminet, noscitur obtinere.

Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno VIII°.

In e. m. *venerabili fratri . . patriarche Constantinopolitano et dilectis filiis Bartholomeo Dandulo, plebano plebis Sancti Pantaleonis de Venetiis, Castellane diocesis, ac Andree de Eugubio* [1], *canonico Cathalaunensi.*

4518 (LXVIII) Latran, 31 janvier 1302.

« Indulgentia de fructibus percipiendis. » (fol. 166 v°.)

Matheo de Columpna, capellano nostro, preposito ecclesie de Sancto Audomaro, Morinensis diocesis. Tui nobilitas generis tueque devotionis merita nos inducunt, ut, honoribus et profectibus tuis favorabiliter intendentes, illos promovere paternis studiis procuremus. Volentes itaque tibi gratiam facere specialem, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut, annis singulis per sex menses apud Sedem Apostolicam moram trahens, vel residens in aliqua ecclesiarum in quibus dignitates, personatus, canonicatus, prebendas et beneficia obtines, fructus — beneficiorum omnium eorundem, usque ad triennium — percipere valeas, nec interim ad faciendum in eis personalem residentiam tenearis —. Dat. Laterani, II kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Bertini de villa Sancti Audomari, Morinensis diocesis, et Johanni de Columpna, capellano nostro, Trecensis, ac Orlando dicto Lupo, Morinensis ecclesiarum canonicis.*

4519 (LXVIIII) Latran, 31 mars 1302.

« Reservatur beneficium in civitate vel diocesi Viterbiensi. » (fol. 166 v°.)

Johanni, nato dilecti filii Azonis, canonico Viterbiensi. Probitatis tue meritis —.

Suprascripto consideratione patris ejus, pro eo supplicantis, beneficium sine cura, quod duxerit acceptandum infra unius mensis spatium, si quod vacat ad præsens in civitate vel diocesi Viterbiensi, vel proximo vacaturum, reservatur, non obstante quod eidem nuper de canonicatu ecclesiæ Viterbien-

1. *Ms* : Egubio.

sis et præbenda, si qua vacabant, vel vacaturis per litteras Apostolicas fuerit provisum.

Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati secularis ecclesie Sancti Quirici, in ecclesia Burgensi, et .. Sancte Marie Nove, ac .. Sancti Stephani Viterbiensium prioribus.*

4520 (LXX) Latran, 15 mars 1302.

« Conceduntur — infrascripto — fructus omnium beneficiorum vacantium vel que vacare contigerit usque ad biennium » (fol. 167.)

Guidoni, electo Trajectensi. Personam tuam —.

Suprascripto, qui « propter impignorationem castrorum, villarum, possessionum et aliorum bonorum ipsius ecclesie, per predecessores tuos, Trajectenses episcopos, et specialiter per bone memorie Guillelmum, Trajectensem episcopum, qui te immediate precessit, factam temporibus retroactis » et « etiam ob gravia debitorum onera contractorum ab ipsis » graviter opprimitur, conceditur, ut fructus primi anni omnium ecclesiasticorum beneficiorum, « que in civitate ac diocesi Trajectensi vacant ad presens et usque ad biennium vacare contigerit », percipere possit, in « solutionem debitorum et recuperationem bonorum et jurium ecclesie supradicte convertendos. »

Dat. Laterani, id. martii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. decano Senogiensis, Cameracensis diocesis, et magistris Guillelmo de Aureliaco, Morinensis, ac Makario de Bosco Ducis, Leodiensis canonicis ecclesiarum.*

4521 (LXXI) Même date.

« Quod conferat hac vice archidiaconatum et canonicatum ecclesie Leodiensis qui fuerunt Guidonis, electi Trajectensis. » (fol. 167.)

.. decano ecclesie Senogiensis, Cameracensis diocesis. Cum dilectus filius Guido, frater dilecti filii nobilis viri Johannis, Haynonie et Hollandie comitis ac domini Frisie, canonicus et archidiaconus ecclesie Leodiensis, sit in episcopum Trajectensem electus et etiam confirmatus, licet ipse nondum munus consecrationis receperit, nos, de tue probitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus canonicatum, prebendam et archidiaconatum, quos dictus electus nunc obtinet in Leodiensi ecclesia supradicta, hac vice alicui persone ydonee auctoritate nostra conferas. Dat. Laterani, ut supra.

4522 (LXXII) Même date.

« Quod non teneatur ad solutionem debitorum. » (fol. 167 v°.)

Guidoni, electo Trajectensi. Personam tuam, claris tuis et dilecti filii nobilis viri Johannis, Haynonie et Hollandie comitis ac domini Frisie, fratris tui, exigentibus meritis, sincera diligentes in Domino caritate, petitiones tuas — favorabiliter exaudimus —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod Trajectensis ecclesia, tum propter impignorationem castrorum, et cetera ut supra capitulo LXX° usque : paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque — auctoritate tibi presentium indulgemus, ut non tenearis ad solutionem debitorum per dictos predecessores tuos, Trajectenses episcopos, nomine eorum vel ipsius ecclesie Trajectensis, contractorum, etiamsi hujusmodi debitorum contractibus capituli predicte ecclesie consensus accessit, nisi ea in utilitatem sepedicte ecclesie conversa fuisse legitime probaverint creditores, vel auctoritate Apostolica sint contracta, non obstantibus renuntiationibus, obligationibus, confessionibus, penarum adjectionibus, juramentis et instrumentis quibuscumque tempore ipsorum debitorum et etiam postea super hiis factis et etiam interjectis, nisi confessiones ipse aliis legitimis amminiculis adjuventur, nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. ut supra.

4523 (LXXIII) Même date.

« Indulgetur ad triennium, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis possint sibi divina officia facere celebrari. » (fol. 167 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni, Haynonie et Hollandie comiti ac Frisie domino, ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Phylippinè, uxori ejus. Desideriis vestris libenter —. Dat. ut supra.

4524 (LXXIII *bis*) Même date.

« Quod nullus delegatus vel subdelegatus etc. » (fol. 167 v°.)

Nobili viro Johanni, Haynonie et Hollandie comiti et Frisie domino. Meritis tue devotionis —. Ex parte siquidem

tua fuit propositum coram nobis, quod, cum te frequenter huc et illuc discurrere oporteat pro regendis, recuperandis et manutenendis bonis et juribus tam Haynonie et Hollandie comitatuum tuorum, quam ecclesie Trajectensis, ad cujus regimen dilectus filius Guido, frater tuus, in episcopum electus existit et etiam confirmatus, dubitas ne interim terre comitatuum predictorum, tuis procurantibus emulis, spirituali vexatione graventur.

Indulgetur ei, ut nullus delegatus vel subdelegatus in eum et uxorem excommunicationis, aut in terras predictas interdicti sententias promulgare valeat absque speciali mandato.

Dat. ut supra.

4525 (LXXIIII) Même date.

« Quod quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, possint per triennium percipere fructus beneficiorum suorum. » (fol. 167 v°.)

Eidem. Devotionis affectum —. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Oviont, Cameracensis diocesis, et . . scolastico Sancti Pauli, ac magistro Makario de Boscoducis, canonico Leodiensis ecclesiarum.*

4526 (LXXV) Latran, 15 mars 1302.

Ut Johannem comitem Haynoniæ et ejus officiales, ob constitutionem « Clericis laïcos » excommunicatos, absolvat. » (fol. 168.)

. . *guardiano Fratrum ordinis Minorum de Montibus, Cameracensis diocesis.* Dilecti filii nobilis viri Johannis, Haynonie et Hollandie comitis ac domini Frisie, sinceritas promeretur, ut ejus desideriis, quantum cum Deo possumus, annuamus, presertim in iis, que sue ac officialium suorum animarum salutem respicere dinoscuntur. Ex parte siquidem ipsius comitis fuit nobis humiliter supplicatum, ut ab ex excommunicationis sententia, quam comes et officiales predicti incurrisse noscuntur, pro eo quod pecuniarium subsidium seu mutuum, contra constitutionis nostre edite super hoc tenorem, non tamen in ejus contemptum, sed inevitabili necessitate coacti, ab ecclesiis et personis ecclesiasticis terrarum dictorum comitatuum exegerunt, absolvi misericorditer mandaremus, nos itaque, volentes comitis et officialium predictorum saluti salubriter consulere in hac parte, presentium tibi auctoritate committimus, ut ipsos, hac vice, satisfactione premissa, juxta formam Ecclesie, ab hujusmodi sententia excommunicationis absolvas, injuncta eis propter hoc penitentia salutari, non obstante indulgentia, et cetera. Dat. Laterani, id. martii, anno octavo.

POTTHAST, 25132.

4527 (LXXVI) Latran, 6 avril 1302.

« Quod Thomam, episcopum Salvinensem, ad aliquam ecclesiam cathedralem sui patriarchatus transferat. » (fol. 168.)

Venerabili fratri L[eonardo], patriarche Constantinopolitano. Dudum ad personam —.

Mandatur suprascripto, ut Thomam, episcopum Salvinensem, « qui ab ecclesia sua per Grecos infideles ac scismaticos occupata exulare compellitur, » ad aliquam ecclesiam cathedralem quamcumque, si qua in patriarchatu ejus vacat ad presens vel cum eam vacare contigerit, ei mediate vel immediate subjectam, auctoritate Apostolica transferre procuret.

Dat. Laterani, VIII id. aprilis, anno octavo.

4528 (LXXVII) Latran, 23 mars 1302.

« Restituitur monasterio Casinensi prepositura seu monasterium Sancti Nicolai de Lupico, ordinis sancti Benedicti, Aquinatensis diocesis. » (fol. 168.)

. . *abbati et conventui monasterii Casinensis, Romane Ecclesie immediate subjecti.* Ab olim, dum nos minor status haberet, venerabile monasterium Casinense — inter cetera mundi cenobia — speciali affectione dileximus et diligere non cessamus —. Sane bone memorie Gerardo, episcopo Sabinensi, tunc in regno Sicilie Apostolice Sedis legato, per Riccardum de Monte Nigro clericum falsa insinuatione suggesto, quod prepositura seu monasterium Sancti Nicolai de Lupino, per prepositum solitum gubernari, ordinis sancti Benedicti, Aquinatensis diocesis, eidem Casinensi monasterio immediate subjecta sive subjectum, consueverat hactenus secularibus clericis in beneficium assignari, et quod monasterium ipsum secularis existebat ecclesia, quodque tunc rectore vacabat, dictus legatus, volens eumdem Ricardum speciali prosequi gratia et favore, predictam preposituram seu monasterium ei, sue legationis auctoritate, contulit — certis

sibi super hoc per suas litteras executoribus deputatis : qui tandem — ad predictam preposituram, — Riccardo procurante predicto, accedere curaverunt, et — ejectis exinde non absque injectione manuum violenta preposito et monachis ibidem inventis, ipsam — occupare ac eundem Ricardum in corporalem possessionem illius inducere presumpserunt, qui, preposituram — per plures annos taliter occupatam — detinens, demum ipsam — in manibus — Landulfi, Sancti Angeli diaconi cardinalis, tunc in regno ipso Apostolice Sedis legati, ut dicitur, resignavit; at idem Landulfus legatus preposituram ipsam — Riccardo de Sancto Eustachio de Urbe clerico postmodum — sue legationis auctoritate, contulit, qui eam — usque nunc noscitur tenuisse —.

Dictam præposituram Sancti Nicolai Casinensi monasterio in perpetuum restituit dominus papa, ordinando « quod predicta prepositura non nisi per ipsius monasterii Casinensis monachos, sicut hactenus, gubernetur. »

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno VIII°.

4529 (LXXVIII) Latran, 20 février 1302.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 168 v°.)

Gundisalvo Johannis, rectori parrochialis ecclesie Sancte Leocadie de Monte Nigro, Bracharensis diocesis. Meritis tue devotionis —.

Suprascripto, cui archiepiscopus Bracharensis thesaurariam ecclesie Bracharensis, per mortem quondam Fernandi Martini vacantem, parrochialem ecclesiam Sancte Leocadie jam obtinenti et collationem hujusmodi, utpote qui tunc in Romana curia existebat, penitus ignoranti, prout ad ipsum archiepiscopum pertinebat, duxit conferendam, indulgetur, ut dictam thesaurariam una cum præfata parrochiali ecclesia necnon et canonicatibus et præbendis, quos in eadem Bracharensi et Portugalensi ecclesiis obtinet, retinere possit.

Dat. Laterani, x kal. martii, anno octavo.

4530 (LXXVIIII) Latran, 31 mars 1302.

« Quod faciat restitui plebi Sancti Andree de Dottia, sue diocesis, quedam molendina et terras », ab heredibus Guidonis Saltarelli injuste occupata. (fol. 168 v°.)

. . *episcopo Florentino.* Sua nobis dilectus filius Torrigianus de Vicedominis, plebanus plebis Sancti Andree de Dottia, tue diocesis, conquestatione, monstravit, quod quondam Guido Saltarelli, laicus Florentinus, dudum Guidonem predecessorem ipsius Torrigiani tunc temporis plebis prefate plebanum, ad alienandum sibi nonnulla molendina, terras et possessiones ejusdem plebis compulit per vim et metum, qui potuit cadere in constantem, et pretextu alienationis hujusmodi sibi facte, laïcus ipse, dum vixit, ac postmodum Binus et Lapus Saltarelli, ejus filii et heredes, cives Florentini ea tenuerunt et adhuc detinent occupata —.

Mandatur suprascripto, ut, si inquisita super præmissis sine figura judicii veritate, ei constiterit ita esse, heredes eosdem compellat, dicta bona præfatæ plebi, non obstante hac alienatione, restituant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Testes, et cetera.

Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno octavo.

4431 (LXXX) Latran, 18 mars 1302.

« Quod possit regere in jure civili. » (fol. 168 v°.)

Magistro Guillelmo de Flavencuria, juris civilis professori, archidiacono minoris Caleti in ecclesia Rothomagensi. Meritis tue probitatis inducimur, ut illa te gratia prosequamur, per quam tibi cumulus honoris proveniat, et aliorum profectibus consulatur. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu in jure civili, in quo laudabiliter per Dei gratiam profecisse dinosceris, regere cupias, nobis humiliter supplicasti, ut regendi in jure predicto, in loco ubi vigeat studium generale, tibi licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, constitutione felicis recordationis Honorii pape III, predecessoris nostri, et alia qualibet in contrarium non obstante, tibi auctoritate presentium licentiam concedimus postulatam, presentibus post quinquennium minime valituris, proviso quod interim archidiaconatus minoris Scaleti (*sic*), quem in Rothomagensi ecclesia obtines, debitis obsequiis non fraudetur, et animarum cura, si qua ei iminet, nullatenus negligatur, nulli, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno VIII.

In e. m. *magistro Guillelmo de Flavencuria, juris civilis professori, thesaurario ecclesie Rothomagensis.*

4532 (LXXXI) Même date.

« Quod possit — per triennium — facere reconciliari ecclesias et cimiteria sue civitatis et diocesis. » (fol. 168 v°.)

Guillelmo, archiepiscopo Rothomagensi. Sicut ex parte tua —. Dat. ut supra.

4533 (LXXXII) Même date.

« Quod possit facere visitari usque ad biennium. » (fol. 168 v°.)

Eidem. Personam tuam —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Lexoviensi et dilectis filiis . . Vulgassani Francie, ac . . Vulgassani Normannie archidiaconis in ecclesia Rothomagensi.*

4534 (LXXXIII) Latran, 4 avril 1302.

« Mandatur citari Petrus de Monte Olivo, electus Paphensis. » (fol. 169.)

. . *episcopo Nimociensi.* Ad audientiam nostram pervenit, quod, vacante dudum Paphensi ecclesia, per mortem quondam N[icolai], episcopi Paphensis, canonici ejusdem ecclesie, tunc in ea capitulum facientes, qui erant septem numero, licet quatuor ex ipsis pluribus essent majorum excommunicationum sententiis innodati, cum ad electionem de futuro pastore per viam deliberassent procedere compromissi, in tres de excommunicatis predictis providendi ea vice dicte ecclesie de pastore concesserunt unanimiter potestatem : iidem compromissarii, hujusmodi compromisso recepto, Petrum de Monteolivo, ecclesie Nicosiensis canonicum, incontinentie vitio laborantem, ac patientem defectum intolerabilem in scientia et etate, perjurii crimine irretitum, et infamem, de facto eligere presumpserunt, interveniente nichilominus in electione hujusmodi symoniaca pravitate. Duo quoque de compromissariis supradictis, qui tunc erant vicarii venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Nicosiensis, loci metropolitani, electionem hujusmodi confirmarunt, sicque dictus Petrus, talium electionis et confirmationis pretextu, administrationi bonorum dicte ecclesie se immiscens, bona mobilia ejusdem ecclesie, que penes dictum N[icolaum] episcopum, tempore sui obitus, ad valorem viginti milium florenorum auri reperta fuerunt, infra trium mensium spatium jam consumpsit, et alias dictam ecclesiam in duobus milibus florenis aureis quibusdam creditoribus obligavit. Nos autem, premissa, si veritate nitantur, sub dissimulatione transire, vel ex eis ipsi electo aut ecclesie, si forte vera non fuerint, dispendium provenire nolentes, fraternitati tue, de cujus circumspectione fiduciam gerimus in Deo specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si per indaginem non solemnem, ad quam te procedere volumus, prefato Petro etiam non vocato, a fidedignis personis inveneris ipsum Petrum super premissis vel eorum aliquibus diffamatum, memorato Petro citato sibique legitime defensionis copia data, inquirat, super hiis, de quibus eum diffamatum repereris diligentius veritate[m], quod si Petrus ipse personas testium, quos super hoc recipiendos duxeris, voluerit reprobare, tu testes, quos ipse super hujusmodi reprobatione produxerit, infra unius mensis spatium post denuntiationem ei super hoc factam recipias et examinare procures, utrorumque testium dicta ac inquisitionem hujusmodi et indaginem fideliter in scriptis redacta, sub tuo inclusa sigillo, ad nos quamtotius transmissurus, ipsumque Petrum tunc, ex parte nostra, peremptorie cites, ut, infra novem mensium spatium post citationem hujusmodi, nostro se conspectui personaliter representet, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie pariturus, ac alias facturus et recepturus quod justitia suadebit. Si vero eumdem Petrum super hiis non apparuerit per dictam indaginem diffamatum, ad inquisitionem aliam non procedens, que indagaveris, ut deliberare possimus quid agendum fuerit in predictis, ad presentiam nostram similiter transmittere non postponas. Diem autem hujusmodi citationis et formam, si ad illam procedere te contingat, et quicquid idem duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, fideliter studeas intimare. Dat. Laterani, II non. aprilis, anno octavo.

4535-4586 (LXXXIIII)

« Diverse littere « Cupientes » et pro diversis ecclesiis sunt posite sub isto capitulo. » (fol. 169.)

Latran, 5 avril 1302.

Venerabili fratri . . episcopo Interampnensi et dilectis filiis . . Sancti Gemini, et . . Sancti Nicolai de Sancto Gemino monasteriorum abbatibus, Narniensis diocesis. Cupientes olim discordiam —.

Mandatur suprascriptis, ut a Fratribus ordinum Prædicatorum et Minorum Tudertinis constitutionem a se pro concordia inter clericos et dictos ordines editam observari faciant.

Dat. Laterani, non. aprilis, anno octavo.

Potthast, 25137.

Latran, 11 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati Sancti Stephani, et .. priori Sancti Bartholomei, per priorem soliti gubernari monasteriorum, ac .. archidiacono ecclesie Bononiensium*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Parmensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, iii id. aprilis, anno octavo.

Latran, 10 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. preposito, et .. archipresbitero Asten*[*sibus*], pro rectoribus, curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Taurinensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, iiii id. aprilis, anno octavo.

Latran, 16 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. decano Ambianensibus, ac .. abbati monasterii Corbeyensis, Ambianensis diocesis*, pro rectoribus, curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Morinensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, xvi kal. maii, anno octavo.

Latran, 5 avril 1302.

In e. m. eisdem judicibus et pro eisdem sub data : Laterani, non. aprilis, anno octavo.

Latran, 11 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Suessionensi, et dilectis filiis .. abbati monasterii Compendiensis, Suessionensis diocesis, ac .. decano ecclesie Suessionensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Belvacensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, iii id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. majori, ac .. de Johannis Villa archidiaconis Cathalaunensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Remensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 10 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, ac dilectis filiis .. decano, et .. cantori Belvacensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Ambianensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, iiii id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archidiacono Transligerensi, ac .. scolastico Andegavensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Cenomanensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archidiacono Transligerensi, et .. scolastico Andegavensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Turonensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archidiacono, ac .. archipresbitero Torcellanis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Castellane civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 1er mai 1302.

In e. m. *dilectis filiis .. archidiacono, .. archipresbitero, et .. cantori ecclesie Albensis*, pro rectoribus, seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Astensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, kal. maii, anno octavo.

Latran, 4 mai 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. preposito, et .. decano Ratisponensibus*, pro rectoribus

seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Pataviensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, iii non. maii, anno octavo.

Latran, 4 mai 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archidiacono Castellanis, ac .. primicerio ecclesie Sancti Marchi de Venetiis, Castellane diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Paduane civitatis et diocesis, sub data : Laterani, iiii non. maii, anno VIII°.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Wazemburch, Spirensis diocesis, ac .. majoris, et .. Sancti Germani extra muros Spirensium ecclesiarum decanis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Argentinensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno VIII°.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo, et dilectis filiis .. decano Senonensibus, ac .. abbati monasterii Sancti Petri Vivi Senonensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Carnotensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 9 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. decano Carnotensibus, ac .. abbati monasterii Sancti Petri in Vallegia Carnotensi*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Senonensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, v id. aprilis, anno octavo.

Latran, 16 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Albiensi, et dilectis filiis .. de Castris, ac .. de Galliaco monasteriorum abbatibus, Albiensis diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Tholosane civitatis et diocesis, sub data : Laterani, xvi kal. maii, anno octavo.

Anagni, 30 juin 1302.

In e. m. *dilectis filiis .. preposito, .. decano, et .. thesaurario ecclesie Zweriensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Lubicensis civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, ii kal julii, anno octavo.

Anagni, 30 juin 1302

In e. m. *dilectis filiis .. decano, .. scolastico, et .. cantori ecclesie Verdensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Bremensis civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, ii kal. julii, anno octavo.

Anagni, 23 juillet 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Senensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Donati, ac .. priori Sancti Martini Senensium*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Florentine civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, x kal. augusti, anno octavo.

Latran, 18 octobre 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. decano, ac .. thesaurario ecclesie Abulensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Salamantine civitatis et diocesis, sub data : Laterani, xv kal. novembris, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Xanctonensi, et dilectis filiis .. Sancte Gemme, et .. de Geay, Xanctonensis diocesis, prioribus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Burdegalensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis .. Sancte Marie in Regula, et .. Sancti Pauli monasteriorum abbatibus, ac Jacobo de Aliottis, canonico Imolensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Bononiensis

civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Lincolniensi, et dilectis filiis . . Oxoniensi, et . . Huntydone in ecclesia Lincolniensi archidiaconis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Cantuariensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 4 mai 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . Sanctorum Gervasii et Protasii de Castroplebis, et . . de Fighino ecclesiarum plebanis, Clusine diocesis, ac Citte Oddonis, canonico Clusino*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Urbevetane civitatis et diocesis, sub data : Laterani, IIII non. maii, anno VIII°

Latran, 21 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Fontis Frigidi, Narbonensis diocesis, et . . secularis Sancti Pauli abbatibus, ac . . archidiano Fenolheti Majoris Narbonensis ecclesiarum*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Carcassonensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XI kal. maii, anno VIII°.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . Havelbergensis, et . . in Robbole, et . . in Yericho prepositis ecclesiarum, Havelbergensis diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Brandeburgensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 4 mai 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . primicerio Fundane, ac . . archipresbitero Sancte Marie de Ambrisio, Fundane diocesis, ecclesiarum*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Terracinensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, IIII non. maii, anno VIII°.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Londoniensi et dilectis filiis . . decano ecclesie Sancti Pauli Londoniensis, ac . . abbati Westimonasterii, Londoniensis diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Lincolniensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . decano ecclesie Turonensis et . . archidiacono Transligerensi in eadem, ac . . preposito Andegavie in Sancti Martini Turonensi ecclesiis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Andegavensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Trasligerensi et . . scolastico, ac . . cantori ecclesie Andegavensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Nannetensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 10 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . decano, et . . archidiacono Constantiensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Bajocensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, IIII id. aprilis, anno octavo.

Latran, 17 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . archidiacono, ac . . preposito Uticensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Nemausensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XV kal. maii, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . Prumiensis, et . . Lutzelenburgensis monasteriorum abbatibus, ac . . plebano plebis de Lynse, Treverensis diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Colo-

niensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Anagni, 28 juin 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. decano, ac .. preposito Aniciensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Claromontensis civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, IIII kal. julii, anno octavo.

Latran, 15 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Novo Campo, Zwerinensis diocesis, ac .. decano, et .. preposito ecclesie Zwerinensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Caminensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XVII kal. maii, anno VIII°.

Latran, 22 avril 1302.

In e. m. *dilectis filiis .. decano, et .. preposito, ac .. archidiacono ecclesie Cameracensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Tornacensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, X kal. maii, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo, et dilectis filiis .. decano, et .. archidiacono Senonensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Aurelianensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Latran, 11 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. decano Ambianensibus, ac .. abbati monasterii Corbeyensis, Ambianensis diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Atrebatensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, III id. aprilis, anno octavo.

Latran, 10 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. decano, et .. archidiacono Constantiensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Ebroicensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, IIII id. aprilis, anno octavo.

Latran, 11 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo, et dilectis filiis .. archidiacono Senonensibus, ac .. abbati monasterii Sancti Johannis Senonensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Parisiensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, III id. aprilis, anno octavo.

Latran, 10 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archidiacono Belvacensibus, ac .. abbati monasterii Sancti Luciani Belvacensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Noviomensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, IIII id. aprilis, anno octavo.

Latran, 13 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archidiacono, ac .. cantori Bajocensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Lexoviensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. aprilis, anno octavo.

Anagni, 5 juin 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Tiburtino, et dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Clementis, ac .. archipresbitero ecclesie Sancti Petri Tiburtin[is]*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum de Urbe, sub data : Anagnie, non. junii, anno octavo.

Anagni, 6 juillet 1302.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Firmano, et dilectis filiis .. priori Sancti Juliani Firmani, ac .. plebano plebis Sancti Angeli in Monte, Firmane diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Esculane civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, II non. julii, anno octavo.

Anagni, 30 juin 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . Scotorum in Vienna, et . . in Vornpach monasteriorum abbatibus, ac . . decano ecclesie Maticensis, Pataviensis diocesis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Salzeburgensis civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, II kal. julii, anno VIII°.

Anagni, 27 juin 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito, et . . decano, ac . . scolastico ecclesie Ratisponensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Frisingensis civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, v kal. julii, anno octavo.

Anagni, 28 juin 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . decano, et . . preposito Eystetensibus*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Ratisponensis civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, IIII kal. julii, anno octavo.

Anagni, 14 juillet 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Sancti Theobaldi, et . . cancellario, ac . . cantori majoris Metensis ecclesiarum*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Treverensis civitatis et diocesis, sub data : Anagnie, II id. julii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano, . . archidiacono, et . . officiali ecclesie Eduensis*, pro rectoribus seu curatis presbiteris et clericis parrochialium [ecclesiarum] L... [1]

4587 (LXXXV) Latran, 7 février 1302.

Unitur ecclesiæ Constantinopolitanæ usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum ecclesia Cretensis. (fol. 170 v°.)

Leonardo, electo Constantinopolitano. Inter universas ecclesias venerabilis Constantinopolitana ecclesia — prefulsit; sed propter occupationes multiplices, direptiones innumeras et invasiones nefarias — memorata ecclesia usque adeo — collapsa dinoscitur, quod — insufficiens redditur ad necessariorum sumptuum onera, que patriarcha Constantinopolitanus — subire cogitur supportanda. Nos itaque, — considerantes — quod Cretensis ecclesia, que per obitum bone memorie Angeli, Cretensis archiepiscopi, pastoris solatio adpresens cernitur destituta, cujusque provisionem hac vice — dispositioni predicte Sedis et nostre — duximus reservandam, — potest per te ac successores tuos patriarchas Constantinopolitanos utiliter dirigi, — prefatam Cretensem ecclesiam spiritualiter et temporaliter Constantinopolitane ecclesie supradicte, consideratis — utilitatibus utriusque, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, unimus usque ad Apostolice Sedis beneplacitum, — alienatione qualibet bonorum — ejusdem Cretensis ecclesie tibi et successoribus ipsis penitus interdicta —. Dat. Laterani, VII id. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Cretensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis — venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesie.*

4588 (LXXXVI) Latran, 31 mars 1302.

« Leonardo, patriarche Constantinopolitano. Preficitur in patriarcham. » (fol. 170 v°.)

Venerabili fratri Leonardo, patriarche Constantinopolitano. Summi providentia principis —.

Suprascriptus, ecclesiæ Sancti Bartholomæi Venetiarum plebanus, Constantinopolitanæ ecclesiæ in patriarcham præficitur

Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno octavo.

POTTHAST, 25136.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Constantinopolitane — venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesie Constantinopolitane.*

4589 (LXXXVII) Latran, 3 mars 1302.

« Mandatur citari Henricus de Westerburgh, canonicus ecclesie Sancti Gereonis Coloniensis. » (fol. 171.)

Dilectis filiis . . decano Sancti Martini, et Alexandro de Brusherne, ac Engelberto de Hurne, canonicis majoris

1. Nihil aliud legi potest quia fol. 170, in margine inferiori mutilum est per cultrum opificis qui simul folia ligavit in volumen.

Leodiensium ecclesiarum. Transmissa nobis ex parte dilecti filii Henrici de Kerpena, prepositi ecclesie Sancti Gereonis Coloniensis, gravis et lacrimabilis querimonia continebat, quod Henricus de Westerburgh, canonicus ejusdem ecclesie, contra dictum prepositum ex eo gravi rancore concepto, quod idem prepositus in electionum [1] factarum dudum de ipsis discorditer in dicta ecclesia, tunc prepositi regimine destituta, negotio ad Sedem Apostolicam devoluto, apud Sedem ipsam diffinitivam pro se sententiam ac electionis sue confirmationem canonice reportarat, ut idem canonicus, in quo jure succubuerat, saltem injuria prevalere temptaret, ad domum prepositure ecclesie prefate, in qua memoratus prepositus, utpote per executores sibi super hoc, per nostras in consueta forma litteras deputatos, in ipsius ac jurium et pertinentiarum ejus in corporalem vel quasi possessionem inductus, ac in prepositum ipsius ecclesie, juxta litterarum ipsarum continentiam, prout est moris, admissus, secure ac pacifice, ut diutius fuerat, credebat existere, nocturno tempore temere cum multitudine armatorum accedens, dictum prepositum, manibus injectis in eum, Dei timore postposito, temere violentis, ausu sacrilego capere, ipsumque diro mancipare carceri non expavit, quem jam per annum et amplius captivum detinuit nec adhuc desinit detinere, Reynardo, Bunnensis, et Frederico, Sancti Cuberti ecclesiarum prepositis, Coloniensis civitatis et diocesis, consanguineis dicti canonici, quorum consilio canonicus ipse, in juvenili quidem constitutus etate, regi dicitur, dantibus ad hoc consilium, auxilium et favorem. Quamvis dictus canonicus, specialiter, ac omnes ejus in hac parte complices et fautores, generaliter, pro tante temeritatis excessu, adeo quidem in partibus illis notorio, quod nulla potest, ut dicitur, tergiversatione celari, per locorum ordinarios, quibus de hoc legitime constitit, sint excommunicati a canone publice nuntiati, idem tamen canonicus in profundum malorum positus, excommunicationem hujusmodi animo sustinens indurato, prefatum prepositum Sancti Gereonis non curat restituere pristine libertati, faventibus adhuc ei in tam atroci facinore consanguineis antedictis, in animarum suarum periculum, ecclesiastice discipline contemptum, plurimorum scandalum dictique prepositi Sancti Gereonis prejudicium et jacturam. Super quo, ex parte ipsius prepositi Sancti Gereonis, oportunum remedium a nobis extitit humiliter imploratum —.

Mandatur suprascriptis, ut canonicum et consanguineos ejus prælibatos moneant, ut præpositum Sancti Gereonis libertati restituere, infra decem dierum spatium post monitionem, procurent, si vero huic monitioni parere contempserint, citent ad comparendum ipsum canonicum, personaliter, consanguineos ejus, per procuratores, infra duos menses.

1. *Ms* : electionem.

Dat. Laterani, v non. martii, anno octavo.

4590 (LXXXVIII) Latran, 12 avril 1302.

« Committitur magistro Antonio de Parma, canonico Lateranensi, cura episcopatus Sabinensis. » (fol. 171 v°.)

Magistro Antonio de Parma, canonico Lateranensi, administratori in spiritualibus et temporalibus episcopatus et ecclesie Sabinensis. Etsi de universis —. Hinc est quod, cum eadem Sabinensis ecclesia, per obitum bone memorie Gerardi, Sabinensis episcopi, pastoris solatio destituta noscatur, nos, — attendentes, quod tu olim, vicarius in episcopatu Sabinensi in spiritualibus et temporalibus per eundem episcopum deputatus, vicariam hujusmodi exercere laudabiliter studuisti, — tibi visitationem et administrationem in spiritualibus et temporalibus episcopatus et ecclesie Sabinensis predictorum, Apostolica auctoritate, committimus, per te usque ad Apostolice Sedis beneplacitum exercendas, alienatione — bonorum tibi — penitus interdicta. Ceterum beneficiorum ecclesiasticorum collationem, ad episcopum Sabinensem, — pertinentem, nobis et eidem Sedi specialiter reservamus, donec eidem Sabinensi ecclesie per Sedem ipsam fuerit de pastore provisum, fructus vero, redditus et proventus, ad eundem episcopum, qui est pro tempore, pertinentes, per te vel alium colliges ac conservabis fideliter, juxta nostrum et predicte Sedis beneplacitum disponendos, faciens quicquid ex eis taliter duxeris colligendum in scriptis redigi, ut plena nobis de illis ratio reddit possit Dat. Laterani, II id. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie ac clero et populo civitatis et diocesis Sabinensis.*

4591 (LXXXVIIII) Latran, 29 mars 1302.

« Indulgentia super fructibus percipiendis. » (fol. 171.)

Magistro Johanni de Furnis dicto de Teneramunda, capellano nostro, canonico ecclesie Furnensis, Morinensis diocesis. Laudabilia tue merita —.

Suprascripto, ob ejus merita, « per familiarem experientiam nota », et accepta ejus familiariter impensa servitia, in-

dulget dominus papa, ut, apud Sedem Apostolicam moram trahens vel alibi ubicumque papæ insistens obsequiis, fructus præbendarum, quas in Furnensi et Rosetensi ecclesiis, Morinensis et Laudunensis diocesium, et aliorum beneficiorum, quæ obtinere contigerit, in absentia percipere valeat.

Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Vallis Regis, Remensis, et . . decano Sancti Johannis in Burgo, Laudunensis, ac magistro Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori Morinensis ecclesiarum.*

4592 (LXXXX) Latran, 20 mars 1302.

« Mandantur citari prior Predicatorum et guardianus Minorum Fratrum Metensium » contra constitutionem « Super cathedram » temere venientes. (fol. 172.)

Dilectis filiis . . Sancti Vincentii, et . . Sancti Symphoriani extra muros monasteriorum abbatibus, ac . . cancellario ecclesie Metensium. Suam ad nos —.

Cum . . archipresbyter, rectores, presbyteri et curati parochialium ecclesiarum Metensium adversus Fratres Prædicatores et Minores civitatis Metensis, eis et eorum ecclesiis super diversis articulis inferentes injurias, quærimoniam destinassent, constitutionem « Super cathedram » commemorat dominus papa, qua Fratribus Prædicatoribus et Minoribus libera conceditur sepultura, quarta parte de funeralibus et aliis eis obvenientibus parochis reservata, et audiendarum confessionum licentia certis modis eisdem datur. « Ipsi vero Fratres Metenses dictorum ordinum, contra statutum et ordinationem hujusmodi temere venientes, quartam predictam prefatis archipresbytero, rectoribus, presbyteris et curatis exhibere indebite contradicunt, asserentes se statutum et ordinationem predictam non aliter servaturos, nisi secundum quod decretum fuerit in eorum capitulo generali; et, ut fraudem faciant statuto et ordinationi predictis, procurant quod parochiani dictarum ecclesiarum, testamenta condentes, extremam voluntatem ipsorum dispositioni aliquorum de Fratribus ipsis relinquant, ut de voluntate ipsa ordinent, prout voluerint, et disponant; et inducunt dicti Fratres parrochianos eosdem per verba indirecta ad eligendum apud eorum ecclesias sepulturam, parrochianis ipsis, quod plures in eis misse quam in dictis parrochialibus ecclesiis decantantur, quodque ibi suorum progenitorum corpora requiescunt, et alia similia suggerendo; procurant etiam ipsi Fratres, quod executoribus testamentorum parrochianorum eorumdem aliquis de ipsis Fratribus consiliarius deputetur, sine cujus consilio et voluntate executores ipsi quidquam disponere nequeant, ut sic tandem bona, ipsorum executorum dispositioni commissa, perveniant ad eosdem. Suadent preterea dicti Fratres parrochianis eisdem, ne prefatis archipresbytero, rectoribus, presbyteris et curatis sua confiteantur peccata, neve ipsis conferant elcemosynas vel oblationes, asserendo quod iidem parrochiani non teneantur, nisi in certis anni festivitatibus, in ecclesiis ipsis offerre, nec archipresbytero, rectoribus, presbyteris et curatis eisdem, nisi semel in anno tantummodo confiteri. Eosdem etiam parrochianos recipiunt dicti Fratres temere ad divina et eis ministrant ecclesiastica sacramenta et alia plura committere dicuntur predicti Fratres Metenses, que in eorum salutis et fame dispendium, dictorum archipresbyteri, rectorum, presbyterorum et curatorum et ecclesiarum suarum prejudicium redundare noscuntur, super quibus omnibus archipresbyter, rectores, presbyteri et curati predicti — nobis humiliter supplicarunt, ut, cum ipsis valde grave ac periculosum existat super iis cum eisdem Fratribus in illis partibus litigare, exhiberi ipsis apud Sedem Apostolicam justitie plenitudinem faceremus. » Quam causam apud Sedem Apostolicam retinens dominus papa, in ea Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum cardinalem, deputat auditorem et mandat suprascriptis, qualinus . . priorem Prædicatorum et . . guardianum Minorum Fratrum Metensium ac eorumdem Fratrum conventus citare curet, ut « uterque ipsorum cum duobus Fratribus sui conventus, habentibus ab aliis eorumdem conventuum mandatum sufficiens, infra trium mensium post citationem hujusmodi » compareant.

Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, anno octavo.

POTTHAST, 25134.

4593-4 (LXXXXI) Latran, 27 février et 10 mars 1302.

« Ordinatio inter . . episcopum, ex parte una, et . . decanum et capitulum Xanctonenses, ex altera. » (fol. 172 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Inter alia, quibus noster animus multipliciter pro negotiorum varietate distrahitur, illud nos angit precipue, ut inter Christi fideles, viros presertim ecclesiasticos, litigiorum anfractibus, nostri cooperatione ministerii, nunc per viam judicii nunc per concordiam et ordinationem salubrem, prout negotiorum qualitas exigit, amputatis, quietis et pacis remedia procuremus. Dudum siquidem inter venerabilem fratrem nostrum . . episcopum, ex parte una, et dilectos filios . . decanum et capitulum Xanctonenses, ex altera, super ecclesiastica jurisdictione in homines civitatis et diocesis Xanctonensis, in predicta dumtaxat civitate exercenda, quam idem episcopus, ad se, dicti vero decanus et capitulum, ad se, quandoque comuniter, quandoque divisim, spectare dicebant, exorta materia questionis, et, causa hujusmodi ad Sedem Apostolicam, tam

per appellationes interpositas hinc et inde, quam alias, legitime devoluta, nos, post diversos processus habitos in eadem, cupientes, ut, fine hujusmodi dispendiose liti, que diutius duravit, imposito, partium parcatur deinceps in hac parte laboribus et expensis, Apostolica auctoritate et de potestatis Apostolice plenitudine statuimus et ordinamus : jurisdictionem causarum omnium, quas ad Xanctonense auditorium deferri contigerit, de consuetudine vel de jure, ac ipsius jurisdictionis exercitium, ad eundem tantum episcopum, quamdiu presens in dicta civitate fuerit, et, eo absente dictoque decano presente, ad ipsum decanum solum, sed, absentibus eisdem episcopo et decano, ad dictum capitulum tantummodo pertinere, emolumentis, ex jurisdictione hujusmodi ac ejus exercitio proventuris, ut infra scribitur, dividendis, videlicet, quod dictus episcopus medietatem emolumenti, quod sibi, jurisdictionem eandem, ut premittitur, per se vel alium exercenti, ex ipsa jurisdictione ac ejus exercitio proveniret, reliquam vero medietatem prefatus decanus, si tunc presens fuerit, alias, decano ipso absente, capitulum habeant memorati. Emolumenti autem provenientis eidem decano ex jurisdictione predicta, dum eam per se vel per alium, ut predicitur, exercebit, ac ejus exercitio, idem decanus duas partes, tertiam vero episcopus predictus habebunt, sed de emolumento dictis capitulo, exercentibus vel exerceri facientibus, ut premittitur, jurisdictionem hujusmodi, ex ipsa jurisdictione ac ejus exercitio proventuro, percipient ipsi capitulum duas partes et tertiam episcopus supradictus, cognitione ac decisione causarum matrimonialium et feudalium episcopi, cum earum emolumentis, penes dictum episcopum, causarum vero canonicorum et clericorum chori ecclesie Xanctonensis, necnon et feudorum dictorum decani et capituli, comuniter et divisim, cum emolumentis ipsarum, penes dictos decanum et capitulum remanentibus, prout fieri hactenus consuevit. Et, ne de dicti decani presentia possit inposterum hesitari, tunc eum declaramus esse presentem, cum in dicta ecclesia personaliter residebit, aut ex indulto Apostolico absens fuerit, vel alias pro presente de jure debuerit reputari. Que omnia, prout superius sunt expressa, tam per episcopum, decanum et capitulum supradictos, quam successores eorum precipimus inviolabiliter, perpetuis futuris temporibus, observari : non obstantibus quibuscumque litteris datis, vel instrumentis confectis, processibus habitis super premissis vel aliquibus premissorum, seu contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut indulgentiis et litteris Apostolicis in quacumque forma verborum obtentis. Ex hujusmodi tamen statuto et ordinatione nostris, que inter episcopum, decanum et capitulum prefatos dumtaxat edidimus, non intendimus archidianonis vel aliis, jurisdictionem se habere dicentibus, novum jus tribui, nec vetus auferri, vel aliquod prejudicium generari, nulli ergo, et cetera, nostri statuti, ordinationis, declarationis, precepti et intentionis, et cetera. Dat. Laterani, III kal. martii, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Epartii, ac . . decano Engolismensi.* Dat. Laterani, VI id. martii, anno octavo.

4595 (LXXXXII) Latran, 27 février 1302.

« Super relaxatione sententiarum. » (fol. 172 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . decano et capitulo Xanctonensibus. Cum cause, que inter te, frater episcope, ex parte una, et vos, filii . . decane et capitulum, super ecclesiastica jurisdictione in homines civitatis et diocesis Xanctonensis, in eadem dumtaxat civitate exercenda — exorta fuerat, — per statuta — a nobis edita finem salubriter duxerimus imponendum, nolentes, quod aliqui quibusvis sententiis, hujusmodi litis occasione prolatis, remaneant involuti, vel, ejusdem occasione litis, irregularitate respersi, omnes sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti, contra vos vel vestrum aliquem, seu quamcumque aliam singularem personam, vel ecclesias, atque terras, castra, villas ac universitates, auctoritate Apostolica vel quavis alia, occasione litis hujusmodi promulgatas, auctoritate Apostolica relaxamus, Apostolicas vel quascumque alias litteras, quarum auctoritate hujusmodi sententie sunt prolate, et processus per eas habitos penitus revocantes, ac dispensantes nichilominus cum singulis vestrum ac omnibus ecclesiasticis personis super irregularitate, si quam predictis ligati sententiis, divina officia celebrando ac immiscendo vos illis, forsitan contraxistis. Dat. Laterani, III kal. martii, anno octavo.

4596 (LXXXXIII) Latran, 30 mars 1302.

« Super facto mitre pro . . abbate monasterii Sancti Remigii Remensis. » (fol. 172 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Remensi. Transmissi ad nos tui et dilecti filii . . abbatis monasterii Sancti Remigii Remensis, ordinis sancti Benedicti, procuratores et nuntii, in nostra et fratrum nostrorum presentia cons-

tituti, nobis ex parte vestra exponere curaverunt, quod, cum nuper idem abbas, de quodam Apostolico indulto confisus, quo ipsi abbati mitre usus dicitur esse concessus, in presentia tui, tunc noviter consecrati ac induti pontificalibus, et in primo jocundo adventu tuo ad ecclesiam tuam una cum multitudine tam prelatorum quam aliorum clericorum et laïcorum procedentis, mitram, aureis vel argenteis laminis, gemmisque ornatam, deferret, tu eidem abbati, tam sub certa pecuniaria, quam excommunicationis penis, ordinaria auctoritate, mandasti, ut, mitram ipsam taliter ornatam deponens, alia mitra simplici et alba, in tui presentia, extunc in antea uteretur. Orta itaque super hoc inter te et eundem abbatem materia questionis, tandem mediantibus bonis viris, dicto nostro firmiter super hoc stare sponte ac concorditer promisistis. Nos itaque, deliberatione super hoc habita diligenti, attendentes, quod in constitutione felicis recordationis Clementis pape, predecessoris nostri, cavetur, quod abbas et alii, quibus mitre usus est a dicta Sede concessus, exempti quidem, in provincialibus conciliis et episcopalibus synodis, quibus nonnulli eorum interesse tenentur, mitris tantummodo aurifrisatis, non tamen aureas vel argenteas laminas aut gemmas habentibus, uti possint, non exempti vero, simplicibus et albis utantur et planis, sed in aliis locis, exemptis et non exemptis mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt, tenore presentium respondemus : constitutionem eandem fore circa casum hujusmodi observandam, ad penas tamen predictas eundem abbatem, ut agamus in hac parte benignius cum eodem, volumus non teneri. Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno octavo

4597 (LXXXXIIII) Latran, 5 mars 1302.

« Conceduntur bona ecclesie Sancti Patrignani de Ceperano Thomasio, nato quondam Balduini de Supino, usque ad beneplacitum Sedis Apostolice. » (fol. 173.)

Nobili viro Thomasio, nato quondam Balduini de Supino militis, domicello et familiari nostro. Devotionis et fidei puritas, quam ad nos et Romanam gessisti et habes Ecclesiam et habere te credimus in futurum, tue quoque et tuorum nobilitatis favor, ac grata et accepta servitia, que nobis impendisti familiariter et impendis, digne nos excitant et inducunt, ut ad personam tuam Apostolice munificentie dexteram extendamus.

Ei bona ecclesiæ Sancti Patrignani de Ceperano, Verulanæ dioecesis, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantis, « necnon vassallos et vassallorum redditus et proventus, ac cetera bona — in ipso castro et ejus territorio et districtu ad prefatam Romanam Ecclesiam pertinentia, quæ dilectus filius Stephanus Scaraputius, miles Anagninus, ostiarius et familiaris noster, ex concessione nostra obtinuisse dinoscitur, » concedit dominus papa « usque ad beneplacitum nostrum. »

Dat. Laterani, III non. martii, anno octavo.

In e. m. *dilecto filio Jacobo de Bargiaco, sacriste Ebredunensi, in spiritualibus Campanie Maritimeque rectori.*

4598-9 (LXXXXV) Latran, 18 février 1303.

« Mandatur provideri Gregorio de Baleno de beneficio seu beneficiis ad valorem VI unciarum auri. » (fol. 173.)

Judicibus [1]. Ut devotio dilecti —.

Mandatur ut Gregorium, natum Philippi de Balenis judicis, clericum Terracinensem, ob ejus et suorum « erga nos et Romanam Ecclesiam devotionem », de aliquo ecclesiastico beneficio « sine cura » vel de aliquibus ad valorem annuum sex unciarum auri, in civitate Aversana providere curent.

Dat. Laterani, XII kal. martii, anno octavo.

In e. m. *pro Francisco, nato ejusdem Phylippi, in civitate vel diocesi Fundana.*

4600 (LXXXXVI) Latran,15 mars 1302.

« Ordinatio inter .. Cluniacensem et .. Belliloci in Argona, Cluniacensis ordinis, monasteriorum abbates eorumque conventus, Matisconensis et Virdunensis diocesium. » (fol. 173.)

Dilectis filiis .. Cluniacensis, et .. Belliloci in Argona, Cluniacensis ordinis, monasteriorum abbatibus eorumque conventibus, Matisconensis et Virdunensis diocesium. Ea que judicio —.

Cum monasterium Belliloci, tunc ordinis sancti Benedicti, auctoritate Apostolica ordini Cluniacensi incorporatum fuerit, certis modis et forma tenendis tam in electione abbatis dicti monasterii Belliloci quam aliis observantiis, in incorporationis litteris designatis, et dissensionis materia super dictis modis orta fuerit, compositionem super his, « mediantibus bonis viris », factam confirmat dominus papa. « Ut videlicet, tam in

1. Deest rubrica, sed legitur hæc vox in margine nigro atramento scripta.

receptione monachorum facienda de novo, quam contractibus aliisque negotiis, imminentibus in eodem monasterio Belliloci consensus vester, predicti conventus Belliloci, requiratur et habeatur, prout fieri hactenus consuevit, nihil in iis penitus immutato, et quod nullus monachus de Cluniaco possit mitti ad dictum monasterium Belliloci moraturus in eo, sine communi Cluniacensis et Belliloci abbatum, qui pro tempore fuerint, requisitione, voluntate pariter et consensu. Et quod nullus monachus ejusdem monasterii Belliloci per eosdem abbates — seu deffinitores vel visitatores ipsius Cluniacensis ordinis possit, pro negligentiis, excessibus seu delictis suis, ad monasterium Cluniacense vel ejus membra mitti vel ibi puniri, nisi fuerit incorrigibilis aut rebellis; et quod administrationes ac officia, obedientie vulgariter nuncupata, regenda et gerenda per monachos ipsius monasterii Belliloci diminui nequeant aut mutari, sed ita permaneant sicut extitit hactenus consuetum; quodque monachi ejusdem monasterii Belliloci sine voluntate et assensu sepedicti conventus ejusdem monasterii Belliloci habitum, quem gestare consueverunt ante annexionem hujusmodi, consistentem in froccis et cucullis, ut verbis vestris utamur, ad modum Cluniacensium monachorum deferre non cogentur inviti. » Electioni abbatis certus modus imponitur. Statuitur denique, ut, si electores minime concordarent vel etiam si forte in dicto monasterio Belliloci non invenirentur qui infra terminum ipsum, vellent in se formam eligendi recipere, « ea tunc illa vice provisio de abbate facienda ipsi monasterio ad dictum abbatem Cluniacensem » devolvatur, et ut abbas et conventus Cluniacenses nullum jus, ratione vacationis, in bonis mobilibus ad administrationem abbatis et conventus ejusdem monasterii Belliloci pertinentibus, sive communia sive discreta fuerint, possunt contendere habere, quinimmo ea omnia penes ipsum monasterium Belliloci remaneant, convertenda seu disponenda prout extitit consuetum; « vos quoque, predicti abbas et conventus Belliloci, ad observationem statutorum seu deffinitionum Cluniacensis capituli generalis, nisi quatenus respexerint reformationem et conservationem dicti ordinis, non teneamini — remanentes nichilominus, quoad alia omnia, in eisdem libertate ac subjectione, in quibus sunt alii abbates et conventus dicti ordinis, nec aliqua alia onera quam ipsi abbates et conventus ejusdem ordinis subituri. »

Dat. Laterani, id. martii, anno octavo.

POTTHAST, 25133.

4601 (LXXXXVII) Latran, 9 avril 1302.

« Pagano, episcopo Paduano. Preficitur in episcopum Paduanum. » (fol. 173 v°.)

Venerabili fratri Pagano, episcopo Paduano. Onerosa pastoralis officii —.

Suprascriptum, tunc decanum Aquilegensis ecclesiæ, Paduanæ ecclesiæ, per translationem Ottoboni ad patriarchatum Aquilegensem vacanti, præficit dominus papa in episcopum, consecrationis munere ei per Johannem, Tusculanum episcopum, impenso.

Dat. Laterani, v id. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. archipresbytero et capitulo ecclesie Paduane — clero — populo civitatis et diocesis Paduane — universis vassallis ecclesie Paduane.*

4602 (LXXXXVIII) Latran, 11 avril 1302.

Licentia de mutuo contrahendo usque ad summam quatuor millium florenorum auri. (fol. 174.)

Dragonetto, abbati monasterii Sancti Geraldi Aureliacensis, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, III id, aprilis, anno octavo.

4603 (LXXXXVIIII) Latran, 6 février 1302.

« Mandatur judicibus quod tueantur Henricum de Lagonessa, canonicum Cameracensem, in prebenda, que vacavit in dicta ecclesia per mortem quondam Webaldi de Sarcis, ejusdem ecclesie canonici. » (fol. 174.)

..priori Sancti Bartholomei et magistro Nicolao Panitario, canonico Noviomensi ac Thome de Carcano canonico Mediolanensi. Petitio dilecti filii —.

Olim dominus papa, cum G[uidonem], episcopum Cameracensem, ex certis causis, collatione beneficiorum ecclesiasticorum in sua civitate et diocesi usque ad suum beneplacitum privavisset et interim eadem provisioni Sedis Apostolicæ reservavisset, præbendam vacaturam in ecclesia Cameracensi Henrico de Lagonessa reservaverat, « quondam magistro Raynerio de Vichio, canonico Lichefeldensi, capellano nostro, et ejus collegis super hac per nostras litteras executoribus deputatis. »

Vacante vero, hujusmodi interdicto, suspensione et reservatione durantibus, in dicta ecclesia quadam prebenda per mortem quondam magistri Webaldi de Sarcis, ejusdem ecclesie canonici, .. prior Sancti Alberti Cameracensis, cui dictus capellanus commiserat super hoc vices suas, prebendam eandem, sic vacantem, — prefato Henrico — duxit conferendam, quam idem Henricus per

annum et amplius possedit — sed nos, postmodum certis considerationibus ducti, — eumdem episcopum ad collationem et provisionem canonicatuum, prebendarum et beneficiorum predictorum restituimus, sibique nichilominus conferendi canonicatus, prebendas et beneficia predicta, si qua medio tempore vacavissent, per nos taliter reservata, personis concessimus per nostras certi tenoris litteras potestatem. Sane memoratus episcopus, ad quem in dicta ecclesia collatio pertinet prebendarum, non attendens quod dicta potestas, ei restituta sive concessa, ad prebendam predictam, que vel ad eundem Henricum spectabat, ex collatione sibi facta de ipsa, ut premittitur, per priorem supradictum, vel saltem, ratione canonicatus ei collati et hujusmodi reservationis facte ac decreti interpositi per nos pro eodem, sibi debebatur de jure, se nullatenus extendebat, sepedictam prebendam magistro Terrico de Hutione clerico, ab ea dicto Henrico amoto, potestatis ejusdem sibi concesse pretextu, pro sue contulit libito voluntatis, in ejusdem Henrici prejudicium et gravamen.

Mandat dominus papa suprascriptis, ut eundem Henricum vel ejus procuratorem in præbendæ possessionem, quam ei contulerat, reducant, amoto ab illa præfato Terrico.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno octavo.

4604 (C) Latran, 13 février 1302.

Licentia de mutuo contrahendo usque ad summam mille quingentorum florenorum auri (fol. 174 v°.)

Leonardo, patriarche Constantinopolitano. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, id februarii, anno octavo.

4605 (CI) Latran, 7 avril 1302.

Licentia de mutuo contrahendo. (fol. 174 v°.)

Ottobono, patriarche Aquilegensi. Nuper ex parte tua —.

Ut mutuum contrahere possit usque ad summam quinque millium florenorum auri.

Dat. Laterani, VII id. aprilis, anno octavo.

In e. m. *Eidem* de quatuor milibus florenis auri.

In e. m. *Eidem* de tribus milibus florenis auri.

4606 (CII) Latran, 22 avril 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Dragonetto, abbate monasterii Sancti Geraldi Aureliacensis, Claromontensis diocesis. » (fol. 174 v°.)

.. *priori de Rometa, Vapincensis diocesis, et .. preposito, ac .. sacriste ecclesie Vapincensis.* Exponente nobis pridem —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum quatuor millium florenorum auri, quos Dragonettus, abbas monasterii Sancti Geraldi Aureliacensis, a « Johanne Bonichominis de Carmignano, mercatore Pistoriensis diocesis, mutuante nomine ac vice nobilis viri Raynaldi de Montealbano, domini de Montemauro, Vapincensis diocesis » recepit.

Dat. Laterani, X kal. maii, anno octavo.

4607 (CIII) Latran, 16 avril 1302.

« Abbati et conventui monasterii de Columba, ordinis Cisterciensis, Placentine diocesis. Super ordinatione monasterii de Valle Serena, ejusdem ordinis, Parmensis diocesis. » (fol. 174 v°.)

.. *abbati et conventui monasterii de Columba, ordinis Cisterciensis, Placentine diocesis.* Nuper bone memorie G[erardus], Sabinensis episcopus, cui testandi et disponendi de bonis suis erat a nobis concessa facultas, in sua ultima voluntate aliqua dictorum bonorum certis personis exhiberi et alias de bonis ipsis satisfieri omnibus, quibus in aliquo tenebatur, licet super hoc remorsum conscientie, ut asseruit, non haberet, mandavit, reliqua vero bona omnia supradicta, nec non actiones et jura reliquid monasterio de Valle Serena, Parmensis diocesis, quod edificari facere ceperat, et affectabat in eo regulares personas institui, sub observantia Cisterciensis ordinis ibidem perpetuo Domino servituras, quibusdam possessionibus, proventibus et juribus per eundem episcopum ipsi monasterio acquisitis, volens ut idem monasterium vestro monasterio esset subjectum, sicut matri filia, secundum ejusdem ordinis instituta, certosque executores predicte sue constituit ultime voluntatis. Nos igitur, intendentes super hiis illius favoris presidium adhibere, per quod pia dicti testatoris intentio, juxta desiderium quod habebat de ordinatione dicti monasterii facienda, efficaciter impleatur, volumus et presentium tenore precipimus, ut per vos aut per te, fili abbas, de consensu majoris et sanioris partis tui con-

ventus, dicto monasterio sic incepto, auctoritate nostra, preficiatur hac vice aliqua persona ydonea, assumenda de dicti monasterii vestri gremio, in abbatem, et sex monachi ad minus, tam de ipso quam de aliis monasteriis sive locis eidem monasterio subjectis, ydonei assumantur et instituantur in prefato monasterio de Valle Serena, qui conventus monasterii ejusdem existant. Ponantur etiam in eo sex de conversis dictorum monasteriorum sive membrorum ejusdem monasterii, vestri predicti ordinis professores, per quos juxta statuta dicti ordinis Deo et eidem novo monasterio serviatur. Apostolica insuper auctoritate statuimus, quod idem monasterium de Valle Serena predicto vestro monasterio, tanquam matri filia, sit subjectum, quodque circa visitationem et correctionem, nec non abbatis, monachorum et conversorum institutiones [et] destitutiones, que in eodem monasterio Vallis Serene fuerint secundum instituta regularia in posterum faciende, modus et forma per omnia observentur, que consueverunt in aliis monasteriis et membris dicto monasterio vestro subditis observari, decernentes irritum et inane, si secus super hiis contigerit attemptari, nulli ergo, et cetera, nostrorum precepti, statuti et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, xvi kal. maii, anno actavo,

Potthast, 25148.

4608 (ciiii) Latran, 10 avril 1302.

« Super facto decime in regno Anglie et Ybernia. » (fol. 175.)

Venerabili fratri . . episcopo, ac dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londonensi, decime omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, in toto regno Anglie totaque Ybernia pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos pridem ad triennium imposite, collectoribus deputatis. Cum vobis collectionem —.

Mandatur suprascriptis, ut medietatem ejusdem decimæ Eduardo, regi Angliæ, liberaliter exhibeant, alteram per mercatores societatum Spinorum et Mozzorum de Florentia ac Clarentum de Pistorio ad Curiam Romanam mittant.

Dat. Laterani, iiii id. aprilis, anno octavo.

Potthast, 25143.

4609 (cv) Latran, 31 mars 1302.

« Conceditur . . episcopo et clero Sanctagathensis civitatis et diocesis quod A[denulfus], archiepiscopus Beneventanus, non valeat eos vel eorum ecclesias visitare, dum ecclesie Beneventane regimini presidebit. » (fol. 175 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis capitulo Sanctagathensi ac clero Sanctagathensis civitatis et diocesis. Sedis Apostolice —. Ex parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis, quod, licet venerabilis frater noster A[denulfus], archiepiscopus Beneventanus, loci metropolitanus, de visitando per alium vel de recipiendis procurationibus in pecunia nullo privilegio Apostolico sit munitus, ipse tamen quosdam vicarios suos, cum non modica armatorum tam equitum quam peditum comitiva, ad civitatem et diocesim Sanctagathensem transmisit, ut ibi visitationis officium exercerent; dicti vero vicarii, non querentes que Dei sunt, sed se ad iniquitatis studia convertentes, postularunt quandam a vobis quantitatem pecunie sibi solvi, et, quia eadem pecunia illis non fuit ad eorum beneplacitum persoluta, nequiter provocati, quosdam ex familiaribus tuis, frater episcope, et nonnullos ex clericis dicte Sanctagathensis ecclesie fecerunt graviter vulnerari, ibique in vestris non modicum sumptuosis expensis diebus pluribus commorantes, ac vobis precipientes ut eidem archiepiscopo viginti octo uncias auri, tam pro procurationibus ei debitis quam pro expensis per ipsos vicarios inibi factis, solvere curaretis, demum exinde, in dictis civitate vel diocesi non impenso visitationis officio, recesserunt. Cum autem ex parte vestra super hiis ad nos habitus sit recursus, nos, in ipsius archiepiscopi penam, qui, ceca cupiditate seductus, temporalibus inhians comodis, per eosdem vicarios vos gravavit taliter, — vos et ecclesias vestras sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et ab omni potestate, dominio et jurisdictione ipsius dumtaxat archiepiscopi, dum ecclesie Beneventane regimini presidebit, prorsus eximimus et penitus liberamus, dicte Apostolice plenitudine [potestatis, ita quod ipse non valeat vos vel predictas ecclesias visitare, nec procurationes exigere, neque in vos seu easdem ecclesias, per se vel alium seu alios, jurisdictionem aliquam exercere. Nos enim excomunicationum, suspensionum aut interdicti sententias, si quas per eundem archiepiscopum vel ejus auctoritate in vos vel aliquem vestrum vel ecclesias ipsas vel earum aliquam promulgari forte contigerit, irritas decernimus et inanes, nulli ergo, et cetera, nostre protectionis, exemptionis, liberationis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, ii kal. aprilis, anno octavo.

4610 (CVI) Latran, 5 février 1302.

« Super absolutione . . potestatis, . . capitanei, consilii et communis Perusini. » (fol. 175 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Perusino. Romana mater ecclesia —. Dudum siquidem, non sine gravi mentis amaricatione, percepto, quod, cum venerabilis frater noster Nicolaus, episcopus Spoletanus, ad civitatem Perusinam cum familia et comitiva ejus clericorum, tam religiosorum quam secularium, et laicorum etiam personaliter accessisset, nonnulli de civitate predicta ac districtu ejus, in ipsum episcopum temere irruentes, graves injurias, contumelias et jacturas eidem episcopo et hujusmodi ejus familie ac comitive in personis et rebus duxerant ausu sacrilego irrogandas, nos — tibi dedimus — in mandatis, ut . . potestatem, . . capitaneum, consilium et commune prefate civitatis peremptorie, ex parte nostra, citares —. Cum igitur iidem potestas, capitaneus, consilium et commune, per te citati, se super premissis, ad penitudinis et devotionis semitam reducentes, juxta prescriptum modum, predicti scilicet potestas, capitaneus et consules, personaliter, consilium vero et commune, per syndicum et procuratorem ipsorum ad hoc ab eis specialiter [1] constitutum, comparuerint coram nobis, et super premissis et contingentibus ea ad mandata nostra devote redierint, nosque ipsos benigne duxerimus admittendos, ac demum ipsi nobis supplicaverint reverenter, ut super sententia excomunicationis, in tales lata per canonem, providere ipsis de absolutionis beneficio misericorditer dignaremur, nos, hujusmodi supplicatione ipsorum benigne admissa, quia tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue, presentium auctoritate, committimus et mandamus, quatinus, per te ac alios de quibus expedire videris, auctoritate nostra, eosdem potestatem, capitaneum et consules, ac ceteras singulares personas de civitate ac districtu prefatis, qui te duxerint humiliter requirendum, ab hujusmodi excomunicationis sententia, quam, ut premittitur, incurrerunt, vice nostra, juxta Ecclesie formam, absolvas, imposita eis pro modo culpe penitentia salutari, prout, secundum Deum, animarum suarum saluti videris expedire. Dat. Laterani, non. februarii, anno octavo.

1. *Ms* : specialis.

4611 (CVII) Latran, 13 avril 1302.

« Transfertur de episcopatu Paduano ad patriarchatum Aquilegensem. » (fol. 176.)

Venerabili fratri Ottobono, patriarche Aquilegensi. Desideria nostre mentis —. Dudum siquidem Aquilegensi ecclesia, per obitum bone memorie Petri, patriarche Aquilegensis, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, certa die ad eligendum prefixa, convenerunt, et, post habitos super hoc diversos tractatus, contigit in eadem ecclesia electionem de dilecto filio Pagano de Turre, decano ipsius Aquilegensis, a majori et saniori parte ipsorum capituli, ac postulationem de dilecto filio O. de Ortemburche, in minoribus ordinibus constituto, preposito Brixinensis ecclesiarum, per viam scrutinii in discordia celebrari, sicque idem decanus, infra legitima tempora, hujusmodi electioni de se facte consensit et personaliter ad Sedem Apostolicam accessit pro hujusmodi electionis sue negotio prosequendo, eodem preposito ad dictam Sedem pro sua postulatione accedere non curante, sed per ipsius procuratorem, quem propter hoc ad Sedem transmisit eandem, electioni dicti Pagani indebite se opponente : presentato itaque nobis ejusdem electionis decreto per Paganum predictum, nos, hujusmodi negotium electionis et postulationis predictarum venerabili fratri nostro N[icolao], Ostiensi et Velletrensi episcopo, primo, et, postmodum eodem episcopo de Romana Curia recedente, dilectis filiis nostris Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, duximus committendum. Idem vero Paganus, post aliquos processus in hujusmodi negotio, cupiens dictam ecclesiam Aquilegensem a dispendiis, que per litigiorum anfractus incurrere poterat, preservari, in nostris manibus resignavit.

Resignatione hujusmodi recepta et provisione ejus ecclesiæ ea vice Apostolicæ dispositioni reservata, suprascriptum, tunc episcopum Paduanum, eidem ecclesiæ præficit in patriarcham dominus papa, palleo ei per Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ac Lucam, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconos cardinales exhibito.

Dat. Laterani, id. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Aquilegensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie Aquilegensis — suffraganeis.*

4612 (CVIII) Latran, 17 avril 1302.

« Impertitur licentia prelatis et aliis per comitatus Provincie et Folchaquerii quod possint subvenire Carolo regi Sicilie. » (fol. 176 v°.)

Bonifatius etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus, ac ecclesiasticis personis, religiosis et secularibus, ecclesiarum et monasteriorum, capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini, ac aliorum ordinum, necnon magistris et preceptoribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Militie Templi et Beate Marie Theotonicorum et Calatravensis, per comitatus Provincie et Folchaquerii et per celeras terras et loca vicinarum partium, carissimo in Christo filio nostro Carolo regi Sicilie illustri subjecta, constitutis, etc. Dum ad memoriam nostram affectu paterno reducimus gravia subventionum onera, quibus pro negotio regni Sicilie preteritis modernisque temporibus, necessitate cogente, vos [1] duximus pregravandos, compatimur profecto vobis et patimur in vobis ipsis ac sustinemus non modicum ex compassione langorem, sed, quia necessitas a legis nexibus est exempta, expedit, ut nonnunquam inter necessitatem et comoditatem virtuose compensationis arbitrio dispensetur. Sane carissimus in Christo filius noster Carolus, Sicilie rex illustris, nuper nobis suis litteris intimavit, quod, licet sitis admodum hujusmodi subventionalibus oneribus fatigati, compatientes tamen dicto regi super imminentibus sibi necessitatibus dicti regni, requisiti amicabiliter ab eodem, parati eritis ei, prout comoditas vobis affuerit, grato subsidio subvenire, dummodo constitutionis nostre in contrarium edite super hoc vobis relaxetur edictum. Nos itaque, sperantes quod, cum nos et dictus rex contra rebelles Siculos magnum fecerimus apparatum et tam equitum quam peditum armatorum multitudinem illuc presentialiter destinemus, negotium hujusmodi felicem et desideratum, auctore Deo, in proximo sortietur effectum, et propterea ipsi negotio per oportuna que possumus subvenire remedia cupientes, ipsius regis supplicationibus inclinati, presentium auctoritate, concedimus, ut liceat vobis, absque metu pene constitutionis nostre predicte, prefato regi, pro negotio memorato, in hujusmodi necessitatis articulo, hac vice subventionem congruam, prout vobis seu majori parti vestrum videbitur, voluntariam, liberalem et liberam, non coactam, absque omni concussione, exactione ac executione temporali vel laicali exigendam, presenti nostra freti licentia, impertiri, eamque subventionem similiter sit eidem regi recipiendi libere attributa facultas. Dat. Laterani, xv kal. maii, anno VIII°.

1. *Ms* : nos.

4613 (CVIIII) Latran, 3 avril 1302.

« Super concessione feudi de castro Chie, Ortane diocesis, concessi Guastapane, olim domino castri Suriani. » (fol. 176 v°.)

Dilecto filio inquisitori heretice pravitatis in provincia Romana. Volentes dudum dilecto filio nobili viro Guastapane quondam Porcarii militis, olim domino Castri Suriani, Ortane diocesis, — gratiam facere specialem, castrum Chie, predicte diocesis, ad Romanam Ecclesiam pertinens pleno jure — in feudum duximus concedendum, certis sibi — executoribus deputatis. Verum, licet iidem executores — dictum feudum — prefato Guastapane duxerint assignandum, ipsumque in illius corporalem possessionem induxerint, quia tamen nonnulli nobiles et laici illarum partium predictum Guastapanem super feudo, bonis et juribus ipsis multipliciter impediunt et molestant, nec permittunt dictum Guastapanem vel procuratorem ejus ipsorum feudi, bonorum et jurium pacifica possessione gaudere, dictus Guastapane nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Mandatur suprascripto ut eundem Guastapanem vel procuratorem ejus in possessione feudi prædicti manuteneat efficaciter.

Dat. Laterani, III non. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . potestati, consilio et communi Viterbiensi.*

Mandatur ut eidem inquisitori super hiis plene intendere ac obedire curent et nichilominus per se ipsos contra impedientes et molestatores prædicto Guastapane vel procuratori ejus assistant.

Dat. ut supra.

4614 (CX) Latran, 28 mars 1302.

« Quod possit per quinquennium studio juris civilis etc. » (fol. 177.)

Magistro Palmerio Johannis Gualterii de Sorbeliano,

preposito ecclesie Laudensis. Cupientes ut —. Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno VIII°.

4615-4616 (CXI) Latran, 8 avril 1302.

Committitur rectoria civitatis Urbinatis Riccardo quondam Theobaldi de Anibaldis et rectoria quarumdam terrarum districtus Urbini Theobaldo, ejus filio. (fol. 177.)

Nobili viro Riccardo quondam Theobaldi de Anibaldis, militi Romano, civitatis Urbinatis rectori. Devotionis et fidei —.

Committitur suprascripto rectoria prædictæ civitatis, « ad dispositionem Ecclesiæ Romanæ pertinens », per se vel alium, quem ad hoc suum vicarium deputaverit, « dummodo vicarius ipse sit catholicus et Ecclesie Romane fidelis atque devotus et ecclesiastice voluntatis nec sit gebellinus vel de parte adversante Ecclesie prelibate », usque ad beneplacitum domini papæ, exercenda.

Dat. Laterani, VI id. aprilis, anno VIII°.

In e. m. *dilectis filiis populo et singularibus personis civitatis Urbini*.

In e. m. *dilecto filio nobili viro Theobaldo, nato dilecti filii nobilis viri Ricardi quondam Theobaldi de Anibaldis, militi Romano, castrorum Durantis, Saxi Corbarii, Insule Planesie, Turris Abbatie ac Pilii, Urbinatis diocesis, et aliorum locorum et terrarum que olim fuerunt districtus et comitatus Urbini, et pertinentiarum earumdem rectori, etc...*

Committitur ei rectoria dictarum terrarum.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis nobilibus viris, potestatibus seu rectoribus, communitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus per castra Durantis, Saxi Corbarii, Insule Planesie, Turris Abbatie ac Pilii, Urbinatis diocesis, aliaque loca et terras que olim fuerunt districtus et comitatus Urbini eorumque pertinentias constitutis, etc...*

4617 (CXII) Latran, 3 mai 1302.

Ut mutuum contrahere possit usque ad summam quatuor millium florenorum auri. (fol. 177 v°.)

Pagano, episcopo Paduano. Cum sicut —. Dat. Laterani, v non. maii, anno octavo.

4618 (CXIII) Latran, 15 mars 1302.

« Super facto electionis facte in monasterio Sancti Johannis Eduensi. » (fol. 177 v°.)

Venerabili fratri B[artholomeo], episcopo Eduensi. Vacante dudum monasterio Sancti Johannis Eduensi, ordinis sancti Benedicti, per mortem quondam Bone, abatisse ipsius, monialibus conventus dicti monasterii in diversas dirigentibus vota sua, due fuerunt ibidem electiones, una videlicet de Blanca de Morign[aco], a majori, et altera de Ælidi de Monteral, dicti monasterii monialibus, a minori parte ipsarum conventus per viam scrutini in discordia celebrate. Sane hujusmodi electionum negotio, per appellationem ipsius Ælidis ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, eoque in consistorium felicis recordationis Honorii pape quarti, predecessoris nostri, per procuratores partium introducto, ac per procuratores eosdem super petitionibus partium lite in ipsius predecessoris presentia legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, demum predecessor ipse causam hujusmodi bone memorie Gaufrido, tituli Sancte Susanne presbytero cardinali, audiendam commisit et fine debito terminandam; sed predecessore et cardinali predictis, post nonnullos processus coram eodem cardinali super hoc habitos, viam universe carnis ingressis, pie memorie Nicolaus papa quartus, predecessor noster, eandem causam bone memorie Latino, episcopo Ostiensi, resumendam in eo statu, in quo cardinalis predictus eam dimiserat, et fine debito terminandam commisit : coram quo quibusdam positionibus factis a procuratoribus antedictis ac subsecutis responsionibus ad easdem, formatis insuper et datis articulis hinc et inde, quia, per ea que coram episcopo et cardinali predictis habita fuerunt, non poterat de ipsius cause meritis apud Sedem eandem plene liquere, dictus predecessor noster super receptione testium, quos utraque pars producere vellet super dictis eorum articulis, quibusdam examinatoribus in illis partibus suas, juxta formam consuetam in talibus observari, litteras destinavit. Qui, mandatum eis traditum exequentes, receptis testibus hinc inde productis, eorum attestationes fideliter in scriptis redactas, sub eorum sigillis interclusas, ad Sedem remiserunt eandem. Idemque predecessor noster episcopo predicto commisit, ut in eadem causa procederet, justitia mediante; predictis quoque predecessore nostro et episcopo, post publicationem dictarum attestationum coram eodem episcopo factam, debitum nature solventibus, nos, ad apicem Summi Apostolatus assumpti, causam eandem bone memorie Hugoni, tituli Sancte Sabine presbytero cardi-

nali, duximus committendam, et, licet prefata Ælidis, que multa contra dictam Blancam crimina opposuerat, aliquod de illis probare minime potuisset, prout ex dictis testium suorum manifestius apparebat, procurator tamen ipsius, coram predicto Hugone cardinali de novo proponens quod dicta Blanca, post electionem hujusmodi factam de ipsa, cum quodam clerico adulterium commiserat et filium susceperat ex eodem, ad id probandum petiit se admitti. Sed eodem Hugone cardinali viam universe carnis ingresso, nos, causam eandem commisimus dilecto filio nostro Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali, resumendam in eo statu, in quo prefatus Hugo cardinalis eam dimiserat, et fine debito terminandam. Qui, tandem super hiis, que in causa predicta tam coram se quam coram episcopo et aliis cardinalibus predictis habita fuerant, plenius informatus, hujusmodi negotii seriem nobis retulit diligenter. Licet autem verisimiliter presumatur, quod eadem Æ[lidis], que de criminibus per eam dicte Blance prius objectis nullum, ut premittitur, probare potuit, ad obiciendum nunc sibi adulterium calumpniose procedat, nos tamen, nolentes quod ejusdem objectus adulterii remaneat indiscussus, cum alias, per ea que sunt habita in dicta causa, jam liqueat quod hujusmodi electio facta de eadem Blanca, si predictus objectus ejusdem adulterii non probetur, est de persona ydonea canonice celebrata, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, super eo quod dicta Blanca taliter adulterium cum clerico perpetrasse ac ex eo filium suscepisse proponitur inquisita per testes, quos eadem Ælidis coram te super hoc duxerit producendos, diligentius veritate, si contra ipsam id legitime probatum non fuerit, hujusmodi electionem ipsius Blance, auctoritate nostra, confirmans, munus ei benedictionis impendas, faciens ei a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Quod si crimen hujusmodi adulterii contra eam legitime forsan probari contingat, eadem electione rite cassata, facias ipsi monasterio per electionem canonicam vel postulationem concordem de persona ydonea provideri. Dat. Laterani, id. martii, anno octavo.

4619 (CXIIII) Latran, 14 avril 1302.

« Super dispensatione matrimonii in diocesi Concordiensi. » (fol. 178.)

Dilecto filio nobili viro Artico, domino de Porcillis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Beatrici, domine de Prata, Concordiensis diocesis. Licet matrimonium contractum. — Sane dilectus filius nobilis vir Gerardus de Camino, generalis capitaneus Tervisine, Feltri et Belluni civitatum, nuper, ex parte vestra et sua, fecit coram nobis exponi, quod vos, ad evitandas graves inimicitias, desideratis invicem matrimonialiter copulari; sed obsistente vobis quarto consanguinitatis gradu — affectum vestrum — absque dispensatione — in effectum deducere non valetis. Quare, pro parte vestra et sua, dictus Gerardus nobis humiliter supplicavit, ut, cum hujusmodi matrimonium — si fiat, possit in maximam utilitatem dicti Gerardi et amicorum ejus, Ecclesie Romane fidelium, ac regionis circumposite redundare — providere vobis — de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat. Laterani, XVIII kal. maii, anno octavo.

4620 (CXV) Latran, 28 avril 1302.

« Ut possit facere celebrari durante guerra in locis suppositis ecclesiastico interdicto. » (fol. 178.)

Nobili viro Roberto, primogenito carissimi in Christo filii nostri Caroli, regis Sicilie illustris, duci Calabrie. Per sincere devotionis —.

Indulgetur suprascripto, ut, cum ad loca regni Sicilie ecclesiastico suppositi interdicti declinare contigerit, sibi divina officia celebrari « durante guerra Sicilie » valeat.

Dat. Laterani, IIII kal. mai, anno VIII.

4621 (CXVI *bis*) Latran, 18 avril 1302.

« Super pedagiis de novo impositis per quosdam nobiles Coloniensis, Monasteriensis et Trajectensis civitatum et diocesium. » (fol. 178.)

. . abbati monasterii in Insula Beate Marie et . . decano ecclesie Stuphaniensis, Trajectensis diocesis. Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod nonnulli nobiles Coloniensis, Monasteriensis et Trajectensis civitatum et diocesium, antiqua pedagia in terris suis ab antiquis temporibus constituta non modicum augmentantes, illa et etiam alia in terris ipsis de novo imposita a subditis dilecti filii nobilis viri Reynaldi, comitis Gelrie, quoties eos per partes illas transire contingit, non absque dicti

comitis injuria et gravi prejudicio, contra justitiam, exigere et extorquere presumunt, propter quod latam in tales excomunicationis sententiam incurrerunt.

Mandatur suprascriptis, ut prædictos nobiles moneant, ut, infra unius mensis spatium post monitionem, ab hujusmodi præsumptione omnino desistant, alioquin eos excommunicatos publice nuntient.

Dat. Laterani, XIIII kal, maii, anno VIII°.

4622 (CXVII) Latran, 13 avril 1302.

« Conceduntur indulta pro R[aynaldo], comite Gelrie. » (fol. 178.)

. . *abbati monasterii Campensis, Coloniensis diocesis.* Efficax devotionis —.

Mandatur suprascripto ut R[aynaldum], comitem Gelrie, contra indulgentiarum et privilegiorum sibi ab Apostolica Sede concessorum tenorem, non permittant ab aliquibus indebite molestari.

Dat. Laterani, id. aprilis, anno octavo.

4623-4624 (CXVIII) Latran, 18 avril 1302.

« Conceditur eidem comiti Gelrie — et ejus uxori — ut quatuor clerici sui possint usque ad quinquennium percipere fructus omnium beneficiorum suorum. » (fol. 178 v°.)

Nobili viro Raynaldo, comiti Gelrie. Devotionis affectum —. Dat. Laterani, XIIII kal. maii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii in Insula Beate Marie et . . preposito Embricensis, ac . . decano Sancte Walburgis in Sutphania, Trajectensis diocesis ecclesiarum.*

In e. m. *dilecti in Christo filie nobili mulieri Margarite, comitisse Gelrie.*

Eadem conceditur gratia.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii in Insula Beate Marie et . . preposito Embricensis, ac . . decano Sancte Walburgis in Sutphania, Trajectensis diocesis ecclesiarum.*

4625 (CXVIIII) Latran, 16 avril 1302.

« Conceditur Carolo, comiti Andegavensi, et genti sue in prosecutione negotii regni Sicilie indulgentia que transfretantibus in Terre Sancte subsidium est concessa. » (fol. 178 v°.)

Nobili viro Carolo, comiti Andegavensi. Obstinata Frederici, nati quondam Petri olim regis Aragonum, Siculorum et aliorum eorum complicum et sequacium ac dampnanda rebellio, que longo jam tempore perduravit, non ad debitam reconciliationem sancte matri Ecclesie, non ad spem devotionis ad Deum, non de tenebris eripi et redire ad lucem, sed ad deteriores offensas indesinenter aspirans, sic ipsis Deo et Romane Ecclesie ac nobis et carissimo in Christo filio nostro Carolo, regi Sicilie illustri, nephandis ausibus, impugnationibus diris et atrocibus lesionibus, more tyrampnico, exhibet se infestam, quod et divinum implorare auxilium et fidelium subsidium adversus eos compellimur invocare, magno desiderio cupientes, ut tam infeste persecutionis instantie per fideles et devotos ejusdem Ecclesie resistatur viriliter, ut ipsi, eorum elisa superbia, Majestatis Divine potentia prosternantur. Et ad hoc tu, sicut filius benedictionis et gratie, prosecutionem negotii contra ipsos, una cum gentis tue equitum et peditum armatorum potenti comitiva et honorabili, assumpsisti, dirigente Qui potest, personaliter cum gente ipsa in Siciliam transiturus. Ut igitur eo ferventius hujusmodi negotium prosequaris, quo personam tuam et hujusmodi gentem tuam equestrem et pedestrem, tui consideratione, amplioribus gratiarum beneficiis fuerimus prosecuti, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ejus auctoritate, confisi et, illa, quam nobis Deus licet immeritis ligandi atque solvendi contulit, potestate, tibi et omnibus de gente tua, vere penitentibus et confessis, qui taliter procedendo interim mortem corporalem incurreritis, et illis etiam qui perseveraverunt in hujusmodi prosecutione negotii, quousque de predictis rebellibus habita fuerit generalis victoria et campestris, illam indulgentiam et veniam concedimus omnium peccatorum, que in generali concilio transfretantibus in Terre Sancte subsidium est concessa. Hujusmodi quoque remissionis omnes volumus esse participes, juxta quantitatem et qualitatem subsidii, et devotionis affectum, qui ad idem negotium auxilium, consilium et favorem contra rebelles prestiterunt supradictos. Ceterum per premissa non intendimus cuiquam beneficium absolutionis impendere a voto emisso de transfretando vel crucis assumpte ad transfretandum personaliter in subsidium Terre Sancte, quin transfretet personaliter

congruo tempore, ut tenetur. Dat. Laterani, xvi kal. maii, anno octavo.

4626 (cxx) Latran, 6 avril 1302.

« Super restitutione quorumdam bonorum per Galterum, Conventrensem et Lichefeldensem episcopum, ablatorum. »

Venerabili fratri . . archiepiscopo Cantuariensi, ac dilectis filiis . . priori Predicatorum, et . . ministro Minorum Fratrum provincialibus in Anglia. Dudum Galterum, Conventrensem et Lichefeldensem episcopum, occasione quorumdam excessuum, qui commissi dicebantur ab eo, ad nostram fecimus presentiam evocari, et postmodum per nostras certi tenoris litteras vobis injunximus, ut super certis articulis, quos vobis sub bulla misimus interclusos, inquireretis diligenter contra eum, ac per alias demum vobis mandavimus litteras, ut dilectum filium Johannem de Lovetot, militem Londoniensis diocesis, ad prosequendum inquisitionem hujusmodi et promovendum eandem vestrumque super hoc juvandum officium admittere deberetis.

Ut Galterum, Conventrensem et Lichefeldensem episcopum, ad restitutionem illorum bonorum, quæ eum ejusque familiam, « postquam hujusmodi nostra citatio ad episcopum eundem pervenerat », abstulisse Johannes de Lovetot Apostolicæ Sedi retulerat, compellant.

Dat. Laterani, viii id. aprilis, anno octavo.

Potthast, 25138.

4627 (cxxi) Latran, 6 avril 1302.

« Eisdem judicibus super inquisitione contra dictum episcopum. » (fol. 179.)

Eisdem. Nuper nobis per alias nostras certi tenoris injunximus litteras, ut contra Gualterium, Conventrensem et Lichefeldensem episcopum, super certis articulis, quos vobis sub bulla nostra misimus interclusos, inquireretis per testes ydoneos illarum partium diligentius veritatem. Cum autem dilectus filius Johannes de Lovetot, miles Londoniensis diocesis, qui ejusdem inquisitionis promotor extitit, sicut ipse nobis exposuit, ea que in predictis continentur articulis per fidedignas personas partium earundem plene se posse probare confidat, nos, cupientes plenam super illis elici veritatem, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus eundem militem ad prosequendum inquisitionem hujusmodi et promovendum eandem vestrumque super hoc juvandum officium admittentes, testes, quos ipse super hoc produxerit coram vobis, recipiatis fideliter et examinare cum diligentia studeatis, et tam ab ipsis quam ab aliis, de quibus expedire videritis, procuretis super articulis antedictis veritatem plenius indagare. Mandatum nostrum super hiis et aliis, que predictis prioribus litteris continentur, sic sollicite ac fideliter exequendo, juxta litterarum continentiam earundem, quod notari de inobedientia vel negligentia non possitis, sed vestram possimus diligentiam et obedientiam in Domino merito commendare. Dat. Laterani, viii id. aprilis, anno octavo.

4628 (cxxii) Latran, 12 avril 1302.

« Confirmatur . . custodi, scolaribus et fratribus domus de Merton in Oxonia, Lincolniensis diocesis, ecclesia de Ponteland, Dunelmensis diocesis. » (fol. 179.)

Dilectis filiis . . custodi, scolaribus et fratribus domus de Merton in Oxonia, Lincolniensis diocesis. Ut philosophie —. Dat. Laterani, ii id. aprilis, anno octavo.

4629 (cxxiii) Latran, 12 avril 1302.

« Super penitentia imponenda nobili viro Gerardo de Camino et Rizardo, ejus filio. » (fol. 179 v°)

Venerabili fratri O[ttobono], patriarche Aquilegensi. Licet atrocissima sit —. Sane porrecta nobis ex parte nobilium virorum Gerardi de Camino, Tervisii, Feltri et Beluni civitatum capitanei generalis, et Rizardi, ejus filii, petitio continebat, quod bone memorie frater Jacobus, episcopus Feltrensis, non attendens sincere devotionis affectum, quem iidem nobiles ad Romanam habuerunt temporibus retroactis et habent Ecclesiam, cum rebellibus ipsius Ecclesie et dictorum nobilium inimicis conspiratione facta, mortem et destructionem eorum ac filiorum et amicorum suorum, in quantum poterat, procurabat, quanquam dicti nobiles honorem et utilitatem ipsius episcopi et episcopatus Feltrensis cotidie augmentarent : propter quod quidam amici dictorum nobilium, timentes sibi et eisdem nobilibus grave periculum iminere, dictum episcopum, de assensu et voluntate dictorum nobilium, ausu sacrilego occiderunt. Idem quoque Gerardus, licet se dicat Deo et Ecclesie Romane devotum, pretendens quod nonnullas terras, majores et meliores quas habet, progenitores sui tenuerunt et ipse

etiam a nobilibus viris ducibus Carinthie tenet in feudum, eisdem ducibus, occasione gravaminum que Tridentine ecclesie intulerunt, una cum suis fautoribus et coadjutoribus, per Sedem Apostolicam excomunicationis sententiis innodatis, prebuit consilium, auxilium et favorem, propter quod non est dubium [eum] dictas sententias incurrisse. Verum, cum, sano ducti consilio, super hiis mandatis Sancte Ecclesie parere intendant, et idem Gerardus, propter debilitatem proprii corporis, quam in eo parit proprietas senectutis, et tam ipse quam predictus Rizardus, propter capitales inimicitias quas habent, non possint personaliter Sedem Apostolicam visitare, supplicari fecerunt humiliter, ut Sedis Apostolice clementia solita circa eos super hiis agere misericorditer dignaremur. Nos igitur, licet in premissis noscantur graviter deliquisse et indigne auxilium ecclesiasticum invocent qui eam tam acerbiter offenderunt, ex solite tamen dicte Sedis benignitatis gratia, fraternitati tue, qui loci metropolitanus existis, presentium tenore, mandamus, quatinus, postquam bis vel ter per omnes majores ecclesias civitatis Feltrensis et aliarum vicinarum civitatum, in quibus secure possint, nudi et discalciati, bracis duntaxat retentis, virgam ferentes in manibus et corrigiam circa collum, incesserint, ante fores ipsarum ecclesiarum, a presbyteris earumdem, psalmum penitentialem dicentibus, faciendo se verberari, quando major in eis aderit populi multitudo, suum publice confitendo reatum, ecclesie autem Feltrensi, cujus fuit sponsus occisus, construendo ibidem inter alia capellam seu altare, in quo perpetuo pro ipsius sponsi anima continue celebretur, et ecclesie Tridentine, quam dicto modo favendo dictis ducibus impugnavit, juxta tue discretionis arbitrium satisfecerint competenter, feudo et jure patronatus, si qua in dicta Feltrensi ecclesia obtinebant, ipsis et eorum heredibus privatis perpetuo, nobiles ipsos ab excomunicatione, quam propter premissa incurrerunt, et hujusmodi homicidii reatu, juxta Ecclesie formam, absolvas, ita tamen quod, ne minus vindicte quam excessus memoria prorogetur, usque ad quartam cognationem ipsorum posteritas in clericorum collegium nullatenus admittatur, neque in domibus regularibus alicujus prelationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit per Sedem Apostolicam misericorditer dispensatum. Et, quamvis imponendo eis peregrinationes ultramarinam et Apostolorum Petri et Pauli atque Jacobi, que talibus non immerito consueverunt imponi, tanti sceleris penitentia parva esset, tamen nos, volentes de speciali gratia mitius agere circa ipsos, ac propter hoc peregrinationes hujusmodi, quas ex premissis causis eis credimus fore difficiles, in penam ipsis pecuniariam commutantes, volumus ipsas per eos redimi certa pecunie summa, de qua tibi visum fuerit, in evidentem utilitatem dicte Feltrensis ecclesie fideliter convertenda. Tu vero, juxta tue discretionis prudentiam, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, injungas eis, preter ea que superius continentur, penitentiam, que ipsis sit ad salutem et aliis ad terrorem. Dat. Laterani, II id. aprilis, anno octavo.

4630 (CXXIIII) Latran, 29 mars 1301.

« Conceditur infrascripto beneficium ecclesiasticum in diocesi Lucana. » (fol. 180 v°.)

Francisco, nato dilecti filii Corteveccle Lambertutii Baldizonis militis, clerico Pisano. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, ejus et patris pro eo supplicantis consideratione, conceditur beneficium ecclesiasticum, cum vel sine cura, etiamsi dignitas existat, quod duxerit acceptandum infra unius mensis spatium, in civitate, diocesi seu comitatu Lucano, non obstante quod in minoribus tantum ordinibus et in quintodecimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . de Gallicano, et . . de Montecatino plebium plebanis, Lucane diocesis, ac magistro Petro de Eugubio, cantori ecclesie Morinensis, camere nostre clerico.*

4631 (CXXV) Latran, 9 avril 1302.

« Super sequestrandis fructibus plebanatus plebis Sancti Stephani Viennensis, Pataviensis diocesis. » (fol. 180 v°.)

. . preposito secularis ecclesie Oetingensis, Salzeburgensis diocesis. Vacante dudum plebanatu plebis Sancti Stephani Viennensis, Pataviensis diocesis, venerabilis frater noster . . episcopus Pataviensis, asserens plebanatum eundem ad suam collationem spectare, illum Gottifredo, preposito Pataviensi, dicitur contulisse. Verum venerabilis frater noster Herricus, episcopus Constantiensis, tunc prepositus ecclesie Xanctensis, Coloniensis diocesis, ad plebanatum eundem per nobilem virum A., ducem Austrie, quem patronum asserebat plebis ipsius et ad eum jus presentandi personam ad plebanatum eundem etiam pertinere, se presentari dicto episcopo procuravit, et, quia dictus episcopus presentationem hujusmodi non admisit, ad Apostolicam Sedem appellans, super hujusmodi appellatione ad certos judices

delegatos in communi forma ejusdem Sedis litteras impetravit, qui, post appellationem ex parte episcopi et Gottifredi predictorum, ex certis causis, ad dictam Sedem interpositam, diffinitivam pro dicto Herrico sententiam promulgarunt, a qua dicti episcopus et Gottifredus ad Sedem appellantes eandem, Petrum de Columpna, tunc Sancti Eustachii diaconum cardinalem, concedi obtinuerunt ab eadem Sede in causa hujusmodi suarum appellationum et principalis negotii auditorem. Sane super libellis, ex parte episcopi et Gottifredi predictorum oblatis, in ipsius Petri presentia, adhuc cardinalis existentis, lite inter ipsarum partium procuratores legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, necnon nonnullis aliis processibus habitis, eodem demum Herrico in episcopum Constantiensem promoto, venerabilis frater noster P., Basiliensis episcopus, tunc prepositus Wissigradensis, Pragensis diocesis, ad plebanatum eundem primo, et postmodum, eo in episcopum Basiliensem assumpto, magister Paulinus, frater dicti episcopi Basiliensis, canonicus ecclesie Sancti Paulini Treverensis, fuerunt per eundem ducem ad eundem plebanatum memorato Pataviensi episcopo presentati. Et, quia dictus episcopus Pataviensis, hujusmodi presentationem dicti magistri Paulini non admisit, idem magister Paulinus, ad dictam Sedem appellans, super hujusmodi sua appellatione nostras ad quosdam judices illarum partium litteras impetravit, a quibus ex parte dicti magistri Paulini, ex certis causis, ad Sedem fuit denuo appellatum eandem et per ipsos hujusmodi sue appellationi delatum. Nos autem, hujusmodi causam tam appellationum quam negotii principalis, dilecto filio nostro R[iccardo], Sancti Eustachii diaconi cardinalis, audiendam commisimus et fine debito terminandam, coram quo inter episcopum Pataviensem et Gottifredum, ex parte una, et eundem magistrum Paulinum, ex altera, aliquandiu litigato, ac hujusmodi negotio in consistorio publico coram nobis et fratribus nostris exposito, ex parte ipsorum episcopi et Gottifredi fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum idem magister Paulinus, qui possessioni dicti plebanatus incumbit, nondum in eo constitutus fuisset, quamvis ad eum se asseveret presentatum, sequestrari fructus plebanatus ejusdem usque ad decisionem cause hujusmodi mandaremus. Nos itaque, volentes quod fructus predicti fideliter conserventur ad opus illius qui plebanatum evicerit supradictum, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, fructus predictos ponens penes personas de quibus expedire videris in sequestro, eos recolligi et custodiri interim fideliter facias, illi cui adjudicati fuerint assignandos, contradictores per censuram et cetera usque : compescendo ; quod si forsitan idem Paulinus sequestrationem hujusmodi dictorum fructuum quomodolibet impediret, publice vel occulte, volumus et Apostolica auctoritate decernimus eum omni jure, si quod in plebanatus predicto vel ad ipsum sibi competeret, eo ipso fore privatum. Dat. Laterani, v id. aprilis, anno octavo.

4632 (CXXVI) Latran, 10 avril 1302)

« Super discordia que est inter. . episcopum et ecclesiam Castellanam et . . ducem, consilium et commune Venetiarum. » (fol. 181.)

Venerabili fratri L., patriarche Constantinopolitano. Licet singulorum —. Venerabilem siquidem fratrem nostrum . . episcopum et nobilem ac famosam ecclesiam Castellanam dilectosque filios nobilem virum . . ducem, consilium et commune Venetorum, Castellane diocesis, nobilitatis et potentie titulis refulgentes, quos nullius deberet discordie scrupulus a plene caritatis segregare dulcedine, sed velut unius massam communis pura ydemptitas gluttinare, precipua dilectione prosequimur et desideramus admodum, ut exclusa hinc inde rancoris macula et turbationis nubilo profugato, inter se invicem plene quietis, pacis et sinceritatis comodis gratulentur. Sane dudum ad audientiam nostram non sine gravi admiratione perducto, quod in terra Venetiarum quedam per memoratos ducem consilium et commune statuta et ordinationes presumpta erant in contumeliam Creatoris, Ecclesie generalis injuriam et confusionem ecclesiastice libertatis, quin etiam in ipsius Ecclesie obprobrium, discrimen populi et multarum periculum animarum, nos, volentes hiis salubriter obviare predictis duci, consilio et communi per litteras nostras sub certa forma scripsimus monendo eos et hortando attente, ut statuta et ordinationes hujusmodi, que tunc duximus in ipsis nostris litteris exprimenda, et alia quecumque ordinamenta et precepta per eos edita contra ecclesiasticam libertatem totaliter revocarent. Dedimus quoque venerabili fratri nostro . . episcopo Tervisino et dilectis filiis . . archipresbitero ecclesie Paduane, per alias nostras sub certa forma litteras, in mandatis, ut ipsi vel alter eorum predictos ducem, consilium et commune ad revocandum ea omnia taliter attemptata, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, coercerent. Sed ignoramus ad que ipsi vel alter eorum, auctoritate litterarum hujusmodi, processerint in premissis. Nuper autem dictus episcopus Castellanus, ad presentiam nostram accedens, super hiis

et aliis statutis, ordinationibus et preceptis, contra eum et libertatem prefatam per ipsos ducem consilium et commune, ut asserit, attemptatis, gravem apud nos querimoniam innovavit, conquerendo proponens, quod, licet ipse prefatos ducem, consilium et commune, universaliter et singulariter, attente per suas patentes litteras, tam ex parte nostra, quam auctoritate ordinaria, sub certa forma monuerit, ut infra certum terminum, quem ad hoc prefixit eisdem, statuta, ordinationes et precepta hujusmodi revocarent, alioquin declarabat et denunciabat ex tunc ipsos ducem et consiliarios dicti communis excommunicatos ipsamque terram interdictam propter statuta, ordinationes et precepta predicta existere, et nichilominus, hujusmodi auctoritate ordinaria, locum predictum Venetiarum interdicto ecclesiastico supponebat, dicti tamen dux, consilium et commune, monitione, penis et sententiis hujusmodi vilipensis, statuta, ordinationes et precepta prefata minime revocarunt, quinimo, pro parte ipsorum ducis, consilii et communis necnon singularium personarum de dicto communi, fuit super hiis ab eodem episcopo Castellano ad venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Gradensem, loci metropolitanum, semel et iterum appellatum : coram quo in hujusmodi appellationum causis in aliquo dicitur esse processum. Memorati quoque dux, consilium et commune, asserentes se super hiis et aliis ab eodem episcopo Castellano injuste fore gravatos, graves querelas per eorum litteras et nuntium de ipso episcopo nuperrime nobis exponere curaverunt. Nos autem, hujusmodi querelis et discordiis amputare viam salubriter cupientes, et volentes scandalis et periculis, que inde spiritualiter et temporaliter sequi possent, per viam concordie salubriter obviare, prefatas appellationum causas et omnes processus habitos super eis ac totum principale negotium et omnes querelas, discordias, causas et lites inter eundem episcopum Castellanum, ex parte una, et predictos ducem, consilium et commune et homines Venetiarum, ex altera, exortas super premissis vel ipsorum pretextu et contingentibus ea, que oriri possent, ex nunc ad nostram audientiam revocamus. Ut igitur per viam pacis et concordie juxta nostrum desiderium melius et salubrius partibus ipsis super hujusmodi negotio consulatur, quia tu, qui partes easdem et locum predictum Venetiarum, qui tibi dedit originem, crederis affectione plena diligere, ac eorum salutem, quietem et pacem puro desiderio affectare, de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, ad prefatum locum Venetiarum te personaliter conferens, super omnibus articulis, quos partes ipse vel earum altera super premissis vel aliis discordiis earundem et contingentibus eas, infra quindecim dies postquam illuc te pervenire contigerit, duxerint exhibendos, infra tres menses predictos quindecim dies immediate sequentes, auctoritate nostra, inter dictas partes concordiam tractes et facias, si poteris, atque firmes, prout de veritatis et equitatis tramite videris faciendum. Si vero, quod absit, partes ipsas super omnibus hujusmodi articulis vel eorum aliquibus ad concordiam forte reducere nequiveris, omnes articulos ipsos et totum negotium vel illos ex eisdem articulis, super quibus concordia facta non fuerit, infra unum mensem predictos tres menses immediate sequentem, ad nostrum remittas examen, prefixo partibus ipsis termino peremptorio competenti, quo predictus episcopus, per se vel per procuratorem ydoneum, prefati vero dux, consilium et commune, per eorum syndicum et procuratorem, super hiis plenum et speciale mandatum habentes, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, hujusmodi negotium contingentibus, nostro se conspectui representent, facturi et recepturi super hiis quod justitia suadebit nosque ipsis duxerimus injungendum. Ceterum, ut predicte partes eo commodius et liberius ad concordiam dirigantur, quo magis benigne, mansuete ac benivole actum fuerit inter eas, presentium tibi auctoritate concedimus, ut, predictis duce, consilio et communi infra predictos tres menses revocantibus, perpetuo vel ad tempus, omnia hujusmodi statuta, ordinationes, precepta et gravamina, que per eos noveris minus licite attemptata, tu similiter, perpetuo vel ad cautelam ad tempus, ita videlicet quod si ipsi, perpetuo, tu, perpetuo, vel si ipsi, ad tempus, tu, ad cautelam ad tempus, sicut expedire videris, ipsis duci, consiliariis et loco ac singularibus personis prefati loci Venetiarum, super omnibus canonum et constitutionum Apostolicarum excommunicationum, interdicti, aliisque sententiis, omnibusque processibus et preceptis, factis et habitis, premissorum occasione vel causa, per eundem episcopum Castellanum seu per quoscumque alios, mandato vel auctoritate ipsius, aut etiam per predictos episcopum Tervisinum et archipresbiterum Paduanum vel eorum alterum, sive per alios, auctoritate ipsorum vel alterius eorundem, aut per quoscumque alios, auctoritate quacumque, de absolutionis, relaxationis, revocationis vel suspensionis beneficio valeas providere. Quod si hujusmodi absolutionem, relaxationem, revocationem vel suspensionem per te fieri contingat ad tempus, et, infra tempus ipsum, partes predicte super premissis ad concordiam nequaquam redierint, tu ipsos ducem, consiliarios, locum et personas in pristinas sententias, auctoritate nostra predicta,

reducas : diem autem hujusmodi prefixionis ac formam et quicquid feceris in premissis nobis, per tuas litteras harum seriem continentes, fideliter intimare procures : sic te in premissis diligenter et sollicite habiturus, quod possis exinde apud Deum et homines ac Sedem Apostolicam merito commendari. Dat. Laterani, IIII id. aprilis, anno VIII.

4633 (CXXVII) Latran, 1er mai 1302.

« Confirmatur electio de Stephano, electo Colocensi, in ecclesia Colocensi. » (fol. 181 v°.)

Nicolao, Ostiensi episcopo, Apostolice Sedis legato. Curam ecclesiarum omnium —. Ex tuarum siquidem litterarum insinuatione ac dilecti filii Stephani, electi Colocensis, presentiali expositione percepimus, quod, vacante dudum ecclesia Colocensi, infra tue legationis terminos constituta, per obitum bone memorie Johannis, archiepiscopi Colocensis, dilecti filii Paulus, Colocensis, et Symon, Bachiensis ecclesiarum prepositi, et ipsarum ecclesiarum capitula, ad quos, vacante sede Colocensi, electio archiepiscopi Colocensis comuniter pertinet, die, ut moris est, ad eligendum prefixa in civitate Colocensi — convenerunt et — per viam scrutinii procedentes — demum publicato scrutinio compertum extitit, quod omnes et singuli ipsorum ecclesiasum et capitulorum canonici in predictum Stephanum, tunc custodem Albensis, Vesprimiensis diocesis, et ipsarum Vesprimiensis et Colocensis ecclesiarum canonicum, vota sua unanimiter et concorditer direxerunt, — dictusque Stephanus — hujusmodi electioni consensit. Demum vero presentato tibi, pro parte Stephani electi et capitulorum predictorum, electionis predicte decreto, et petentibus ipsis electo et capitulis cum instantia electionem a te confirmari predictam, tu, volens in confirmatione electionis hujusmodi debitum modum et maturitatem congruam observare, in Colocensi et Bachiensi ecclesiis supradictis omnes et singulos, quorum interesset vel qui suo crederent interesse, per litteras tuas generaliter citari fecisti, ut, certo peremptorio termino in eisdem expresso litteris, coram te legitime comparerent, dicturi et allegaturi quicquid dicere et allegare vellent de jure quare confirmari non deberet hujusmodi electio vel non posset, ac demum, hujusmodi adveniente termino, quia nullus coram te vel cancellario tuo, cui hujusmodi causam commiseras, comparuerat, qui aliquid rationabile proponeret quare non deberet predicta electio confirmari, et predictis Stephano, electo, ac Paulo et Symone, prepositis, suo et predictorum capitulorum nomine, in eodem termino comparentibus et tam ipsis quam venerabilibus fratribus nostris .. Vesprimiensi, .. Quinqueecclesiensi, .. Waradiensi, .. Cenadiensi, .. Jauriensi, .. Waciensi, .. Zagrabiensi et .. Bosniensi episcopis, multiplicata precum instantia, supplicantibus, ut electionem predictam ex tue legationis officio confirmares, tu, examinatis prius diligenter electi predicti persona et electionis prefate decreto — ipsam, auctoritate legationis, confirmasti et predictum Stephanum sic electum et confirmatum prefecisti eidem Colocensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem —. Verum, quia nos, post hujusmodi electionem de dicto Stephano taliter celebratam, ante tamen predictam confirmationem super ipsa electione per te taliter subsecutam, ejusdem electionis ignari, provisionem ipsius Colocensis ecclesie duximus ea vice dispositioni nostre — reservandam —, tu, per litteras tuas, et idem electus, presentialiter, nobis cum instantia supplicastis, ut electionem celebratam et que circa confirmationem ipsius per te, ut predicitur, facta sunt ratificare et approbare ac confirmare — dignaremur. Nos itaque, in hac parte tibi deferre volentes et eundem electum, qui nostro conspectui gratus apparuit, tam consideratione tui, quam ob probitatem ipsius, ampliori prosequi gratia — prefatam electionem — et que circa confirmationem ipsius facta sunt rata habentes, — ea omnia non obstante hujusmodi reservatione — confirmamus. Dat. Laterani, kal. maii, anno octavo.

4634 (CXXVIII) Latran, 18 avril 1302.

« Ut nullus delegatus vel subdelegatus, etc. » (fol. 182.)

Nobili viro Raynaldo, comiti Gelrie. Meritis tue devotionis —.

Suprascripto indulgetur ad quinquennium, ut nullus delegatus vel subdelegatus in ejus, uxoris ac filiorum personas excommunicationis sententias promulgare valeat.

Dat. Laterani, XIIII kal. maii, anno VIII°

4635 (CXXVIIII) Latran, 1er mai 1302.

« Mandantur citari .. prior et fratres ordinis Sancte Marie de Monte Carmeli Padue commorantes. » (fol. 182.)

Pandulfo de Lissia et Mezabati Hugonis, canonicis Paduanis. Sua nobis dilecti —.

Eis mandat curent, ut clerus rectoresque parochialis ecclesiæ Sancti Jacobi de Ponte Molendinorum, ex una, et fratres

ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli Paduani, ex altera parte, inter se super constructione ecclesiæ, etc., in civitate Patavina litigantes, infra tres menses per procuratores compareant coram pontifice, « recepturi quod justitia suadebit. »

Dat. Laterani, kal. maii, anno octavo.

Potthast, 25152.

4636 (cxxx) Latran, 20 avril 1302.

« Confertur Sicardo Alamanni rectoria parrochialis ecclesie Castrinovi Montismiralli, Albiensis diocesis. » (fol. 182 v°.)

Sicardo Alamanni, rectori parrochialis ecclesie Castrinovi Montismiralli, Albiensis diocesis. Laudabile testimonium —.

Consideratione « Bertrandi de Rupenecata, militis, familiaris nostri », pro eo sororio sive cognato suo supplicantis, rectoriam suprascriptæ ecclesiæ, cum ecclesiis sive capellis annexis, per mortem quondam Guillelmi de Monteclaro, « qui in partibus illis diem clausit extremum », vacantem et dispositioni Sedis Apostolicæ devolutam, confert dominus papa, non obstante quod in Albiensi ecclesia canonicatum et præbendam noscitur obtinere.

Dat. Laterani, xii kal. maii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii de Castris, Albiensis diocesis, et . . secularis ecclesie Sancti Pauli Narbonensis abbatibus ac . . archidiacono Ulmesii in ecclesia Tholosana.*

4637 (cxxxi) Latran, 30 mars 1302.

« Committitur cura Conventrensis et Lichefeldensis ecclesiarum quibusdam canonicis Lichefeldensibus. » (fol. 182 v°.)

Dilectis filiis magistris Phylippo de Everdon[o], Helie de Naptono, et Thome de Adberbur[o], canonicis Lichefeldensibus. Inter cetera quibus —. Dudum siquidem ad audientiam nostram gravi relatione perducto, quod Gualterus, Conventrensis et Lichefeldensis episcopus, diversa et gravia scelera, que tamen ex causa duximus subticenda, commiserat ac etiam committebat, et quod super eis erat in illis partibus publice diffamatus, nos, volentes scire super illis plenius veritatem, episcopum ipsum peremptorie citari fecimus, ut infra certum terminum nostro se conspectui personaliter presentaret—. Sed, quia prefatus episcopus, citationi hujusmodi comparere contempnens, in dicto termino et post illum per plures menses etiam expectatus non comparuit personaliter coram nobis, nos, contra ipsum taliter contumacem pro hujusmodi contemptu et contumacia taliter procedentes, eum ab executione pontificalium duximus, auctoritate Apostolica, suspendendum. Eodem autem episcopo ad nostram postmodum presentiam accedente, cum de ipso nobis super diversis criminibus gravis delatio facta esset, nos, super illis in curia nostra quadam inquisitione premissa, quam sibi non duximus publicandam, pensata negotii qualitate, prefatum episcopum ab administratione spiritualium et temporalium duximus, per nostras sub certa forma litteras, suspendendum. Et nichilominus, ad eliciendum super hujusmodi criminibus plenius veritatem, per easdem precepimus litteras inquiri super eis in partibus Anglicanis. Ne igitur Conventrensis et Lichefeldensis ecclesie [1] interim exposite neglectui videantur — vobis — curam et administrationem et procurationem ipsarum Conventrensis et Lichefeldensis ecclesiarum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, Apostolica auctoritate committimus —. Dat. Laterani, iii kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis F., priori et conventui Conventrensis, et . . decano et capitulo Lichefeldensis ecclesiarum — cleris civitatum et diocesium Conventrensis et Lichefeldensis — universitatibus sive populis civitatum et diocesium Conventrensis et Lichefeldensis.*

4638 (cxxxii) Latran, 10 février 1302.

« Confirmatur quoddam statutum in ecclesia Sancte Marie de Frusinone, Verulane diocesis. » (fol. 183.)

. . archipresbytero et capitulo ecclesie Sancte Marie de Frusinone, Verulane diocesis. Gregis dominici —. Sane ex insinuatione vestra nuper accepimus, quod olim octonarius clericorum seu canonicorum numerus, archipresbytero minime computato, fuit in vestra ecclesia observatus. Processu quoque temporis quondam Johannes de Sancto Laurentio, canonicus Verulanus, tunc vicarius bone memorie Gregorii, episcopi Verulani, de mandato ipsius episcopi, ac de comuni assensu archipresbyteri et clericorum seu canonicorum ipsius ecclesie, qui tunc erant, novem partes sive prebendas, unam scilicet pro ar-

1. *Ms* : ecclesiis.

chipresbytero, reliquas vero octo pro octo ejusdem ecclesie clericis sive canonicis in ea personaliter residentibus, de bonis stabilibus ecclesie predicte certo modo distinxit et statuit in eadem, mandans nichilominus, ut una alia portio fieret de bonis ecclesie prelibate pro uno clerico sive canonico ipsius ecclesie ultra predictum numerum tunc inibi residente, quo cedente vel decedente, portio ipsa jungeretur et applicaretur predictis octo prebendis, quodque nec archipresbyter nec aliquis clericorum seu canonicorum ipsius ecclesie, quamdiu absens foret ab ea, quicquam perciperet de obventionibus et oblationibus venientibus ad ecclesiam prelibatam, ac faciens quedam alia ordinamenta inter eosdem archipresbyterum et clericos sive canonicos, que precepit et voluit observari, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Verum — Lotherius, episcopus Verulanus, et nonnulli predecessores ejus — quamplures clericos sive canonicos, scilicet duodecim vel circa, ultra predictum octonarium numerum de facto instituerunt — et preceperunt, ut de comunibus ipsius ecclesie proventibus, sicut aliis ejusdem ecclesie clericis sive canonicis, responderetur eisdem, interdum prebendas hujusmodi eis vel eorum alicui vel aliquibus conferendo, qui — ut alii ejusdem ecclesie clerici sive canonici, portionem hujusmodi comunium proventuum percipiunt, dum resident in eadem ; idem quoque Lotherius episcopus, contra ordinationem predicti vicarii, — predictam portionem, que, ut premittitur, ad alias octo redire prebendas ac erat, cum postmodum vacavisset, applicata eis, contulit alii, ultra prescriptum octonarium numerum —, et nonnulla ex bonis ecclesie prelibate, que inter residentes — applica[ri] comunibus usibus utebantur (*sic*) distribuit inter absentes —, ac, ex favore ipsius, nonnulli — prebendas, quas in ea ex ipsius Lotherii episcopi collatione obtinent, quamvis inibi non resideant, tenent et percipiunt contra ordinationis predicte tenorem.

Volens dominus papa de oportuno remedio providere prædictæ ecclesiæ, discordiis et litigiis laboranti, præfatum nonarium canonicorum numerum, archipresbytero computato, taxat et cetera in statuto prælibato ordinata approbat et confirmat.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Pancratii, et . . Sancti Ypoliti secularium ecclesiarum Ferentinatium abbatibus ac . . archidiacono Atrebatensi.*

4639 (CXXXIII) Latran, 1er mai 1302.

« Cautela facta mercatoribus de societate Spinorum de summa quatuor milium sexcentorum florenorum auri. » (fol. 184.)

Rogerio et Lapo de Spinis ac Symoni Gerardi et ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatoribus. Habet assertio vestra, et alias sufficienter et legitime constat nobis, quod, cum dilectus filius nobilis vir Carolus, natus clare memorie Phylippi regis Francorum, comes Andegavensis et a nobis paciarius Tuscie deputatus, mercatoribus de societate Amannatorum de Pistorio et ipsi societati in quatuor millibus et sexcentis florenis auri pro pannis teneretur, vos, ad instantiam dicti Caroli, hujusmodi quatuormilia et sexcentos florenos auri mercatoribus de predicta societate Amannatorum reddere ac restituere pro eodem Carolo certis loco et termino promisistis, vos ad id specialiter obligando. Postmodum autem, ante hujusmodi lapsum termini, exigentibus rebellione, contumacia, inobedientia et excessibus communis et hominum civitatis Pistoriensis, prefatus Carolus, ex suo paciariatus officio, omnia bona communis et hominum predictorum et specialiter predictorum mercatorum et societatis Amannatorum ac nominatim predictos quatuor milia et sexcentos florenos auri sibi seu Romane Ecclesie confiscavit. Demum autem, cum prefati mercatores de societate Amannatorum dilecto filio Radulpho de Aricuria, canonico Parisiensi, in majori summa pecunie tenerentur, nos voluimus et tibi, Symon [1] Gerardi, mandavimus oraculo vive vocis, ut, nomine tuo et predictorum sociorum tuorum, predicta quatuor milia et sexcentos florenos auri dilecto filio nobili viro Johanni de Aricuria, fratri predicti Radulphi, pro eodem Radulpho recipienti, persolveres, convertendam pro rata in satisfactionem quantitatis, in qua ipsi mercatores Pistorienses, ut predicitur, Radulpho tenebantur eidem, tuque, Symon [2], tuo et predictorum sociorum nomine, ipsi Johanni hujusmodi quatuor milia et sexcentos florenos auri ad hujusmodi mandatum nostrum in romana curia persolvisti —.

Absolvuntur ab omni debito, quo pro prædictis quatuor millibus florenis tenerentur societati Ammanatorum.

Dat. Laterani, kal. maii, anno octavo.

1. *Ms* : Symoni.
2. *Ms* : Symoni.

4640 (CXXXIIII) Latran 6 mai 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Pagano, episcopo Paduano. » (fol. 184.)

Venerabili fratri . . episcopo Florentino et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Justine Paduani, ac Titio, archipresbytero plebis de Colle, Vulterane diocesis, capellano nostro. Exponente nobis pridem —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum quatuor millium florenorum auri, quos Paganus, episcopus Paduanus, a Tellino Gottie de Nerlis, cive et mercatore Florentino, mutuante pro se et vice « Pagani, Cionis et Arethii fratrum filiorum Mici del Cappone, sociorum et concivium suorum », recepit.

Dat. Laterani, II non. maii, anno VIII°.

4641-4642 (CXXXV) Anagni, 21 mai 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro O[ttobono], patriarcha Aquilegensi. » (fol. 164.)

Thedisio de Malocellis, Cameracensis, et Bonalbergo quondam Bunfadi, Ferrariensis canonicis ecclesiarum. Nuper ex parte —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum quatuor millium florenorum auri, quos O[ttobonus], patriarcha Aquilegensis, recepit a Bertino Andree, cive et mercatore Florentino, mutuante pro se et heredibus.

Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno octavo.

In e. m. *Eisdem judicibus.* Nuper ex parte venerabilis fratris nostri O., patriarche Aquilegensis, nobis extitit supplicatum, ut, cum ipsum, et cetera ut supra per totum, mutata summa quatuor milium florenorum auri in summa trium milium florenorum auri. Dat. ut supra.

4643 (CXXXVI) Latran, 25 mars 1302.

« Super pluralitate. » (fol. 184 v°.)

Benedicto Gaytani de Pisis, capellano nostro, preposito ecclesie Sancti Petri ad Gradus Pisane. Personam tuam —. Exhibita quidem nobis tua petitio continebat, quod, vacante nuper plebanatu plebis de Fabrica, Vulterane diocesis, curam animarum habente, per promotionem venerabilis fratris nostri R[ainerii], episcopi Vulterani, post consecrationis munus de mandato nostro in illis partibus impensum eidem, episcopus ipse, habens a nobis conferendi ea vice plebanatum ipsum — plenaria potestate, plebanatum eundem — tibi, abbatiam secularis Sancti Affrodisii Biterrensis, et preposituram Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis, similem curam habentes, ac thesaurariam Noviomensis ecclesiarum, que — personatus existunt, ex dispensatione nostra obtinenti, contulit —.

Indulgetur suprascripto, ut præfatum plebanatum, una cum personatibus prædictis necnon et canonicatibus et præbendis, quos in Pisana, Laudunensi, Ambianensi, Paduana et prædicta Noviomensi ecclesiis obtinet, retinere valeat.

Dat. Laterani, VIII kal. aprilis, anno octavo.

4644 (CXXXVII) Latran, 13 avril 1302.

« Super ordinatione rectorie parrochialis in castro Plumbini, Massane diocesis. » (fol. 184 v°.)

Venerabilibus fratribus . . Pistoriensi, et . . Wulterano episcopis. Significarunt nobis dilecti filii commune ac homines castri Plumbini, Massane diocesis, quod jam ipsi sic per Dei gratiam excreverunt, quod, cum consueverint esse numero minus centum, nunc decem milia sunt et ultra. Verum, cum . . abbatissa et conventus monasterii Sancti Bartholomei de Telesio, siti juxta dictum castrum, ordinis sancte Clare, in ecclesia Sancti Laurentii de castro predicto, cujus ipsi homines parrochiani existunt, ac in capella Sancti Antonii [1], ejusdem loci, dependente ab ecclesia memorata, monasterio predicto pleno jure subjecta, per presbiteros simplices et minus ydoneos ac ad curam tanti populi supportandam insufficientes omnino faciant deserviri, et ex hoc ipsi homines magnum defectum in spiritualibus patiantur, graviaque inter eos et predictas abbatissam et conventum scandala pro tempore sint exorta, prefati commune ac homines nobis humiliter supplicarunt, ut, cum ipsi parati sint predictis abbatisse et conventui pro dictis ecclesia et capella ac juribus et pertinentiis suis, in quibus nullus alius jus habere dinoscitur, recompensationem facere condecentem, nos, eorum providentes in hac parte saluti, ac, dictis scandalis obviantes, predictas ecclesiam et capellam, cum parrochia, bonis, juribus et pertinentiis supradictis, ab omni jure, jurisdictione ac subjectione monasterii prelibati liberare ac eximere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, votis predictorum

1. *Ms* : Antoni.

communis et hominum in hac parte, quantum cum Deo possumus, annuere favorabiliter intendentes, quia vos de facto et facti circumstantiis habere poteritis notitiam pleniorem, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus, impensa per eosdem commune ac homines predictis abbatisse et conventui pro ecclesia, capella, bonis, juribus et pertinentiis ipsius satisfactione seu recompensatione juxtra vestrum arbitrium condecenti, easdem ecclesiam et capellam, cum bonis, juribus et pertinentiis ejusdem ab omni subjectione, potestate, dominio, jurisdictione ac jure spirituali abbatisse, conventus et monasterii predictorum, auctoritate nostra, liberetis, eximatis totaliter et absolvatis, ac, ipsas ecclesiam et capellam cum bonis, juribus et pertinentiis supradictis in jus et proprietatem beati Petri suscipientes et statuentes soli dumtaxat Romano pontifici subjacere, inhibeatis firmiter, ne abbatissa et conventus eedem vel quivis alius in ipsam ecclesiam, capellam, bona, jura et pertinentias, absque Sedis Apostolice speciali mandato, jurisdictionem aliquam audeant exercere. Et, si secus actum fuerit, decernatis irritum et inane ac nullius existere firmitatis. Instituatis quoque hac vice, auctoritate predicta, in ecclesia et capella predicta (*sic*) rectorem ydoneum, unum vel plures, sicut videritis expedire, qui de parte non sint Gibellina, inducatis illum vel illos in earundem ecclesie et capelle omniumque jurium et pertinentiarum ipsarum corporalem possessionem, et inductum vel inductos etiam defendatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam, et cetera usque : compescendo. Dat. Laterani, id. aprilis, anno octavo.

4645 (CXXXVIII) Anagni, 19 mai 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro G[uittone], episcopo Urbevetano, » usque ad summam mille florenorum auri. (fol. 185.)

Venerabili fratri G[uittoni[, episcopo Urbevetano. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, XIIII kal. junii, anno VIII°.

4646 (CXXXVIIII) Anagni, 23 mai 1302.

« Executoria pro eodem. » (fol. 184.)

Dilectis filiis . . de Colle, et . . de Sancto Terentiano, Vulterane et Tudertine diocesium, archipresbyteris ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum mille florenorum auri, quos G[uitto], episcopus Urbevetanus, a « Radulfo Henrici de Jovis, cive Urbevetano », recepit :

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno octavo.

4647 (CXL) Anagni, 21 mai 1302.

« Confertur Buosio Biordi de Ubertinis beneficium quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Aretina. » (fol. 185.)

Buosio, nato dilecti filii nobilis viri Biordi de Ubertinis, civis Aretini, canonico plebis de Laterino, Aretine diocesis. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione patris ejus pro eo supplicantis, beneficium, etiamsi cum cura et dignitas existat, quod duxerit acceptandum infra unius mensis spatium, in civitate vel diocesi Aretina, confert vel reservat dominus papa, non obstante quod in minoribus tantum ordinibus et in tertio decimo anno esse noscitur.

Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Capudleonis, Aretine diocesis, et . . preposito Aretine, ac . . archipresbytero de Colle, Vulterane diocesis, ecclesiarum.*

4648 (CXLI) Latran, 4 mai 1302.

« Mandatur privari Cinus, filius quondam Hugolini, presbyter, de rectoria parochialis ecclesie Sancti Romuli de Florentia et conferri Guidoni, nato Nerii Mancini, civis Florentini. » (fol. 185 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Florentino. Nuper ad audientiam nostram ex fidedignorum assertione non sine gravi turbatione pervenit, quod Cinus, filius quondam Hugolini, presbyter, qui se gerit pro rectore parrochialis ecclesie Sancti Romuli, site in platea filiorum Uberti de Florentia, divino timore pariter et amore ac ipsius Ecclesie Romane reverentia omnino postpositis, eisdem Ubertis et eorum sequacibus, perfidis Ghibellinis et persecutoribus Ecclesie Romane ejusque fidelium, adherere ac favere non metuens, eis, contra eandem Ecclesiam et partem Guelforum, devotorum ejus, auxilium, consilium et favorem, impendere presumptione dampnabili, non veretur, receptando eos et nuncios dictorum Ubertorum in dicta ecclesia, et ipsis Ubertis, in Sicilia commorantibus, pecuniam, arma et alia subsidia transmittendo.

« Cum autem, sicut asseritur, premissa sint adeo notoria in civitate Florentie, quod nulla possint tergiversatione celari », mandat dominus papa suprascripto, ut « auctoritate nostra » prædictum presbyterum prædicta ecclesia privare procuret et eamdem Guidoni, clerico, nato Nerii Mancini, civis Florentini, « nostro et Ecclesie prefate devoto, nullum adhuc beneficium ecclesiasticum assecuto, eadem auctoritate » conferat, non obstante « quod dictus Guido patitur in ordinibus et etate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in XII etatis sue anno vel circa illum constitutum esse noscatur: super quo dispensare possis, auctoritate prefata, cum ipso. »

Dat. Laterani, IIII non. maii, anno octavo [1].

4649 (CXLII) Latran, 30 mars 1302.

« Transfertur Johannes, quondam archiepiscopus Lundensis, ad archiepiscopatum Rigensem. » (fol. 186.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Rigensi. Inter sollicitudines alias —.

Suprascriptus, archiepiscopus Lundensis, Rigensi ecclesiæ præficitur in archiepiscopum.

Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno octavo.

Potthast, 25135.

4650 (CXLIII) Latran, 7 mai 1302.

« Venerabili fratri Fernando, episcopo Ovetensi. Preficitur in episcopum Ovetensem. » (fol. 186 v°.)

Venerabili fratri Fernando, episcopo Ovetensi. Angit nos cura —. Dudum siquidem Ovetensi ecclesia, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie Fernandi, episcopi Ovetensis, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ejusdem ecclesie — die ad eligendum prefixa — deliberantes per viam scrutinii providere dicte ecclesie — tres ex ipsis fidedignos videlicet : dilectos filios Bartholomeum Petri, de Vaabia, Gundisalvum Garsie, de Grado et Johannem Petri, de Tinegio archidiaconos in ecclesia supradicta, ad scrutandum — assumpserunt, qui — votis suis primo et deinde omnium — presentium secreto et sigillatim diligentius exquisitis et in scriptis redactis — compertum extitit, quod omnes de capitulo supradictis in ecclesia ipsa presentes in te, tunc archidiaconum de Cerrato in ecclesia Palentina et ejusdem ecclesie Ovetensis canonicum, in subdiaconatus ordine constitutum, direxerunt — vota sua — tuque — electioni predicte consentiens, propter hoc ad Sedem Apostolicam infra tempus legitimum accessisti. Et demum tam tu, per te ipsum, quam iidem capitulum, per eorum certos procuratores et nuntios ad hoc propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis dicte electionis decreto — postulastis, ut confirmare electionem hujusmodi dignaremur. Nos igitur, electionem eandem tuamque personam per venerabilem fratrem J[ohannem], episcopum Tusculanum, et dilectos filios nostros Gentilem, tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum, et Franciscum, Sancte Lucie in Silice diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et, facta nobis — relatione fideli — quia eandem electionem invenimus de te — canonice celebratam, ipsam, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, confirmantes, te dicte Ovetensi ecclesie in episcopum preficimus — tibique postmodum per venerabilem fratrem nostrum Matheum, episcopum Portuensem, munus fecimus consecrationis impendi —. Dat. Laterani, non. maii, anno VIII°.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Ovetensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis — carissimo in Christo filio Fernando, illustri regi Castelle et Legionis.*

4651-4652 (CXLIIII) Latran, 6 et 21 mai 1302.

Ut possint Alfonsus, episcopus Lamecensis, et Guitto, episcopus Urbevetanus, accedere ad ecclesias suas. (fol. 187.)

Venerabili fratri Alfonso, episcopo Lamecensi. Cum nuper de te —.

Mandatur suprascripto, cui munus consecrationis a Matthæo, Portuensi episcopo, impensum fuit, ut ad ecclesiam suam accedat.

Dat. Laterani, II non. maii, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri G[uittoni], episcopo Urbevetano.*

Suprascripto, qui, in minoribus ordinibus constitutus, fuerat in episcopum Urbevetanum per dominum papam præfectus, et, postea ad presbyteratus et alios sacros ordines de Apostolica

1. Prælo data fuit hæc bulla a : *G. Levi, Bonifazio VIII e le sue relazioni col comune di Firenze* in : *Archivio della Società Romana di storia patria. 1882, t. V, p. 458.*

licentia jam promotus, apud Sedem Apostolicam consecrationem per Matthæum, episcopum Portuensem, recepit, idem mandatur.

Dat. Anagnie, xii kal. junii, anno octavo.

4653 (CXLV) Latran, 11 avril 1302.

« Preficitur — Bernardus — in episcopum Pennensis et Adriensis ecclesiarum. » (fol. 187.)

Venerabili fratri Bernardo, Pennensi et Adriensi episcopo. Dum sollicite considerationis —. Dudum siquidem Pennensi et Adriensi ecclesiis, ab olim auctoritate Apostolice Sedis unitis, per obitum bone memorie Leonardi — qui apud Adriam debitum nature persolvit, pastoris solatio destitutis, dilecti filii capitulum Adriense, juxta tenorem privilegii dicte Sedis super hujusmodi unione confecti, per eorum litteras et nuntios speciales, Pennense capitulum et singulos de ipso capitulo pluries citare curarunt, ut, captis [1] congruis locis et terminis, una cum eis convenire deberent ad electionem de futuro pontifice celebrandam. Et, quia dicti capitulum Pennense, contra tenorem dicti privilegii venientes, non solum cum ipsis convenire statutis locis et terminis contempserunt, verum etiam dilectum filium magistrum Johannem de Pontecurvo, scriptorem nostrum, dilecti filii nostri M[atthei], Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, capellanum, in suum et earumdem ecclesiarum episcopum postularunt, prefati Adriense capitulum, ad provisionem ecclesiarum ipsarum, prout spectabat ad eos ex forma privilegii supradicti, sollicite intendentes, et, certa die ad eligendum prefixa — in hujusmodi negotio per viam scrutinii procedentes — compertum extitit, quod in te, tunc ecclesie Sancti Petri Andegavensis canonicum, omnes de dicto Adriensi capitulo, uno dumtaxat excepto — direxerunt vota sua —. Et, licet tam tu quam procuratores dictorum capituli Adriensis —, presentato decreto nobis, duxeritis supplicandum, ut electionem ipsam confirmare dignaremur, tu tamen — in nostris manibus resignasti, cujus resignationem benigne duximus admittendam. Gerentes itaque circa memoratas ecclesias — specialis dilectionis affectum et ad provisionem ipsarum celerem — intendentes, de te prefatis Pennensi et Adriensi ecclesiis duximus providendum — faciendo tibi subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Johannem, Tusculanum episcopum, munus consecrationis impendi —. Dat. Laterani, iii id. aprilis, anno octavo.

1. *Ms* : ceptis.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Pennensis — capitulo ecclesie Adriensis — clero Pennensis civitatis et diocesis — clero Adriensis civitatis et diocesis — populo Pennensis civitatis et diocesis — populo Adriensis civitatis et diocesis — universis vassallis Pennensis et Adriensis ecclesiarum.*

4654 (CXLVI) Latran, 28 mars 1302.

« Magistro Galtero de Villanis. Confertur sibi prebenda ecclesie Sancti Johannis de Burgo Laudunensis, per resignationem Johannis de Pontecurvo, domini pape scriptoris [vacans]. » (fol. 187 v°.)

Magistro Galtero de Villanis, canonico ecclesie Sancti Johannis in Burgo Laudunensis. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod, vacantibus nuper apud Sedem Apostolicam canonicatu et prebenda, quos dilectus filius magister Johannes de Pontecurvo, scriptor noster, olim canonicus ecclesie Sancti Johannis in Burgo Laudunensis, in eadem ecclesia obtinebat, per liberam resignationem ipsius in manibus dilecti filii nostri M[atthei], Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, sponte factam et ab eo nostra auctoritate receptam, dictus cardinalis, eadem auctoritate sibi specialiter in hac parte commissa, canonicatum cum plenitudine juris canonici et prebendam predictos sic vacantes, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi contulit et providit de illis, ac magistrum Nicolaum Verticelli de Neapoli, canonicum Florentinum, de ipsis suo nomine per suum annulum presentialiter investivit.

Præfatam collationem confirmat dominus papa, litterarum dicti Matthæi cardinalis incipientium : « Probitatis tue » sub data : « Dat. Laterani, vi kal. aprilis, anno Domini M° CCC° II°, pontificatus vero prefati domini Bonifatii pape VIII anno VIII. » tenore inserto.

Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Johannis, et . . archidiacono Laudunensis, ac Michaeli de Encra, canonico Ambianensis ecclesiarum.*

4655 (CXLVII) Latran, 30 avril 1302.

« Henrico, electo Reginensi. Preficitur in episcopum Reginensem. » (fol. 188 v°.)

Venerabili fratri Henrico, episcopo Reginensi. In supreme —.

Supracriptus, Cremonensis canonicus, ecclesiæ Reginensi præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, II kal. maii, anno octavo.

POTTHAST, 25151.

4656 (CXLVIII) Anagni, 27 mai 1302.

« Super relaxatione interdicti in civitate Esculana. » (fol. 188 v°.)

Venerabili fratri J[ohanni], episcopo Auximano, in spiritualibus Marchie Anconitane rectori. Ex parte dilectorum filiorum comunis civitatis Esculane nuper accepimus, quod, cum pridem Ilarius de Burgontiis, super civilibus, et Nicolaus Ronzani de Parma, super criminalibus in Anchonitana Marchia judices generales per dilectum filium Jacobum de Renzano, dilecti filii nobilis viri Caroli, nati clare memorie Phylippi regis Francorum, comitis Andegavensis, ipsius Marchie rectoris, in eadem Marchia generalem vicarium deputati, contra comune predictum certos processus fecissent ac sententias protulissent et banna, ad instantiam Cinthii Nerii de Florentia, mercatoris, occasione cujusdam pecunie summe, in qua Monalducium Raynoni Munaldi, civem Esculanum, teneri sibi mercator ipse dicebat, tu, ad requisitionem dictorum judicum, in fulcimentum temporalis jurisdictionis ipsorum, in eandem civitatem Esculanam interdicti sententiam, inter cetera, promulgasti, et mandasti atque fecisti predictam civitatem ecclesiastico interdicto suppositam nuntiari : quare fuit nobis humiliter supplicatum, ut super hujusmodi interdicti sententia providere de relaxationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, volentes Esculanis ipsis super hoc de oportuno remedio providere, tibique materiam tollere taliter ulterius procedendi, fraternitati tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus, receptis presentibus, prefatum interdictum, cui civitatem supposuisti predictam, absque difficultate relaxes, contra prefatum comune vel aliquam aliam communitatem vel universitatem cujusvis civitatis, castri vel loci Marchie memorate, occasione pecunarii debiti, ad interdicti sententiam, absque nostro speciali mandato, de cetero nullatenus processurus. Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno VIII°.

4657 (CXLVIIII) Anagni, 25 mai 1302.

« Quod possit facere visitari civitatem et diocesim Spoletanam per alium. » (fol. 189.)

Nicolao, episcopo Spoletano, nostro in spiritualibus in Urbe vicario. Devotionis tue merita —.

Suprascripto quem oportet in Urbe ipsa pro hujusmodi vicariatus executione officii personaliter immorari, indulget dominus papa, ut, quamdiu vicariam hujusmodi gerere contigerit, civitatem et diocesim suam per viros ydoneos visitare et procurationes in pecunia numerata recipere valeat.

Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno octavo.

4658-4659 (CL) Anagni, 25 et 30 mai 1302.

« Roberto, electo Cabilonensi. Preficitur in episcopum Cabilonensem. » (fol. 189.)

Roberto, electo Cabilonensi. Militanti ecclesie —. Dudum siquidem Cabilonensi ecclesia, per obitum bone memorie Guillelmi — pastoris solatio destituta — decanus et capitulum — die ad eligendum prefixa — deliberantes per viam scrutinii providere dicte ecclesie — tres ex ipsis videlicet magistros Petrum de Pomarta, Bertoldum de Capella et Hugonem de Torotio, canonicos dicte ecclesie, ad scrutandum — assumpserunt, qui — mox in comuni vota — publicarunt et — compertum extitit, quod decem et octo in dilectum filium Johannem de Sinemuro, canonicum ejusdem ecclesie, novem vero ipsius ecclesie canonici, qui ad electionem convenerant faciendam, in te, in sacerdotio constitutum, ecclesie predicte canonicum, consenserunt, et deinde dictus magister Petrus, nomine suo et ejus in hac parte sequacium, predictum Johannem, prelibatus vero Hugo, pro se ac aliis qui in te sua vota direxerant, de ipsorum mandato, te in Cabilonensem episcopum elegerunt, et, pro parte electorum tuorum, adversus dictum Johannem certis de causis ad Sedem extitit Apostolicam appellatum, ac tam tu, infra tempus a jure statutum, quam idem Johannes, infra idem tempus, ut dicitur, electionibus de vobis factis taliter consensistis. Cumque pro prosecutione electionis de te facte, infra tempus debitum, personaliter ad Sedem accessisti eandem, prelibato Johanne infra idem tempus negligente pro sue electionis negotio ad Sedem accedere memoratam aut se legitime excusare, ac per hoc omni jure, si quod sibi ex electione, de eo, ut predicitur, facta, fuerat acquisitum, privato, demum tu, ipsarum electionum negotio proposito coram nobis, omni juri, si quod tibi ex hu-

jusmodi electione de te habita — competebat in manibus nostris cessisti —. Nos autem, hujusmodi resignatione recepta, provisionem faciendam ea vice dicte ecclesie de pastore dispositioni Apostolice duximus reservandam — ac postmodum — ad te — direximus oculos nostre mentis, teque — in episcopum preficimus et pastorem —. Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Cabilonensis.*

In e. m. *dilecto filio Roberto electo Cabilonensi.*

Suprascripto concedit facultatem dominus papa, ut a metropolitano ejus vel alio quocumque antitiste, duobus vel tribus episcopis assistentibus, munus consecrationis recipere valeat.

Dat. Anagnie, III kal. junii, anno VIII°.

4660 (CLI) Anagni, 22 mai 1302.

« Confertur Jacobo Bartholomei de Marzis decanatus ecclesie Aquilegensis cum prebenda. » (fol. 189 v°.)

Jacobo Bartolomei de Marzis, decano et canonico Aquilegensi. Suffragantia tibi super —.

Decanatus et canonicatus ecclesiæ Aquilegensis, quos Paganus, episcopus Paduanus, obtinebat et qui, per promotionem et consecrationem ejus, apud Sedem Apostolicam receptam, vacantes, Apostolicæ dispositioni reservati sunt, conferuntur suprascripto, non obstante quod plebanatum plebis de Monteregione, Senensis diocesis, ac in Senensi, Vulterana et Sancti Timothei Remensi ecclesiis canonicatus et præbendas noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, XI kal. junii, anno VIII°.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito Sancti Stephani Aquilegensis, et . . archipresbytero de Colle, Vulterane diocesis, ac Monacho, canonico Senensis ecclesiarum.*

4661 (CLII) Anagni, 22 mai 1302.

« Conceditur Gerardino de Bucculis, monacho monasterii Sancte Marie de Sablonibus, ordinis sancti Benedicti, quod possit assumi ad dignitates, administrationes et prelaturas dicti ordinis. » (fol. 190.)

Gerardino de Bucculis, monacho monasterii Sancte Marie de Sablonibus, ordinis sancti Benedicti, Adriensis diocesis. Testimonio de te —.

Suprascripto, qui, sicut asseritur, de ordine Fratrum Minorum, quem prius fuit professus, de sui ministri licentia, ad ordinem sancti Benedicti convolavit, indulgetur, ad preces nobilis viri Huguitionis de Faggiola, pro eo supplicantis, ut ad dignitates, administrationes et prælaturas dicti ordinis sancti Benedicti libere assumi valeat.

Dat. Anagnie, XI kal. junii, anno octavo.

4662 (CLII) Anagni, 22 mai 1302.

« Carolo, regi Sicilie. Indulgetur sibi quod octo clerici sui, presentes et posteri, possint usque ad quinquennium percipere fructus omnium beneficiorum suorum. » (fol. 190.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Eximie devotionis —. Dat. Anagnie, XI kal. junii, anno octavo.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Neapolitano et . . Autisiodorensi, ac . . Forojuliensi episcopis.*

4663 (CLIIII) Anagni, 22 mai 1302

Absolvitur Uguitio de Faggiola. (fol. 190 v°.)

Dilecto filio nobili viro Uguitioni de Faggiola. Assueta matris Ecclesie —. Sane votivum admodum et gratum sensibus nostris advenit, quod tu ab invio, quo a devotione matris Ecclesie diutius declinasti, ad viam salutis et obedientie te devote convertens, super omnibus et singulis rebellionibus, seditionibus, guerris, exercitibus, cavalcatis, incendiis, rapinis, dampnis, injuriis, excessibus et offensis factis, illatis et perpetratis per te ac fratres, consortes, familiares, sequaces et complices tuos, tam contra predictam Ecclesiam et in contemptum ipsius, vel alias contra ecclesias et personas ecclesiasticas, nec non civitates, castra, terras et loca et seculares personas Marchie Anconitane, Ducatus Spoletani, provincie Romaniole, Masse Trabarie, Terre Sancte Agathe ac pertinentiarum ipsorum, pro te ac — complicibus ipsis, ad nostra et Ecclesie predicte mandata humiliter rediisti, mansuetudinem et misericordiam super omnibus et singulis bannis, exbannimentis, forbannitionibus, bonorum publicationibus seu confiscationibus, condempnationibus, penis et penalibus sententiis ac processibus

— habitis — per rectores vel quoscumque officiales — a nobis reverenter implorans. Nos itaque, more pii patris offensarum immemores, ubi ad hoc penitentie signis congruentibus invitamur, attendentes quod ad nostra et Ecclesie predicte prosequenda beneplacita te prudenter exponis, ac sperantes quod tu, fratres, consortes, familiares, sequaces et complices prelibati de cetero permanebitis in ipsius Ecclesie devotione constanter — te, quem jam ab omnibus excommunicationum sententiis, quibus propter premissa — tenebaris, fecimus apud Sedem Apostolicam — absolvi, ex nunc, et eosdem — complices, postquam ab omni excommunicationis sententia — fuerint absoluti a venerabili fratre nostro episcopo Aretino aut ab illo vel illis, cui vel quibus id ipse commiserit juxta formam litterarum nostrarum, quas ipsi episcopo super hoc dirigimus, ab omnibus et singulis bannis — ac processibus suprascriptis absolvimus — ac — ad pristina jura, bona, honores, famam et statum — restituimus —. Dat. Anagnie, XI kal. junii, anno octavo.

4664 (CLIIII *bis*) Même date.

De absolvendis sequacibus Uguitionis de Faggiola. (fol. 190 v°.)

Venerabili fratri Bandino, episcopo Aretino. Apostolice Sedis benignitas —.

Cum Uguitio de Faggiola ad mandata Ecclesiæ redierit et a Gentili, tituli Sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, pænitentiariæ domini papæ curam gerente, gratiam absolutionis receperit, mandatur suprascripto, ut sequaces et complices, quos ei prefatus Uguitio duxerit nominandos, similiter Apostolica auctoritate absolvat, recepto prius ab ipsis de stando mandatis Ecclesiæ juramento.

Dat. ut supra.

4665 (CLV) Même date.

« Super permutatione quarumdam possessionum monasterii Sancte Marie de Pino, Aretine diocesis. » (fol. 191.)

. . *abbati monasterii de Sancta Trinitate, Aretine diocesis, et . . priori Sancti Phylippi Aretini.* Constitutus in presentia nostra dilectus filius Petrus Fidei, civis Aretinus, nobis humiliter supplicavit, ut, cum . . abbas et conventus monasterii Sancti Martini de Pino, ordinis sancti Benedicti, Aretine diocesis, ejusdem monasterii utilitate pensata, certam partem castri de Cigiano, dicte diocesis, ad predictum monasterium pertinentem, cum certis redditibus et proventibus, juribus, ac jurisdictione partis ipsius, pro quibusdam aliis redditibus et proventibus, juribus ac jurisdictione, terris et possessionibus, prefato monasterio magis utilibus, cum dicto cive permutare intendant, eis faciendi permutationem hujusmodi licentiam concedere dignaremur.

Mandatur suprascriptis ut, consideratis diligenter circumstantiis circa præmissa, petitam licentiam concedant, si evidenti utilitati dicti monasterii expedire viderint.

Dat. ut supra.

4666 (CLVI) Même date.

« Dispensatio super defectu. » (fol. 191)

Francisco de Sancto Donato, diacono, monacho monasterii Celle de Nantispare, ordinis sancti Benedicti, Saxenatis diocesis. Regularis ordinis —.

Suprascripto, de quodam priore ejus ordinis genito et conjugata, indulgetur, consideratione nobilis viri Huguitionis de Faggiola, pro eo supplicantis, ut, defectu non obstante prædicto, in susceptis ordinibus ministrare, ad sacerdotium promoveri et ad dignitates sui dumtaxat ordinis assumi valeat.

Dat. ut supra.

4667 (CLVI *bis*) Même date.

Dispensatio super defectu. (fol. 191.)

Venerabili fratri . . episcopo Sancti Leonis. Accedens ad presentiam nostram dilectus filius Fredericus, natus quondam Raynerii de Faggiola, scolaris tue diocesis, nobis humiliter supplicavit, ut cum eo, qui, sicut asserit, ascribi desiderat militie clericali, super defectu natalium, quem patitur de conjugato genitus et conjugata — dispensare misericorditer curaremus.

Mandatur suprascripto, ut, consideratis diligenter circumstantiis, si paternæ non est incontinentiæ imitator, dicto Frederico petitam dispensationem concedat.

Dat. ut supra.

4668 (CLVII) Même date.

« Super rebannitione exulum provincie Romaniole, comitatus Brittenorii, Masse Trabarie et Terre Sancte Agathe ac pertinentiarum eorumdem. » (fol. 191.)

Bonifatius, et cetera, venerabili fratri R., episcopo Vicentino, in spiritualibus totius provincie Romaniole, comitatus Brittenorii, Masse Trabarie, Terre Sancte Agathe ac pertinentiarum eorumdem rectori et in eis dilecti filii nobilis viri Caroli, nati clare memorie Philippi, regis Francorum, comitis Andegavensis, in temporalibus vicario generali. Excitat nos ferventis desiderii magnitudo, quam ad procurandum et conservandum prosperum et pacificum statum provincie Romaniole, comitatus Brittenorii, Masse Trabarie, Terre Sancte Agathe ac pertinentiarum eorumdem habemus, ut, summotis obstaculis, illa perquiramus et introducamus remedia, per que hujusmodi nostro desiderio comodius satisfiat. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli a provincia, comitatu, massa, terra et pertinentiis ipsis, faciente malitia temporis, exules et forbanniti noscantur. Nos, expedire multipliciter attendentes, quod hii ex ipsis, quos guerra partialis exulare coegit, ad propria reducatis, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus hujusmodi exules et forbannitos partialiter ad civitates, castra, terras, loca, bona et jura eorum et potissime civitatem Cesenatem, a quibus exules et forbanniti seu etiam destituti noscuntur, si poteris sine scandalo, rebannias, reducas atque restituas et rebanniri, restitui et reduci procures. Si quid vero in hiis difficultatis emerserit, id nobis confestim, distincte ac clare, per tuas litteras significare procures, ut possimus super hoc, sicut expediet, utilius, dante Domino, providere, talem in hiis diligentiam habiturus, quod honori Ecclesie ac quieti predictorum plenius consulatur, nosque providentiam tuam exinde commendare merito valeamus. Dat. ut supra.

4669 (CLVII *bis*) Même date.

De Uguitione de Faggiola et suis favorabiliter pertractandis. (fol. 191 v°.)

Eidem. Cum dilectus filius nobilis vir Uguitio de Faggiola se nostris et Romane Ecclesie beneplacitis et mandatis prudenter et provide coaptarit, nos, sperantes quod idem nobilis vir in nostra et ejusdem Ecclesie [devotione] curabit perseverare constanter, ac propterea volentes ipsum favoribus et gratiis confovere, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus eundem nobilem ac ejus familiam et alios suos in commissis tibi provinciis, presertim in Massa Trabaria, in quantum cum honore nostro et ipsius Ecclesie ac tuo poteris, favorabiliter et benigne pertractes, ita quod ipsi teneantur ob hoc in devotione concrescere, tuaque possit exinde providentia commendari. Dat. ut supra.

4670 (CLVIII) Latran, 13 avril 1302.

« Indulgentia centum dierum hospitali Sancti Juliani de Bussoit. » (fol. 191 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Quoniam, ut ait Apostolus, et cetera, usque : et metet vitam eternam. Cum igitur, sicut dilectus filius nobilis vir Johannes dictus Sausses, dominus de Bussoit, nobis intimare curavit, ipse quoddam hospitale cum oratorio in fundo proprio ad opus infirmorum et pauperum recipiendorum ibidem, in honorem Sancti Juliani martiris de bonis propriis, opere plurimum sumptuoso, fundare inceperit, in quo jam multa caritatis opera exercentur circa debiles et infirmos, qui singulis diebus recipiuntur ibidem, et ad complementum seu consumationem edificiorum hospitalis et oratorii predictorum sint fidelium suffragia non modicum oportuna, universitatem vestram monemus — in Domino, in remissionem vestrorum peccatorum injungentes, quatinus de bonis vobis a Deo collatis pias ad hec elemosinas — erogetis.

Conceditur ad triennium indulgentia centum dierum omnibus vere pænitentibus et confessis, « qui eisdem edificiis manus porrexerint adjutrices. »

Dat. Laterani, id. aprilis, anno octavo.

4671 (CLVIIII) Anagni, 1er juin 1302.

Preficitur Thomas in abbatem monasterii Sancti Edmundi, Norwicensis diocesis. (fol. 191 v°.)

Thome, abbati monasterii Sancti Edemundi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Norwicensis diocesis. Ad regimen universalis —. Vacante siquidem nuper monasterio Sancti Edemundi per obitum quondam Johannis, abbatis ipsius, conventus ejusdem monasterii — convenientes in unum pro futuri facienda electione abbatis, ac deliberantes ad id per viam procedere compromissi, fratribus Rogerio de Cheventone, camerario, Petro de Loudone, elemosinario,

Riccardo de Brun[o], sacriste, tibi, tunc subpriori, Johanni de Eneresdono, cellario, Alano de Walsingham, Reginaldo de Derighram, monachis ejusdem monasterii provideri ea vice dicto monasterio de abbate concesserunt unanimiter potestatem —. Demum — tui college vota sua in te unanimiter dixerunt — tuque, prestito, ad ipsorum conventus instantiam, electioni hujusmodi de te facte consensu, ac Willelmus de Lucham et Guillelmus de Harlawe, ejusdem monasterii monachi procuratores ipsorum conventus, ad Sedem Apostolicam accessistis, decretum nobis electionis — presentantes eamque confirmari — postulantes. Nos autem, tam ipsius electionis formam quam tue persone merita per venerabilem fratrem M[attheum], episcopum Portuensem, et dilectos filios nostros G[entilem], tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum, ac Franciscum, Sancte Lucie in Silice diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et quia — electionem ipsam invenimus de te, persona ydonea, canonice celebratam, illam — duximus confirmandam — faciendo tibi postmodum per — L[eonardum], episcopum Albanensem, munus benedictionis impendi —. Dat. Anagnie, kal. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Edemundi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Norwicensis diocesis — universis vassallis — carissimo in Christo filio E[dwardo], regi Anglorum illustri.*

4672 (CLX) Anagnie, 1er juin 1302.

Preficitur Johannes in abbatem monasterii Sancti Albani, Lincolniensis diocesis. (fol. 192.)

Johanni, abbati monasterii Sancti Albani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Lincolniensis diocesis. Inter sollicitudines varias —. Dudum siquidem monasterio de Sancto Albano — per obitum quondam Johannis — abbate carente — conventus ejusdem monasterii — die ad eligendum prefixa — convenientes in unum — deliberantes — per viam procedere compromissi, tibi, tunc ejusdem monasterii, ac dilectis filii fratribus Waltero de Somertono, de Binham, Johanni de Stakederner, de Belvere, et Petro de Maydeuford, de Belloloco prioratuum, ad monasterium ipsum spectantium, prioribus, Roberto de Nortono, archidiacono, Johanni Passavant, Gregorio de Sancto Albano, Johanni de Stoppel et Riccardo de Hertford, monachis dicti monasterii, provideri ea vice monasterio de abbate ex vobis ipsis vel aliis de gremio ejusdem monasterii concesserunt unanimiter potestatem — demum dicti college, te ab eis secedente — tractatu inter eos habito diligenti — in te direxerunt concorditer vota sua — tuque — electioni — consentiens, propter hoc ad Sedem Apostolicam accessisti, et demum, tam per te quam per Robertum de Nortono, monachum dicti monasterii, et Reginaldum de Sancto Albano, clericum, procuratores et nuntios dictorum conventus, ad nos propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis dicte electionis decreto, a nobis fuit — postulatum, ut confirmare electionem hujusmodi dignaremur. Nos igitur, electionem predictam tuamque personam per venerabilem fratrem L[eonardum], episcopum Albanensem, et dilectos filios nostros Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum, ac Neapoleonem, Sancti Adriani diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et — quia eandem electionem invenimus de te persona ydonea canonice celebratam, ipsam — confirmantes, te dicto monasterio prefecimus in abbatem — ac deinde tibi per predictum episcopum munus fecimus benedictionis impendi —. Dat. Anagnie, kal. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis conventui — universis vassallis — carissimo in Christo filio E[duardo], regi Anglie illustri.*

4673 (CLXI) Anagni, 22 mai 1302.

« Confertur Henrico Rodolfini de Catenatia beneficium quod duxerit acceptandum in civitate et diocesi Wolterana. » (fol. 192 v°.)

Henrico, nato dilecti filii Rodolfini de Catenatia, militis Aretini, canonico plebis de Coiano, Vulterane diocesis. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione patris ejus, beneficium, etiamsi cum cura vel dignitas existat, quod duxerit acceptandum, infra unius mensis spatium, in civitate vel diocesi Vulterana confert vel reservat dominus papa, non obstante quod in plebibus de Coiano et de Sancto Regulo et de Treciano ac in ecclesia de Buriano, prædictæ Vulteranæ et Aretinæ diocesium, canonicatus et præbendas noscitur obtinere et quod in minoribus tantum ordinibus et vicesimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Anagnie, XI kal. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectic filiis . . archipresbytero de Colle, et . . de Sorciano, ac . . de Falzano plebium plebanis, Vulterane et Aretine diocesium.*

4674 (CLXVII) Même date.

« Confertur Spinello de Roda parrochialis ecclesia de Melenges, Eboracensis diocesis. » (fol. 193.)

Spinello de Roda, presbytero, capellano nostro, rectori parrochialis ecclesie de Melenges, Eboracensis diocesis. Matris Ecclesie —.

Suprascripto ecclesiam de Melenges, « per mortem quondam Gregorii Judicis de Alatro, thesaurarii nostri, ejusdem ecclesie rectoris, qui pridem apud Sedem Apostolicam, dum residebamus in Urbe, diem clausit extremum », vacantem et dispositioni Apostolicæ reservatam, confert dominus papa, non obstante quod in Aretina ecclesia præposituram curatam obtinere dinoscitur ac in Pisana est receptus in canonicum sub exspectatione præbendæ, nec non et virtute Apostolicarum litterarum beneficium, quod duxerit acceptandum in civitate vel diocesi Aretina, potest præfatæ præposituræ ad vitam suam adnectere.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Cameracensis, et . . archipresbytero de Colle, Aretine diocesis, ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensis ecclesiarum.*

4675 (CLXIII) Montefrenello, 10 mai 1302.

« Confertur Riccardo de Anibaldis de Urbe archidiaconatus Conventrensis. » (fol. 193 v°.)

Riccardo, nato dilecti filii nobilis viri Anibaldi Riccardi de Anibaldis de Urbe, archidiacono Conventrensi. Grate devotionis studia —.

Suprascripto archidiaconatum Conventrensem, « per mortem quondam Gregorii Judicis de Alatro, thesaurarii nostri, olim ipsius ecclesie archidiaconi, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum », vacantem et dispositioni Apostolicæ reservatum, confert dominus papa, non obstante quod in Lateranensi, Cameracensi, Lincolniensi et Tornacensi ecclesiis canonicatus et præbendas noscitur obtinere, et quod in minoribus tantum ordinibus et in quatuordecimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. apud Montemfrenellum, VI id. maii, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi, ac . . archidiacono Atrebatensi.*

4676 (CLXIIII) Anagni, 8 juin 1302.

« Super quadam compositione inter . . decanum et capitulum ecclesie Burgensis et . . priorem et conventum Fratrum ordinis Predicatorum de conventu Burgensi. » (fol. 193 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Calaguritano. Petitio dilectorum filiorum . . decani et capituli ecclesie Burgensis et fratris Egidii, prioris provincialis in provincia Castelle et Legionis Fratrum ordinis Predicatorum, nec non prioris et conventus Fratrum dicti ordinis de conventu Burgensi nobis exhibita continebat, quod, orta dudum inter decanum et capitulum, ex parte una, et priores et conventum prefatos, ex altera, super quibusdam domibus, ortis et solariis, in civitate Burgensi consistentibus, materia questionis, et causa hujusmodi aliquamdiu apud Sedem Apostolicam agitata, demum partes ipse — quandam inter se compositionem — inierunt, inter cetera continentem, quod ipsi prior et fratres domos, ortos et solaria predicta, que nunc detinent, habitantes in eis, prefatis decano et capitulo, recepto propter hoc ab ipsis quodam alio orto, in eadem compositione expresso, nonnullis circa hoc conditionibus, conventibus et pactis intervenientibus hinc et inde, debeant pacifice et quiete [dimittere], et ad predictum ortum alium se transferre : quam quidem compositionem cum omnibus conditionibus, conventibus et pactis predictis ibi expressis, nec non quecumque per nos seu venerabilem fratrem nostrum P[etrum], episcopum Burgensem, illis addi contingeret, promiserunt dicte partes firmiter observare, corporaliter hinc inde prestitis juramentis, ita videlicet quod causa predicta super premissis, apud Sedem pendens eandem, in eo, in quo erat, statu remanere deberet, donec per nos et dictum episcopum foret eadem compositio confirmata : memoratus quoque episcopus compositionem predictam, quibusdam illi clausulis, ut efficaciorem consequeretur effectum, adjunctis, auctoritate ordinaria confirmavit, mandans illam perpetuis temporibus firmiter observari, prout in instrumento publico, decani et capituli, prioris provincialis et conventus predictorum signato sigillis, ac patentibus litteris ejusdem episcopi, sigilli sui munimine roboratis, hec omnia plenius et latius continentur.

Prædicta omnia confirmat dominus papa, inserens tenorem confirmationis Petri, episcopi Burgensis, incipientem : « Orta dudum » sub data : « Dat. Anagnie, X kal. junii, sub anno Domini M° CCC° II°, indictione quatuordecima, pontificatus sanctissimi patris domini Bonifatii pape VIII anno octavo. »

Dat. Anagnie VI id. junii, anno octavo.

4677 (CLXV) Latran, 5 mai 1302.

« Ugoni, electo Placentino. Preficitur in episcopum Placentinum. » fol. 195.)

Ugoni, electo Placentino. In suppreme dignitatis —. Olim siquidem Placentina ecclesia, per obitum bone memorie R[ainerii], episcopi Placentini, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, destituta pastore, nos, ordinationem ipsius nobis — reservantes — de dilecto filio Uberto de Advocatis, canonico Placentino, tunc camerario bone memorie G[undisalvi], episcopi Sabinensis, eidem ecclesie duximus providendum. Cumque demum prefatus Ubertus hujusmodi provisioni — renuntiaverit apud predictam Sedem in manibus predicti episcopi Sabinensis, qui hujusmodi renuntiationem, auctoritate nostra, oraculo vive vocis sibi in hac parte commissa, recepit, nos — in te, tunc priorem monasterii Sancte Victorie Placentini, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti, direximus oculos nostre mentis, teque — ecclesie predicte preficimus in episcopum. Dat. Laterani, III non. maii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Placentine — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis.*

4678 (CLXVI) Anagni, 25 mai 1302.

« Mandantur induci in corporalem possessionem ecclesie de Ponteland — custos, scolares et fratres domus de Merton —. » (fol. 195.)

Dilectis filiis Roberto de Replingham, cancellario Eboracensis, et Rogerio Mortivas, archidiacono Leycestre, ac Gilberto de Segrave, canonico Lincolniensis ecclesiarum. Ut philosophie ac theologie studium, viris ecclesiasticis plurimum oportunum, cujus occasione domus de Merton in Oxonia, Lincolniensis diocesis, edificata extitit, amplietur, dignum fore conspicimus, ut Apostolica Sedes dilectos filios custodem, scolares et fratres ac domum eandem condignis prosequatur gratiis et favoribus muniat oportunis. Porrecta siquidem nobis ipsorum petitio continebat, quod bone memorie W[alterus], episcopus Roffensis, ante promotionem ipsius, pia meditatione considerans, quod hujusmodi studium ex eo maxime incipiebat deficere in partibus Anglicanis, quod hii, qui filiis vel aliis sumptus in studio ministrabant, deputabant eos scientiis lucrativis, cupiensque, divino spiritu ductus, hujusmodi studium in philosophia et theologia in melius reformari, domum propter hoc edificavit predictam, in qua recipi voluit scolares pauperes ad predictas philosophie ac theologie scientias aptos, ut studerent et proficerent in eisdem, quosdam ipsi domui propter hoc redditus assignando, ex quibus iidem scolares dicte domus pro substentatione sua reciperent singuli duodecim sterlingos singulis septimanis. Cumque, processu temporis, quondam Petrus de Monteforti, tunc patronus ecclesie de Ponteland, Dunelmensis diocesis, pro anime sue salute, jus patronatus, quod sibi in dicta ecclesia competebat, diocesani episcopi ad id accedente consensu, eidem domui concessisset, bone memorie R[ichardus] episcopus Dunelmensis, diligenter attendens ex pietatis et caritatis operibus, que in domo exercebantur predicta, utilitatem non modicam provenire, volensque propterea eidem domui ad ampliandum scolarium numerum, qui ex proventibus substentabantur ipsius, de alicujus subventionis remedio providere, deliberatione cum suo capitulo super hoc habita, de ipsorum consensu, predictam ecclesiam, in qua per unum rectoren et duos perpetuos portionarios consueverunt deserviri, cum juribus et pertinentiis suis ac portionibus dictorum portionariorum, ipsis et eidem domui, auctoritate ordinaria, in usus proprios deputavit atque concessit, ita videlicet quod, cedentibus vel decedentibus rectore et portionariis supradictis, liceret eis ecclesie, portionum, jurium et pertinentiarum predictorum possessionem accipere ac in usus retinere predictos, pro eodem numero, ut predictur, ampliando, reservata de ipsius ecclesie proventibus, pro vicario in ea perpetuo servituro, instituendo in ipsa per dictum episcopum ejusque successores, qui essent pro tempore, ad presentationem suam, congrua portione. Processu vero temporis, uno dictorum portionariorum cedente et deinde altero decedente, ipsi portionum predictarum possessionem successivis temporibus asseculi, illas aliquandiu tenuerunt pacifice et quiete : sed, eodem postmodum obeunte rectore, cum ipsi ejusdem ecclesie de Ponteland possessionem fuissent adepti, venerabilis frater noster episcopus Dunelmensis, ad ipsius ecclesie collationem, pro eo maxime quod in redditibus habundabat, cum ducentarum marcharum argenti valorem attingere consueverint annuatim, vehementer hanelans, ad illam quosdam de suis familiaribus destinavit, qui, armato manu in ea violenter intrantes, quosdam de scolaribus et fratribus domus predicte, ibidem inventos, exinde nequiter ejecerunt, nonnullos ex eis graviter verberando ac spoliando ipsos ecclesia et portionibus supradictis, ac postmodum dictus episcopus rectoriam dicte ecclesie Ade de Driffeld, clerico suo, unam vero de dictis portionibus Philippo de Wiluby, et alteram quondam Carulo de Bellomonte, clericis Eboracensis, Lincolniensis et Ceno-

manensis diocesium, et, eodem Carulo decedente, cuidam alteri clerico, ut dicitur, de facto, cum de jure nequiverit, pro sue contulit libito voluntatis, iidemque Adam, rectoriam, et Philippus nec non predictus alius clericus, portiones predictas, pretextu collationis hujusmodi, occupantes, illas detinent occupatas, in animarum suarum periculum ipsorumque ac dicte domus non modicum detrimentum. Nos igitur, ipsos et domum eandem, operum caritatis obtentu, que in ea jugiter exercentur, paternis affectibus prosequentes, eorum supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi factam eis de ecclesia de Ponteland et portionibus prelibatis ratam habentes et gratam, illam, auctoritate Apostolica, ex certa scientia duximus confirmandam, supplendo defectum, si quis in ea, propter aliquam solemnitatem juris omissam, forsitan extitisset, de Apostolice plenitudine potestatis, ac decernendo predictos Adam, rectoriam, Philippum vero et predictum alium clericum, portiones ipsis custodi, scolaribus et fratribus ac eidem domui debere dimittere supradictas, ipsisque Ade, Philippo et predicto alii clerico per dictum episcopum fore de aliis beneficiis providendum. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eosdem custodem, scolares et fratres vel procuratorem ipsorum, eorum nomine, in corporalem possessionem dicte ecclesie, videlicet tam rectorie quam portionum ipsarum ac jurium et pertinentiarum earumdem inducatis, auctoritate nostra, et defendatis inductos, Adam a rectoria et Philippo ac alio clerio memoratis ab eisdem portionibus prorsus amotis, facientes ipsis custodi, scolaribus et fratribus vel dicto procuratori pro eis de ipsius ecclesie, videlicet tam rectorie quam portionum predictarum, fructibus, redditibus et proventibus, juribus et obventionibus universis, reservata tamen de ipsis dicto vicario, ut premittitur, congrua portione, integre responderi, non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras, et cetera usque : mentionem, contra auctoritatem nostram, et cetera usque : compescendo. Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno octavo.

4679 (CLXVII) Anagni, 10 juin 1302.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Ebroicensi. » (fol. 196.)

Dilecto filio nobili viro Guillermo, domino de Ibecye, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Alitie de Chantilli, uxori ejus, Ebroicensis diocesis. Intenta salutis operibus —.

Suprascriptis, qui, ignorantes quod tertio se affinitatis gradu contingebant, pro eo quod quondam Johanna, domina de Barris, olim uxor Guillermi, Alitiæ, dum viveret, tertio consanguinitatis gradu attinebat, per verba de præsenti matrimonium contraxerunt, carnali copula subsecuta, indulget dominus papa, ad preces nobilis Caroli, nati claræ memoriæ Phylippi, regis Francorum, comitis Andegavensis, ut in dicto matrimonio remanere valeant.

Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno octavo.

4680 (CLXVIII) Anagni, 12 juillet 1302.

« Dispensatio super matrimonio in Urbe. » (fol 196.)

Dilecto filio nobili viro Oddoni, nato quondam Oddonis de Beccamatiis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Terannane, nate nobilis viri Johannis Mathei de filiis Ursi, uxori ejus, civibus Romanis. Sedis Apostolice —. Ex parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis, quod vos olim publice in facie Ecclesie matrimonium invicem contraxistis, quamvis nondum inter vos carnalis fuerit copula subsecuta. Verum, quia post dictum contractum matrimonium, est compertum, quod Golitia, filia quondam Neapoleonis Malabrance, cancellarii Urbis, cum qua pater tuus, fili Odo, nomine tuo, te postmodum id ratum habente, sponsalia duxerat contrahenda, tibi, filia Terannana, quarto fuit duplicis consanguinitatis gradu conjuncta.

Dispensatur cum eis, ut, non obstante hoc publicæ honestatis impedimento, in contracto matrimonio manere valeant.

Dat. Anagnie, IIII id. julii, anno octavo.

4681 (CLXVIIII) Anagni, 10 juin 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Alfonso, episcopo Lamecensi », usque ad summam quadringentarum duplarum auri. (fol. 196.)

Venerabili fratri Alfonso, episcopo Lamecensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno octavo.

4682 (CLXX) Latran, 11 juin 1302.

« Mandantur concedi — proventus ecclesie Cathaniensis, percepti et percipiendi usque ad biennium, universitati hominum civitatis Cathanie pro defensione civitatis ejusdem. » (fol. 196 v°.)

Guillelmo, electo Salernitano. Oblata nobis ex parte universitatis hominum civitatis Cathaniensis petitio continebat, quod civitas ipsa, jam longi spatio temporis, ob incursus hostiles, periculosa gravamina pertulit ac innumeris extitit lacescita dispendiis, dampnis pressa multimodis et afflicta quamplurimis detrimentis. Quare nobis universitas eadem humiliter supplicavit, ut, cum ipsa pro defensione continua civitatis ejusdem cogatur labores et expensas multiplices sustinere, sibi, in hujusmodi defensionis et expensarum subsidium, fructus, redditus et proventus Cathaniensis ecclesie, sui pastoris ad presens presentia destitute, perceptos hactenus et sub persone cujuslibet conservatione depositos et percipiendos etiam per duos annos sequentes, de Apostolice Sedis pia liberalitate munifica, gratiose ac benigne concedere dignaremur. Nos itaque, diligentius attendentes sincere devotionis affectum et fidei solide puritatem, quibus universitas supradicta erga Romanam Ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Carolum, Sicilie regem illustrem, pollere dinoscitur, et propterea digne volentes universitatem eandem speciali prosequi gratia et favore, prefati regis et universitatis ipsius devotis supplicationibus inclinati, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus predictos fructus, proventus et redditus, jam perceptos, penes quoscumque depositos, et percipiendos etiam per biennium, a data presentium numerandum, pro defensione continua civitatis ejusdem et subventione sumptuum predictorum, reservata portione congrua fructuum, reddituum et proventuum eorumdem ad usum canonicorum seu monachorum et ministrorum ejusdem Cathaniensis ecclesie, prout anteactis temporibus asseritur observatum, facias per te vel alium seu alios integraliter exhiberi —. Dat. Anagnie, III id. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis universis hominibus civitatis Cathaniensis.*

4683 (CLXXI) Anagni, 11 juin 1302.

« Quod possit audire per se vel alium in civitate Cathaniensi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes. » (fol. 196 v°.)

Guillelmo, electo Salernitano. Considerantes attentius —.

Cum ad domini papæ pervenerit auditum, « quod nullus in civitate Cathaniensi habeatur ad presens, qui causas ad forum ecclesiasticum pertinentes — audire valeat », conceditur suprascripto facultas usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum eas in dicta civitate per se vel per alios audiendi.

Dat. Anagnie, III id. junii, anno octavo.

4684 (CLXXII) Anagni, 14 juin 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Angelo, episcopo Reatino, » usque ad summam quingentorum florenorum auri. (fol. 196 v°.)

Venerabili fratri Angelo, episcopo Reatino. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, XVIII kal. julii, anno octavo.

4685 (CLXXIII) Latran, 9 avril 1302.

« Mandatur visitari et inquiri in hospitali Sancte Marie ad Sanctum Gallum juxta Florentiam. » (fol. 197.)

. . Sancte Marie, Florentine, et . . Vallisumbrose, Fesulane diocesium, monasteriorum abbatibus. Attendentes multiplicia —.

Cum fidedigna insinuatione deductum fuerit ad dominum papam, quod hospitale Sanctæ Mariæ ad Sanctum Gallum juxta Florentiam, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis sancti Augustini, tam in suscipiendis egenis quam in nutriendis pueris ibidem expositis caritatem exercens, « miserabiliter collabitur multisque subjacet oppressionibus et jacturis, propter quod provide visitationis et reformationis officio dinoscitur indigere, » hoc officium committitur suprascriptis.

Dat. Laterani, V id. aprilis, anno octavo.

4686 (CLXXIIII) Anagni, 18 juin 1302.

Licentia de mutuo contrahendo pro abbatibus Sancti Albani et Sancti Edmundi. (fol. 197.)

Johanni, abbati monasterii Sancti Albani, ad Roma-

nam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Londoniensis diocesis. Cum sicut in nostra —.

Conceditur suprascripto licentia contrahendi mutuum usque ad summam mille ducentarum et quinquaginta marcharum argenti.

Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno octavo.

In e. m. *conceditur Thome, abbati monasterii Sancti Eadmundi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Norwicensis diocesis,* pro eadem quantitate et sub eadem data.

4687 (CLXXV) Anagni, 22 mai 1302.

« Mandatur provideri usque ad quinquennium Angelo, nato Ricii civis Aretini, insistenti studio litterarum a . . priore et conventu monasterii Camaldulensis in XXV florenis auri singulis annis. » (fol. 197.)

Dilectis filiis . . Sancti Philippi, et . . Sancti Petri Piccoli prioribus ac . . preposito ecclesie Aretinorum. Dignum est bene agentibus —. Dat. Anagnie, XI kal. junii, anno octavo.

4688 (CLXXXVI) Anagni, 22 juin 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Alfonso, episcopo Lamecensi. » (fol. 197.)

Dilectis filiis Johanni, camerario nostro, archidiacono Andegavensis, et . . preposito Pistoriensis ecclesiarum, ac . . officiali Nemausensi Cum sicut venerabilis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum quadringentarum duplarum auri, quas Alfonsus, episcopus Lamecensis, a Baldo Rayneri, cive et mercatore Pistoriensi, mutuante pro se ipso ac heredibus, recepit.

Dat. Anagnie, X kal. julii, anno octavo.

4689 (CLXXVII) Latran, 11 avril 1302.

« Preficitur Isarnus, quondam Rigensis archiepiscopus, in archiepiscopum Lundensem. » (fol. 197 v°.)

Venerabili fratri Isarno, archiepiscopo quondam Rigensi, in archiepiscopum Lundensem, Suwetie primatem electo. Romani pontificis —.

Suprascriptus, archiepiscopus quondam Rigensis, in archiepiscopum Lundensem, Suwetiæ primatem, electus, transfertur ad ecclesiam Lundensem.

Dat. Laterani, III id. aprilis, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Lundensis — populo civitatis et diocesis Lundensis — suffraganeis — carissimo in Christo filio Erico, regi Dacie illustri.*

POTTHAST, 24144.

4690 (CLXXVIII) Anagni, 24 juin 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro O[ttobono], patriarcha Aquilegensi. » (fol. 198.)

Venerabilibus fratribus . . Florentino, et . . Tervisino episcopis, ac dilecto filio Thedisio Malocello, canonico Cameracensi. Nuper ex parte. —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum trium millium florenorum auri, quos Ottobonus, patriarcha Aquilegensis, recepit a Dino Nini de Marcialla, notario Florentinæ diocesis, mutuante vice Michi del Capone ac Cini Deotisalvi, Letti Huguitionis, Pagani, Cionis et Arrechii, filiorum dicti Michi, ac Philippi Vincii, Tellini de Nerlis et Lippi Binuccini et aliorum de societate Caponorum.

Dat. Anagnie, VIII kal. julii, anno octavo.

4691 (CLXXVIIII) Anagni, 10 juin 1302.

« Quod possint in omnibus locis insule Sicilie, ecclesiastico suppositis interdicto, ad que declinaverint, alta vel submissa voce facere celebrari. » (fol. 198.)

Nobilibus viris Carolo, nato clare memorie Phylippi, regis Francorum, comiti Andegavensi, et Roberto, duci Calabrie, primogenito carissimi in Christo filii nostri Caroli, regis Sicilie illustris. Cum in Sicilie —. Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno octavo.

In e. m. *nobilibus viris Guillelmo, Autisiodorensi, et Bernardo, Armaniaci comitibus, Johanni de Haricuria et Gautero de Creceyo militibus.*

4692 (CLXXX) Anagni, 22 juin 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Johanne, abbate monasterii Sancti Albani, Lincolniensis diocesis. — In e. m. pro Thoma, abbate monasterii Sancti Eadmundi. » (fol. 198.)

Venerabili fratri . . episcopo Londoniensi et dilectis filiis . . cantori Morinensis, ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum mille ducentarum et quinquaginta marcharum argenti, quas Johannes, abbas Sancti Albani, a Symone Gerardi, cive et mercatore Florentino, mutuante pro se et vice « Rogerii et Lapi Spine de Spinis, Philippi et Spine, fratrum dicti Lapi, Nigri Cambii, Gerardi Hugonis, Guidonis Bertaldi, Johannis Grandonis, Phylippi Gerardini et Johannis Maffei » ac aliorum de societate Spinorum.

Dat. Anagnie, x kal. julii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito Pistoriensis, et . . cantori Morinensis, ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensis ecclesiarum* pro Thoma, abbate monasterii Sancti Eadmundi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Norwicensis diocesis, pro eadem quantitate marcharum et ab eisdem mercatoribus et sub eadem data.

4693 (CLXXXI) Anagni, 7 juin 1302.

« Dispensatio super matrimonio in diocesibus Cameracensi et Leodiensi. » (fol. 198 v°)

Dilecto filio nobili viri Gerardo, domino de Horne et de Outhena, et dilecte in Christo nobili mulieri Johanne, nate quondam Henrici de Lovanio, domini castrorum de Gasebecke ac de Haristal, Leodiensis ac Cameracensis diocesium. Etsi conjunctio copule —.

Suprascriptis, obtentu Mariæ, relictæ Phylippi regis Francorum, pro eis consanguineis suis supplicantis, indulgetur pro pace conservanda, ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, matrimonium contrahere valeant.

Dat. Anagnie, VII id junii, anno octavo.

4694 (CLXXXII) Anagni, 27 mai 1302.

« Dispensatio super matrimonio in civitate Januensi. » fol. 198 v°.)

Dilecto filio nobili viro Valariano Malono et dilecte in Christo filie nobili mulieri Verdine Gabrielis Salvatici, uxori ejus, civibus Januensibus. Sedis Apostolice —.

Suprascriptis, qui ignorantes quod essent quarto affinitatis gradu conjuncti, matrimonium contraxerunt, indulgetur ut in dicto matrimonio remanere valeant.

Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno octavo.

4695 (CLXXXIII) Anagni, 6 juin 1302.

« Quod possit usque ad triennium archidiaconatum suum Augi in ecclesia Rothomagensi facere visitari. » (fol. 198 v°.)

Magistro Radulfo de Haricuria, archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi. Tue devotionis et probitatis —.

Suprascripto, consideratione Caroli, nati claræ memoriæ Phylippi, regis Francorum, comitis Andegavensis, cujus clericus et familiaris existit, indulgetur, ut, ad triennium, per idoneas personas archidiaconatum suum visitare possit et procurationes in pecunia numerata recipere.

Dat. Anagnie, VIII id. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Burdegalensis, et . . thesaurario, ac magistro Petri de Longavilla, canonico Ebroicensis ecclesiarum.*

4696 (CLXXXIIII) Anagni, 10 juin 1302.

« Dispensatio super matrimonio in ecclesia Noviomensi et Ambianensi. » (fol. 199.)

Venerabili fratri . . episcopo Noviomensi. Licet matrimonium —.

Suprascriptis committitur ut, personarum, locorum et temporum conditione pensata, dispenset cum nobili viro Auberto de Hangesto, milite, et nobili muliere Agnete, domina de Dargies, Noviomensis et Ambianensis diocesium, desiderantibus matrimonium contrahere, non obstante quarto affinitatis gradu, « pro eo quod quondam Reginaldus de Dargies, olim vir predicte Agnetis, ipsi Auberto quarto consanguinitatis gradu, dum viveret, attinebat. »

Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno octavo.

4697 (CLXXXV) Anagni, 8 juin 1302.

Prorogatur consecrationis tempus usque ad festum beati Andreæ proxime futurum. (fol. 199.)

Dilecto filio Petro, electo Claromontensi. Exigentibus tue devotionis —. Dat. Anagnie, VI id. junii, anno octavo.

4698 (CLXXXVI) Anagni, 8 juin 1302.

« Angelo, episcopo Reatino. Preficitur in episcopum Reatinum. » (fol. 199.)

Venerabili fratri Angelo, episcopo Reatino. Etsi de cunctis —.

Cum ex certis causis dominus papa Jacobum, tunc Reatinum episcopum, a regimine et onere ecclesiæ Reatinæ duxerit absolvendum, suprascriptus ad eamdem ecclesiam de Nepesina transfertur.

Dat. Anagnie, VI id. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Reatine — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis.*

4699 (CLXXXVII) Anagni, 19 juin 1302.

« Conceditur Yvoni Guezenoti cantoria cum prebenda Redonensis. » (fol. 199 v°.)

Yvoni Guezenoti alterius, canonico et cantori ecclesie Redonensis. Apostolice Sedis —.

Canonicatum, præbendam et cantoriam hujus ecclesiæ, « per mortem quondam Guidomari Guezenoti alterius, olim ipsius ecclesiæ canonici et cantoris, qui dudum apud Sedem Apostolicam, Reate tunc Romana curia residente, diem clausit extremum », vacantes et dispositioni Apostolicæ devolutas, confert suprascripto dominus papa, non obstante quod in ecclesia Corisopitensi canonicatum et præbendam et quemdam ruralem personatum, qui decanatus de Wandalaes vulgariter nuncupatur, cum ecclesia de Billeyo, curam animarum habente, eidem ecclesiæ annexa, Redonensis diocesis, noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, XIII kal. julii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Pentevrie, Briocensis, . . cantori Morinensis, et magistro Thome de Anasto, canonico Nannetensis ecclesiarum.*

4700 (CLXXXVIII) Latran 14 avril 1302.

« Conceditur Rogerio de Armaniaco archidiaconatus, cum prebenda, ecclesie Agennensis. » (fol. 200.)

Rogerio de Armaniaco, fratri dilecti filii nobilis viri Bernardi, comitis Armaniaci, canonico Vasatensi. Grate devotionis —.

Suprascripto, consideratione fratris ejus, pro eo supplicantis, canonicatum, præbendam et archidiaconatum ecclesiæ Agennensis, quos Guillelmus, electus Vasatensis, « qui, ut dicitur, nondum est in episcopum consecratus, » obtinebat et qui, per consecrationem ejus vacaturi, dispositioni Apostolicæ reservantur, confert dominus papa, non obstante quod in Vasatensi et Adurensi ecclesiis canonicatus et præbendas et rectorias hospitalium de Talhac et Pontisurticæ et quædam alia tenuia beneficia sine cura ac quasdam decimas in beneficium in Auxitana et Agennensi diocesibus noscitur obtinere, primam tantum tonsuram habet clericalem et in octavo decimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Laterani, XVIII kal. maii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Simorra, Auxitane, et Arnaldo priori de Ussaco, Lemovicensis diocesium, ac magistro Bernardo, archidiacono Xanctonensi.*

4701 (CLXXXXVIIII) Anagni, 1er juin 1302.

« Suspenditur ordo Minorum ab officio inquisitionis pravitatis heretice in Marchia Tervisina sive Sancti Antonii seu Venetiarum provincia » (fol. 200 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Ad puniendos excessus —. Nuper siquidem ad audientiam nostram fide digna relatione pervenit, quod Bonensigna de Tridento et Petrusbonus de Broseminis de Padua, Fratres ordinis Minorum, dudum inquisitores pravitatis heretice in Marchie Tervisine sive Sancti Antonii seu Venetiarum provincia per Sedem Apostolicam deputati, ac alii, qui secum inquisitionis hujusmodi exercuerunt officium, et plures etiam alii Fratres ejusdem ordinis, qui in officio ipso precesserunt eosdem, multa gravia, enormia et horrenda in ejusdem provincie partibus ausu dampnabili commiserunt —. Cum itaque — intendamus super premissis omnibus et singulis scire plenius veritatem, predictum ordinem et quoslibet ejus Fratres ab officio inquisitionis pravitatis heretice in jam dicta provincia faciende, quousque aliud in hac parte duxerimus ordinandum, Apos-

tolica auctoritate suspendimus et manere volumus omnino suspensos —. Dat. Anagnie, kal. junii, anno octavo.

Potthast, 25146.

4702 (clxxxx) Anagni, 12 juin 1302.

« Super eodem. » (fol. 200 v°.)

Venerabili fratri G[uidoni], episcopo Xanctonensi. Etsi excessus —. Sane, clamore valido referente, didicimus quod Bonensigna de Tridento et Petrusbonus de Broxeminis de Padua, Fratres ordinis Minorum, dudum inquisitores pravitatis heretice in Marchie Tervisine — provincia — nefande cupiditatis vitio aditu reserato, magnas immo permaximas pecuniarum summas a fidelibus et infidelibus illarum partium nequiter extorserunt, compellendo nichilominus ipsos prestare corporaliter juramentum ne per eos successu temporis extorsiones hujusmodi quomodolibet revelentur. Nec iis contenti sed culpas culpis addentes — ad inquisitiones hujusmodi locorum diocesanos, prout deberetur, aliquatenus non admittunt, nec in illis Apostolice Sedis constitutiones observant, sed, eis potius omnino postpositis, juxta sue precipitis voluntatis arbitrium in eisdem procedere non verentur. Preterea cum dicti Fratres, tanquam Dei timorem pre oculis non habentes, sed ad malum omnino dispositi, gravia et horrenda quamplurima in ejusdem provincie partibus ausu dampnabili perpetrassent, ne illa in posterum prosilirent in lucem ac in communem notitiam devenirent, prothocolla et scripturas quelibet super ipsorum detestandis processibus quoquomodo confecta, tanquam male sibi conscii ad manus suas recipere — presumpserunt, ea secum secretius retinentes, alia innumera et nefanda opera detestabiliter committendo —. Unde cum nuper Fratres ipsi ad Sedem Apostolicam accessissent, ac in nostra et fratrum nostrorum essent presentia constituti, nos, urgente conscientia, dignis motibus excitati et rationalibus causis inducti, eos detineri mandavimus, donec nobis super premissis veritatis innotesceret plenitudo. Cum igitur tam graves et enormes predictorum Fratrum excessus, si veritatis amminiculo faveantur, transire non debeant impuniti — fraternitati tue — mandamus, quatinus, sublato more dispendio, ad partes illas te personaliter conferens, — facias tibi prothocolla et scripturas predicta, que Fratres ipsi ad manus suas, sicut premittitur, receperunt, ab eis vel personis aliis quibuscumque, apud quas ea esse noscuntur, totaliter exhiberi et nichilominus per jam dictam provinciam sub excommunicationis et alia spirituali vel temporali pena, de qua expedire videris, publice proclamari, ut universi et singuli ejusdem provincie, qui dederunt et qui sciunt seu credunt aliquem vel aliquos dedisse aliquid Fratribus supradictis vel ipsorum alicui, aut alii vel aliis pro eis, occasione seu pretextu officii eorumdem, vel etiam propter commissiones quaslibet, per Fratres ipsos factas quibusvis provincie prelibate personis, super testamentis aliquibus vel aliis quibuscumque negotiis exequendis, ad eos vel aliquos alios, occasione ipsorum, aliquid pervenisse, tibi plenius et apertius manifestent, tuque tam super iis quam super omnibus et singulis supradictis ac aliis etiam, que in quodam libro, quem tibi sub bulla nostra mittimus interclusum, et que insuper in libris aliis seu scripturis autenticis sive publicis instrumentis, per commune Paduanum et alias communitates et singulares personas ejusdem provincie tibi tradendis, perspexeris contineri ac nichilominus super aliis omnibus et singulis, de quibus tua discretio viderit expedire — contra Bonensignam et Petrumbonum predictos ac illos etiam qui dudum una cum eis — inquisitionis ejusdem pravitatis officium in prefata exercuere provincia vel in eo precesserunt eosdem ac alios quoslibet memorati ordinis Fratres, de quibus expedire putaveris, inquiras auctoritate nostra, etiam diebus dominicis et festivis, de plano, sine strepitu et figura judicii, diligenter et sollicite, veritatem, et ea que in hac parte inveniri contigerit nobis — studeas intimare —. Dat. Anagnie, ii id. junii, anno octavo.

Potthast, 25161.

4703 (clxxxxi) Anagni, 28 juin 1302.

« Super eodem. » (fol. 200 v°.)

Venerabili fratri G[uidoni], episcopo Xanctonensi. Cum te ad partes provincie Marchie Tervisine ad inquirendum super quampluribus excessibus per Bonensignam de Tridendo et Petrumbonum de Broseminis de Padua et nonnullos alios Fratres ordinis Minorum dudum inquisitores pravitatis heretice — temporibus retroactis commissis fiducialiter transmittamus et intellexerimus quod nonnulli ex Fratribus ipsis de provincia ipsa malitiose se duxerint absentandos, volumus et — mandamus, quatinus, ad partes illas te personaliter conferens, predictos Fratres — in locis ejusdem provincie, de quibus expedire putaveris, auctoritate nostra peremptorie citare pro-

cures —. Tu vero, sive Fratres ipsi — comparere curaverint, sive non, in hujusmodi commisso tibi negotio procedere studeas juxta tenorem aliarum litterarum nostrarum, quas tibi super eodem negotio destinamus. Dat. Anagnie, IIII kal. julii, anno octavo.

POTTHAST, 25163.

4704 (CLXXXXII) Anagni, 8 juin 1302.

« Super ordinatione et reformatione monasterii Sancte Marie Beneventani, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 201.)

Fratri Jacobo de Gordiano, ordinis Minorum, penitentiario nostro. Inter ceteras sollicitudines —.

Suprascripto mandatur, ut monasterium Sanctæ Mariæ Beneventanum, ordinis sancti Benedicti, incorporet ordini Sanctæ Claræ.

Dat. Anagnie, VI id. junii, anno octavo.

POTTHAST, 25157.

4705 (CLXXXXIII) Anagni, 31 mai 1302.

« Confertur Dominico Bartholomei de Carrione [cantoria] ecclesie Palentiæ. » (fol. 201 v°.)

Dominico Bartholomei de Carrione, cantori ecclesie Palentine. Apostolice Sedis —.

Cantoria hujus ecclesiæ, quam Gundisalvus, Legionensis episcopus, tempore promotionis suæ, obtinebat, et quæ, post consecrationis munus ei apud Sedem Apostolicam impensum vacans, dispositioni Apostolicæ devoluta est, confertur suprascripto, non obstante quod in eadem Palentina, et in Salamantina, ac Colimbriensi, canonicatus et præbendas, et in Fusallensi ecclesiis, cujus dimidius portionarius existit, dimidiam portionem proventuum, et parrochialem ecclesiam Sanctæ Mariæ de Caduna, Colimbriensis ecclesiæ, cujus rector existit, noscitur obtinere. « Volumus autem quod, postquam predictam cantoriam fueris pacifice assecutus, prefatam ecclesiam de Caduna, quam ex tunc vacare decernimus, omnino dimittas. »

Dat. Anagnie, II kal. junii, anno octavo.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Ovetensi et dilectis filiis . . de Benevento, in Ovetensi, et . . de Alcar, in Palentina ecclesiis, archidiaconis.*

4706 (CLXXXXIIII) Latran, 16 avril 1302.

« Quod dispenset super perjurio cum . . abbate et conventu monasterii Elwacensis, Augustensis diocesis. » (fol. 201 v°.)

. . episcopo Eystetensi. Porrecta nobis ex parte dilecti filii Ekkardi, abbatis, et conventus monasterii Elwacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Augustensis diocesis, petitio continebat, quod ipsi quasdam possessiones, ad idem monasterium pertinentes, sitas infra parrochiam ecclesie de Hazwang, tue diocesis, cum omnibus bonis et juribus, que infra dictam parrochiam obtinebant, inter que erat jus patronatus dicte ecclesie, tunc pertinens ad eosdem, ex quibus omnibus vix valorem viginti florenorum auri poterant percipere annuatim, abbati et conventui monasterii Eberacensis, Cisterciensis ordinis, Herbipolensis diocesis, pro certa vendiderunt pretii quantitate, dictumque pretium in alias possessiones eidem monasterio Elwacensi utiles et magis accomodas converterunt.

Mandatur suprascripto, ut, si constiterit eam venditionem in utriusqus monasterii utilitatem redundare, prefato abbati super reatu perjurii, quod, alienando absque licentia Sedis Apostolicæ bona Elwacensis monasterii contra ejus juramentum, incurisse dinoscitur, beneficium absolutionis impendat.

Dat. Laterani, XVI kal. maii, anno octavo.

4707 (CLXXXXV) Latran, 2 mai 1302.

« Quod conferat hac vice prioratum de Asperis, quem tempore promotionis sue obtinebat. » (fol. 207.)

Fratri Dragonetto, abbàti monasterii Aureliacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis. Exigunt grata tue —.

Suprascripto conceditur facultas conferendi ea vice viro idoneo sui ordinis prioratum de Asperis, ordinis sancti Benedicti, Vapincensis diocesis, ad monasterium suum Aureliacense spectans, quem, tempore promotionis suæ, habebat, et qui, post benedictionis munus apud Sedem Apostolicam ei impensum vacans, Apostolicæ dispositioni devolutus est.

Dat. Laterani, VI non. maii, anno octavo.

4708 (CLXXXXVI) Anagni, 18 juin 1302.

Eximuntur hospitale de Altopassu et ejus membra a prestatione decime pro prosecutione negotii Siciliæ in partibus Italiæ ad triennium impositæ. (fol. 202.)

. . *magistro et fratribus hospitalis de Altopassu, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Lucane diocesis.* Inter cetera hospitalia —. Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno VIII°.

4709 (CLXXXXVII) Anagni, 9 juin 1302.

« Transfertur de Salpensi ecclesia ad ecclesiam Sancte Marie. » (fol. 202.)

Stephano, episcopo Civitatis Sancte Marie. Sacrosancta Romana —. Nos igitur — cupientes, ut in Civitate Sancte Marie tanto devotius et ferventius Christiana lex salutifera vigeat — quanto in civitate ipsa, yronica quidem nominatione Luceria primitus nuncupata, per Sarracenos spurcidos, a quibus inhabitabatur antea quibusve de mandato carissimi in Christo filii nostri Caroli, illustris regis Sicilie, — destituta noviter existit, insana Machometti doctrina dampnabilius servabatur, intellecto fidedignorum testimonio quamplurium, quod tu, abolim studio facultatis theologice ac devote propositioni Verbi Dei vacans — ecclesie populoque civitatis predicte uberiorem fructum afferre poteris, quam Salpensi ecclesie, cui antea prefuisti, dilectis filiis nostris Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero, et Landulfo, Sancti Angeli diacono cardinalibus, — comisimus oraculo vive vocis, ut te, ad eandem Civitatis Sancte Marie, venerabilem autem fratrem nostrum Aymardum, Salpensem, olim ipsius Civitatis Sancte Marie episcopum, ad dictam Salpensem ecclesias, auctoritate nostra, transferre curarent.

Confirmans omnia quæ dicti cardinales secundum hujusmodi commissionem fecerunt, mandat suprascripto dominus papa ut de Salpensi ad ecclesiam Civitatis Sanctæ Mariæ se transferat.

Dat. Anagnie, v id. junii, anno octavo.

4710 (CLXXXXVIII) Anagni, 9 juin 1302.

« Transfertur de Sancta Maria ad Salpensem [ecclesiam]. » (fol. 202 v°.)

Venerabili fratri Aymardo, episcopo Salpensi. Sacrosancta Romana —.

Confirmans omnia quæ facta fuerunt secundum Apostolicam commissionem in proxima superiori memoratam, mandat dominus papa suprascripto, ut de ecclesia Civitatis Sanctæ Mariæ ad Salpensem se transferat.

Dat. Anagnie, v id. junii, anno octavo.

4711 (CLXXXXVIIII) Latran, 2 mai 1302.

« Guidoni, abbati Sancti Petri Melungdensis, Lingonensis diocesis. Confirmatur electio sua. » (fol. 202 v°.)

Guidoni, abbati monasterii Sancti Petri Melungdensis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis. Licet ea que —. Petitio siquidem tua — continebat, quod, vacante dudum monasterio Sancti Petri Melungdensis — per obitum quondam Andree, abbatis ipsius, . . prior et conventus — die ad eligendum prefixa, — te, tunc monachum et elemosinarium dicti monasterii, per viam compromissi in abbatem ejusdem monasterii elegerunt, tuque electioni hujusmodi — consensisti. Cumque dicti prior et conventus, ejusdem electionis decreto venerabili fratri nostro . . Lingonensi episcopo presentantes, ei humiliter supplicassent, ut electionem confirmaret predictam, Otto de Creteyo, archidiaconus Besingieri et Johannes de Bellovisu, cantor ecclesie Lingonensis, ac Johannes de Calvomonte, officialis dicti episcopi, auctoritate ejusdem episcopi eis in hac parte commissa, post aliquam examinationem de te factam, quamvis contra te nullus comparuerit se opponens, electionem eandem, quam pretendebant de te, minus litterata persona, contra canones attemptata, pronuntiaverunt fore cassam, irritam et inanem, dictosque priorem et conventum, ea vice, occasione hujusmodi, eligendi potestate privatos, propter quod tu ad Apostolicam Sedem appellans et ad illam pro hujusmodi prosequendo negotio te personaliter conferens nobis humiliter, exposita facti serie, supplicasti, ut electionem confirmare predictam de benignitate Apostolica dignaremur. Nos autem venerabili fratri nostro M[attheo], episcopo Portuensi, primo, quod ipse, si per appellationem hujusmodi reperiret electionis predicte negotium ad Sedem Apostolicam devolutum, electionem predictam tueque persone merita diligenter examinans, quod super hiis inveniret, nobis referre fideliter procuraret, et postmodum, per eundem episcopum Portuensem super premissis diligentius inquisito factaque per eum nobis super hoc relatione fideli, tam ipsi quam dilecto filio nostro Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali, quod te in eorum manibus omne jus, si quod tibi ex eadem electione

fuerat acquisitum, libere resignante, si te demum ydoneum ad exercendum dicti monasterii regimen reperirent idque alias utile prefato monasterio reperirent, de persona tua eidem monasterio providerent — plenam concessimus vive vocis oraculo potestatem. Ipsi vero episcopus Portuensis et cardinalis — eidem monasterio de persona tua providerunt — iidem quoque episcopus et cardinalis, intellecto postmodum quod prefatus episcopus Lingonensis, post hujusmodi appellationem tuam, illi non deferens, in prefate Sedis contemptum, alium sepedicto monasterio prefecerat in abbatem, memorato episcopo — mandarunt, quod —, eo et quocumque alio illicito detentore exinde prorsus amoto, te in abbatem — admitteret —. Dat. Laterani, vi non. maii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Leonardi Corbiniacensis, Eduensis diocesis, et . . decano Senonensis, ac magistro Raynaldo de Vallibus, canonico Eduensis ecclesiarum.*

4712 (cc) Latran, 24 avril 1302.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 203.)

Consilio, archiepiscopo Consano. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, viii kal. maii, anno viii°.

4713 (ci) Anagni, 2 juin 1302.

« Mandatur conferri plebanatus plebis Sancte Marie de Quarattana, Lucane diocesis, Conrado de Montejove, clerico dicte diocesis. » (fol. 203 v°.)

Venerabili fratri M[attheo], episcopo Portuensi. Cum plebanatus plebis —.

Suprascripto facultas conceditur conferendi Conrado, nato quondam Rossi de Montejove, clerico Lucanæ diocesis, plebanatum plebis Sanctæ Mariæ de Quarattana, ejusdem diocesis, per obitum quondam Lamberti, capellani ejus, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantem et sic Apostolicæ dispositioni devolutum, non obstante quod dictus Conradus in minoribus tantum ordinibus et in vicesimo ætatis suæ anno est constitutus, et in præfatæ Sanctæ Mariæ de Quarattana, et in de Sancto Salvatore ecclesiis cononicatus et præbendas ac ecclesiam de Brusciana curatam, prædictæ diocesis, obtinet, et « super canonicatu et prebenda ecclesie Lunensis, de quibus ei per te provisum extitit, cum in illis partibus legationis officio fungeres, in Romana Curia » dinoscitur litigare. « Volumus tamen quod idem Conradus, postquam plebanatum ipsum pacifice fuerit assecutus, prefatam ecclesiam de Brusciana, quam ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur. »

Dat. Anagnie, iii non. junii, anno octavo.

4714 (ccii) Anagni, 20 juin 1302.

« Confertur prioratus secularis ecclesie Sancte Marie supra Portam Florentine Frederico Bartholi de Bardis. » (fol. 203 v°.)

Frederico, nato dilecti filii nobilis viri Bartholi de Bardis, priori secularis ecclesie Sancte Marie supra Portam Florentine. Sincere devotionis —.

Prioratus prædictæ ecclesiæ, cui cura imminet animarum, per obitum quondam Philippi, qui apud Florentiam decessit, vacans et xvii kalendas julii proximo preteriti dispositioni Apostolice reservatus, confertur suprascripto, non obstante quod Nerius de Abbatibus, clericus Florentinus, super provisione sibi facienda de beneficio, quod duxerit acceptandum, litteras Apostolicas dicitur impetrasse, « seu si Banchus, plebanus plebis de Cersino, Florentine diocesis, vel Christoforus de Tholomeis, canonicus Senensis, vel quicumque alii super provisione illis facienda de personatibus — in illis partibus speciales aut generales Apostolice Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarunt, » et quod suprascriptus Fredericus in minoribus tantum ordinibus et in sexto decimo ætatis suæ anno est constitutus. « Ceterum quia, ut premittitur, nos in te jus predicti Nerii — duximus transferendum — volumus quod per acceptionem suam et collationem sibi factam de prioratu predicto, quoad assecutionem alterius beneficii juxta litterarum suarum tenorem, prejudicium nullum fiat. »

Dat. Anagnie, xii kal. julii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori Sancti Petri Scradii Florentini et plebano plebis Antille, Florentine diocesis, ac magistro Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori ecclesie Morinensis.*

4715 (ciii) Anagni, 18 juin 1302.

« Henrico abbati monasterii Sancte Marie de Pomposia —. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 204 v°.)

Henrico, abbati monasterii Sancte Marie de Pomposia, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Comaclensis diocesis. Ex suscepte servitutis —. Olim siquidem monasterio Sancte Marie de Pomposia — per obitum quondam Jacobi, abbatis ipsius, va-

cante, dilecti filii conventus — die ad eligendum prefixa — per viam deliberantes procedere compromissi in dilectos filios Marcum, priorem claustralem, Julianum et Guidonem, monachos monasterii — compromittere curaverunt, ut iidem compromissarii singulorum de dictis conventu vota secrete — scrutari deberent — cumque postmodum — compertum fuisset quod omnes et singuli de dictis conventu in te, tunc abbatem monasterii Sancte Marie de Monte prope Cesenam, predicti ordinis, in hujusmodi scrutinio direxerant vota sua, prefatus Julianus, de mandato — collegarum suorum, te in abbatem — elegit, tuque postmodum hujusmodi electioni —, de licentia tui superioris, consentiens, personaliter ad Sedem Apostolicam accessisti pro ejusdem electionis negotio prosequendo —. Nos autem tam electionis predicte quam persone tue examinationem venerabili fratri M[attheo], Portuensi episcopo, et dilectis filiis nostris Gentili, tituli Sancti Martini in Montibus presbytero, ac Petro, Sancte Marie Nove diacono cardinalibus, duximus committendam, a quibus — facta nobis super hoc relatione — quia prefatam electionem invenimus de te, persona ydonea, canonice celebratam — eam confirmamus —. Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii — universis vassallis.*

4716 (CCIIII) Anagni, 24 mai 1302.

« Confertur officium tabellionatus Jacobo dicto Bullario, civi Romano. » (fol. 204.)

Jacobo dicto Bullario, filio quondam Nicolai dicti Bullarii, civi Romano, tabellioni. Ne contractuum —.

Suprascripto tabellionatus officium confertur, obtentu . . prioris et capituli Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe pro eo supplicantium.

Dat. Anagnie, VIIII kal. junii, anno octavo.

4717 (CCV) Anagni, 2 juillet 1302.

« Billungo, abbati monasterii Salsensis, Argentinensis diocesis. Confirmatur electio sua. » (fol. 205.)

Billungo, abbati monasterii Salsensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Argentinensis diocesis. Licet continuata —. Dudum siquidem monasterio Salsensi, per obitum quondam Roperti — pastoris regimine destituto, dilecti filii conventus — die ad eligendum — prefixa — deliberantes per viam procedere compromisi, tibi, tunc decano, et — Lamperto, custodi, ac Conrado, cantori et monachis dicti monasterii, providendi ea vice ipsi monasterio de abbate sub ea forma concesserunt — potestatem, quod duo tertium vestrum vel vos tres aliquem alium de gremio dicti monasterii eligere in abbatem monasterii ejusdem possetis, — iidem custos et cantor in te dixerunt — vota sua — tuque — electioni consensisti hujusmodi, ac propter hoc ad Sedem Apostolicam accessisti —.

Examinatione electionis et personæ per Theodoricum, episcopum Civitatis Papalis, Robertum, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyterum, ac Richardum, Sancti Eustachii, diaconum cardinales, facta, confirmatur suprascriptus in abbatem, munere benedictionis per eundem episcopum ei impenso.

Anagnie, VI non. julii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Salsensis.*

4718 (CCVI) Anagni, 4 juillet 1302.

« Dispensatio super matrimonio in Urbe. » (fol. 205.)

Dilecto filio nobili viro Stephano, filio quondam Petri de Comite, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne, filie quondam Nicolai Thebaldi de Anibaldis de Urbe. Etsi conjunctio copule —.

Suprascriptis pro pace conservanda indulgetur, ut, non obstante quarto affinitatis gradu, quo sibi attinent, pro eo quod quondam Angela, uxor Stephani, Johannæ quarto consanguinitatis gradu olim, dum viveret, attinebat, matrimonium invicem contrahere valeant.

Dat. Anagnie, IIII non. julii, anno octavo.

4719 (CCVII) Anagni, 7 juillet 1302.

« Conceditur indulgentia illis qui manum porrexerint adjutricem in perficiendo quemdam murum in portu Neapolitano. » (fol. 205 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Gregis dominici —. Nuper siquidem ad audientiam nostram fidedigna relatione pervenit, quod dilecti filii cives Neapolitani, sollicite considerationis indagine perscru-

tantes, quod in portu maris, civitatis Neapolitane contiguo, retroactis temporibus gravia galearum et aliorum vasorum dampna et periculosa discrimina personarum ex frequenti et valida ventorum violentia contigerunt, ac volentes, salubri et provido ducti consilio, periculis tantis occurrere tantisque dispendiis obviare, murum quemdam sive parietem ad resistendum violentis ventorum impulsibus eorumdem in portu predicto de novo ceperunt construere opere plurimum sumptuoso.

Conceditur ad bienniuni indulgentia centum dierum eis, qui eidem operi personaliter vel realiter dederint consilium, auxilium et favorem, « illis vero qui prima die dominica mensis cujuslibet in una ex predictis civitatis ecclesiis, que ad hoc fuerit deputata, propterea convenire, cum in ipsa ecclesia missarum solemnia celebrantur, ac super hoc tractatum habere curaverint, dictoque operi subsidium competens duxerint impendendum, » unius anni et quadraginta dierum.

Dat. Anagnie, non. julii, anno octavo.

4720 (CCVIII) Latran, 4 mai 1302.

« Confirmatio cujusdam ordinationis scolarium facta per Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, in civitate Parisiensi. » (fol. 205.)

Dilecto filio Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali. Sedes Apostolica —.

Suprascripto, qui in augmentum facultatis theologicæ necnon et naturalis ac moralis philosophiæ domum quondam Fratrum Heremitarum Parisiensium, quæ « de Cardineto » antea vocabatur, cum omnibus libertatibus, juribus et pertinentiis suis, ad opus pauperum scholarium studentium in liberalibus artibus, necnon et magistrorum earundem artium in dicta theologica facultate instruendorum, nuper emerat ac domum ipsam « domum Cardinalis » de cetero nuncupari volebat, hæc et statuta pro dicta domo edita confirmat dominus papa.

Dat. Laterani, IIII non. maii, anno octavo.

Potthast, 15153.

4721 (CCVIIII) Anagni, 2 juillet 1302.

« Johanni, abbati monasterii Sancte Crucis de Waltam, Londoniensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 206 v°).

Johanni, abbati monasterii Sancte Crucis de Walthan, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Londoniensis diocesis. Sedula nos cura —. Dudum siquidem monasterio Sancte Crucis de Waltham — per obitum quondam Roberti — regimine destituto pastoris — Johannes, prior et capitulum — die ad eligendum prefixa — deliberantes — per viam procedere compromissi, eidem priori et dilectis filiis Roberto de Corimbra, Guillelmo de Eppynge, Albrico de Grantesdene, Thome de Ware, Johanni Lery de Stanstude, et Johanni de Sancto Albano, monasterii prelibati canonicis, eligendi ea vice aliquem, dumtaxat de jam dicti monasterii gremio, — potestatem — concesserunt — memorati vero compromissarii — demum in te, tunc cellararium et canonicum monasterii prelibati, vota sua — dixerunt — tuque postmodum, electioni — consensum tuum — impendere curavisti, te Apostolice Sedis conspectui tempore debito presentando, et tam tu, per teipsum, quam prefati capitulum, per jam dictos Albricum de Gratesdene et Johannem de Sancto Albano — suppliciter postulastis ut electionem predictam — confirmare dignaremur.

Examinatione electionis et persone per Johannem, episcopum Tusculanum, et Robertum, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyterum, ac Rizardum Sancti Eustachii diaconum cardinales, facta, confirmat dominus papa suprascriptum in abbatem, munere benedictionis ei per Theodericum, Civitatis Papalis episcopum, impenso.

Dat. Anagnie, VI non. julii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et capitulo monasterii Sancte Crucis — universis vassallis — carissimo in Christo filio E[duardo], regi Anglie illustri.*

4722 (CCX) Anagni, 23 juillet 1302.

« Archipresbytero ecclesie Bononiensis. Super facto decime. » (fol. 207.)

Dilecto filio . . archipresbytero ecclesie Bononiensis. Cum olim bone memorie Bononiensis episcopus collector decime in Ravennatis ac Romaniole provinciis — per nos nuper imposite per triennium pro prosecutione guerre et negotii regni Sicilie — te in civitate Bononiensi collectorem duxerit deputandum et totam pecuniam, per te et eundem episcopum et alios collectores deputatos per eum in provinciis — predictis tunc collectam, sicut fidedigna relatione didicimus, penes te, mortis sue tempore, — duxerit deponendam, nosque illam pro prosecutione predicta, omnino habere velimus ad presens, dis-

cretioni tue — mandamus, quatinus, sublato more dispendio, totam predictam pecuniam dilectis filiis Tadeo Orlandi, Montolio Fisini, Bernardo Renutii et Battizino Battezoni, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Bardorum de Florentia, vel alicui seu aliquibus eorumdem de societate predicta, has tibi litteras deferenti seu deferentibus, — studeas assignare —. Et nichilominus tibi, sub excommunicationis pena, precipimus, ut infra viginti dierum spatium a receptione presentium computandum, compareas personaliter coram nobis, redditurus de predictis omnibus plenariam rationem ac alias facturus quod tibi duxerimus injungendum —. Dat. Anagnie, x kal. augusti, anno octavo.

4723 (CCXI) Anagni, 28 juillet 1302.

« Henrico, episcopo Regino. Conceditur ei licentia eundi ad ecclesiam suam. » (fol. 207 v°)

Henrico, episcopo Reginensi. Volentes nuper —.

Suprascripto, quem, canonicum Cremonensem, dictæ ecclesiæ prefecit in episcopum dominus papa et cui per Matthæum, Portuensem episcopum, munus consecrationis fecit impendi, conceditur licentia eundi ad ecclesiam suam.

Dat. Anagnie, v kal. augusti, anno octavo.

4724 (CCXII) Anagni, 10 août 1302.

« Dispensatio super matrimonio cum comite Herfordensi et nata regis Anglie. » (fol. 207 v°.)

Dilecto filio nobili viro Humfrido, comiti Herfordensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Elizabet, nate carissimi in Christo filii nostri Eduardi, regis Anglie illustris, relicte quondam Johannis comitis Hollandie. Romani pontificis precellens —.

Suprascriptis invicem tertio affinitatis et quarto consanguinitatitatis gradibus se attinentibus conceditur, ut matrimonium licite contrahere possint.

Dat. Anagnie, IIII id. augusti, anno. octavo.

POTTHAST, 25163.

4725 (CCXIII) Anagni, 13 août 1302.

« Super pace in regno Scotie. » (fol. 207 v°.)

Venerabilibus fratribus . . episcopis per regnum Scotie constitutis. Inter assiduas curas —, que nobis ex ministerio Apostolice servitutis incumbunt, de statu catholicorum orbis terre principum et regnorum sollicite cogitare nos convenit — sed, licet ad singulas regiones — mentis nostre diffundamus intuitum, tamen ad statum regni Scotie tanto nimirum ferventius excitamur, quanto illud carius noscitur in nostris et Apostolice Sedis precordiis constitutuum. Nostis quidem et plurimorum, quinimmo universorum fere, notitia non ignorat, quod, peccatis exigentibus, multiplicata jam longo decursu temporis, gravis discordia inter vos et alios incolas dicti regni, ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum E[duardum], regem illustrem, et regnum Anglie, ex altera, dudum ex diversis causarum suborta generibus, quarum vos incentores, fautores et nutritores precipuos communis tenet opinio, utrumque regnum in guerrarum discrimine posuit et magnam, hinc inde, animarum et corporum lesionem, utinam non exterminationem, induxit. Verum cum, ex hiis nos et Romana mater Ecclesia multiplicibus afficiamur angustiis et gravibus molestiis perturbemur, et Terre Sancte, quam mentaneis oculis depressam, utinam non prostratam, cum anxietate respicimus, dispendia et turbationes immineant, nos — fraternitatem vestram monemus — quatinus, attendentes quod, dum nos tantorum malorum culpa reddit obnoxios, dum Scoticanum populum, cujus vos decet esse ductores providos — sicut oves errantes per devia tempestatum obducitis — multum fame vestre deperit et saluti, oculos, mentes et actus vestros erigatis reverenter ad Dominum et, de scandalorum inviis vos et predictum populum ad salutis, pacis et concordie semitas reducentes, studia vestra — convertatis, ut, rancoribus exclusis et odiis, ac derelictis scandalis, pacis amenitas et tranquillitatis commoda, Domino faciente, proveniant, perpetuis, dante Ipso, temporibus duratura. Sic vos in premissis — efficaciter habituri, quod odire scandala et promovere pacem vos laudanda opera evidenter ostendant et nos providentiam vestram exinde commendare merito valeamus, nec cogamur super hiis aliud remedium adhibere. Dat. Anagnie, id. augusti, anno octavo.

POTTHAST, 25170.

4726 (CCXIII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 208.)

Venerabili fratri . . episcopo Glasguensi. Gravi mentis turbatione —.

Suprascripto opprobrat dominus papa, quod « totius turbationis, dissensionis et discordiæ, que fuit et est inter Eduardum, regem Angliæ, et Scotos inductor et fautor precipuus » extitit, monet cum et hortatur, ut promotioni eorum, que ipsi et prelatis Scotie in genere scribat, sua studia cum diligentia summa convertat et pro suis viribus pacem reformet.

Dat. ut supra.

Potthast, 25171.

4727 (CCXV) Anagni, 13 juillet 1302.

« Conceditur licentia de mutuo contrahendo Francisco, abbati monasterii Sublacensis. » (fol. 208.)

Francisco, abbati monasterii Sublacencis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Tiburtine diocesis. Cum sicut in nostra —.

Suprascripto licentia conceditur contrahendi mutuum usque ad summam mille florenorum auri « pro refectione molendinorum monasterii Sublacensis — que propter aque inundationem et impetum quasi destructa esse noscuntur. »

Dat. Anagnie, III id julii, anno octavo.

4728 (CCXVI) Anagni, 3 août 1302.

« Executoria super eodem. » (fol. 208.)

Venerabili fratri . . episcopo Anagnino et dilectis filiis magistro Johanni, archidiacono Andegavensi, camerario nostro, ac Bonohomini de Sublacu, canonico Cameracensi. Exponente pridem —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum mille florenorum auri, quos abbas monasterii Sublacensis a Raynaldo Tholomei de Vallepetra et Jonatha Pauli de Afili recepit.

Dat. Anagnie, III non. augusti, anno octavo.

4729 (CCXVII) Anagni, 5 août 1302.

« Matheo, episcopo Imolensi. Preficitur in episcopum Imolensem. » (fol. 208 v°.)

Venerabili fratri Matheo, episcopo Imolensi. Apostolatus officium —.

Suprascriptus, Frater ordinis Minorum, Imolensi ecclesiæ, per translationem de Johanne ad ecclesiam Reatinam, tunc vacantem per mortem bonæ memoriæ Angeli, pastoris solatio destitutæ, præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, non. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito et capitulo ecclesie Imolensis — populo — universis vassallis.*

Potthast, 25167.

4730 (CCXVIII) Anagni, 23 juillet 1302.

« Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio seu constitutio inter Dunelmensem episcopum et . . priorem et capitulum ipsius ecclesie. »

Ad perpetuam memoriam. Debent superioribus —. Sane dudum venerabili fratri nostro A[ntonio], Dunelmensi episcopo, ad visitandum capitulum tue ecclesie Dunelmensis, que regularis ordinis sancti Benedicti fore noscitur, descendente, . . prior et capitulum ipsius ecclesie, excipientes, quod de consuetudine erat ecclesie sepedicte, a tempore cujus non erat memoria, inconcusse servata, quod episcopi Dunelmenses, per se solos, absque aliis religiosis sibi adjunctis vel clericis secularibus quibuscunque, assumptis sibi loco notarii monacho seu monachis capituli memorati, visitationem suam hactenus prefato impenderunt capitulo, supplicarunt eidem episcopo, ut omnes tam laicos quam clericos, religiosos et seculares, antequam visitationem actualiter exerceret, a capitulo preciperet amoveri, quibus amotis, parati erant ipsum admittere ad visitationem hujusmodi peragendam. Et, quia dictus episcopus eos super hoc non audivit, quanquam protestaretur se velle omnes clericos suos et alios, preter tres vel quatuor et notarium, removere, et sic suam visitationem incipere et complere, iidem prior et capitulum ad Sedem Apostolicam appellarunt. Proposito itaque hujusmodi negotio coram nobis, et auditis et intellectis que partes dicere voluerunt, nos, considerantes quod consuetudo predicta, contra communem utilitatem, facultatem probationum, que non est angustanda, restringit, propter quod etiam, ut

salva scilicet sit rerum probatio, quod publice interest, ne veritas occultetur, cautum est jure, ut curent magistratus testari id est testificari volentibus se ipsos et alios testes vel signatores prebere, et statuit generale concilium, ut a judicibus adhibeatur persona publica, vel duo viri ydonei qui acta conscribant, quos quidem predictos monachos, tum propter eorum professionem, que illorum vocem facit funestam, et ipsos arcet a judiciis et publicis sive civilibus actibus, nec patitur, prout hoc constitutio [1] novella declarat, nisi in inquisitionis heretice pravitatis causa, tabellionis, cujus vicem in hac parte duo viri per supradictum concilium obtinent, officium exercere, tum quia suspecti [2], ne contra se, priorem aut capitulum, quibus subsunt, que corrigenda invenirentur fideliter et recte conscriberent, constat non esse, attendentes quoque, quod id episcopali non modicum detrahit dignitati, si ab episcopo, qui dignitatem propriam pro ingenio augere debet, comites, honoris sui causa adhibiti, abducantur, seque solum suspectis forsitan quandoque, quos visitat, committere compellatur, dictam consuetudinem, tanquam non rationabilem, reprobamus. Sed, ne sit episcopus onerosus, decernimus, nostrorum predecessorum vestigiis inherentes, ut, cum ad visitationem de cetero faciendam in ecclesia memorata descenderit, in visitationis actu, duas vel tres honestas personas, clericali caractere insignitas, quarum una ad minus sit religiosa ordinis supradicti, et unum notarium, clericum, secum habeat, et non plures, consuetudine aliqua obtenta et compositione qualibet, inter partes ipsas super hoc in contrarium facta hactenus, non obstante. Nulli ergo, nostre reprobationis et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, x kal. augusti, anno octavo.

4731 (CCXVIII) Anagni, 26 août 1302.

« Super absolutione filiorum quondam Meynardi, ducis Karenthie et comitis Tyrolensis. » (fol.)

Venerabili fratri . . patriarche Aquilegensi. Dudum propter occupationes —.

Cum Otto, Ludovicus et Henricus, filii ducis Meynardi, ad satisfaciendum de excessibus, quos pater eorum et ipsi in ecclesiam Tridentinam commiserunt, se offerant, mandat dominus papa suprascripto, loci metropolitano, « cui de vicino ea que circa hec consideranda fuerint clarius innotescent, » ut, « considerata forma satisfactionis prefate » nec non et aliis que circa hec fuerint attendenda, si id utilitati et commodo ejusdem ecclesiæ cognoverit expedire, ipsique Otto, Ludovicus et Henricus impleverint quæ promittunt, eosdem ac alios eorum excessuum complices, ad requisitionem ipsius episcopi, absolvat ac omnes processus contra eos habitos relaxare procuret. « Volumus tamen et presentium tenore decerminus, quod, si Otto, Lodovicus et Henricus prefati ac alii in eosdem relabantur excessus, in similes excomunicationum et privationum sententias, quas ex nunc in eum casum ferimus contra eos incidant ipso facto, tuque illos excomunicatos et privatos, ut prius, per te vel per alium seu alios, publice nunties in locis de quibus videris expedire. »

Dat. Anagnie, VII kal. septembris, anno octavo.

POTTHAST, 25172.

4732 (CCXX) Anagni, 13 août 1302.

« Thome electo Veglensi. Preficitur in episcopum Veglensem. » (fol. 209.)

Thome, electo Veglensi. Regimini universalis ecclesie —.

Suprascriptus, Frater ordinis Minorum, Veglensi ecclesiæ, per obitum bonæ memoriæ Matthæi, episcopi Veglensis, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacanti, præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, id. augusti, anno octavo.

POTTHAST, 25169.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo.*

4733 (CCXXI) Anagni, 6 juillet 1302.

« Mandatur conferri canonicatus et prebende Bellunensis et Sancti Martini de Plebe Saci, Paduane diocesis, Octaviano clerico, filio Thedusii de Macharuflis, militis Paduani. » (fol. 209 v°.)

Venerabili fratri G[uidoni] episcopo Xanctonensi. Ex parte dilectorum filiorum . . potestatis, antianorum, consilii et comunis Paduani, per ambassiatores ipsorum, nuper accepimus, quod dilectus filius Theduxius, natus dilecti filii nobilis viri Benastruti de Macharuffis, militis Paduani, canonicus Bellunensis, et Sancti Martini de Plebe Saci, Paduane diocesis, ecclesiarum, qui, ad frugem vite melioris aspirans, ordinem Fratrum Minorum

1. *Ms* : constitio.
2. *Ms* · suscepti.

intravit, cum adhuc infra annum sue probationis existat, intendit canonicatus et prebendas, quos in ipsis Bellemensi et Sancti Martini ecclesiis obtinet, libere resignare. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, ut a dicto Theduxio hujusmodi resignationem recipi et, ea recepta, de ipsis canonicatibus et prebendis dilecto filio Octaviano, clerico, filio dicti militis, fratri ejusdem Theduxii, provideri de speciali gratia mandaremus.

Annuens petitioni, mandat dominus papa suprascripto, ut, « si premissis veritas suffragatur, » hæc beneficia dicto Octaviano conferat.

Dat. Anagnie, II non. julii, anno VIII°.

4734 (CCXXII) Anagni, 2 septembre 1302.

« Thome, episcopo Veglensi. Confertur sibi munus consecrationis. » (fol. 209 v°.)

Thome, episcopo Veglensi. Cum nos nuper —.

Attestatur dominus papa suprascriptum per Theodoricum, episcopum Civitatis Papalis, consecrationis munus recepisse.

Dat. Anagnie, IIII non. septembris, anno VIII°.

4735 (CCXXIII) Anagni, 30 août 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Fernando, episcopo Ovetensi, » usque ad summam mille duplarum auri. (fol. 209 v°.)

Fernando, episcopo Ovetensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, III kal. septembris, anno VIII°.

4736 (CCXXIIII) Anagni, 21 août 1302.

« Quod possit intrare monasteria Cisterciensis ordinis. » (fol. 201.)

Nobili mulieri Margarite, marchionisse Montisferrati. Tue ac tuorum —.

Suprascriptæ indulgetur ad triennium, ut monasteria Cisterciensis ordinis infra terras Johannis, marchionis Montisferati, mariti, et Amedei, comitis Sabaudiæ, patris ejus, nec non et . . marchionis Salutiarum, cum duobus vel tribus discretis fratribus dicti ordinis et sex honestis mulieribus intrare possit, ita tamen quod nec comedant nec pernoctent inibi.

Dat. Anagnie, XII kal. septembris, anno octavo.

4737-4738 (CCXXV) Anagni, 1er août 1302.

« Indulgentia de fructibus percipiendis. » (fol. 210.)

Dilecto filio magistro Petro Bonegentis de Genezano, camere nostre clerico, archidiacono Tiburtino. Laudabilia tue merita —.

Indulgetur suprascripto, ut, apud Sedem Apostolicam vel alibi papæ et Apostolicæ Sedis insistens obsequiis, fructus archidiaconatus ecclesiæ Tiburtinæ et prebendarum, quas in eadem Tiburtina, Virdunensi, Meldensi et Sancti Symphoriani Remensi ecclesiis obtinet, in absentia percipere valeat.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Sancte Marie Magdalene Virdunensis, et . . thesaurario Cathalaunensis, ac . . cantori Morinensis ecclesiarum.*

In e. m. *dilecto filio Michaeli de Encra, canonico Atrebatensi, clerico et familiari nostro.* Eadem gratia conceditur pro fructibus quorumvis beneficiorum sub eadem data.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Vedasti Atrebatensis, et . . Sancti Martini Ambianensis monasteriorum abbatibus, ac magistre Petro de Eugubio, cantori Morinensi.*

4739 (CCXXVI) Anagni, 27 août 1302.

« Raymundo, abbati monasterii Galliacensis —. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 210.)

Raymundo, abbati monasterii Galliacensis, ordinis sancti Benedicti, Albiensis diocesis. Debitum officii nostri —. Sane dudum monasterio Galliacensi — per obitum quondam Petri — pastoris regimine destituto, duas ibi electiones, unam videlicet, a nonnullis ipsius monasterii monachis, in eodem monasterio, de quondam Aymerico de Salis, monacho ejusdem monasterii, tunc vivente, et alteram, a reliquis ipsius monasterii monachis, apud monasterium Casedei, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, predicti ordinis, Claromentensis diocesis, de Andrea de Marsiaco, monacho monasterii de Savignerio, pre-

dicti ordinis, Lugdunensis diocesis, contigit in discordia celebrari. Sed, cum iidem Aymericus et Andreas hujusmodi eorum electionibus consentire minime voluissent, postmodum venerabili fratre nostro B[ernardo], Albiensi episcopo, per lapsum temporis, ordinario jure, ea vice, ad se, ac dilecto filio Aymoino, abbate supradicti monasterii Casedei, ad se, pretextu quorumdam privilegiorum, eidem monasterio Casedei a Sedis Apostolica concessorum, ut dicebat, provisionem, eidem monasterio Galliacensi faciendam de abbate, devolutam fore pretendentibus, idem episcopus prefatum Aymericum, tunc viventem, dictusque abbas Ysarnum, monachum monasterii Galliacensis predicti, in abbatem ipsi monasterio Galliacensi preficere curaverunt, sicque, hujusmodi negotio per appellationem ipsius Aymerici ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, dictisque Aymerico et Ysarno ad Sedem ipsam pro hujusmodi appellationis negotio personaliter accedentibus, ac memorato Aymerico postmodum viam universe carnis ingresso, dilectus filius noster Petrus, Sancte Marie Nove diaconus cardinalis, de speciali mandato nostro, sibi oraculo vive vocis facto, predictum Ysarnum a regimine ipsius monasterii Galliacensis sententialiter removit, provisionem ipsius monasterii Galliacensis nobis ac Sedi Apostolice ea vice nichilominus reservando.

Suprascriptus, tunc prior Beatæ Mariæ de Aurate Tholosanæ, prædicti ordinis, præfato monasterio Galliacensi præficitur in abbatem.

Dat. Anagnie, vi kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii — vassallis.*

4740 (CCXXVII) Anagni, 3 septembre 1302.

Preficitur Frater Jacobus de Viterbio auctoritate Apostolica in archiepiscopum Beneventanum. (fol. 210 v°.)

Dilecto filio fratri Jacobo, electo Beneventano. Recte tunc ecclesiarum —. Nuper siquidem Beneventana ecclesia, per liberam resignationem dilecti filii Adenulphi, quondam archiepiscopi Beneventani, in manibus dilecti filii nostri Petri, Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, sponte factam et ab eo de mandato nostro receptam, solatio destituta pastoris, nos, provisionem, faciendam dicte ecclesie de prelato, dispositioni Sedis Apostolice specialiter reservantes, — ad te, ordinis Fratrum Heremitarum professorem, in sacerdotio constitutum, quem eminenti litterarum scientia preditum, virum quoque vite preclare, conversationis humilime, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum ac aliis virtutum donis divinitus tibi traditis multipliciter insignitum novimus, direximus oculos mentis nostre, proinde igitur — te — eidem ecclesie in archiepiscopum prefecimus et pastorem, et subsequenter tibi fecimus per venerabilem fratrem nostrum Th[eodoricum], episcopum Civitatis Papalis, munus consecrationis impendi —. Dat. Anagnie, iii non. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono et capitulo ecclesie Beneventane — clero civitatis et diocesis — populo civitatis Beneventane — universis vassallis — universis suffraganeis.*

4741 (CCXXVIII) Anagni, 31 août 1302.

« Fratri Paulo, electo Nepesino. Preficitur in episcopum Nepesinum. » (fol. 211.)

Fratri Paulo, episcopo Nepesino. Suscepti cura regiminis —.

Suprascriptus, Frater ordinis Minorum, Nepesinæ ecclesiæ, cui « dudum per translationem per nos factam de bone memorie Fratre Angelo, quondam Nepesino episcopo, ad Reatinam ecclesiam », vacanti, de Alamanno, canonico ecclesiæ Sancti Flaviani de Montefalcone, Viterbiensis diocesis duxerat providendum dominus papa, « qui provisioni hujusmodi sua sponte renuit consentire », præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, ii kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *capitulo ecclesie Nepesine — clero — populo.*

Potthast, 25173.

4742 (CCXXVIIII) Anagni, 27 août 1302.

« Fernando, electo Colimbriensi. Preficitur in episcopum Colimbriensem. » (fol. 211 v°.)

Fernando, electo Colimbriensi. Ad exercendum universalis —. Olim siquidem Colimbriensi ecclesia, per obitum bone memorie Petri — pastoris regimine destituta, dilecti filii . . decanus et capitulum — certa die ad eligendum prefixa — convenerunt — per viam scrutinii procedendo — pars una ipsorum Egeam Laurentii, decanum Ulixbonensem, reliqua vero Franciscum Dominici, rectorem eccle-

sie Sancte Marie de Alcazena Santarenensis, Ulixbonensis diocesis, Colimbrienses canonicos, ad ejusdem ecclesie Colimbriensis regimen in discordia elegerunt. Hujusmodi autem electionum negotio, per appellationem ad Sedem Apostolicam devoluto, demum prefati Egeas et Franciscus sic electi, cum essent in nostra presentia constituti — resignarunt. Nosque — provisionem faciendam eidem Colimbriensi ecclesie — Apostolice Sedis ea vice dispositioni et ordationi duximus reservandam — et — predictis Egee et Francisco ac aliis canonicis Colimbriensibus, qui tunc apud predictam Sedem personaliter existebant, injunximus, ut nominarent nobis aliquos probos viros, quos ad gerendum ipsius Colimbriensis ecclesie regimen magis ydoneos reputarent, sicque aliqui ex eisdem canonicis, inter alios nominatos ab eis, te, Burgensem canonicum, nominarunt. Nos igitur — te ipsi ecclesie Colimbriensi preficimus in episcopum —. Dat. Anagnie, VI kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Colimbriensis — clero — universis vassallis — populo civitatis et diocesis — venerabili fratri archiepiscopo, Bracharensi — carissimo in Christo filio regi Portugalie illustri.*

4743 (CCXXX) Anagni, 14 septembre 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro eodem » usque ad summam quinque millium florenorum auri. (fol. 212.)

Fernando, electo Colimbriensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, XVIII kal. octobris, anno VIII°.

4744 (CCXXXI) Anagni, 19 septembre 1302.

« Executoria de mutuo pro eodem. » (fol. 212.)

Dilectis filiis . . preposito Pistoriensis, et . . archidiacono de Aureliaco, Claromentensis cclesiarum, ac . . officiali Nemausensi. Cum sicut dilectus —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum quatuor millium et sex centorum florenorum, de summa quinque millium florenorum auri, quos Fernandus, electus Colimbriensis, recepit a Baldo Raynerii Floravantis, et Nello Andree, sociis, civibus et mercatoribus Pistoriensibus, de societate Clarentum de Pistorio, mutuantibus nomine suo ac Clarentini Anselmi, Merguliese Brachii, Puttii Floravantis, Marsoppini Clarentis, Conradi Gai, Ranerii Morgiani, Philippi et Johannis Floravantis, Cini et Mocchi Pepi Jacobi Clarentis, Pauli et Bartholomei Johannis Bonini et Radulfi Gerardini, Anselmi, Bartholomei Symonis, Anselmi Andree Merguliesis, Johannis Ildebrandini et Johannis Puttii de societati predicta.

Dat. Anagnie, XIII kal. octobris, anno octavo.

4745 (CCXXXII) Anagni, 9 septembre 1302.

« Petro, episcopo Trojano. Preficitur in episcopum Trojanum. » (fol. 212.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Trojano. Dum attente considerationis —.

Dudum ecclesia Trojana, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bonæ memoriæ Rogerii episcopi vacante, primo Thomasius, præpositus ecclesiæ de Fossa, Aquilegensis diocesis, qui assentiri noluit, dehinc Guillelmus Abirandi, sacrista ecclesiæ Ruthenensis, qui recusavit similiter, postmodum Frater Petrus de Cataneto, ordinis Minorum, per compromissum, electi fuere. At prædicto Fratre Petro viam universæ carnis ingresso, iterum per compromissum, in Paschalem, decanum, Johannem, cantorem et Jacobum Alexandri, canonicum ecclesiæ Trojanæ factum, suprascriptus, Frater ordinis Minorum, electus fuit, qui electioni consentiens, una cum procuratoribus capituli, dominum papa pro confirmatione adiit, sed, electionis electique examine Matthæo, episcopo Portuensi, Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero, ac Riccardo, Sancti Eustachii diacono cardinalibus, commisso, post hujusmodi examinationem, electus omne jus, si quod sibi ex electione competebat, resignavit. Hujusmodi resignatione recepta et collatione dictæ ecclesiæ sibi reservata, ipsum electum præfecit dominus papa eidem ecclesiæ in episcopum et a Portuensi episcopo consecrari mandavit.

Dat. Anagnie, v id. septembris, anno octavo.

POTTHAST, 25176.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo.*

4746 (CCXXXIII) Anagni, 7 juillet 1302.

« Super provisione de abbate in monasterio Sancti Georgii supra Ligerim. » (fol. 212 v°.)

Archiepiscopo Turonensi. Licet erga statum —. Vacante siquidem dudum monasterio Sancti Georgii supra Ligerim, ordinis sancti Augustini, Andegavensis diocesis, per obitum quondam Roberti, abbatis ipsius, dilecti filii . . prior et conventus — die ad hoc prefixa con-

venientes in unum, Nicolaum, priorem de Chazeyo, canonicum dicti monasterii, per viam compromissi, in abbatem ejusdem monasterii elegerunt. Cumque fuisset hujusmodi electio publicata dictusque Nicolaus consensisset eidem, presentato tandem venerabili fratri nostro . . episcopo Andegavensi electionis predicte decreto, nonnulli ex canonicis dicti monasterii, se prefato Nicolao, ne predicta confirmaretur electio, opponentes, contra ipsum certis ex causis ad Sedem Apostolicam appellarunt; eodem itaque Nicolao, pro se, ac Hellegono de Bruc, ejusdem monasterii canonico, pro dictis opponentibus, pro hujusmodi prosequendo negotio, ad Sedem accedentibus prelibatam, nos hujusmodi causam — Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali, commisimus audiendam, coram quo dictus Hellegonus contra eundem Nicolaum plura objecit crimina et defectus, prout ex relatione cardinalis ipsius facta nobis intelleximus diligenter. Nos autem — fraternitati tue — mandamus, quatinus, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, electionem predictam et ejusdem Nicolai merita diligenter examinans, si electionem eandem repereris de persona ydonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra confirmes —. Alioquin, ea rite cassata, provideas hac vice, auctoritate predicta, eidem monasterio de persona ydonea, de ipsius dumtaxat monasterii gremio assumenda —. Dat. Anagnie, non. julii, anno octavo.

4747 (CCXXXIII) Anagni, 16 août 1302.

« Nobili viro Francisco Ursi de filiis Ursi de Urbe. Confertur sibi castrum Civitelle, Foroliviensis diocesis. » (fol. 212 v°.)

Nobili viro Francisco Ursi de filiis Ursi de Urbe. Romana mater Ecclesie —.

Suprascripto et ejus heredibus castrum Civitellæ, Foroliviensis diocesis, quod ad Columpnenses scismaticos, tempore confiscationis contra eos latæ, spectabat, per eamdem confiscationem Romanæ Ecclesiæ pertinens, conceditur in feudum perpetuum, ita quod vassallagium facere ac fidelitatis præstare juramentum pro eodem feudo teneatur et teneantur.

Dat. Anagnie, XVII kal. septembris, anno octavo.

4748 (CCXXXIIII *bis*) Anagni, 30 août 1302.

Dispensatio super pluralitate. (fol. 213.)

Magistro Guillelmo de Rupeforti, thesaurario Briocensi. Tua et tuorum —.

Suprascripto, obtentu G[entilis], tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro eo supplicantis, conceditur, ut ecclesiam parochialem de Noyal, Venetensis diocesis, tunc vacantem per obitum quondam Oliverii de Sancto Johanne, quam dominus papa eidem Guillelmo absenti contulit, retinere possit, una cum thesauraria ecclesiæ Briocensis, quam, ejusdem collationis ignarus, post mortem quondam magistri Guillelmi de Portis, per episcopum Briocensem ei collatam, recepit, nec non canonicatu et præbenda, quos in eadem Briocensi obtinet ecclesia, ac capella sua Sanctæ Mariæ de Menulferan, Constantiensis diocesis, cui cura non imminet animarum.

Dat. Anagnie, III kal. septembris, anno VIII°.

4749 (CCXXXV) Anagni, 11 septembre 1302.

« Confertur Francisco Raynaldi Paraventi de Tuderto prioratus secularis ecclesie Sancti Angeli de Sutria, Asisinatis diocesis. » (fol. 213.)

Francisco, nato dilecti filii nobilis viri Raynaldi quondam Paraventi de Tuderto, priori secularis ecclesie Sancti Angeli de Sutria, Asisinatis diocesis. Sincere devotionis —.

Suprascripto prioratum dictæ ecclesiæ, cui cura imminet animarum, per obitum quondam Petri Paraventi, patrui ejus, qui apud civitatem Tudertinam diem clausit extremum, vacantem et antea Apostolicæ dispositioni reservatum, obtentu M[atthæi], episcopi Portuensis, et G[entilis, Sancti Martini in Montibus, presbyteri, et P[etri], Sanctæ Mariæ Novæ diaconi cardinalium, pro eo supplicantium, confert dominus papa, non obstante quod, tantummodo clericali caractere insignitus, in quarto decimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Anagnie, III id. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Petri Asisinatis et magistro Raynaldo Carotii, Pictavensis, ac Petro de Collazono, Faventine ecclesiarum canonicis.*

4750 (CCXXXVI) Anagni, 8 août 1302.

Mandatur citari Guillelmus, abbas monasterii Usercensis, Lemovicensis diocesis. » (fol. 213 v°.)

Dilectis filiis . . priori monasterii de Briva, per priorem soliti gubernari, Lemovicensis diocesis, et . . archidiacono Marchie in ecclesia Lemovicensi ac Iterio de Barrio, canonico Lemovicensi. Cum fraus et dolus —. Sane dilectus

filius Hugo Laporta, monachus et infirmarius monasterii Usercensis, Lemovicensis diocesis, nuper exposuit coram nobis, quod, cum inter Guillelmum, abbatem ipsius monasterii, ex parte una, et Girbertum de Corso, ejusdem monasterii monachum, nomine tuo, ex altera, super homicidio, symonia et dilapidatione bonorum prefati monasterii et nonnullis aliis, per eundem abbatem, ut dicitur, commissis excessibus, coram venerabili fratre nostro Theoderico, episcopo Civitatis Papalis, auditore super hoc a nobis deputato, questio verteretur, tandem coram eo inter ipsas partes in dicta causa lite legitime constestata et de calumpnia et veritate dicenda prestito juramento, iidem abbas et Girbertus adinvicem in causa hujusmodi colluserunt. Hujusmodi autem collusione coram predicto cardinali per eundem Hugonem proposita, ipsisque abbate et monacho collusoribus, ad instantiam dicti Hugonis per cardinalem citatis eundem, et super hoc comparentibus coram ipso, ac per eundem Hugonem, in assignato ad id termino, contra collusores prefatos et super collusione ipsa exhibitis quibusdam articulis, et copia eorum per eundem cardinalem adverse parti decreta, et in hujusmodi causis dilatione pendente, iidem abbas et Girbertus, non obtenta licentia nec petita, de Romana Curia, recesserunt.

Mandatur suprascriptis, quatinus eundem abbatem « in persona propria, si comode presentia ejus haberi poterit, alioquin in dicto monasterio publice ac solemniter », peremptorie citare curent, ut infra duorum mensium spatium compareat personaliter coram domino papa.

Dat. Anagnie, vi id. augusti, anno viii°.

4751 (ccxxxvii) Anagni, 15 septembre 1302.

« Super provisione decanatus et prebende cum prestimoniis ecclesiis Ovetensis. » (fol. 213 v°.)

Venerabili Fernando, episcopo, et dilectis filiis capitulo Ovetensi. Ecclesiam vestram —.

Supplicanti suprascripto episcopo indulgetur, ut, ea vice, providere valeat capitulum de decanatu per electionem canonice celebrandam et per episcopum confirmandam, episcopus, cum consensu capituli, de canonicatu, et per se tantum de præstimoniis, quæ Gundisalvus, episcopus Legionensis, olim decanus Ovetensis, ante promotionem suam obtinebat, et quorum collatio, per consecrationis munus ei apud Sedem Apostolicam impensum, Apostolicæ dispositioni pertinet.

Dat. Anagnie, xvii kal. octobris, anno octavo.

4752 (ccxxxviii) Anagni, 14 semptembre 1302.

« Quod possit conferre hac vice beneficia ecclesiastica que tanto tempore vacaverunt etc. in sua civitate et diocesi. » (fol. 214.)

Venerabili fratri Fernando, episcopo Ovetensi. Volentes tuam —. Dat. Anagnie, xviii kal. octobris, anno viii°.

4753 (ccxxxviiii) Anagni, 30 juillet 1302.

« Dispensatur super pluralitate cum magistro Guillelmo de Ocham, rectore ecclesie de Langetono, Eboracensis diocesis. » (fol. 214.)

Magistro Guillelmo de Ocham, clerico et familiari venerabilis fratris nostri Antonii, episcopi Dunelmensis, rectori ecclesie de Langetono, Eboracensis diocesis. Personam tuam, litterarum scientia preditam, aliisque meritis probitatis adjutam libenter prosequimur prerogativa favoris et gratie specialis. Volentes itaque tibi, hujusmodi meritorum obtentu, et consideratione venerabilis fratris nostris Antonii, episcopi Dunelmensis, pro te nobis in hac parte humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, tecum, auctoritate Apostolica dispensamus, ut, preter ecclesiam de Langetono, Eboracensis diocesis, curam animarum habentem, quam te canonice obtinere proponis, archidiaconatum Stowie in ecclesia Lincolniensi, cui similis cura imminet, nunc vacantem, ut asseris, et nulli alii de jure debitum, si tibi canonice offeratur, licite recipere, ac una cum predicta ecclesia de Langetono retinere libere valeas, constitutione generalis concilii et qualibet alia contraria non obstante : proviso quod predicta ecclesia et archidiaconatus prefatus, cum illum fueris pacifice assecutus, debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo, et cetera, nostre dispensationis, et cetera. Dat. Anagnie, iii kal. augusti, anno octavo.

4754 (ccxl) Même date.

« Confertur prebenda ecclesie Saresbiriensis Johanni de Orrebi » (fol. 214.)

Johanni de Orrebi, canonico Saresbiriensi. Apostolice Sedis benignitas —.

Suprascripto, consideratione Antonii, episcopi Dunelmensis, pro eo, consanguineo suo, supplicantis, canonicatus in ecclesia Saresbiriensi confertur vacans vel vacaturus reservatur.

Dat. ut supra.

4755 (CCXXXXI) Anagni, 7 août 1302.

« Conceditur indulgentia de fructibus percipiendis Gerardo, nato quondam Lanfranci de Pistorio. » (fol. 214.)

Gerardo dicto Blanco, nato quondam Lanfranci de Pistorio, olim nostre camere mercatoris, canonico Remensi. Dudum volentes personam —.

Suprascripto, consideratione patris ejus, renovatur, pro altero quinquennio, indulgentia de fructibus percipiendis in absentia, insistendo studio litterarum ubi illud generale vigeret.

Dat. Anagnie, VII id. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito Pistoriensis, et . . archidiacono Brugensi, Tornacensis, et . . thesaurario Baiocensis ecclesiarum.*

4756 (CCXXXXII) Anagni, 10 août 1302.

Reservatur beneficium ecclesiasticum in Florentina vel Fesulana civitatibus vel diocesibus.

Ad perpetuam rei memoriam. Ex certis considerationibus, que ad id nostrum animum movent, excitati, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, etiam si dignitas vel personatus existat — si quod in Florentina vel Fesulana civitatibus vel diocesibus vacat ad presens vel proximo vacaturum, quod, postquam nobis de hujusmodi beneficii vacatione constiterit, infra unius mensis spatium, duxerimus eligendum, conferendum per nos cui voluerimus, donationi nostre specialiter reservamus. Dat. Anagnie, IIII id. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Vallisumbrose, Fesulane diocesis, et . . Sancti Pancratii Florentini monasteriorum abbatibus.*

4757 (CCXXXXIII) Anagni, 12 août 1302.

« Confertur magistro Guillelmo de Campellis in Pertico prebenda ecclesie Carnotensis. » (fol. 215.)

Magistro Guillelmo de Campellis in Pertico, legum professori, canonico Carnotensi. Apostolice Sedis circumspecta —.

Suprascripto, consideratione nobilis viri Caroli, nati claræ memoriæ Phylippi regis Francorum, comitis Andegavensis, cujus cancellarius existit, pro eo supplicantis, canonicatum et dignitatem in ecclesia Carnotensi confert dominus papa vacantes vel vacaturos reservat, non obstante quod in Parisiensi, Turonensi, Aurelianensi ac Omnium Sanctorum de Mauritania, Sagiensis diocesis, ecclesiis canonicatus noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, II id. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Sancti Martini Andegavensis, et . . de Augo, Rothomagensis, ac . . de Gaceyo, Lexoviensis archiadiaconis ecclesiarum.*

4758 (CCXXXXIIII) Anagni, 24 août 1302.

« Conceditur abbati et conventui Sancte Marie de Palatiolis, Cisterciensis ordinis, Albanensis diocesis, monasterium Sancti Angeli de Valle Arcensi, ordinis sancti Benedicti, Tiburtine diocesis. » (fol. 215.)

Dilectis filiis . . abbati et conventui monasterii Sancte Marie de Palatiolis, Cisterciensis ordinis, Albanensis diocesis. Quia multe sunt —.

Monasterium Sancti Angeli de Valle Arcensi, ordinis sancti Benedicti, Tiburtine diocesis, quod, « sicut nuper ex vestra et aliorum fide dignorum relatione percepimus », « propter insolentiam . . abbatis et monachorum ejusdem, qui, nimis exorbitantes a via salutis et observantie regularis, ad tantam etiam devenerunt infamiam, quod idem abbas ipsos abjecit monachos, ac venerabilis frater . . episcopus Tiburtinus auctoritate ordinaria, predictum abbatem amovit et expulit a monasterio memorato, in quo, ad presens, nullus immoratur », derelictum totaliter et expositum desolationi remansit, suprascriptis conceditur in perpetuum.

Dat. Anagnie, VIIII kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Anastasii, et . . Sancti Sebastiani de Urbe monasteriorum abbatibus ac . . archidiacono Cameracensi.*

4759 (CCXXXXV) Anagni, 1er juillet 1302.

Statuitur certus clericorum numerus in ecclesia Sancte Balbine Anagnina. (fol. 215 v°.)

Archipresbytero et clericis ecclesie Sancte Balbine Anagnine. Dignum est —.

Ad preces eorum, taxat dominus papa quaternarium clericorum numerum in dicta ecclesia, archipresbytero computato.

Dat. Anagnie, kal. julii, anno octavo.

4760 (CCXXXXVI) Anagni, 5 août 1302.

« Dispensatur cum Roberto de Fekenham, monacho monasterii Sancti Augustini Cantuariensis. » (fol. 215 v°)

Roberto de Fekenham, monacho monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ordinis sancti Benedicti. Tue devotionis —. Sane petitio tua, nuper nobis exhibita, continebat, quod, te olim, antequam religionem intrares, Parisiis studiis scolasticis insistente, orta fuit inter scolares Anglicane nationis, ex parte una, et scolares nationis Picardie, ibidem morantes, ex altera, scandalosa contentio generalis, et, dum quodam die ipsi scolares Picardie, contra quosdam ex dictis scolaribus Anglicanis ad hospitium, in quo scolares ipsi Anglicani morabantur, darent insultum, tu, cum aliis scolaribus Anglicanis generaliter ad defensionem predictorum scolarium, contra quos insultus fiebat hujusmodi, occuristi. Cumque prefati scolares utriusque predictarum nationum preliarentur ad invicem tuque cum eis in bello ipso concurreres, contigit quod aliqui, letaliter, aliqui vero, leviter fuerunt in bello hujusmodi vulnerati, quorum unus ab alio sagitta percussus, ibidem ex percussione hujusmodi expiravit. Et, licet quosdam in bello ipso percusseris, nullus tamen ex ictu tuo mortem vel membri mutilationem incurrit. Postmodum vero, in ordine sancti Benedicti, quem professus agnosceris, religionem ingressus, quatuor minores ordines suscepisti, dispensatione aliqua super hoc a Sede Apostolica non obtenta. Demum autem abbas tuus, qui tunc erat, ex commissione penitentiarii dicte Sedis, super irregularitate inde contracta et ut posses in hujusmodi susceptis ordinibus ministrare, de speciali gratia, dispensavit. Cum autem desideres, sicut asseris, ad sacros ordines promoveri, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de ampliori gratia dignaremur.

Dispensatur cum eo.

Dat. Anagnie, non. augusti, anno octavo.

4761 (CCXXXXVI *bis*) Anagni, 25 août 1302.

Indultum de celebrandis solemnibus et prædicando verbo Dei. (fol. 216.)

Dilectis filiis . . generali ac universis prioribus et fratribus Heremitarum ordinis Sancti Augustini. Meruit apud Sedem —.

Suprascriptis conceditur facultas celebrandi solemnia necnon prædicandi in quolibet conventuali loco eorum ordinis et convocandi ad hoc populum, singulis annis, in festo Sancti Augustini et per octabas ejusdem sancti.

Dat. Anagnie, VIII kal. septembris, anno octavo.

4762 (CCXXXXVII) Anagni, 20 septembre 1302.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Urgellensi. » (fol. 216.)

Nobili viro Bernardo Amat de Cardona et dilecte in Christo filie nobili mulieri Constancie, nate quondam Galcerandi de Pinos, militis, Urgellensis diocesis. Cum summus —.

Ad preces Jacobi, regis Majoricarum illustris, qui dictæ Constantiæ consanguinitatis linea asserit se attinere, indulgetur suprascriptis, ut eadem possit cum suprascripto matrimonium contrahere, non obstante quarto consanguinitatis gradu, Bernardo a communi stipite, tertio, ex uno latere, Constantia, quarto gradu, ex altera, distantibus.

Dat. Anagnie, XII kal. octobris, anno octavo.

4763 (CCXXXXVIII) Anagni, 28 juin 1302.

« Quod possint permutare quamdam domum, quam habent in civitate Ferentinati, cum Branca Egiptii de Ferentino, milite. » (fol. 216)

Preceptori et fratribus hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe. Ex parte vestra —.

Suprascriptis quamdam domum, sitam in civitate Ferentinati, in parrochia Sancti Pancratii, juxta domum Brance Egiptii de ipsa civitate, militis, et juxta viam publicam a duobus lateribus, dicto hospitali pertinentem, licentia conceditur permutandi cum dicto milite cui dicta domus est valde utilis. « Volumus autem, ut, si dictam domum vendi contingat, pretium, quod ex venditione hujusmodi provenire contigerit, convertatur in evidentem utilitatem hospitalis ejusdem, ita quod quam citius comode fieri poterit in emptionem rerum immobilium applicandarum hospitali predicto convertatur, que res immobiles cedant loco predicte domus et ejus naturam et conditiones per omnia sortiantur. »

Dat. Anagnie, IIII kal. julii, anno octavo.

4764 (CCXXXXVIIII) Anagni, 14 août 1302.

« Confertur magistro Bartholomeo de Cornazano archidiaconatus de Villamuro in ecclesia Tholosana. » (fol. 216.)

Magistro Bartholomeo de Cornazono, capellano nostro, archidiacono de Villamuro in ecclesia Tholosana, ordinis sancti Augustini. Litterarum scientia —.

Archidiaconatus de Villamuro, consuetus ab olim clericis secularibus assignari, per mortem quondam Gerardi Blanci, « qui pridem in civitate Neapolitana diem clausit extremum, » vacans et Apostolicæ dispositioni reservatus, confertur suprascripto, non obstante quod primam tantum tonsuram habet clericalem.

Dat. Anagnie, XVIIII kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Saturnini Tholosani et Guidotto de Mediolano, capellano nostro, archidiacono Pergamensi, ac . . archipresbytero de Culiculo, Parmensis diocesis.*

4765 (CCL) Anagni, 18 juillet 1302.

« Indultum pro Guidone, nato Jacobi Johannis Berardi. » (fol. 216 v°.)

Dilecto filio Guidoni, nato dilecti filii Jacobi Johannis Berardi, canonico Asisinatensi. Dudum volentes —.

Suprascripto, cui, consideratione Guidonis, prioris ecclesiæ Asisinatensis, cujus nepos existit, beneficium ecclesiasticum in dicta ecclesia collatum fuit, indulgetur ut id assequi valeat, non obstante quod « in litteris ipsis per errorem mentio facta non extitit de quibusdam proventibus panis et vini, quos de gratia capituli ipsius » percipiebat in eo.

Dat. Anagnie, XV kal. augusti, anno octavo.

4766 (CCLI) Anagni, 2 septembre 1302.

« Uberto, electo Bononiensi, super facto decime. » (fol. 217.)

Dilecto filio Uberto, electo Bononiensi, collectori decime, per nos dudum imposite ad triennium pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes, in Ravennati et Romaniole provinciis et civitatibus ac diocesibus earumdem aliisque locis infra earum confines constitutis, deputato. In eminenti Sedis —.

Suprascriptum in collectione dictæ decimæ subtituit dominus papa bonæ memoriæ J[ohanni], episcopo Bononiensi, prædecessori ejus, facultates dicto prædecessori concessas et instructiones ei datas memorando.

Dat. Anagnie, IIII non. septembris, anno octavo.

4767 (CLII) Anagni, 2 septembre 1302.

« Super eodem. » (fol. 217 v°.)

Eidem. Commissa dudum —.

Suprascripto renovat mandatum dominus papa, quod prædecessori ejus dedit de pecunia, quam de ipsa decima ad eum pervenire contigerit, mercatoribus societatis Bardorum de Florentia assignanda, per eosdem mercatores domino papæ, in Romana Curia, persolvenda, impensa prius mercatoribus societatis Clarentum de Pistorio satisfactione quingentarum et quinquaginta unciarum auri de summa quatuor millium unciarum, quas iidem mercatores Carolo, regi Siciliæ, mutuaverunt.

Dat. Anagnie, IIII non. septembris, anno octavo.

4768 (CCLIII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 218.)

Eidem. Accepto dudum ex relatione —.

Eidem renovat mandatum, prædecessori ejus factum, de assignanda pecunia, regi Carolo mutuata, mercatoribus societatis Clarentum de Pistorio.

Dat. ut supra.

4769 (CCLVIIII) Même date.

« Episcopo Florentino, super quodam statuto in ecclesia Sancte Marie supra Portam Florentina. » (fol. 218 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Florentino. Exhibita nuper nobis dilecti filii Friderici Bartholi de Bardis, prioris secularis ecclesie Sancte Marie supra Portam Florentine, petitio continebat, quod in ecclesia ipsa, cujus prioratum nos ei nuper de speciali gratia duximus conferendum, habentur statuta, juramento firmata, quod in eadem ecclesia per ipsius priorem et capitulum camerarius eligatur, ad cujus manus proventus ejusdem ec-

clesie debeant provenire, et quod priori, qui pro tempore foret ibidem, certa prebenda vel portio de bonis ipsius ecclesie assignetur, quodque prior et canonici ecclesie memorate, cum de novo creantur in ipsa, de hujusmodi statutis servandis, priusquam ibi recipiantur, prestare debeant juramentum. Quare dictus Fredericus nobis humiliter supplicavit, ut, cum statuta predicta, occasione cujusdam ipsius ecclesie prioris, qui prodigus erat et ejusdem bonorum dilapidator ecclesie, facta fuissent, ac ex eis scandala possent in dicta ecclesia verisimiliter exoriri, ipseque dictam ecclesiam ad laudem Dei et honorem Apostolice Sedis intendat salubriter gubernare, super revocatione statutorum eorumdem providere de oportuno remedio dignaremur.

Mandatur suprascripto, ut, si pensatis diligenter circumstantiis, prædictæ ecclesiæ viderit expedire, statuta revocet.

Quod si statuta eadem ipsi ecclesie utilia fore repereris, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, illa facias auctoritate nostra firmiter observari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, et cetera usque : compescendo. Dat. ut supra.

4770 (CCLV) Anagni, 18 juin 1302.

Magistro Guillelmo de Sayssac canonico Aniciensi, super facto prebende Aniciensis. (fol. 218 v°.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Sayssac, canonico Anitiensi. Digne agere credimus —. Quia igitur litterarum scientiam, honestatem morum, conversationem vite laudabilis et aliarum virtutum merita tibi accepimus suffragari, personam tuam libenter prosequimur favore gratie specialis. Nuper siquidem in nostra proposuisti presentia constitutus, quod nos olim pro te, quem in jure civili examinari fecimus quique per examinationem hujusmodi fuisti repertus ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, venerabili fratri nostro . . episcopo Anitiensi nostris sub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut te in sua cathedrali vel alia collegiata ecclesia sue civitatis vel diocesis, per se vel alium seu alios, ex tunc recipi faceret in canonicum et in fratrem, sibique de prebenda, nulli alii de jure debita, si qua in ipsa ecclesia tunc vacabat vel quam primum ad id se facultas offerret, providere curaret, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Dictus autem episcopus, forma predictarum litterarum exacta diligentia observata, canonicatum et prebendam in eadem Anitiensi ecclesia, per mortem quondam Dalmatii de Gorsia, canonici ejusdem ecclesie, tunc vacantes, nulli alii de jure debitos, canonice tibi auctoritate litterarum contulit predictarum, certis ad hoc tibi executoribus deputatis, quibus inter cetera per suas injunxit litteras ut te ad eandem prebendam recipi facerent [1] in ipsa Anitiensi ecclesia in canonicum et fratrem, stallo tibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie assignatis. Verum, cum dicti executores procederent ad executionem hujusmodi faciendam, Bertrandus de Sereis, canonicus ejusdem ecclesie, super hoc tibi temere se opponens, portam domus capituli ecclesie supradicte, ad quam iidem executores accedebant pro executione facienda, ne processus fieri possent in talibus consueti, clavi firmavit seu portam ipsam claudi et firmari per alium procuravit, et nichilominus ab hujusmodi processibus tam episcopi quam executorum predictorum, pro te habitis, tam idem Bertrandus quam Garinus de Sereys, ejusdem Bertrandi frater, ac Falco de Spoleto, canonici Anitienses, quibus Guillelmus Radulphi, Anitiensis canonicus, dicitur postmodum adhesisse, falso ac mendaciter asserentes te fore in proprio corpore vitiatum, quod unicam tantum manum habebas, cum qua comode ac congrue posses divina officia celebrare, pro eo quod in altera manu morbum incurabilem et deformitatem patiebaris tunc, et passus fueras ante, nec te juvare poteras de eadem, ac ex eo etiam quod luscus fueras et eras taliter, quod discernere, ut decebat, divina officia non valebas, ad Sedem Apostolicam semel et iterum appellaverunt. Negotio autem appellationum hujusmodi ad Sedem deducto predictam, nos dilecto filio magistro Beltramo de Mediolano, capellano nostro et causarum nostri palatii auditori, causam hujusmodi audiendam commisimus et fine debito terminandam. Pro parte vero ipsorum canonicorum, adversariorum tuorum, tam per appellationes predictas, quam per articulos coram auditore predicto exhibitos in judicio in causa prefata, iterato contra te predicta vitia seu defectus objecta mendaciter extiterunt, exhibitis pro parte ipsa in eodem judicio quibusdam articulis, in quibus vitia seu defectus hujusmodi fore publica et notoria dicebantur. Cumque postmodum, occupatione depressus et festinantia impeditus, non valens hec omnia seriosius enarrare, proposuisses presentialiter coram nobis, quod predicti canonici calumpniose tibi objecerant, quod non habebas oculos neque manus, quorum evidenter contrarium apparebat, nos, hujusmodi negotium dilecto filio nostro Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, duximus committendum : ita videlicet quod, si inveniret hujus-

1. *Ms* : faceret.

modi objectus predictorum canonicorum sic per te propositos veritate destitui, non obstantibus quibuscumque aliis tibi factis objectibus per eosdem, ad executionem prefate gratie, facte tibi de predictis canonicatu et prebenda, procederet ac eosdem canonicos personaliter ad Romanam Curiam evocaret, pro meritis recepturos. Idem vero cardinalis, super hoc diligentius indagato, quia non invenit juxta propositionem tuam objectus hujusmodi processisse, videlicet quod careres oculis ac manibus, ut dixisti, quamvis invenerit fuisse tibi, ut prefertur, objectum quod eras corpore vitiatus, adeo quod non nisi unicam manum habebas, cum qua posses congrue ac comode divina officia celebrare, pro eo quod morbum incurabilem et deformitatem patiebaris in altera, et quod eras luscus taliter quod discernere divina officia non valebas, facta super hoc relatione fideli in nostro consistorio coram nobis, in penam tuam, propter hujusmodi variationem per te habitam in propositione objectuum predictorum te canonicatu et prebenda, et omni jure quod tibi competebat in eis, de mandato nostro, vive vocis oraculo sibi facto, privavit. Quare nobis humiliter supplicasti, ut, agentes tecum misericorditer in hac parte, providere tibi super hiis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod, licet prefata propositio tua super objectis tibi vitiis seu defectibus supradictis non plene concordaverit cum predictis objectibus factis tibi exinde in appellationibus et aliis supradictis, quia tamen objectus iidem, velut a veritate discrepantes, [non] ab iniquitate ac malitia processerunt, et propterea nolentes, ut facte tibi gratie supradicte frustreris effectu; non obstantibus predictis appellationibus et prescriptis ac quibuslibet aliis objectibus, in prefata causa per predictos canonicos et quoscumque alios emissis quomodolibet contra te, ac prefata privationis sententia et quibuslibet processibus in eadem causa habitis, quorum omnium impedimentum tollimus et obstaculum submovemus, te ad predictos canonicatum et prebendam et omne jus, quod ante predictam sententiam tibi competebat in eis, plene restituimus de gratia speciali, eisdem canonicis et quibuslibet aliis adversariis tuis in negotio memorato super contradictionibus, appellationibus et objectionibus memoratis perpetuum silentium imponentes, de Apostolice plenitudine potestatis, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si super hiis secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre restitutionis et constitutionis et cetera. Si quis, et cetera. Dat. Anagnie xiii kal. julii, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . episcopo Anitiensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Theoffredi ac magistro Uguitioni de Vercellis, capellano nostro, canonico Brugensi, Anitiensis et Tornacensis diocesium.*

4771 (CCLVI) Anagni, 24 septembre 1302.

« Roberto, episcopo Clugiensi. Preficitur in episcopum Clugiensem. » (fol. 219.)

Venerabili fratri Roberto, episcopo Clugiensi. Rationis oculis —. Dudum siquidem Clugiensi ecclesia, per obitum bone memorie Herrici pastoris solatio destituta, due in ea electiones, una videlicet de Luca, vicario venerabilis fratris nostri . . episcopi Castellani, reliqua vero de Jacobo, presbytero, cancellario dilecti filii nobilis viri ducis Venetiarum, fuerunt a canonicis ipsius ecclesie in discordia celebrate, ac contra eundem cancellarium, certis de causis, per dilectum filium Marcum Guandelini, clericum Clugiensem, ad Sedem extitit Apostolicam appellatum. Porro iidem Lucas et Jacobus, pro electionum ipsarum negotio prosequendo ad Sedem Apostolicam accedentes, demum in nostra presentia personaliter constituti — resignarunt.

Suprascriptum, ordinis Fratrum Heremitarum professorem, in sacerdotio constitutum, præficit dominus papa dictæ ecclesiæ in episcopum, consecrationis munere ei per L[eonardum], episcopum Albanensem, impenso.

Dat. Anagnie viii kal. octobris, anno viii°.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Clugiensis — clero — populo civitatis et diocesis — . . duci, consilio et comuni Venetiarum.*

4772 (CCLVII) Anagni, 1er septembre 1302.

« Confertur Radulpho Savage prebenda ecclesie Cicestrensis. » (fol. 219 v°.)

Dilecto filio Radulfo Savage, nato quondam Johannis Savage, militis, canonico Cicestrensi. Laudabile testimonium —.

Suprascripto canonicatum ejus ecclesiæ confert dominus papa vacantem vel reservat vacaturum, non obstante quod parrochialem ecclesiam de Okstede, Wintoniensis diocesis, noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Augustini Cantuariensis et . . priori de Lews, Cicestrensis diocesis, ac . . archipresbytero plebis de Colle, Vulterane diocesis, capellano nostro.*

4773 (CCLVIII) Anagni, 4 juillet 1302.

« Mandatur provideri Bindo Bandinatti, clerico Pisano, de aliquo beneficio ecclesiastico in civitate vel diocesi Pisana. » (fol. 220.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Pisano. Laudabile testimonium —.

Suprascripto mandatur ut Bindo, nato Bandinatti Attati, clerico Pisano, consideratione patris ejus, « si est ydoneus ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, de aliquo ecclesiastico beneficio, secundum sue probitatis merita, competenti, cum cura vel sine cura, » providere procuret.

Dat. Anagnie, IIII non. julii, anno octavo.

4774 (CCLVIIII) Anagni, 22 juin 1302.

« Petro, nato Landonis de Collemedio, scolastico ecclesie Cameracensis. Dispensatur cum eo super facto prebende Cameracensis. » (fol. 220.)

Dilecto filio Petro, nato dilecti filii nobilis viri Landonis de Collemedio, militis Anagnini, scolastico ecclesie Cameracensis. Sincere devotionis affectus, quem tu et tui ad nos et Romanam habetis Ecclesiam, specialis quoque dilectio, qua te ac illos prosequimur, excitant mentem nostram, ut personam tuam prerogativa favoris et gratie prosequamur. Sane exhibita nuper nobis tua petitio continebat, quod, cum venerabilis frater G[uido], episcopus Cameracensis, olim a nobis, ex certis causis, a collatione beneficiorum suspensus ac beneficiorum ad suam collationem spectantium, que, hujusmodi suspensione durante, vacarent, nobis dispositio reservata fuisset, demum nos, suspensionem hujusmodi relaxantes, ipsi episcopo conferendi dicta beneficia, per nos, ut premittitur, reservata, concessimus per nostras certi tenoris litteras facultatem.

Præbendam, quæ per promotionem B[ertrandi], Aurelianensis episcopi, olim canonici Cameracensis, durante ipsa suspensione vacavit et quam suprascripto idem G[uido] contulit, ab onere sacerdotii eximit dominus papa, quod ei imminebat, ex eo quod « prebendam aliam, que proximo ante ipsam vacavit et de qua extitit cuidam alii auctoritate Apostolica provisum, » ab eodem onere dominus papa exemerat et imposuerat proximo vacaturæ.

Dat. Anagnie, x kal. julii, anno octavo.

4775 (CCLX) Anagni, 19 septembre 1302.

« Uberto, electo Bononiensi. Preficitur in episcopum Bononiensem. » (fol. 220 v°.)

Dilecto filio Uberto, electo Bononiensi. Cum nuper venerabilem —.

Suprascriptus, canonicus Laudensis, ecclesiæ Bononiensi præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, XIII kal. octobris, anno octavo.

In e. m. *capitulo — clero — populo — vassallis.*

POTTHAST, 25178.

4776 (CCLXI) Anagni, 19 septembre 1302.

Reginaldo, electo Metensi. Præficitur in episcopum Metensem. (fol 221.)

Dilecto filio Reginaldo, electo Metensi. Circa statum —. Olim siquidem, prefata Metensi ecclesia, per bone memorie Geraldi, Metensis episcopi, obitum, pastoris solatio destituta, nos — provisionem ipsius ecclesie dispositioni et ordinationi Apostolice Sedis et nostre ea vice, auctoritate Apostolica, duximus reservandam. Postmodum vero dilecti filii . . decanus et capitulum, — hujusmodi nostre, prout asseritur, reservationis — ignari, certa die ad eligendum prefixa, — per viam scrutinii procedentes, te, ipsius ecclesie primicerium et canonicum, in suum — episcopum — unanimiter et concorditer elegerunt, et deinde electioni hujusmodi — consensum tuum — impendere curavisti —. Tuque postmodum ac decanus et capitulum supradicti, — per dilectos filios Pontium, canonicum et custodem ipsius ecclesie, et Nicolaum de Pappazuris de Urbe, canonicum et prepositum Beate Marie Rotunde in eadem Metensi ecclesia, propter hoc ad nos specialiter destinatos, predictam electionem — ad nostram notitiam perduxistis. Nos autem, super hujusmodi electionis negotio, cum fratribus nostris collationem habere curavimus diligentem, et tandem electionem ipsam, utpote post et contra reservationem et decretum nostra predicta de facto presumptam, et quicquid secutum fore

dinoscitur ex eadem, justitia cassavimus exigente. Et demum, ad personam tuam — benigne considerationis aciem extendentes, attendentes quoque tantam concordiam tantamque unanimitatem in hac parte decani et capituli predictorum, — te — predicte Metensi ecclesie in episcopum preficimus et pastorem —. Dat. Anagnie, xiii kal. octobris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Metensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis, — venerabili fratri . . archiepiscopo Trevcrensi.*

4777 (CCLXII) Anagni, 5 août 1302.

« Super pluralitate. » (fol. 221 v°.)

Dilecto filio Petro de Laicestria, presbytero, canonico Lichefeldensi. Petitio tua — continebat, quod tu olim, post generale concilium Lugdunense, ecclesiam de Hendono, Londoniensis diocesis, curam animarum habentem obtinens, fuisti ecclesiam de Tornbiri, Wigorniensis diocesis, similem curam habentem, tibi collatam canonice, assecutus. Et demum ecclesiam de Wolfamcote, Conventrensis diocesis, cui cura similis iminet, tibi ab eo qui poterat commendatam, recepisti et retines — dispensatione — a Sede Apostolica non obtenta.

Indulgetur ut dictas ecclesias retinere valeat una cum canonicatibus et prebendis, quos in Lichefeldensi, et de Westebiri, ac de Warwic ecclesiis, predicte Wigorniensis diocesis, obtinet.

Dat. Anagnie, non. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . de Ewesam, et . . Westimonasterii monasteriorum abbatibus, Wigorniensis et Londoniensis diocesium.*

4778 (CCLXIII) Anagni, 1er août 1302.

« Petro, nato nobilis viri Adenulfi de Anagnia, canonico Tornacensi. Liberatur prebenda sua ab onere sacerdotii. » (fol. 222.)

Dilecto filio Petro, nato nobilis viri Adenulfi de Anagnia, canonico Tornacensi. Petitio tua — continebat, quod, licet de prebenda, que in ecclesia Tornacensi vacavit per mortem quondam magistri Johannis de Ipra, canonici Tornacensis, tibi, auctoritate nostra, canonice sit provisum, quia tamen a — capitulo — dubitatur an eidem prebende onus sacerdotii sit annexum, iidem capitulum te, qui es in minoribus ordinibus constitutus, occasione hujusmodi non permittunt dictam prebendam pacifice possidere.

Dictam prœbendam, quamdiu suprascriptus eam tenuerit, ab hoc onere sacerdotii, « si ei forsitan immineat », liberat dominus papa.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis Jacobo Nicolai, Remensis, capellano nostro, et Odoni Adenulfi de Anagnia, Carnotensis, ac Paulo Paczo de Urbe, Noviomensis canonicis ecclesiarum.*

4779 (CCLXIIII) Anagni, 12 août 1302.

Statuitur in ecclesia Sancte Marie Majoris de Alatro certus canonicorum numerus. (fol. 222.)

Dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancte Marie Majoris de Alatro. Gregis dominici —.

Quindenarium canonicorum numerum, abbate computato, taxat dominus papa ad imponendam finem litigiis exortis pro eo quod Nicolaus episcopus et predecessores ipsius dictum numerum, quem antea statuerant, non observaverant.

Dat. Anagnie, ii id. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Salvatoris, et . . Sancti Januarii, ac . . Sancte Marie Rotunde de Alatro secularium ecclesiarum abbatibus.*

4780 (CCLXV) Anagni, 12 juillet 1302.

« Quod inquirat contra Guidonem, Anteradensem et Famagustanum episcopum. » (fol. 222.)

Venerabili fratri . . episcopo Nimociensi. Licet ad reprimendos —. Pervenit siquidem ad audientiam nostram, quod venerabilis frater noster Guido, Anteradensis et Famagustanus episcopus, si dici venerabilis mereatur, suarum fame ac salutis oblitus, dampnabilibus diversarum mercationum quin etiam usurarum lucris intendens, incontinentie laborans vitio ac pravitate symoniaca labefactus, male tractat ecclesiarum sibi commissarum negotia et se pejus, eorum namque bona dilapidat enormiter et consumit, et, ceca cupiditate seductus, absque causa rationabili, luminaria solita, non sine gravi populi

scandalo, in ecclesia Famagustana diminuit ac subtraxit elemosinam consuetam. Idem quoque episcopus, majori excomunicatione ligatus, se divinis immiscere officiis non veretur, nec formidat memoratus episcopus conferre, motu proprio, dignitates et beneficia ecclesiastica, quorum collatio est ad Sedem Apostolicam devoluta. Cum autem hec et alia plura, que nobis de ipsius episcopi pravis actibus sunt relata, si veritate nitantur, absque scandalo dissimulari non possint nec absque periculo tolerari, nos — fraternitati tue — mandamus, quatinus super premissis omnibus et singulis inquiras — diligentius veritatem, que super illis inveneris, fideliter in scriptis redacta, sub tuo inclusa sigillo, ad nostram presentiam transmissurus, prefixo eidem episcopo termino peremptorio novem mensium, hujusmodi prefixionem immediate sequentium, quo personaliter nostro se conspectui representet. Dat. Anagnie, IIII id. julii, anno VIII°.

4781 (CCLXVI) Anagni, 1er septembre 1302.

« Roberto, electo Terrealbensi. Preficitur in episcopum Terrealbensem. » (fol. 222 v°.)

Dilecto filio Roberto, electo Terrealbensi. In excelso sedis —.

Dudum Odone, Polensi episcopo, de Terrealbensi ecclesia, cujus regimini presidebat, per dominum papam ad Polensem translato et dispositione ecclesiæ Terrealbensis ea vice ordinationi Apostolicæ reservata, suprascriptus, Frater ordinis Minorum, dictæ ecclesiæ Terrealbensi præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo, — clero, — populo, — vassallis.*

POTTHAST, 25174.

4782 (CCLXVII) Anagni, 1er octobre 1302.

« Quod impendat — electo Terrealbensi — munus consecrationis. » (fol. 223.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Pisano. Cum nuper —.

Suprascripto mandatur ut Roberto Terralbensi, cum ab eo super hoc fuerit requisitus, consecrationis munus impendat, sine prejudicio ecclesiæ Arborensis, cui ecclesia Terralbensis, metropolitico jure, est subjecta.

Dat. Anagnie, kal. octobris, anno octavo.

4783 (CCLXVIII) Anagni, 1er août 1302.

« Johanni, abbati monasterii Sancte Marie de Buggiano, Lucane diocesis. Confirmatur electio sua. » (fol. 223.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancte Marie de Buggiano, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Lucane diocesis. Licet ea que —. Vacante siquidem dudum monasterio Sancte Marie de Buggiano — per obitum quondam Nicolai — conventus ejusdem monasterii — die ad eligendum prefixa — deliberantes per viam procedere compromissi, dilecto filio Bevenuto Michaelis, presbytero, dicti monasterii capellano, providendi, ea vice, dicto monasterio de abbate concesserunt unanimiter potestatem —. Idem vero Bevenutus — ad te demum, qui eras monachus ipsius monasterii, — intuitum dirigens, in abbatem dicti monasterii te elegit — tuque dicte electioni — consensisti ac, tam tu quam frater Guillelmus Lazari, ejusdem monasterii monachus, eorumdem conventus nuntius, pro confirmatione electionis prefate ad Sedem Apostolicam accessistis.

Confirmationem dictæ electionis per Theodericum, episcopum Civitatis Papalis, Robertum, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyterum, ac Ricardum, Sancti Eustachii diaconum cardinales, de mandato suo factam ratificat dominus papa, inserendo litteras dictorum cardinalium incipientes : « Pia Mater », sub data : « Dat. Anagnie, die VIIII julii, anno Nativitatis Domini M°CCC°II°, in dictione XVa, pontificatus sanctissimi patris Bonifatii, divina providentia pape VIII, anno octavo. »

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno octavo.

4784 (CCLXVIIII) Anagni, 11 septembre 1302.

« Confertur plebanatus plebis Sancte Marie de Castello, Vulterane diocesis, Nicolao, nato Bartholi Jacobi de Ulignano. » (fol. 223 v°.)

Dilecto filio Nicolao, nato dilecti filii Bartholi Jacobi de Ulignano, plebano plebis Sancte Marie de Castello, Vulterane diocesis. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione Theoderici, episcopi Civitatis Papalis, pro eo clerico et familiari suo supplicantis, plebanatum dictæ plebis, curam animarum habentem, per mortem

quondam Ranutii, fratris ejus, ipsius episcopi clerici et familiaris, « qui nuper in civitate Parisiensi diem clausit extremum, » vacantem confert dominus papa.

Dat. Anagnie, III id. septembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis Titio, archipresbytero de Colle, et . . de Norriano, ac . . de Laiatico plebanis plebium, Senensis et Vulterane diocesium.*

4785 (CCLXX) Anagni, 17 août 1302.

« Quod provideat hac vice de abbate monasterio Vosiensi, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis. » (fol. 224.)

Venerabili fratri G[uidoni], episcopo Xanctonensi. Vacante dudum monasterio Vosiensi, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis, per obitum quondam Petri, abbatis ipsius, dilecti filii . . prior et conventus dicti monasterii — insimul convenerunt, quibus nequeuntibus in unam concordare personam, duas ibidem contigit electiones, unam videlicet de Constantino de Luco, et altera[m] de Guidone de Carreriis, ejusdem monasterii monachis, per viam scrutinii in discordia celebrari. Sane, dicto Constantino contra eundem Guidonem — ad Sedem Apostolicam appellante, tam ipse quam Guido predictus personaliter ad Sedem accesserunt — qui tandem — in nostris manibus resignarunt; nosque, provisionem dicti monasterii — reservantes, ipsi monasterio de dilecto Arnaldo de Sancto Asterio, monacho monasterii Tutellensis, dicte diocesis, duximus providendum; sed, eodem Arnaldo provisioni hujusmodi de se facte consentire nolente, adhuc monasterium ipsum Vosiense remedium provisionis expectat.

Suprascripto concedit dominus papa facultatem providendi ea vice supradicto monasterio de persona idonea, « de ipsius monasterii Vosiensis gremio vel etiam aliunde, dum tamen tibi consanguinitate vel affinitate conjuncta nequaquam existat. »

Dat. Anagnie, XVI kal. septembris, anno octavo.

4786 (CCLXXI) Latran, 10 novembre 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo » usque ad summam tredecim millium florenorum auri. (fol. 224.)

Venerabili fratri Roberto, episcopo Elyensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, IIII id. novembris, anno octavo.

4787 (CCLXXII) Latran, 8 novembre 1302.

« Consilio et communi Viterbiensibus. Super facto potestarie. » (fol. 224 v°.)

Dilectis filiis consilio et communi Viterbiensibus. Presentata nuper nobis —.

Suprascriptis mandatur ut vicario potestatis Riccardi Manentis de Spoleto, militis, qui a pontifice loco suo in capitaneum Urbevetanum constitutus est, obediant.

Dat. Laterani, VI id. novembris, anno octavo.

POTTHAST, 25188.

4788 (CCLXXIII) Anagni, 1er septembre 1302.

Uguitio præficitur in abbatem monasterii Sanctæ Mariæ Vallispontis, Perusinæ diocesis. (fol. 224 v°.)

Dilecto filio Uguitioni, abbati monasterii Sancte Marie Vallispontis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Perusine diocesis. Circa statum —. Pridem siquidem, monasterio Sancte Marie — per quondam Deodati — obitum regimine destituto pastoris —, prior et conventus —, per viam scrutinii procedentes, — Synibaldum Puzarelli de Lamberto, et Johannem Jacobi de Perusio, ejusdem monasterii monachos, ad ipsius monasterii regimen in discordia elegerunt. Cumque iidem electi, cum nonnullis ex monachis monasterii supradicti, propter hoc ad Sedem Apostolicam accessissent, tandem — in nostris manibus resignarunt, quam resignationem benigne duximus admittendam. Et demum, gerentes ad prefatum monasterium specialem dilectionis affectum et ad ejus tranquillum statum et prosperum paternis studiis intendentes, prefatis Synibaldo et Johanni ac monachis, cum adhuc in Romana Curia morarentur, nominandi aliquam personam ydoneam de seiptsis aut aliis de ipsius monasterii gremio vel etiam aliunde ad ejusdem monasterii regimen plenam liberamque facultatem vive vocis oraculo duximus concedendam. Qui tandem, inter se deliberatione prehabita diligenti, te, tunc abbatem monasterii Sancti Miliani de Conjunctis, ejusdem ordinis, Eugubine diocesis unanimiter et concorditer nominarunt. Nos itaque, sollicite advertentes quod ex tua multiplici probitate processit, quod, per eosdem Synibaldum et Johannem ac monachos, tam concordi voto tamque unanimi voluntate, ad ejusdem monasterii Sancte Marie Vallispontis nominatus regimen

extitisti, considerantes etiam laudabile testimonium, quod tibi de vite munditia, honestate morum, religionis observantia et aliarum virtutum insigniis perhibetur, volentes quoque obviare dispendiis que solent monasteriis, ex eorum vacatione diutina, imminere, te, ab ipsius monasterii Sancti Miliani regimine Apostolica auctoritate absolutum, de fratrum ipsorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis eidem monasterio Sancte Marie Vallispontis preficimus in abbatem, curam et administrationem tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, plenam et liberam tibi tribuendo licentiam ad prefatum Sancte Marie Vallispontis monasterium transeundi, firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, monasterium ipsum per tue multiplicis circumspectionis industriam prospere dirigetur et salubria, dante Domino, suscipiet incrementa —. Dat. Anagnie, kal. septembris, anno octavo.

In e. m. *priori et conventui — universis vassallis.*

4789 (CCLXXIIII) Latran, 9 octobre 1302.

« Fernando, electo Colimbriensi. Quod possit recipere munus consecrationis. » (fol. 225)

Dilecto filio Fernando, electo Colimbriensi. Pridem Colimbriensi —.

Suprascripto, in diaconatus ordine constituto, indulgetur ut a quocumque maluerit catholico episcopo ad sacerdotium promoveri et munus consecrationis recipere possit, sine prejudicio metropoliticæ ecclesiæ Bracharensis.

Dat. Laterani, VII id. octobris, anno octavo.

4790 (CCLXXV) Anagni, 20 septembre 1302.

« Quod possit providere de prebenda ecclesie Egitaniensis quam A[lphonsus], episcopus Lamecensis, obtinuit in ipsa ecclesia. » (fol. 225.)

Venerabili fratri Velasco, episcopo Egitaniensi. Merita tue devotionis —.

Suprascripto conceditur licentia conferendi ea vice canonicatum et præbendam ecclesiæ Egitaniensis, quos A[lphonsus], episcopus Lamecensis, tempore promotionis suæ obtinebat et qui, per consecrationis munus ei apud Sedem Apostolicam impensum vacantes, Apostolicæ dispositioni sunt devoluti.

Dat. Anagnie, XII kal. octobris, anno VIII°.

4791 (CCLXXVI) Anagni, 20 septembre 1302.

« Super pluralitate. » (fol. 225 v°.)

Dilecto filio Egidio Fernandi, rectori ecclesie Sancte Marie de Fonte Archato, Lamecensis diocesis. Personam tuam —.

Suprascripto indulgetur ut, præter hanc ecclesiam curam animarum habentem, unicum aliud beneficium recipere possit, etiamsi curatum vel personatus existat.

Dat. Anagnie, XII kal. octobris, anno octavo.

4792 (CCLXXVII) Latran, 16 novembre 1302.

« Episcopo Leodiensi. Super discordia que est inter ipsum et Johannem [1], comitem Hanonie. » (fol. 225 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Leodiensi. Commissam nobis dominici gregis custodiam sic salubriter gerere cupimus, sic utiliter exercere, quod inter fideles Christi discordiarum et litigiorum amputemus anfractus et bonum quietis, salutis et pacis summe vigilantie studio procuremus. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Johannis, comitis Hanonie, fuit nuper expositum coram nobis quod, cum inter te ac eum certa foret discordia suscitata, idem comes, qui tuus et ecclesie tue homo ligius et vassallus existit, tibi obtulit se paratum stare super hujusmodi discordia et parere ordinationi et dispositioni duorum canonicorum Leodiensium aut baronum vel militum sive aliorum feudatariorum tuorum, de quibus tibi videretur, et aliorum duorum feudatariorum tuorum etiam, quos ipse duceret nominandos, prout ipsi quatuor, sic a te ac ab ipso electi, faciendum de jure viderent; sed tu hujusmodi oblationi ejus acquiescere minime curavisti, quin immo castra et terras, que a te tenere dinoscitur, hostiliter invasisti ac timetur ne assistas .. duci Austrie contra eum. Eandem quidem oblationem dictus comes se servaturum coram nobis fecit offerri, subjuncto nichilominus quod paratus est etiam super hoc ordinationi nostre parere. Nos igitur, attendentes quod oblatio ejusdem comitis satis consonat equitati, et considerantes quod inhumaniter agit qui addit afflictionem afflicto, sicque tuam dedecere plurimum honestatem cum comite memorato, hoc tempore maxime, quo persecutio dicti ducis instat eidem, rigorose procedere, cui potius esset, honoris tui pensata decentia, per te viriliter

1. *Ms* : Johanne.

assistendum, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per Apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes, quatinus, dicto comite faciente quod, ut premittitur, offert, nullam alias sibi molestiam inferas nec contra eum novitatem attemptes; sed, si prefatus dux ipsum comitem vel terram ejus temptaret invadere, ab omni ejusdem ducis auxilio et favore prorsus abstineas, quin immo contra eum ipsi comiti, tuo, ut predicitur, et ecclesie predicte vassallo, ad cujus defensionem naturale debitum quodam modo te perurget, auxilium, consilium et favorem impendas. Preces et mandata nostra hujusmodi sic efficaciter adimplere procures, quod Deo et nobis merito complaceas, dictumque comitem ad tua et ecclesie memorate reddas obsequia promptiorem. Dat. Laterani, xvi kal. decembris, anno octavo.

4793 (CCLXXVIII) Latran, 29 octobre 1302.

« Guillelmo, episcopo Wigorniensi. Preficitur in episcopum Wigorniensem. » (fol. 225 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Wigorniensi. Ad regimen universalis —.

Wigorniensi ecclesia per obitum bonæ memoriæ Godefridi episcopi vacante, et priore et capitulo ipsius ecclesiæ, ordinis sancti Benedicti, deliberantibus per viam procedere compromissi, et Stephano de Wittono, subpriore, Willelmo de Gurimeleye, præcentore, Gilberto de Magdeleye, sacrista, Henrico de Hannochia, infirmario, Nicolao de Nortono, Johanne de Sancto Germano et Richardo de Brouvico, monachis ipsius ecclesiæ, compromissariis factis, Johannes de Sancto Germano, « a reliquis compromissariis collegis suis fuit in episcopum Wigorniensem electus »; cujus electione archiepiscopo Cantuariensi, loci metropolitano, præsentata, eodemque « ex certis causis confirmare electionem hujusmodi recusante, seque velle consulere super his Sedem Apostolicam asserente, pro parte Johannis prædicti ad Sedem extitit appellatum eandem ». Demum ipse Johannes, ad dictam Sedem accedens, omne jus, si quod sibi ex electioni hujusmodi competebat, resignavit. Quam resignationem recipiens et provisionem ipsius ecclesiæ Sedi Apostolicæ reservans, suprascriptum, Fratrem ordinis Minorum, præficit dominus papa in episcopum Wigorniensem et per Leonardum, episcopum Albanensem, consecrari curavit.

Dat. Laterani, IIII kal. novembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et capitulo ecclesie Wigorniensis, — clero, — populo, — universis ecclesie Wigorniensis vassallis, — carissimo in Christo filio Edwardo, regi Anglie illustri.*

Potthast, 25181.

4794 (CCLXXVIIII) Anagni, 1[er] octobre 1302.

« Jordano, dicto Vetulo, de Anagnia, canonico Senonensi. Confertur sibi personatus seu dignitas in ecclesia Senonensi. » (fol. 226 v°.)

Dilecto filio Jordano, dicto Vetulo, de Anagnia, capellano nostro, canonico Senonensi. Digne agere credimus —.

Suprascripto dignitatem in dicta ecclesia vacantem confert dominus papa vel vacaturam reservat, non obstante quod in Compostellana, cantoriam, et in Anagnina, canonicatum et præbendam, et in Sanctæ Mariæ de Acuto ecclesiis, locum et beneficium, ac Sancti Symeonis de Portiano, sine cura, et rurales Sancti Onufrii de Felettino, et Sancti Angeli de Castellonovo ecclesias, Anagninæ et Tiburtinæ diocesium, noscitur obtinere, ac quod nuper, per alias Apostolicas litteras, fuit de canonicatu et præbenda in Senonensi provisus.

Dat. Anagnie, kal. octobris, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Anagnino et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Pharaonis Senonensis, ac . . archidiacono Cameracensi.*

4795 (CCLXXX) Latran, 21 novembre 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Roberto, episcopo Elyensi » (fol. 227.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentine et Jacobo, dicto Cardarello, de Narnia, archidiacono de Benavento in ecclesia Ovetensi, capellano nostro, ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi. Exponente nobis pridem —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum tredecim millium florenorum auri, quos Robertus, episcopus Elyensis, recepit a Symone Gerardi et Johanne Maffei, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate Spinorum, mutuantibus pro se ac pro Rogerio Vanne et Mino Manetti Spinæ, Philippo et Spina Hugonis Spinæ, Doffo Lapi Spinæ, Nero Cambii, Cabro et Guidone Bertaldi, Ranucio et Gherardo Hugonis, Phylippo Gherardini, Vanno Grandonis, Gherardo Ugolini et Andrea Bonaventuræ ac ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, xi kal. decembris, anno octavo.

4796 (CCLXXXI) Latran, 23 novembre 1302.

« Magistro Petro de Sancto Benedicto, canonico Bituricensi. Reservatur sibi personatus seu dignitas in eadem ecclesia. » (fol. 227.)

Dilecto filio magistro Petro de Sancto Benedicto, canonico Bituricensi. Apostolice Sedis —.

Suprascripto, consideratione P[etri], episcopi Autissiodorensis, pro eo supplicantis, dignitatem in ecclesia Bituricensi vacantem confert vel vacaturam reservat dominus papa, non obstante quod, in eadem et in Sancti Petri Puellarum Bituricensis ecclesiis, canonicatus et præbendas noscitur obtinere ac de archidiaconatu Cratiacensi in eadem Bituricensi ecclesia ei provisum extitit, licet illum nondum curaverit assequi cum effectu, et in ecclesia de Castro Bituricensi, sub exspectatione vacaturæ præbendæ, Apostolica auctoritate in canonicum est receptus. « Volumus autem ut archidiaconatum predictum, quem obtulisti te resignare paratum et quem exnunc vacare decernimus, omnino dimittas. »

Dat. Laterani, VIIII kal. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Xanctonensi et capicerio Sancti Stephani de Gressibus, Parisiensis, ac Guillelmo de Rippa, canonico Autisiodorensis ecclesiarum.*

4797 (CCLXXXII) Latran, 10 janvier 1302.

« Confertur magistro Ade de Alemente prebenda Senonensis. » (fol. 227 v°.)

Dilecto filio magistro Ade de Alemente, canonico Senonensi. Benigna Sedis Apostolice —.

Suprascripto, consideratione P[etri], Autissiodorensis episcopi, pro eo clerico et familiari suo supplicantis, canonicatum et præbendam in dicta ecclesia vacantes confert dominus papa vel vacaturos reservat, non obstante quod, in de Brayo super Secanam, thesaurariam, et in eadem de Brayo, ac in de Brienone, et in de Sancto Quintino ecclesiis, Senonensis et Noviomensis diocesium, canonicatus noscitur obtinere, ea lege tamen ut, postquam prædictos canonicatum et præbendam ejusdem, ecclesiæ Senonensis fuerit pacifice assecutus, cætera predicta beneficia, quæ offert se paratum resignare, omnino dimittat.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Verziliacensis, Eduensis diocesis, et magistris Petro de Bituris, succentori Aurelianensis, ac Petro de Sancto Benedicto, canonico Bituricensis ecclesiarum.*

4798 (CCLXXXIII) Latran, 23 novembre 1302.

Ut possit celebrare divina etiam in locis interdictis. (fol. 228.)

Venerabili fratri P[etro], episcopo Autisiodorensi. Pium et congruum —. Dat. Laterani, VIIII kal. decembris, anno octavo.

4799 (CCLXXXIIII) Latran, 23 novembre 1302.

« Quod possit recipere diaconatus et presbyteratus ordines. » (fol. 228.)

Dilecto filio magistro Johanni de Folieto, priori prioratus de Estue, ordinis sancti Augustini, Lausanensis diocesis. Devotionis tue merita —.

Suprascripto conceditur facultas recipiendi diaconatus et presbyteratus ordines ab . . episcopo Autissiodorensi vel a quocumque maluerit catholico episcopo.

Dat. Laterani, VIIII kal. decembris, anno octavo.

4800 (CCLXXXV) Latran, 21 novembre 1302.

« Johanni, domino de Haricuria. Quod quatuor clerici sui possint percipere fructus beneficiorum suorum, » in absentia ad quinquennium. (fol. 228.)

Nobili viro Johanni, domino de Haricuria. Devotionis affectum —. Dat. Laterani, XI kal. decembris, anno VIII°.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Taurini, Ebroïcensis, et . . Beate Marie de Becco Hellouini, Rothomagensis diocesium, monasteriorum abbatibus ac . . archidiacono de Gaceyo in ecclesia Lexoviensi.*

4801 (CCLXXXVI) Latran, 22 novembre 1302.

« Magistro Johanni de Condeto, canonico Laudunensi. Eximitur prebenda sua ab onere sacerdotii. » (fol. 228 v°.)

Magistro Johanni de Condeto, canonico Laudunensi. Personam tuam —.

Suprascripto, consideratione nobilis viri Caroli, nati claræ memoriæ Philippi, regis Francorum, comitis Andegavensis, pro eo supplicantis, indulgetur ut ad presbyteratus ordinem se facere promoveri minime teneatur, ratione præbendæ, quam in ecclesia Laudunensi obtinet. Statuitur vero ut præbenda non sacerdotalis, proximo vacatura, sacerdotalis efficiatur per totum tempus, quo suam suprascriptus tenuerit ab onere sacerdotii exemptam.

Dat. Laterani, X kal. decembris, anno octavo.

4802 (CCLXXXVII) Latran, 28 novembre 1302.

« Ut, cum pervenerit ad loca supposita ecclesiastico interdicto etc. » (fol. 228 v°.)

Nobili viro Johanni, domino de Haricuria. Pium arbitramur et congruum —. Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno VIII°.

4803 (CCLXXXVII *bis*) Même date.

Indulgetur ad triennium ut nullus delegatus etc. (fol. 228 v°.)

Eidem. Meritis tue devotionis —. Dat. ut supra.

4804 (CCLXXXVIII) Latran, 22 novembre 1302.

Pro eodem. (fol. 228 v°.)

Nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi regis Francorum, comiti Andegavensi. Personas generositatis —.

Ut capellani ejus ei et familiaribus suis ubique, quoties oportunum fuerit, omnia sacramenta ecclesiastica ministrare possint.

Dat. Laterani, X kal. decembris, anno octavo.

4805 (CCLXXXVIIII) Même date.

Indulgetur ad decennium ut nullus delegatus etc. (fol. 228 v°.)

Eidem. Personam tuam generositatis —. Dat. ut supra.

4806 (CCLXXXVIIII *bis*) Latran, 26 novembre 1302.

Alia gratia pro eodem. (fol. 228 v°.)

Eidem. Eximie devotionis affectus —.

Ut, quotiens coram se missarum solemnia celebrari et verbum Dei proponi fecerit, is qui celebrabit vel proponet verbum assistentibus indulgentiam centum dierum valeat impendere.

Dat. Laterani, VI kal. decembris, anno octavo.

4807 (CCLXXXX) Latran, 28 novembre 1302.

Ut, cum pervenerit ad loca supposita ecclesiastico interdicto, etc. (fol. 228 v°.)

Carissime in Christo filie Catherine, imperatrici Constantinopolitane illustri. Romana ecclesia pia —. Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno octavo.

4808 (CCLXXXX *bis*) Même date.

Indulgetur ad decennium ut nullus delegatus etc. (fol. 229.)

Eidem. Ingens et sincera —. Dat. ut supra.

4809 (CCLXXXXI) Même date.

Ut quæcumque monasteria quorumcumque ordinum cum aliquibus honestis matronis, devotionis causa, intrare valeat, dummodo non edant nec pernoctent in eis. (fol. 229.)

Eidem. Ex tue devotionis —. Dat. ut supra.

4810 (CCLXXXXI *bis*) Latran, 19 novembre 1302.

Ut quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, fructus beneficiorum suorum in absentia percipere valeant. (fol. 229.)

Eidem. Procedit ex magne —. Dat. Laterani, XIII kal. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancte Genovefe, et . . Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, monasteriorum abbatibus, ac . . decano ecclesie Parisiensis.*

4811 (CCLXXXXII) Latran, 28 novembre 1302.

« Quod possit, usque ad quinquennium, facere visitari archidiaconatum suum de Constantino in ecclesia Constantiensi. » (fol. 229.)

Guidoni de Haricuria, archidiacono de Constantino in ecclesia Constantiensi. Laudanda tue multiplicis —. Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono de Gaceyo, Lexoviensis, et . . scolastico Constantiensis, et . . thesaurario Ebroïcensis ecclesiarum.*

4812 (CCLXXXXIII) Même date.

« Quod possit facere reconciliari ecclesias et cimiteria. » (fol. 229 v°.)

Venerabili fratri Roberto, episcopo Constantiensi. Sicut ex parte tua —. Dat. ut supra.

4813 (CCLXXXXIIII) Latran, 27 septembre 1302.

« Indulgentia concessa ecclesie Domus Dei de Brionia, Rothomagensis diocesis. » (fol. 229 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Cum ad promerenda —.

Indulgentia unius anni et XL dierum conceditur visitantibus ecclesiam Domus Dei de Brionia, Rothomagensis diocesis, in honorem beati Johannis Baptistæ constructam, in singulis ejusdem beati festivitatibus et anniversario dedicationis ecclesiæ.

Dat. Laterani, V kal. octobris, anno octavo.

4814 (CCLXXXXV) Même date.

« Indulgentia pro ecclesia prioratus Beate Marie de Parco, Ebroïcensis diocesis. » (fol. 229 v°.)

Eisdem. Vite perennis —.

Eadem indulgentia conceditur visitantibus ecclesiam prioratus Beatæ Mariæ de Parco, Ebroïcensis diocesis, in singulis festivitatibus Beatæ Mariæ et anniversario diei dedicationis.

Dat. ut supra.

4815 (CCLXXXXVI) Latran, 7 décembre 1302.

« Quod possit habere altare portatile. » (fol. 229 v°.)

Nobilio viro Raymundo Berengarii, nato carissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris. Ingens et sincera —. Dat. Laterani, VII id. decembris, anno octavo.

4816 (CCLXXXXVI *bis*) Même date.

Ut confessorem eligere possit. (fol. 229 v°.)

Eidem. Ut humani generis —. Dat. ut supra.

4817 (CCLXXXXVII) Latran, 20 novembre 1302.

Cautela de duodecim millibus florenorum Carolo, nato Philippi, regis Franciæ, a societate Bardorum solutis. (fol. 229 v°.)

Dilectis filiis Gerardo Lanfredini, Cino, Bartholo, Gualterotto et Symoni fratribus, filiis quondam Jacobi de Bardis, militis, Bonensegne Angelini, Tadeo Orlandi et Phylippo Aldebrandini ac ceteris eorum sociis, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate Bardorum. Cum nuper de beneplacito —.

Suprascriptis conceditur ut de decima, nuper imposita pro guerra Siciliæ et eis assignanda per collectores, retinere possint duodecim millia florenorum auri, quæ de pecunia sua, nobili viro Carolo, nato claræ memoriæ Philippi, regis Francorum, comiti Andegavensi, apud Sedem Apostolicam pro subsidio expensarum et necessariorum ejus de beneplacito domini papæ duxerunt persolvenda.

Dat. Laterani, XII kal. decembris, anno octavo.

4818 (CCLXXXXVIII) Latran, 29 octobre 1302.

« Roberto, episcopo Elyensi. Preficitur in episcopum Elyensem. » (fol. 230.)

Venerabili fratri Roberto, episcopo Elyensi. Apostolatus officium —. Olim siquidem ecclesia Elyensi, ordinis sancti Benedicti, per obitum bone memorie Radulfi — pastoris solatio destituta, tu, tunc prior, et conventus —, die ad eligendum prefixa, — deliberantes — per viam procedere compromissi, septem ex dictis conventui videlicet dilectis filiis Petro, subpriori, Alexandro, precentori, Radulfo, sacriste, Stephano, cellarario, Warino, elemosinario, Johanni, subsacriste, et Ricardo, hostiario ipsius ecclesie, providendi ea vice — de prelato concessistis liberam potestatem —; qui —, secedentes in partem — in te direxerunt unanimiter vota sua —; tuque — electioni hujusmodi consensisti. Cumque postmodum memorati conventus fecissent electionis predicte decretum, per quosdam ex eis procuratores — Cantuariensi archiepiscopo presentari et, tam tu personaliter quam iidem conventus, per eosdem procuratores, postularetis — ut eandem electionem auctoritate metropolitica confirmaret — et eodem archiepiscopo confirmare dictam electionem, prout spectabat ad eum, nimium differente, demum fuit, ex parte tua et dictorum conventus, tam ab eo quam ejus commissariis, per ipsum in hac parte deputatis, ex quibusdam causis, coram probis viris, cum eorum presentiam comode adire non possetis, ad Sedem Apostolicam appellatum. Sed dictus archiepiscopus, cui tu et dicti conventus hujusmodi appellationem notificare volebatis, antequam facere id possetis, prefatam electionem contra justitiam infirmavit : propter quod, pro parte tua et predictorum conventus, iterato ad Sedem appellatum extitit prelibatam, sicque hujusmodi negotio per tales appellationes ad dictam Sedem legitime devoluto, teque, personaliter, dictisque conventu, per predictum Ricardum et dilectum filium Guillelmum de Clara, ecclesie predicte monachos, corun-

dem conventus speciales procuratores et nuntios, pro dicto negotio prosequendo infra legitimum tempus in nostra presentia comparentibus, et facientibus coram nobis negotium ipsum proponi, nos processus, tam circa electionem predictam quam in curia memorati archiepiscopi in eodem negotio habitos, necnon personam tuam, per venerabilem fratrem L. episcopum Albanensem, et dilectos filios nostros Gentilem, tituli Sancti Martini in Montibus presbiterum, et Matheum, Sancte Marie in Porticu diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter. Tu vero, post factam nobis super hujusmodi examine a dictis cardinalibus relationem fidelem, volens sepedictam ecclesiam a dispendiis, que incurrere poterat per judiciales anfractus durante dicto negotio, preservari, omne jus, quod tibi ex prefata electione fuerat acquisitum, plene ac libere in nostris manibus resignasti. Nos igitur, hujusmodi resignatione recepta, cupientes regimini ejusdem ecclesie illam personam, de cujus ydoneitate plenam haberemus notitiam, per nostre provisionis studium presidere, quia constitit per confessionem a te coram archiepiscopo memorato factam, dum de dicta confirmatione facienda per ipsum archiepiscopum agebatur, excommunicationis sententiam, latam a canone, te quodam tempore incurrisse, pro eo quod manus injeceras in quemdam clericum temere violentas, et ab eadem sententia rite fuisse sine mora culpabili absolutum, licet id seu aliud canonicum contra te objectum et nobis ostensum non obstaret quominus debuisset eadem electio confirmari, nos, ne occasione hujusmodi excommunicationis quicquam detractionis circa statum tuum ab aliquibus qui nituntur interdum vas incrustare sincerum valeret impingi, neve inde tua opinio gravata quomodolibet remaneret, omnem maculam sive notam, si quam exinde forsitan contraxisti, de Apostolice potestatis plenitudine abolentes, te, hiis nequaquam obstantibus, nuntiamus habilem ad episcopalem et quamlibet dignitatem ecclesiasticam obtinendam. Et deinde, attendentes quod tibi litterarum scientia, vite munditia, honestas morum, regularis observantia, prudentia spiritualium et temporalium providentia et alia virtutum dona suffragari, super quibus etiam multorum fidedignorum testimonio multipliciter commendaris, considerantes insuper quod ex prefata resignatione, ut premittitur, a te facta presumitur vehementer te ambitionis vitium, quod est penitus reprobandum, potissime in promovendis ad dignitates ecclesiasticas, abhorrere, ac per hoc et ex eo etiam quod jamdicti conventus prefatam electionem, ut predictum est, concorditer acceptarunt, non immerito extimantes quod dicta ecclesia per te poterit salubriter gubernari, de fratrum nostrorum consilio et prefata plenitudine potestatis, te prefecimus eidem ecclesie in episcopum et pastorem, curam tibi et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus committendo, et subsequenter tibi fecimus per predictum episcopum Albanensem munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque tenentes quod eadem ecclesia, per tue industriam providentie, a noxiis preservabitur et adversis, optatis quoque prosperitatis comodis spiritualiter et temporaliter proficiet ac honoris. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, impositum tibi onus a Domino reverenter supportans, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod ecclesia ipsa gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, et, preter benedictionis eterne premium, benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Laterani, IIII kal. novembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis conventui ecclesie Elyensis, ordinis sancti Benedicti — clero civitatis Elyensis — populo — universis vassallis — venerabili fratri . . archiepiscopo Cantuariensi — E[duardo], regi Anglie.*

4819 (CCLXXXXVIIII) Latran, 24 novembre 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Guillelmo, episcopo Wigorniensi, » usque ad summam mille florenorum auri. (fol. 230 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Wigorniensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno octavo.

4820-4821 (CCC) Latran, 24 novembre 1302.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Petro, episcopo Claromontensi, » usque ad summam decem millium florenorum auri. (fol. 231.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Claromontensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno octavo.

Latran, 26 novembre 1302.

In e. m. *conceditur eidem episcopo de aliis quinque milibus florenorum auri,* sub data : Laterani, VI kal. decembris.

4822 (CCCI) Latran, 23 novembre 1302.

« Magistro Philippo de Mornayo, Bajocensis et Aurelianensis ecclesiarum canonico, providetur sibi de personatu vel dignitate, si quis vel si qua in Bajocensi vel Aurelianensi ecclesiis vacat etc. alioquin etc. » (fol. 231.)

Magistro Phylippo de Mornayo, Bajocensis et Aurelianensis ecclesiarum canonico. Apostolice Sedis circumspecta —.

Suprascripto, consideratione P[etri], episcopi Autissiodorensis, pro eo, nepote suo, supplicantis, dignitatem in ecclesia Bajocensi vel Aurelianensi vacantem confert dominus papa vel vacaturam reservat, non obstante quod in dictis ecclesiis necnon et in Autissiodorensi, Suessionensi et Sancti Liphardi de Magduno, Aurelianensis diocesis, ecclesiis, canonicatus et præbendas, et in diocesi Narbonensi quamdam capellam sine cura noscitur obtinere.

Dat. Laterani, VIIII kal. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis, et . . Virziliacensis, Eduensis diocesis, monasteriorum abbatibus, ac magistro Petro de Sancto Benedicto, canonico Bituricensi.*

4823 (CCCII) Même date.

« Quod, usque ad biennium, possit facere visitari per personas suarum civitatis et diocesis. » (fol. 231 v°.)

Venerabili fratri P[etro], episcopo Autisiodorensi. Personam tuam —. Dat. ut supra.

4824 (CCCIII) Même date.

Gratia pro magistro Stephano de Mornayo. (fol. 231 v°.)

Magistro Stephano de Mornayo, canonico Autisiodorensi. Digne agere credimus —.

Suprascripto, obtentu P[etri], episcopi Autissiodorensis, pro eo, nepote suo, supplicantis, indulget dominus papa, ut, usque ad septennium, possit studere in jure civili.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Virziliacensis, Eduensis diocesis, et magistris Petro de Bituris, succentori Aurelianensis, ac Petro de Sancto Benedicto, canonico Bituricensis ecclesiarum.*

4825 (CCCIIII) Latran, 24 novembre 1302.

« Quod possit infra annum uni personæ ydonee concedere officium tabellionatus. » (fol 231 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Wigorniensi. Ne contractuum memoria —. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno octavo.

4826 (CCCV) Latran, 4 décembre 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Guillelmo, episcopo Wigorniensi. » (fol. 232.)

Dilectis filiis . . archidiacono Drocensi, in ecclesia Carnotensi, et magistris Bartholomeo de Ferentino, Londoniensis, ac Perfecto de Castro Florentino, Florentine ecclesiarum canonicis. Exponente pridem nobis —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum mille florenorum auri, quos Guillelmus, episcopus Wigorniensis, recepit a Nicolao Barchi, cive et mercatore Florentino, de societate Mozorum, mutuante pro se ac pro Riccardo et Vanne de Mozis, Borgino Lotherii, Cambino Falconerii, Philippo Burgi et Lapo Gilii ac ceteris de societate prædicta.

Dat. Laterani, II non. decembris, anno VIII°.

4827-4828 (CCCVI) Même date.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Petro, episcopo Claromontensi. » (fol. 232.)

Venerabili fratri . . episcopo Nemausensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentini ac . . cantori ecclesie Morinensis. Exponente nobis pridem —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum quinque millium florenorum auri, quos Petrus, episcopus Claromontensis, recepit a Symone Gerardi et Johanne Maffei, de societate Spinorum, mutuantibus pro se ac pro Rogerio Vanne et Mino Manetti Spine, Philippo et Spina Hugonis Spine, Doffo Lapi Spine, Nero Cambii, Cabro et Guidoni Bertaldi, Ranutio et Gherardo Hugonis, Cino Buosi, Gerardo Hugolini, Andrea Bonaventure, Montechio Corbiczi, Tucio Cocchi ac ceteris de societate prædicta.

Dat. ut supra.

In e m. *venerabili fratri . . episcopo Nemausensi et dilectis filiis . . archidiacono Tiburtino ac . . cantori ecclesie*

Morinensis, de alia summa quinque millium florenorum auri a dilectis filiis Baldo Raynerii, Lapo, ejus filio, ac Nello Andree de societate Clarentinorum, mutuantibus pro se ipsis et pro Clarentino Anselmi, Mergoliese Brazii, Putio Raynerii Floravantis, Marsopino Meliorati, Paulo Johannis, Anselmo Bartholomei, Bonitio Gerardini, Johanne Floravantis, Jacobo Braze, Johanne Aldebrandini, Johanne Putii et Lapo Lanfranchi ac ceteris — de societate predicta — sub data: Laterani, III non. decembris, anno VIII°.

4829 (CCCVII) Même date.

« Quod possit, infra annum, duabus personis concedere tabellionatus officium. » (fol. 232.)

Venerabili fratri Roberto, episcopo Elyensi. Ne contractuum memoria —. Dat. ut supra.

4830 (CCCVIII) Même date.

De priore ecclesiæ Elyensi providendo. (fol. 232.)

Dilectis filiis . . suppriori et conventui ecclesie Elyensis, ordinis sancti Benedicti. Ex incumbenti nobis —.

Suprascriptis remittitur facultas providendi de priore ecclesiæ prædictæ, per promotionem Roberti in episcopum Elyensem vacanti et dispositioni Apostolicæ reservatæ.

Dat. ut supra.

4831 (CCCVIIII) Latran, 24 novembre 1302.

De mutuo contrahendo usque ad summam tredecim millium florenorum auri. (fol. 232 v°.)

Dilecto filio Beltrando, abbati monasterii Cluniacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Matisconensis diocesis. Cum, sicut in nostra —. Dat. Laterani, VIII id. decembris, anno octavo.

4832 (CCCX) Latran, 12 novembre 1302.

Conceditur episcopo Claromontensi licentia eundi ad ecclesiam suam. (fol. 232 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Claromontensi. Dudum ecclesia Claromontensi —.

Suprascripto, qui nuper munus consecrationis per Theodericum, episcopum Civitatis Papalis, recepit, mandat dominus papa ut ad suam se conferat ecclesiam.

Dat. Laterani, II id. novembris, anno octavo.

4833 (CCCXI) Latran, 20 décembre 1302.

Excommunicantur et citantur potestas et capitaneus Camerinensis civitatis, pro captione episcopi et nonnullorum clericorum ejusdem civitatis. (fol. 232 v°.)

Venerabili fratri episcopo Fesulano, ducatus Spoletani rectori. Graves et moleste —. Nuper siquidem fidedigna relatione didicimus, quod . . potestas et . . capitaneus civitatis Camerinensis, ad actus illicitos relaxatis habenis, in tantam proruperunt temeritatis audaciam, quod venerabilem fratrem nostrum R[ambotonem], Camerinensem episcopum, et nonnullos etiam clericos civitatis ejusdem, ausu sacrilego, capere presumpserunt, eosque detinere carcerali custodie mancipatos —.

Mandat dominus papa suprascripto, ut, ad civitatem præfatam se personaliter conferens, episcopum et clericos prædictos quantocius pristinæ libertati restitui faciat, « eos ad nostram presentiam, sub fida custodia, transmissurus », potestatem et capitaneum supradictos et alios culpabiles excommunicatos publice nuntiet, et eos citare curet ad comparendum personaliter.

Dat. Laterani, XIII kal. januarii, anno octavo.

4834 (CCCXII) Latran, 14 décembre 1302.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Beltrando, abbate monasterii Cluniacensis. » (fol. 213.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentini et . . cantori Morinensis, ac Radulfo de Auricuria, canonico Parisiensis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum tredecim millium florenorum auri, quos Beltrandus, abbas monasterii Cluniacensis, recepit a Symone Gerardi et Johanne Maffei, de societate Spinorum, mutuantibus pro se ac pro Rogerio Vanne et Mino Manetti Spine, Philippo et Spina Hugonis Spine, Doffo Lapi Spine, Nero Cambii, Ranucio et Gerardo Hugonis, Andrea Bonaventure, Gerardo Hugolini, Cino Buosi, Montechio Corbizi et Tuccio Cocchi ac ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, XVIIII kal. januarii, anno octavo.

4835 (CCCXIII) Latran, 10 décembre 1302.

Præficitur Franciscus in episcopum Eugubinum. (fol. 233.)

Venerabili fratri Francisco, episcopo Eugubino. Licet continuata supervenientium —. Dudum siquidem Eugubina ecclesia, ordinis sancti Augustini, per obitum bone memorie Venture, episcopi Eugubini, qui apud civitatem Spoletanam viam fuit universe carnis ingressus, pastoris regimine destituta, nos, provisionem ea vice faciendam eidem ecclesie de pastore dispositioni Sedis Apostolice — duximus reservandam —. Et cum, post nostram reservationem — capitulum ipsius ecclesie — te, tunc priorem ipsius ecclesie, in Eugubinum episcopum per viam scrutinii concorditer elegissent, et tu electioni — consensisses, ac postmodum — ad Sedem Apostolicam personaliter accessisses —, nos — electionem ipsam, utpote contra reservationem nostram et decretum de facto presumptam, denuntiavimus esse nullam et demum — de persona tua — ecclesie prefate — providimus, per venerabilem fratrem nostrum T[heodericum], episcopum Civitatis Papalis, facientes munus consecrationis impendi —. Dat. Laterani, IIII id. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Eugubine, — clero civitatis et diocesis, — populo, — universis ecclesie Eugubine vassallis* [1].

4836 (CCCXIIII) Anagni, 3 août 1302.

Transfertur J[ohannes], episcopus Imolensis, ad Reatinam ecclesiam.

Venerabili fratri J[ohanni], episcopo Reatino. Exigentium continuata —.

Suprascriptus de Imolensi ad Reatinam transfertur ecclesiam, per obitum bone memorie fratris A[ngeli], episcopi Reatini, vacantem, et, ea vice, dispositioni Apostolicæ reservatam.

Dat. Anagnie, III non. Augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Reatine — clero civitatis et diocesis — populo — universis ecclesie Reatine vassallis.*

1. Quatuor ultima verba fuerunt in margine addita.

4837 (CCCXV) Latran, 18 décembre 1302.

Privilegium de decimis et primitiis non solvendis. (fol. 234.)

Dilectis filiis universis abbatibus, abbatissis et conventibus ordinis Cisterciensis, tam presentibus quam futuris. In Ecclesie firmamento —.

Eis, ad preces Roberti, tituli Sanctæ Pudentianæ cardinalis, qui dictum ordinem professus existit, indulget, ut ex terris eorum cultis et incultis, quas aliis concesserunt vel concedent in posterum excolendas, nullus ab eis aut a cultoribus terrarum earum decimas vel primitias exigere vel extorquere præsumat.

Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno octavo.

POTTHAST, 25200.

4838 (CCCXVI) Même date.

De licentia regendi et docendi in theologica facultate fratri Johanni de Capella, ordinis Cisterciensis concedenda. (fol. 234.)

. . *cancellario Parisiensi.* Claret devotione conspicua — Cisterciensis ordo —. Cum itaque, sicut dilectus filius noster Robertus, tituli Sancte Pudentiane presbyter cardinalis, ipsius ordinis promotor et defensor assiduus, nuper exposuit coram nobis, dilectus filius frater Johannes de Capella, monachus ordinis memorati, baccalarius in theologica facultate Parisius, sic per Dei gratiam in facultate ipsa studendo profecerit, quod sufficiens creditur et ydoneus ad conscendendum in ea cathedram magistratem, ac nonnulli fratres dicti ordinis apud ipsam civitatem Parisiensem laudabili insudent studio in facultate prefata, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem fratri Johanni, infra festum Resurrectionis Dominice proximo futurum, si, juxta testimonium magistrorum apud eandem civitatem in facultate ipsa regentium, ad id sibi sufficientis scientie, vite laudabilis et conversationis honeste merita suffragantur, regendi et docendi in eadem facultate, sublato difficultatis obstaculo, juxta morem in talibus observatum, licentiam liberaliter largiaris. Ceteris quoque fratribus ordinis prelibati presentibus et futuris, quos extunc, in facultate prefata, sufficientes pro tempore per similia merita contigerit reperiri, in exhibenda eis licentia simili te non difficilem sive gravem exhibeas sed liberalem potius et benignum, ita quod inde divine majestati complaceas,

ordinem ipsum intercessorem tibi constituas apud Deum, tuaque possit devotio apud nos et Apostolicam Sedem merito commendari. Dat. ut supra.

4839 (CCCXVII) Même date.

« Cautela pro societate Spinorum de quibusdam jocalibus que fuerunt Jacobi et Petri de Columpna, dudum Sancte Romane Ecclesie cardinalium. » (fol. 234 v°.)

Dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine ac ceteris eorum sociis, de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatoribus. Nuper ad nostram deducto notitiam quod a Jacobo et Petro de Columpna, dudum Sancte Romane Ecclesie cardinalibus, olim, priusquam eos a dignitate cardinalatus deposuissemus, et tam ipsos quam omnes et singulos filios quondam Johannis de Columpna, fratris Jacobi et patris Petri predictorum, privavissemus omnibus bonis et juribus suis, mobilibus et imobilibus, ac bona et jura ipsa Romane confiscavissemus Ecclesie, sicut in nostris processibus super hoc factis et habitis, qui in ipsius archivio conservantur Ecclesie, plenius continetur, receperatis, titulo pignoris, jocalia infrascripta videlicet : unam fibulam de auro cum lapidibus pretiosis et pernis, ponderis novem unciarum et duodecim sterlingorum cum dimidio, et octo anulos cum rubinis et balascis, ponderis duarum unciarum et quinque sterlingorum, et unum lapidem camaynum ligatum in auro cum aliis lapidibus pretiosis, ponderis duarum unciarum et quatuor sterlingorum, pro mille florenis auri, quos mutuaveratis eisdem Jacobo et Petro, et quod adhuc erant sub hujusmodi pignoris titulo predicta jocalia penes vos, nos hujusmodi jocalia ad manus nostras habere voluimus, et vos ea omnia per dilectum filium Symonem Gerardi, socium vestrum de societate predicta, fecistis nobis, ad mandatum nostrum, integraliter exhiberi, nosque illa recepimus ab eodem, et mille florenos auri de camera nostra, pro predictis mille florenis, pro quibus vos illa, titulo pignoris, ut premittitur, habebatis, eidem Symoni pro vobis et ipso duximus persolvendos.

Super eisdem jocalibus eos absolvit dominus papa et liberat sic quod, occasione eorum, in causam trahi a quoquam nullatenus valeant.

Dat. ut supra.

4840 (CCCXVIII) Montefortino, 3 octobre 1302.

De relaxandis suspensionis et excommunicationis sententiis, ab abbate Farfensi incursis ob mutuum societati Mozorum non solutum. (fol. 234 v°.)

Dilecto filio Riczardo, Sancti Eustachii diacono cardinali. Sua nobis Jocerandus, abbas monasterii Farfensis, ordinis sancti Benedicti, Sabinensis diocesis, petitione monstravit, quod dudum, inter ipsum, ex parte una, et mercatores de societate Mozorum de Florentia, in Curia nostra morantes, ex altera, super quadam pecunie summa, in qua ipsi mercatores eundem abbatem ac predictum monasterium, causa mutui, per quondam Hugonem, abbatem prefati monasterii, predecessorem suum, nomine suo et ipsius monasterii, auctoritate litterarum felicis recordationis Martini pape quarti, predecessoris nostri, olim contracti, eis teneri asserebant, materia questionis exorta, nos causam ipsam bone memorie Nicolao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero cardinali, tunc viventi, duximus committendam; coram quo aliquandiu super hoc inter partes ipsas extitit litigatum, et tandem hujusmodi mutuum fuisse contractum de licentia prefati Martini, predecessoris per ejus bullatas litteras apparente, ipsoque abbate recognoscente predictum mutuum esse verum, idem Nicolaus cardinalis, auctoritate commissionis hujusmodi facte sibi, monuit predictum J[ocerandum] abbatem, in ejus presentia constitutum, ut, infra certum terminum, quem ad hoc prefixit eidem, satisfacere prefatis mercatoribus de hujusmodi pecunia, ut premittitur, mutuata curaret ; alioquin, ipsum abbatem sententialiter a spiritualium et temporalium ipsius monasterii administratione suspendit. Postmodum autem, predicto Nicolao cardinali de hac luce subtracto, cum non fuisset predictis mercatoribus, quamvis hujusmodi effluxisset terminus, de hujusmodi pecunia satisfactum, nos, ad instantiam mercatorum eorundem, tibi commisimus oraculo vive vocis, ut causam hujusmodi, in eo statu, in quo fuerat coram supradicto Nicolao cardinali, resumeres audiendam et eundem abbatem ad satisfaciendum antedictis mercatoribus, prout justum foret, de memorata pecunia coartares. Tuque, auctoritate commissionis hujusmodi facte tibi de negotio memorato cognoscens, predictum abbatem denuntiasti et denuntiari fecisti fore ex hujusmodi monitione prefati Nicolai cardinalis, ob defectum satisfactionis dicti mutui juxta monitionem eandem non secute, ab administratione predicta suspensum, et injunxisti eidem abbati, ne de Curia Romana discederet, nisi prius foret per eum prefatis mercatoribus de dicta pecunia satisfactum; et demum, ob hoc, in ipsum abbatem

excommunicationis sententiam promulgasti, et decrevisti nichilominus medietatem omnium fructuum, reddituum et proventuum monasterii prelibati percipiendam fore per dictos mercatores in satisfactione dicti mutui, quousque foret eis de dicto mutuo plenarie satisfactum : idemque abbas hujusmodi mandato per te sibi facto et predicto decreto consensit. Quare dictus abbas nobis humiliter supplicavit, ut, cum prefati mercatores sint, ut asserit, in possessione percipiendi et percipiant hujusmodi fructus, redditus et proventus, et, ex ipsius abbatis absentia, predictum monasterium magnum patiatur in spiritualibus et temporalibus detrimentum, providere sibi super suspensione, excommunicatione ac mandato predictis misericorditer dignaremur. Intendentes igitur cum eodem abbate misericorditer agere, de tua quoque circumspectione confisi, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, eundem abbatem a suspensionis et excommunicationis sententiis supradictis, auctoritate nostra, sublato difficultatis obstaculo, juxta Ecclesie formam absolvas, sententias ipsas et predictum mandatum sibi factum quod de prefata Curia, ut premittitur, non recederet, relaxando, ac restituendo eum ad omnimodam administrationem spiritualium et temporalium monasterii memorati, et dando sibi licentiam liberam ad dictum monasterium redeundi, dispensando insuper cum eodem super irregularitate, si quam contraxit celebrando divina vel immiscendo se illis ligatus excommunicationis et suspensionis sententiis supradictis, injuncta sibi super hiis, prout secundum Deum anime sue saluti expedire videris, penitentia salutari. Dat. apud Montemfortinum, v non. octobris, anno octavo.

4841 (CCCXVIIII) Latran, 11 novembre 1302.

Conferuntur magistro Petro de Montichiello, camerario collegii cardinalium, canonicatus et sacristia ecclesiæ Narbonensis. (fol. 234 v°.)

Magistro Petro de Montichiello, canonico et sacriste ecclesie Narbonensis. Laudabilia tue merita probitatis — attendentes et considerantes quod tu, circa officium camerariatus collegii cardinalium Sancte Romane Ecclesie deputatus a nobis, in eo sic — te gessisti, quod digne mereris — favoribus confoveri, dignum duximus, ut, propter hoc, et consideratione dilecti filii nostri Roberti, tituli Sancte Pudentiane presbyteri cardinalis, cujus capellanus et familiaris existis, pro te — supplicantis, personam tuam munificentia Sedis Apostolice prosequamur.

Suprascripto canonicatum et sacristiam ecclesiæ Narbonensis, per promotionem Raymundi ad episcopatum Lectorensem vacantes et dispositioni Apostolicæ reservatos, confert dominus papa, non obstante quod archidiaconatum Aureliacensem, in ecclesia Claromontensi, et in eadem ac in Dolensi, Andegavensi, Bononiensi et Sancti Aniani Aurelianensi ecclesiis, canonicatus et præbendas et ecclesias Sancti Jangnulfi, ruralem, curam animarum habentem, ac de Villario, cui annexa dicitur ecclesia Sancti Laurentii, Cabilonensis et Narbonensis diocesium, ex dispensatione Apostolica noscitur obtinere.

Dat. Laterani, III id. novembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Fontisfrigidi, Narbonensis diocesis, et . . decano Meldensis, ac . . archidiacono Andegavensis ecclesiarum.*

4842 (CCCXX) Latran, 12 décembre 1302.

Transfertur Jacobus de Beneventana ad Neapolitanam ecclesiam. (fol. 235.)

Venerabili fratri Jacobo, archiepiscopo Neapolitano. Summi providentia principis —.

Suprascriptus de Beneventana ad Neapolitanam ecclesiam, per obitum Phylippi, archiepiscopi « in illis partibus decedentis », vacantem et Apostolicæ dispositioni ea vice reservatam, transfertur.

Dat. Laterani, II id. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Neapolitane — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis — venerabilibus fratribus suffraganeis — Carolo, regi Sicilie illustri.*

4843 (CCCXXI) Latran, 16 décembre 1302.

« Licentia de mutuo pro eodem », usque ad summam sex millium et quingentorum florenorum auri. » (fol. 235 v°.)

Venerabili fratri J[acobo], archiepiscopo Neapolitano. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, XVII kal. januarii, anno octavo.

4844 (CCCXXII) Anagni, 24 septembre 1302.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Razburgensi et Brandeburgensi. » (fol. 235 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Razburgensi. Sedis Apostolice providentia —.

Suprascripto mandat dominus papa, ut cum nobili viro Alberto, filio quondam Johannis de ducibus Saxoniensibus, suæ diocesis, et Margarita filia quondam Alberti de marchionibus Brandeburgensibus, Brandeburgensis diocesis, dispenset, ita quod, pro pace conservanda, in contracto matrimonio remanere valeant, non obstante quarto Alberti et tertio Margaritæ consanguinitatis gradu, « injuncta ipsis, pro eo quod idem matrimonium taliter contraxerunt et super reatu incestus, pro modo culpe, penitentia salutari, eisque ad tempus juxta tue discretionis arbitrium carnali commertio interdicto. »

Dat. Anagnie, VIII kal. octobris, anno octavo.

4845 (CCCXXIII) Latran, 21 décembre 1302.

« Littera protectionis pro Matheo, cimiliarcha ecclesie Mediolanensis. » (fol. 236.)

Dilectis filiis . . priori Fratrum Predicatorum Parmensium et archipresbytero plebis de Fornovo, Parmensis diocesis, ac Ottobono de Rubeis, canonico Parmensi. Injuncte nobis debitum —.

Suprascriptis mandat dominus papa ut possessiones et bona cimiliarchiæ, quam in ecclesia Mediolanensi, et præpositurae, quam in Sanctorum Syri et Materni de Dexio, Mediolanensis diocesis, ecclesiis, Matthæus, cimiliarcha ecclesiæ Mediolanensis, capellanus domini papæ, possidet, adversus molestatores defendant.

Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno octavo.

4846 (CCCXXIIII) Latran, 28 novembre 1302.

« Guillelmo, episcopo Vasatensi [1]. Quod possit providere de duabus personis in ecclesia Vasatensi. » (fol. 236.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Vasatensi. Sincere devotionis affectus —.

Suprascripto gratiam impertitur dominus papa faciendi recipi, auctoritate Apostolica, in ecclesia Vasatensi, duas personas idoneas, de quibus expedire viderit, in canonicos et in fratres.

Dat. Laterani, V kal. decembris, anno octavo.

1. *Ms* : Vasatansis.

4847 (CCCXXV) Latran, 5 novembre 1302.

« Sententia lata contra heredes Petri Flote. » (fol. 236.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ad malefactorum vindictam —.

Petri Flota damnat memoriam ejusque filios, sive seculares clerici sive regulares existant, ecclesiis, dignitatibus, prioratibus, officiis, præbendis, personatibus, beneficiis omnibus, quæ obtinent, privat dominus papa.

Dat. Laterani, III non. novembris, anno octavo.

4848 (CCCXXVI) Latran, 6 décembre 1302.

« Super pluralitate. » (fol. 236 v°.)

Magistro Guillelmo de Grenefeld, decano ecclesie Cicestrensis. Eximie devotionis affectus —.

Consideratione Eduardi, regis Angliæ, pro eo, « cui sigilli sui custodiam et officium cancellarie sue nuper asseritur commisisse », supplicantis, eum absolvit dominus papa a reatu perjurii, quod commisit non faciendo residentiam in ecclesia Cicestrensi, secundum juramentum ab eo præstitum, et ei indulget, ut, supradicto officio insistens, fructus sui decanatus in absentia percipere valeat ad septennium.

Dat. Laterani, VIII id. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Westimonasterii* [1] *et . . de Waltham, Londoniensis, ac . . Sancti Albani, Lincolniensis diocesis, monasteriorum abbatibus.*

4849 (CCCXXVI *bis*) Latran, 6 décembre 1302.

De inquisitione adversus Walterum, Conventrensem et Lichefeldensem episcopum. (fol. 237.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Cantuariensi et dilectis filiis . . priori Predicatorum ac . . ministro Minorum, provincialibus in Anglia. Dudum vobis per nostras sub

1. *Ms* : Wastimonasterii.

certa forma litteras duximus injungendum, ut contra Walterum, Conventrensem et Lichefeldensem episcopum, super certis articulis inquireretis —.

Eis mandat dominus papa ut ea confestim exequantur, quæ ipsis, per alias litteras, commissa fuerint, si illas receperint; secus ad illas præsentandas latorem compellant.

Dat. Laterani, VIII id. decembris, anno octavo.

POTTHAST, 25197.

4850-4865 (CCCXXVII) Latran, 21 décembre 1302.

« Littere *Cupientes* concesse diversis ecclesiis. » (fol. 237 v°.)

Dilectis filiis . . archidiacono et magistro Bernardo Regis ac Bertrando de Bertanitis, canonicis Nemausensibus. Cupientes olim discordiam, que inter prelatos et rectores seu sacerdotes et clericos parrochialium ecclesiarum, per diversas mundi provincias constitutos, ex parte una, et Predicatorum ac Minorum ordinum fratres, ex altera, super predicationibus fidelium populis faciendis, et cetera ut in forma ut supra capitulo LXXXIIII° usque : verum, sicut rectores seu curati presbyteri et clerici parrochialium ecclesiarum Magalonensis civitatis et diocesis gravi nobis conquestione monuerunt, et cetera ut in forma usque in finem. Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno octavo.

Même date.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Mercurialis et . . archidiacono Majoris, ac . . archipresbytero Sancti Martini in Strata ecclesiarum Foroliviensium,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Faventine civitatis et diocesis sub data : ut supra..

Latran, 18 décembre 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Budesinensi, ac . . ejusdem, et . . in Bezekov prepositis ecclesiarum, Misnensis diocesis,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Wratislaviensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XV kal. januarii, anno octavo.

Latran, 21 octobre 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . de Manupplello, . . de Tocco, ac . . Sancti Johannis ad Plebem ecclesiarum archipresbyteris, Theatine diocesis,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Valvensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XII kal. novembris, anno octavo.

Latran, 13 novembre 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . priori Sancti Andree et . . archidiacono ac . . archipresbytero ecclesie Urbevetane,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Viterbiensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, id. novembris, anno octavo.

Latran, 21 décembre 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . decano, et . . de Rosanis, ac . . Sanctarum Massarum archidiaconis, ecclesie Oscensis,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Cesaraugustane civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XII kal. januarii, anno octavo.

Latran, 23 octobre 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . Majoris, et . . Sancti Andree, ac . . Sancti Martini Wormatiensium ecclesiarum decanis,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Maguntine civitatis et diocesis, sub data : Laterani, X kal. novembris, anno octavo.

Latran, 28 décembre 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . cantori Majoris, et . . Sancti Andree, ac . . Sanctorum Apostolorum thesaurariis Coloniensium ecclesiarum,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Leodiensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, V kal. januarii, anno octavo.

Latran, 21 janvier 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Petragoricensis diocesis et dilectis filiis . . abbati monasterii de Sarlaco, Petragoricensis diocesis, ac . . cantori ecclesie Sancti Frontonis Petragoricensis,* pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Xanctonensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XII kal. februarii, anno octavo.

Latran, 7 janvier 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . decano Lemovicensibus ac . . abbati monasterii Sancti Martini Lemovicensis*, pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Petragoricensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, non. januarii, anno octavo.

Latran, 21 janvier 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Condomensis, et . . priori secularis ecclesie de Manso, Agennensis diocesis, ac magistro Raymundo de Pesaco, canonico Agennensi*, pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Auxitane civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XII kal. februarii anno octavo.

Latran, 22 octobre 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Fulginati et dilectis filiis . . ecclesie Majoris ac . . Sancti Salvatoris Fulginatum prioribus*, pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Spoletane civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XI kal. novembris, anno octavo.

Latran, 18 décembre 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Havelbergensi et dilectis filiis . . Robolensi, ac . . de Rapin archidiaconis, in ecclesia Havelbergensi*, pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Zwerinensis civitatis et diocesis, sub data : Laterani, XV kal. januarii, anno octavo.

Latran, 27 avril 1302.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . archidiacono de Aranuo, ac Hugoni de Romengasio, canonico Convenarum*, pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Appamiarum civitatis et diocesis, sub data : Laterani, v kal. maji, anno octavo.

Anagni, 15 juillet 1302.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito Sancti Martini, et . . decano, ac . . cantori Sancti Lamberti, Leodiensium ecclesiarum*, pro rectoribus seu curatis presbyteris et clericis parrochialium ecclesiarum Cameracensis civitatis et diocesis, sub data : Agnanie, id. julii, anno octavo.

4866 (CCCXXVIII) Latran, 15 décembre 1302.

Licentia de mutuo pro Odone, abbate Majoris Monasterii Turonensis usque ad summam octo millium florenorum auri. (fol. 238.)

Dilecto filio Rolando, dicto Mirovaut, monacho, procuratori dilecti filii Oddonis, abbatis Majoris Monasterii Turonensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, in Romana Curia constituto. Exposuisti nobis —. Dat. Laterani, XVIII kal. januarii, anno octavo.

4867 (CCCXXVIIII) Latran, 9 décembre 1302.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 238.)

Dilecto filio Marino, dicto Bulgaro, nato quondam Thomasii, dicti Bulgari, et dilecte in Christo filie Jacobelle, nate dilecti filii Johannis, dicti Abbatis, uxori ejus, civibus Insulensibus. Intente salutis operibus —.

Suprascriptis, qui « olim, de conniventia bone memorie Gerardi, episcopi Sabinensis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legati, » ad sedandas inimicitias, matrimonium contraxerunt, carnali copula non subsecuta, non obstante quarto consanguinitatis gradu, indulget dominus papa, ad preces « nobilis viri Petri Gaytani, nepotis nostri, comitis Casertani, domini Militiarum Urbis, » ut in dicto matrimonio remanere valeant.

Dat. Laterani, v id. decembris, anno octavo.

4868 (CCCXXX) Latran, 9 décembre 1302.

« Venerabili fratri episcopo Forojuliensi, super permutatione sacristie et prepositure ecclesie Aquensis. » (fol. 238.)

Venerabili fratri . . episcopo Forojuliensi. Cum, sicut ex parte dilectorum filiorum Guillelmi Agarni, sacriste et canonici ecclesie Aquensis, procuratoris in Romana Curia carissimi in Christo filii nostri C[aroli], Sicilie regis illustris, ac magistri Guillelmi de Colobreria, prepositi et canonici ejusdem ecclesie, fuit expositum coram nobis,

sacrista, sacristiam, canonicatum et prebendam, prepositus vero predicti prepositurам, canonicatum et prebendam, quas in dicta ecclesia obtinent, certis ex causis rationabilibus cupiant resignare —.

Mandat dominus papa suprascripto, ut sacristiam et præbendam, ab eodem Guillelmo Agarni resignatas, Hugoni de Colobreria, canonico ecclesiæ Barjolensis, Forojuliensis diocesis, nepoti dicti prepositi, præposituram vero et præbendam, ab eodem magistro Guillelmo de Colobreria resignatas, ipsi Guillelmo Agarni conferat, non obstante quod idem Guillelmus Agarni præposituram Aptensis, et sacristiam Forojuliensis ecclesiarum ac ecclesiam de Roccabruna, cui cura imminet animarum, dicte Forojuliensis diocesis, ex dispensatione Apostolica, nec non in Aptensi et Forojuliensi prædictis ac Cavallicensi ecclesiis canonicatus et præbendas et ecclesiam Sancte Marie de Vallauria, sine cura, dicte diocesis, dictus vero Hugo, in dicta Barjolensi canonicatum et præbendam ac ecclesiam de Vorages, cui cura similis imminet, predicte Forojuliensis et Regensis diocesium, obtinere noscuntur.

Ceterum, quia non est verisimile quod quis beneficium, de quo vite subsidia percipit, sponte, sine magna causa resignet, attente provideas, ne circa premissa, ex parte cujusque resignantium vel Hugonis predictorum, fraus aliqua vel pravitas intercedat. Dat. Laterani, v decembris, anno VIII°.

4869 (CCCXXXI) Latran, 10 décembre 1302.

« Venerabili fratri E[gidio], patriarche Gradensi. Committitur sibi cura plebanatus ecclesie Sancti Bartholomei de Venetiis, Castellane diocesis. » (fol. 238 v°.)

Venerabili fratri E[gidio], patriarche Gradensi. Dum ad patriarchalem —.

Suprascripto plebanatum ecclesiæ Sancti Bartholomæi de Venetiis, cui cura imminet animarum, quemque Z[ampus], episcopus Suanensis, tempore promotionis suæ obtinebat, per consecrationem dicti episcopi apud Sedem Apostolicam vacantem, ad vitam ejus committit dominus papa, eximendo eum a jurisdictione episcopi Castellani, quamdiu eum possederit.

Dat. Laterani, IIII id. decembris, anno VIII°.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Civitatis Nove, et . . Caprulano episcopis ac dilecto filio . . abbati monasterii de Sancto Cipriano, Torcellane diocesis.*

4870 (CCCXXXII) Latran, 13 novembre 1302.

« Radulfo de Breyo, canonico Cenomanensi, super permutatione. » (fol. 239.)

Dilecto filio Radulfo de Breyo, canonico Cenomanensi. Licet ea que de mandato —. Sane petitio tua, nobis exhibita, continebat, quod, pro parte tua et dilecti filii Jacobi, nati quondam Alexandri de Sermineto, canonici Aversani tunc Cenomanensis, nobis fuit expositum, quod olim tu canonicatum et prebendam, cujus eras canonicus, ac nonnulla beneficia ecclesiastica, sine animarum cura, Aversane et Nolane diocesium, que tunc temporis obtinebas, ac idem Jacobus canonicatum et prebendam, quos in ecclesia Cenomanensi habebat, dictarum ecclesiarum utilitate pensata, affectabatis adinvicem permutare —.

Commisit dominus papa hoc negotium Petro, Sanctæ Mariæ Novæ diacono cardinali, qui, dictorum beneficiorum, ab Aymerico, domicello et familiari ejus, fratre et procuratore dicti Jacobi, recepta, ea suprascripto contulit, non obstante quod in ecclesia Sancti Petri Calletensis, Morinensis diocesis, canonicatum et præbendam noscitur obtinere. Dictam permutationem confirmat dominus papa, inserendo tenorem instrumenti dicti cardinalis, incipientis : « Sedes Apostolica », sub data : « Dat. Rome, VIII die mensis novembris, anno Domini millesimo trecentesimo secundo, indictione XV, pontificatus predicti domini Bonifatii papa VIII anno VIII° ».

Dat. Laterani, id. novembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Petri de Cultura, ac . . decano Sancti Petri de Curia, Cenomanensis, et magistro Jacobo de Rocca, canonico Noviomensis ecclesiarum.*

4871 (CCCXXXIII) Latran, 26 novembre 1302.

Indulgentia concessa adjuvantibus ad ecclesiam et domum episcopalem Olorenses reædificandas. (fol. 240 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corde gessimus, sive bonum fuerit sive malum, et cetera, ut in forma usque : vitam eternam. Cumque, sicut venerabilis frater noster G[uillelmus], episcopus Olorensis, exposuit coram nobis, Olorensis ecclesia et episcopalis domus, in circuitu posita, igne fuerint, casu fortuito, concremate, et ipse ad

earum reparationem intendat et ad id magna reputentur onera expensarum —.

Conceditur ad triennium indulgentia centum dierum omnibus qui manum porrexerint adjutricem ad reparationem harum ecclesiæ et domus episcopalis.

Dat. Laterani, vi kal. decembris, anno viii°.

4872 (CCCXXXIII *bis*) Latran, 12 octobre 1302.

Conceditur Angelo, plebano plebis Sancti Marcellini de Chianti, quod possit per triennium studere in jure civili. (fol. 240 v°) [1].

Dilecto filio Angelo, plebano plebis Sancti Marcellini de Chianti, Aretine diocesis —. Dat. Laterani, IIII id. octobris, anno VIII°.

4873 (CCCXXXIIII) Latran, 12 novembre 1302.

Conferuntur Ludovico de Pictavia præpositura Normanniæ et canonicatus in ecclesia Carnotensi. (fol. 240 v°.)

Dilecto filio Ludovico, nato dilecti filii nobilis viri Ademarii de Pictavia, comitis Valentini, preposito Normannie ac canonico ecclesie Carnotensis. Apostolice Sedis circumspecta —. [2]

Consideratione Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, cujus capellanus et familiaris existit, dicta beneficia, quibus Guillelmus Flota, filius quondam Petri Flote, privatus fuit et quæ fuerunt dispositioni Apostolicæ reservata, suprascripto confert dominus papa, non obstante quod decanatum in Aniliensi, et preposituram Equensem in Leodiensi, et sacristiam in Vivariensi, ex dispensatione Apostolica, ac in predictis Aniliensi et Leodiensi nec non in Lugdunensi et Vivariensi ecclesiis canonicatus et præbendas noscitur obtinere, ac ab episcopo Vivariensi octoginta libras Viennensium, nomine pensionis, percipit annuatim, et de ecclesia Sancti Petri de Palatio, Tricastine diocesis, sine cura, fuit ei provisum, cujus possessionem non obtinet sed de ipsa noscitur litigare.

Dat. Laterani, II id. novembris, anno VIII°.

1. Numerus deest huic capitulo inserto inter capitulum CCCXXXIII et capitulum CCCXXXIIII.

2. In margine hujus capituli addita fuerunt hæc verba ad certum signum in tenore insertum : « teque de ipsis per nostrum annulum presentialiter investimus. »

In e. m. *dilectis filiis . . abbati secularis Sancti Evodii, Aniliensis, et . . preposito Valentine, ac . . archidiacono Xanctonensis ecclesiarum.*

4874 (CCCXXXV) Latran, 20 décembre 1302.

Committitur Petro, episcopo Sabinensi, administratio ecclesie Burgensis. (fol. 241.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Sabinensi, administratori ecclesie Burgensis. Apostolice sollicitudinis —.

Suprascripto administrationem ejus ecclesiæ, per promotionem dicti Petri ad Sabinensem sedem vacantis et Apostolicæ dispositioni reservatæ, committit dominus papa usque ad unum annum, per vicarium idoneum vel plures exercendam.

Dat. Laterani, XIII kal. januarii, anno VIII°.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — universis vassallis.*

4875 (CCCXXXVI) Latran, 15 décembre 1302.

« Potestati, consilio et communi civitatis Nucerine, super construenda alia ecclesia preter cathedralem in civitate Nucerina. » (fol. 241 v°.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et communi civitatis Nucerine. Laudabilia vota fidelium —. Sane petitio vestra, nuper nobis exhibita, continebat, quod, in civitate vestra, alia non habetur ecclesia nisi solummodo cathedralis et ad ipsam ecclesiam cathedralem homines civitatis ejusdem non possunt comode accedere universi, pro divinis officiis audiendis ac percipiendis ecclesiasticis sacramentis, ex eo presertim quia odia et capitales inimicitie inter aliquos vestrum frequenter oriri et invalescere dinoscuntur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut — construendi aliam ecclesiam in civitate predicta, in loco quem videritis ad hoc aptum, quam parati estis de bonis propriis construere ac dotare decenter, licentiam vobis concedere dignaremur.

Annuit dominus papa petitioni : « nos enim predicto episcopo Asisinati damus per alias nostras litteras sub certa forma in mandatis, ut dispositionem adhibeat diligentem, quod predicte ecclesie construende dos decens et sufficiens deputetur, et, postquam juxta hujusmodi dispositionem suam, dos ipsa

fuerit eidem ecclesie deputata, primarium lapidem benedicat et ponat ibidem, cum a vobis super hoc fuerit requisitus. »

Dat. Laterani, XVIII kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Asisinati.*

4876 (CCCXXXVII) Latran, 21 décembre 1302.

« Preficitur Paulus de Scabilibus, miles Reatinus, in potestatem Viterbiensem. » (fol. 241 v°.)

Dilecto filio nobili viro Paulo de Scabilibus, militi Reatino, potestati Viterbiensi. Cupientes ut civitas Viterbiensis, que ad Sedem Apostolicam specialiter pertinet, in statu prospero conservetur et salubriter, auctore Domino, dirigatur, tibi, de cujus probitate plenam in Domino fiduciam gerimus, ejusdem civitatis regimen, quod ad nos spectare dinoscitur, pro uno anno incipiendo III kal. mensis januarii proximum futuri, presentium auctoritate, committimus, per te prudenter et fideliter exercendum. Quocirca nos tibi per Apostolica scripta mandamus, quatinus, ad civitatem prefatam te congruo tempore personaliter conferens, predictum regimen et que ad illud pertinent, in hiis que ad honorem nostrum et Ecclesie Romane ac bonum et pacificum statum civitatis predicte spectaverint, sic prudenter et fideliter studeas exercere, quod tue diligentie studium exinde commendare merito valeamus. Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis consilio et communi Viterbiensi.*

4877 (CCCXXXVIII) Latran, 24 novembre 1302.

« Venerabili fratri A[rnaldo], episcopo Aquensi. Conceditur sibi quod possit facere visitari ecclesias et personas sue diocesis per alium. » (fol. 242.)

Venerabili fratri A[rnaldo], episcopo Aquensi. Grata devotionis studia —. Cum itaque, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, diocesis tua plurimum sit diffusa, tuque jam sis adeo senex et debilitate confractus, quod propterea et ex aliis certis causis diocesim ipsam, prout ad tuum spectat officium, per te ipsum comode nequeas visitare —.

Suprascripto indulget dominus papa, ut, usque ad triennium, per personas idoneas diocesim suam visitari facere possit.

Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno VIII°.

4878 (CCCXXXVIIII) Latran, 27 novembre 1302.

« Guillelmo, episcopo Vasatensi. Quod possit conferre, hac vice, beneficia que in sua civitate et diocesi tanto tempore vacaverunt etc. » (fol. 242.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Vasatensi. Volentes tuam honorare —. Dat. Laterani, V kal. decembris, anno VIII°.

4879 (CCCXL) Latran, 25 octobre 1302.

« Leonardo, episcopo Anagnino. Quod possit facere visitari diocesim suam per alium. » (fol. 242.)

Venerabili fratri Leonardo, episcopo Anagnino. Devotionis tue merita —.

Suprascripto, cui officium collectionis decimæ negotii regni Siciliæ ad triennium impositæ in certis locis et partibus commissum fuit, indulgetur, ut, quamdiu prædictæ collectionis officium eum gerere contigerit, diocesim suam per personas idoneas visitare possit.

Dat. Laterani, VIII kal. novembris, anno VIII°.

4880 (CCCXLI) Latran, 21 décembre 1302.

« Hugoni, episcopo Placentino. Datur ei licentia eundi ad episcopatum suum. » (fol. 242 v°.)

Venerabili fratri Hugoni, episcopo Placentino. Cum nuper Placentine —.

Suprascripto, cui per Leonardum, episcopum Albanensem, munus consecrationis fecit impendi, mandat dominus papa ut ad dictam ecclesiam accedat.

Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno octavo.

4881 (CCCXLI *bis*) Latran, 28 octobre 1302.

« Eidem. Conceditur sibi prioratus Sancte Victorie Placentine. » (fol. 242 v°.)

Eidem. Personam tuam speciali —.

Suprascripto concedit dominus papa, pro oneribus debitorum suæ ecclesiæ sublevandis, ut prioratum Sanctæ Victoriæ Placentinæ, spectantem ad monasterium Sancti Savini Placen-

tinum, ordinis sancti Benedicti, quem fuit professus, quem tempore promotionis suæ habebat, retinere possit usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ.

Dat. Laterani, v kal. novembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Antonini, . . Sancte Euphemie, et . . Sancte Marie in Garuerto prepositis ecclesiarum Placentinarum.*

4882 (CCCXLII) Latran, 30 octobre 1302.

« Conceditur abbati et conventui monasterii Sancti Pauli de Urbe monasterium Sancti Clementis Tiburtinum, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 242 v°.)

Dilectis filiis . . abbati et conventui monasterii Sancti Pauli de Urbe, ordinis sancti Benedicti. Instantia nostra cotidiana —. Vestra petitione continebat quod dilectus filius Johannes abbas et conventus monasterii Sancti Clementis Tiburtini, ordinis sancti Benedicti, conspicientes ipsum monasterium Sancti Clementis propter quorumdam magnatum potentiam, qui eosdem abbatem et conventum de monasterio ipso multotiens expulerant et expellere non cessabant, in spiritualibus multipliciter fore collapsum et in temporalibus diminutum —.

Conceditur hoc monasterium monasterio Sancti Pauli de Urbe.

Dat. Laterani, III kal. novembris, anno octavo.

POTTHAST, 24183.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Sabe, et . . Sancti Alexii de Urbe monasteriorum abbatibus ac magistro Johanni Romanucii, litterarum nostrarum correctori, canonico Conchensi.*

4883 (CCCXLIII) Latran, 6 décembre 1302.

« Conceditur Rogerio de Armaniaco, archidiacono Armaniaci, quod possit studere in jure civili. » (243.)

Dilecto filio Rogerio de Armaniaco, fratri dilecti filii nobilis viri Bernardi, comitis Armaniaci, canonico et archidiacono Agennensi. Desiderantium imbui scientia —. Cum itaque, sicut asseris, amore scientiarum illectus, desideres juris civilis studio immorari, ut equum ab iniquo, licitum ab illicito discernere valeas, nos, tuo desiderio benigno condescendentes affectu, tibi, cui de canonicatu ac prebenda, que diaconalis existit, et archidiaconatu Agennensi per nostras sub certa forma litteras de novo providimus, ut huic hujusmodi juris civilis studio ad septennium insistere valeas et quod, ratione predictorum prebende et archidiaconatus, ad aliquem sacrum ordinem te facere promoveri minime tenearis —. Dat. Laterani, VIII id. decembris, anno octavo.

4884 (CCCLXIIII) Latran, 8 novembre 1302.

« Gerardo, abbati monasterii Sancti Petri de Altovillari, Remensis diocesis. Confirmatur electio sua. » (fol. 243.)

Dilecto filio Gerardo, abbati monasterii Sancti Petri de Altovillari, ordinis sancti Benedicti, Remensis diocesis. Dudum monasterio Sancti Petri de Altovillari, ordinis sancti Benedicti, Remensis diocesis, per obitum quondam Henrici abbatis — pastoris regimine destituto —, conventus ipsius monasterii, petita et obtenta licentia, ut ibidem est solitum, a venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Remensi, loci diocesano, eligendi abbatem in monasterio supradicto, certa die ad eligendum prefixa — contigit in eodem monasterio duas electiones, unam videlicet de te, tunc priore dicti monasterii, a majori et saniori parte, et aliam de frate Egidio, monacho et elemosinario memorati monasterii, a minori parte supradicti conventus, per viam scrutinii celebrari; sicque hujusmodi electionum negotio per appellationem fratris Johannis Sansonis, ejusdem monasterii monachi, electoris dicti fratris Egidii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, teque ac predicto fratre Johanne et Johanne, rectore ecclesie dicti loci de Altovillari, procuratore dicti fratris Egidii, infra tempus legitimum ad dictam Sedem accedentibus — nos, dilectis filiis nostris Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, et fratri Gentili, tituli Sancti Martini in Montibus presbyteris cardinalibus, hujusmodi negotia comisimus.

Electionem suprascripti, a dictis cardinalibus examinatam et confirmatam, ratificat dominus papa, instrumentum eorum inserendo incipiens : « Dudum monasterio », sub data : « Actum et datum Rome, in hospitio supradicti domini Johannis, cardinalis, anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo secundo, indictione prima, die vicesima tertia mensis octobris, pontificatus sanctissimi patris domini Bonifatii pape VIII anno octavo, presentibus honorabilibus viris dominis Jacobo de Casalibus, decano Sancti Severini Burdegalensis, Riccardo de Brugis, archipresbytero Pictavensis ecclesiarum et Thoma de Gaysart, rectore ecclesie de Camons, Ambianensis diocesis, ca-

pellanis prefati domini Jo[hannis], cardinalis, ac magistris Radulpho et Johanne de Guignicurte, fratribus, procuratoribus in Romana Curia, ac pluribus aliis testibus fidedignis. »

Dat. Laterani, vi id. novembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Petri de Altovillari, ordinis sancti Benedicti, Remensis diocesis — universis vassallis — venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Remensi.*

4885 (CCCXLV) Anagni, 29 septembre 1302.

« Pelagio Suegerii, dicto Sega, archidiacono de Transtamar, in ecclesia Compostellana. Super pluralitate. » (fol. 244.)

Dilecto filio Pelagio Suegerii, dicto Sega, archidiacono de Transtamar [1], *in ecclesia Compostellana.* Probitatis tue meritis —.

Suprascripto, consideratione Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro eo supplicantis, indulget dominus papa, ut archidiaconatum de Transtamar, de quo fuit ei per Apostolicas litteras provisum, cum decanatu Tudensi, similiter curam animarum habente, quem a J[ohanne], episcopo Tudensi, cum consensu capituli, priorem provisionem ignorans recepit, et canonicatibus, præbendis et præstimoniis, quos in Compostellana et Lucensi ecclesiis obtinet, et medietate ruralis ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Vaascoes, « quæ per duos consuevit gubernari rectores », Compostellanæ diocesis, curam animarum non habentibus, retinere possit necnon et fructus ex illis absque dispensatione perceptos.

Dat. Anagnie, iii kal. octobris, anno octavo.

4886 (CCCXLVI) Anagni, 22 septembre 1302.

« Magistro Ade de Driffel, rectori de Witeberno ac de Pontelande ecclesiarum, Dunelmensis diocesis. Super pluralitate. » (fol. 244.)

Dilecto filio magistro Ade de Driffeld, presbytero, rectori de Witeberno ac de Pontelande ecclesiarum, Dunelmensis diocesis. Grate devotionis affectus —.

Suprascripto indulgetur, ut, altera harum ecclesiarum, quas ex dispensatione Apostolica obtinet, dimissa, ecclesiam de Staunfordheram, ejusdem diocesis, licite recipere et detinere valeat.

Dat. Anagnie, x kal. octobris, anno viii°.

1. *Ms* : Transtomor.

4887 (CCCXLVII) Latran, 21 décembre 1302.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Parmensi. » (fol 244 v°.)

Dilecto filio nobili viro Ghiberto de Corrigia, militi Parmensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Jacobine, nate nobilis viri Andrioli de Flisco, comitis de Lavania, uxori ejus. Intenta salutis operibus —.

Suprascriptis indulget dominus papa, ut in matrimonio, quod contraxerunt, pro bono pacis, carnali copula subsecuta, non obstante quarto affinitatis gradu, pro eo quod quondam Vannina de Malaspinis, uxor Ghiberti, Jacobinam quarto consanguinitatis gradu attinebat, remanere possint.

Dat. Laterani, xii kal. januarii, anno viii°.

4888 (CCCXLVIII) Latran, 9 décembre 1302.

« Uberto, electo Bononiensi. Prorogatur consecratio sua. » (fol. 244 v°.)

Dilecti filio Uberto, electo Bononiensi. Exigentibus tue devotionis —.

Suprascripto, qui ad Siciliæ partes, pro magnis Ecclesiæ Romanæ negotiis, destinatur, prorogat dominus papa consecrationis tempus usque ad Apostolicum beneplacitum.

Dat. Laterani, v id. decembris, anno octavo.

4889 (CCCXLVIIII) Latran, 23 décembre 1302.

« Licentia de mutuo pro Gerardo, abbate monasterii de Altovillari, Remensis diocesis, » usque ad summam quatuor millium florenorum auri. (fol. 244 v°.)

Dilecto filio Gerardo, abbati monasterii de Altovillari, ordinis sancti Benedicti, Remensis diocesis. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, x kal. januarii, anno octavo.

4890 (CCCL) Latran, 21 décembre 1302.

« Licentia de mutuo pro Guillelmo, abbate monasterii Premonstratensis, Laudunensis diocesis, » usque ad summam octo millium florenorum auri. (fol. 244 v°.)

Dilecto filio Guillelmo, abbati monasterii Premonstratensis, Laudunensis diocesis. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, xii kal. januarii, anno octavo.

4891 (CCCLI) Latran, 11 décembre 1302.

« Confertur Petro Duraguerre Valeriani de Piperno archidiaconatus de Brabantia in ecclesia Cameracensi. » (fol. 245.)

Dilecto filio Petro, nato nobilis viri Duraguerre Valeriani de Piperno, militis, canonico ecclesie Cameracensis et archidiacono de Brabantia in eadem, nepoti dilecti filii nostri P[etri], Sancte Marie Nove diaconi cardinalis. Meritis tue probitatis —.

Suprascripto canonicatum et archidiaconatum, quibus olim Guillelmum Flotam, filium Petri Flote, privavit, confert dominus papa, non obstante quod patitur in ætate et ordinibus defectum et præposituram in ecclesia Civitatensi, Aquilegensis diocesis, noscitur obtinere.

Dat. Laterani, III id. decembris, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Cameracensi et dilectis filiis magistro Jacobo Normanni, archidiacono Narbonensi, notario nostro, ac . . abbati monasterii Sancti Uberti Cameracensis.*

4892 (CCCLII) Latran, 11 décembre 1302.

« Mandantur privari duo canonici in ecclesia Sancte Marie Majoris Florentine. » (fol. 245 v°.)

Dilecto filio Talano Davizi, priori secularis ecclesie Sancte Marie Majoris Florentine. Nuper ad audientiam nostram fide digna relatione pervenit, quod, in ecclesia Sancte Marie Majoris Florentine, duo existunt canonici nobis et Romane Ecclesie infideles, qui, contra nos et eandem Ecclesiam, divisiones, seditiones et turbationes procurare multiplices — non verentur —.

Suprascripto concedit dominus papa facultatem privandi dictos canonicos eorum canonicatibus et præbendis ac recipiendi eorum vice, in ipsa ecclesia, duas personas idoneas, « nobis et Ecclesie prefate fideles », in canonicos.

Dat. Laterani, III id. decembris, anno octavo.

4893 (CCCLIII) Latran, 29 décembre 1302.

« Licentia de mutuo per procuratorem pro Odone, abbate Majoris Monasterii Turonensis. » (fol. 245 v°.)

Dilecto filio Odoni, abbati Majoris Monasterii Turonensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Cum nuper dilectus —.

Suprascripto conceditur facultas compellendi ad contribuendum omnes prioratus, ballivas et membra prædicti monasterii pro mutuo octo millium florenorum auri, quos Rolandus Mirovaut, monasterii ejusdem monachus et in Romana Curia procurator, habens ad hoc speciale mandatum, recepit, « tam pro suis necessariis quam pro tuis conventus, monachorum, priorum, ballivorum, prioratuum, ballivarum et membrorum omnium predictorum, necessitatibus et utilitatibus apud Sedem Apostolicam prosequendis, a Symone Gerardi et Johanne Maffei, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate Spinorum. »

Dat. Laterani, IIII kal. januarii, anno VIII°.

4894 (CCCLIIII) Latran, 29 décembre 1302.

« Executoria pro eodem. » (fol. 245 v°.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentini et . . cancellario Parisiensis, et . . cantori Morinensis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Suprascripto notificatur, executorio nomine, mutuum octo millium florenorum auri, quos Rolandus Mirovaut, procurator abbatis Majoris Monasterii Turonensis, recepit a Bonsegnore Jacobi, de societate Spinorum, mutuante pro se ac pro Rogerio Vanne et Mino Manetti Spine, Philippo et Spina Hugonis Spine, Doffo Lapi Spine, Nero Cambii, Symone Gerardi et Johanne Maffei, Ranutio et Gherardo Hugonis, Cabro et Guidone Bertaldi, Gerardo Hugolini, Andrea Bonaventure, Gerardo Rustici, Cino Buosi, Montecchio Corbizi et Tuttio Cocchi ac ceteris de societate prædicta.

Dat. Laterani, IIII kal. januarii, anno octavo.

4895 (CCCLV) Latran, 17 décembre 1302.

« Super provisione facienda de abbate in monasterio de Sancto Tiberio, Agathensis diocesis. » (fol. 246.)

Venerabilibus fratribus . . Magalonensi et . . Agathensi episcopis. Licet continuata supervenientium —. Sane pro parte dilectorum filiorum . . prioris claustralis et conventus monasterii de Sancto Tiberio, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Agathensis diocesis, necnon Bernardi Raymundi, prioris prioratus de Manso, ipsius monasterii monachi, fuit nuper expositum coram nobis, quod, dudum monasterio

ipso per obitum quondam Adzemarii, abbatis ipsius, vacante, iidem prior claustralis et conventus —, deliberantes per viam procedere compromissi, duodecim ex se ipsis videlicet predicto Bernardo ac dilectis filiis Adzemario, de Betiano, Bertrando de Rupeduro, de Galano, Bernardo de Caprayrola, de Castro Novo, Bremundo de Neffianis, de Serignano, Guillelmo Adzemarii, de Florentiaco, Guillermo de Aquisvivis, de Granholeriis, et Aymerico Ferroli, de Aurinchaco prioratuum ipsi monasterio subjectorum prioribus, Bertrando Raymundi, vestiario, Petro de Gradu, elemosinario, Bernardo de Sancto Felice et Guillelmo de Tesano, monachis ejusdem monasterii, providendi ea vice de gremio ipsius monasterii — prefato monasterio de abbate concesserunt — potestatem, ab hora ipsius compromissi usque ad pulsationem vesperarum ejusdem tantummodo duraturam.

Undecim ex dictis compromissariis direxerunt vota sua in præfatum Bernardum Raymundi. Qui quidem electioni consensit et iter ad Sedem Apostolicam arripuit; sed, infirmitate superveniente, coactus est deserere. Mandat suprascriptis, ad preces præfati prioris claustralis et procuratorum Bernardi Raymundi, ut præfatam electionem examinent et confirment; alioquin, eadem electione rite cassata, ipsi monasterio de persona idonea provideant.

Dat. Laterani, xvi kal. januarii, anno octavo.

4896 (CCCLVI) Latran, 8 novembre 1302.

« Quod non teneatur suscipere sacrum ordinem. » (fol. 264 v°.)

Dilecto filio magistro Bartholino de Cornazano, capellano nostro, archidiacono de Villamuro in ecclesia Tholosana. Devotionis tue merita —.

Suprascripto, qui primam tantum tonsuram obtinet, indulget dominus papa, ut, ratione hujus archidiaconatus, ad sacros ordines promoveri non teneatur.

Dat. Laterani, vi id. novembris, anno viii°.

4897 (CCCLVI *bis*) [1] Même date.

Ut per personas idoneas archidiaconatum suum visitare possit. (fol. 246 v°.)

Eidem. Laudabilia tue merita probitatis ac grata et accepta servitia, que nobis et Ecclesie Romane impendere nosceris et impendis, digne nos excitant et inducunt, ut tibi, qui es senio et debilitate confractus, in hiis que tue mentis quietem respiciant personam tuam munificentia Sedis Apostolice prosequamur.

Suprascriptam gratiam ei indulget dominus papa, « quamdiu obsequiis nostris institeris. »

Dat. ut supra.

4898 (CCCLVII) Latran, 26 novembre 1302.

« Quod possit facere recipi unum ex clericis suis in ecclesia Olorensi in canonicum et in fratrem, » etiamsi dictus clericus alias beneficiatus existat.

Venerabili fratri G[uillelmo], episcopo Olorensi. Sincere devotionis affectus —. Dat. Laterani, vi kal. decembris, anno octavo.

4899 (CCCLVIII) [1] Anagni, 22 septembre 1302.

« Super relaxatione sententiarum in monasterio Sancte Justine Lucano. » (fol. 247.)

Venerabili fratri.. episcopo Lucano et dilecto filio.. priori Sancti Fridiani Lucani. Ex parte dilectorum filiorum.. potestatis, consilii et comunis civitatis Lucane fuit expositum coram nobis, quod monasterium Sancte Justine Lucanum, ordinis sancti Benedicti, habet et habuit ab antiquo in dicta civitate parrochiam, ejusque parrochiani in duabus ecclesiis, infra septa dicti monasterii constitutis, a perpetuo capellano inibi serviente audiunt divina officia et ecclesiastica percipiunt sacramenta, ac apud ipsas ecclesias eorumdem parrochianorum corpora, cum decedunt, traduntur ecclesiastice sepulture. Cumque tu, frater episcope, dilectis in Christo filiabus.. abbatisse et conventui dicti monasterii injuncxisses, ut quandam clausuram facerent, sub qua juxta tenorem constitutionis nostre super hoc edite morarentur, iidem parrochiani conspicientes quod eis ex clausura predicta, quam si fieri mandabas, circa hujusmodi eorum jura non modicum periculum imminebat, ne clausura eadem fieret se opponere curaverunt : propter quod, et etiam quia clausura ipsa fieri non potest absque magno dispendio et gravamine monasterii me-

1. Deest numerus in manuscripto.

1. Titulus scriptus fuit super chartam rasam usque ad verbum : Fridiani.

morati, quod multis debitorum oneribus pregravatur, nondum abbatissa et conventus predicte ad faciendum clausuram hujusmodi processerunt, quamvis per te, dicte episcope, fuit in eas et dictum monasterium, occasione hujusmodi, diverse excommunicationum, suspensionum et interdicti sententie promulgate.

Mandat suprascriptis dominus papa, ut, consideratis diligentius dictorum parrochianorum juribus ac tenuitate facultatum monasterii aliisque circumstantiis, clausuram hujusmodi absque parrochianorum præjudicio et ipsius monasterii detrimento, si commode fieri possit, fieri faciant.

Alioquin provideatis attente, ut in ipsius structura clausure dicti parrochiani suorum jurium predictorum idemque monasterium circa onera subeunda, dum tamen moniales memorate claudantur, minorem, sicut melius potest fieri, sustineant lesionem, sententias ipsas juxta formam Ecclesie relaxando. Dat. Anagnie, x kal. octobris, anno octavo.

4900 (CCCLVIIII) Latran, 8 novembre 1302.

Deputantur ecclesiæ Urbevetanæ pro fabrica ad alterum quadriennium fructus et proventus ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Silva, Urbevetanæ diocesis, quæ antea erat monasterium. (fol. 247.)

Venerabili fratri . . episcopo et dilectis filiis capitulo Urbevetanis. Ad ecclesiam vestram —. Dat. Laterani, VI id. novembris, anno octavo.

4901 (CCCLX) Anagni, 8 juin 1302.

« Counitur monasterium Sancte Marie de Fontigio prope Mediolanum monasterio Sancte Marie Albarum Veterum juxta Portam Mediolanensi, ordinis Sancti Augustini. » (fol. 247 v°.)

Dilectis in Christo filiabus . . priorisse et conventui monasterii Sancte Marie Albarumveterum juxta Portam Mediolanensis, per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini. Cum simus —.

Suprascripto monasterio annectit dominus papa monasterium Sanctæ Mariæ de Fontigio prope Mediolanum, ordinis sancti Benedicti, taliter in temporalibus et spiritualibus collapsum, « quod propter deformationem et ruinam ipsius quatuor moniales in illo tantummodo remanserunt, jamque per viginti annos et ultra mansit monasterium ipsum abbatisse regimine destitutum », mandatque, ut dictum monasterium per priorissam gubernetur, et quatuor moniales superstites in gremio earum recipiantur, regulam sancti Benedicti nichilominus observaturæ.

Dat. Anagnie, VI id. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Clarevallis et . . preposito de Brujate, Mediolanensis diocesis, ac . . archipresbytero canonice de Cumanorum* (*sic*) *Mediolanensis ecclesiarum.*

4902 (CCCLXI) Latran, 28 décembre 1302.

Licentia de mutuo usque ad summam octo millium florenorum auri. (fol. 247 v°.)

Dilecto filio Raynaldo, electo Metensi. Cum sicut in nostra —. Dat, Laterani, v kal. januarii, anno VIII°.

4903 (CCCLXII) Anagni, 19 septembre 1302.

« Super provisione abbatisse in monasterio Sancte Marie de Canogio, Compostellane diocesis. » (fol. 248.)

Venerabili fratri . . episcopo Tudensi. Licet continuata supervenientium —. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum conventus monialium monasterii Sancte Marie de Canogio, ordinis sancti Benedicti, Compostellane diocesis, fuit expositum coram nobis, quod dudum, monasterio ipso per obitum quondam Onege Froill[e], abbatisse ipsius monasterii, abbatisse regimine destituto, predicte conventus — Santiam Johannis, ejusdem monasterii monialem, — elegerunt. Quare eedem conventus nobis humiliter supplicarunt, ut, cum — R[odericus], archiepiscopus Compostellanus, ad quem alias hujusmodi electionis confirmatio auctoritate ordinaria pertinet, per nos ex certis et rationalibus causis suspensus extiterit et existat, predictam electionem confirmari ac eidem electe munus benedictionis impendi per discretum aliquem in illis partibus dignaremur.

Ut, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electe meritis sollicite veritate, si electionem ipsam invenerit de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate Apostolica confirmare ac eidem electe munus benedictionis impendere faciat. Alioquin, eadem electione rite cassata, faciat dicto monasterio de persona idonea per electionem canonicam provideri.

Dat. Anagnie, XIII kal. octobris, anno VIII°.

4904 (CCCLXIII) Latran, 11 décembre 1302.

« Mandatur provideri de plebanatu plebis Sancti Johannis Majoris de Mucello, Florentine diocesis, per resignationem, etc. » (fol. 248.)

Dilecto filio Ugoletto, priori secularis ecclesie Sanctorum Apostolorum Florentine. Cum dilectus filius —.

Suprascripto mandat dominus papa, ut plebanatum plebis Sancti Johannis Majoris de Mucello, Florentinæ diocesis, quem Franciscus Davizi de Gagliano intendit resignare, Ubaldino, nato quondam Davizi de Gagliano, clerico, nullum beneficium ecclesiasticum obtinenti, conferat, non obstante quod patitur in ætate, ordinibus et scientia defectum. « Volumus autem quod in eodem plebanatu faciat continue, donec ad etatem legitimam pervenerit, per vicarium ydoneum deserviri, et, cum ad eandem etatem pervenerit, ad ordines, — se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat. »

Dat. Laterani, III id. decembris, anno VIII°.

4905 (CCCLXIIII) Latran, 8 décembre 1302.

« Conceditur Raynono Ethoris [1] de Supino ruralis ecclesia Sancti Petri de Pastinis, Fundane diocesis. » (fol. 248 v°.)

Dilecto filio Raynono, nato quondam Ethoris de Supino militis, domicello et familiari nostro. Grata devotionis obsequia quibus tu et tui erga nos et Romanam viguistis et vigetis Ecclesiam —.

Suprascripto concedit dominus papa, ad vitam, ruralem ecclesiam Sancti Petri de Pastinis, Fundanæ diocesis, « in qua unus ex fratribus domus ordinis Militiæ Templi Jerosolimitani, ad quem ecclesia ipsa spectat, dicitur commorari ». Quæ quidem ecclesia adeo est « collapsa, quod nichil edificiorum remansit ibidem nisi quedam domuncula posita juxta ipsam ecclesiam et possessiones ejusdem ecclesie quasi totaliter sint inculte », et speratur, quod « ecclesia eadem circa reparationem ipsius et culturam ac conservationem agrorum et bonorum ejus » per suprascriptum utilibus proficiet incrementis.

Dat. Laterani, VI id. decembris, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Fundano et dilectis filiis Thomasio Picalotti de Paliano, archidiacono Atrebatensi, et .. archipresbytero ecclesie Sancti Laurentii de Valle, Ferentinatis diocesis.*

1. *Ms :* Etheris.

4906 (CCCLXV) Latran, 3 janvier 1303.

« Executoria de mutuo pro Guillelmo, abbate monasterii Premonstratensis, Laudunensis diocesis. » (fol. 248 v°.)

Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentini et cancellario Parisiensis, ac cantori Morinensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum octo millium florenorum auri, quos Guillelmus, abbas monasterii Premonstratensis, Laudunensis diocesis, recepit a Symone Gerardi et Johanne Maffei de societate Spinorum, mutuantibus pro se ac pro Rogerio Vanne et Mino Manetti Spine, Philippo et Spina Hugonis Spine, Doffo Lapi Spine, Nero Cambii, Ranutio et Gerardo Hugonis, Gabro et Guidone Bertaldi, Gerardo Hugolini, Andrea Bonaventure, Gerardo Rustici, Cino Bussi, Montechio Corbizi et Tutio Corbizi ac ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, III non. januarii, anno VIII°.

4907 (CCCLXVI) Latran, 5 janvier 1303.

Licentia de mutuo usque ad summam duorum millium florenorum auri. (fol. 249.)

Venerabili fratri Monaldo, archiepiscopo Beneventano. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, non. januarii, anno octavo.

4908 (CCCLXVII) Latran, 13 novembre 1302.

« Super permutatione prebende sue Cenomanensis ad Aversanam. » (fol. 249.)

Dilecto filio Jacobo, nato quondam Alexandri de Sermineto, canonico Aversano. Licet ea que —. Sane petitio tua — continebat, quod, pro parte tua et dilecti filii Radulphi de Breyo, canonici Cenomanensis, tunc Adversani, nobis fuit expositum, quod tu canonicatum et prebendam, quos in Cenomanensi ecclesia, cujus eras canonicus, obtinebas, ac idem Radulphus canonicatus et prebendam ecclesie Aversane nec non Sancti Antonini Aversani, Sancte Marie de Villa Frignani Picculi, Sancte Marie, Sancti Johannis, Sancti Marci, Sancti Andree, et Sancti Petri de Villa Vici ac Sancti Donati de Villa Felicis ecclesias sine animarum cura — ac quasdam decimas in casali Casulle et villa Sancti Antimi et nonnullos redditus et proventus in civitate Acerrarum et in castro Lauri, Aversane et Nolane diocesium, — quos

idem Radulfus habebat — affectabatis ad invicem permutare —.

Negotium permutationis, curæ Petri, Sanctæ Mariæ Novæ diaconi cardinalis, commissum, ratificat dominus papa inserendo instrumentum ut in capitulo CCCXXXII°.

Dat. Laterani, id. novembris, anno octavo

In e. m. *dilectis filiis Nicolao Verticelli, Beneventane, et Nicolao Raynoni, ac Benedicto Constantii, Aversane canonicis ecclesiarum.*

4909-4910 (CCCLXVIII) Latran, 2 et 4 janvier 1303.

Licentia de mutuo usque ad summam octo millium florenorum auri. (fol. 249 v°.)

Dilecto filio Aymuino, abbati monasterii Casedei ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno octavo.

In e. m. *eidem dilecto filio Aymuino, abbati monasterii Case Dei, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, et cetera ut in proxima superiori usque in finem. Dat. Laterani, II non. januarii, anno octavo.

4911 (CCCLXVIIII) Latran, 29 décembre 1302.

Mandatur poni in possessionem castri Civitelle, Foroliviensis diocesis, Franciscus Ursi, de filiis Ursi de Urbe. (fol. 250.)

Venerabilibus fratribus Raynaldo, Vicentino, provinciæ Romagniole vicario, et .. Faventino episcopis, ac .. archipresbytero ecclesie Sancti Proculi Faventine. Romana mater Ecclesia —.

Suprascriptis mandat dominus papa, ut Franciscum Ursi de filiis Ursi de Urbe in corporalem possessionem castri Civitellæ, Foroliviensis diocesis, ad Columpnenses scismaticos spectantis et Romanæ Ecclesiæ confiscati, quod ei ejusque hæredibus in perpetuum feudum concessit, inducant.

Dat. Laterani, IV kal. januarii, anno octavo.

POTTHAST, 25205.

4912 (CCCLXX) Latran, 26 décembre 1302.

« Mandatur impendi munus benedictionis Hugoni, abbati monasterii Sancti Egidii, Nemausensis diocesis. » (fol. 250.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Arelatensi et .. episcopo Magalonensi. Cum dilectum filium Hugonem, abbatem monasterii Sancti Egidii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis, eidem monasterio, tunc abbate carenti, jam est annus, prefecerimus in abbatem, nunc ad ea que ipsi abbati cedant ad consolationis augmentum, quantum cum Deo possumus, favorabiliter intendentes, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum eidem abbati, qui presbyter esse dicitur, auctoritate nostra, munus benedictionis impendatis, cum super hoc requisiti fueritis ab eodem, hujusmodi lapsu temporis non obstante : recepturi ab eo postmodum, nostro et Ecclesie prefate nomine fidelitatis solite juramento juxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per ejus patentes litteras, suo sigillo signatas, per proprium nuntium studeatis quantocius destinare. Dat. Laterani, VII kal. januarii, anno octavo.

4913-4914 (CCCLXXI) Latran, 29 décembre et 8 janvier 1303.

« Littere contra indulta pro toto ordine Cisterciensi. » (fol. 250.)

.. abbati monasterii Sancti Pauli Bisuntini. Ad compescendos conatus —

Suprascripto mandat dominus papa, ut abbati Cistercii ejusque coabbatibus, fratribus, abbatissis, sororibus et conventibus Cisterciensis ordinis præsidio efficacis defensionis assistat, etc.

Dat. Laterani, IIII kal. januarii, anno octavo.

POTTHAST, 25207.

In e. m. pro eisdem. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Auberti Cameracensis,* sub data : Laterani, VI id. januarii, anno octavo.

In e. m. pro eisdem, *.. abbati monasterii Sancte Catherine Rothomagensis.*

In e. m. pro eisdem, *.. abbati monasterii Dolensis, Bituricensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancte Genovefe Parisiensis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati Majoris Monasterii Turonensis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Pontii de Thomaricis, Narbonensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii de Rivopullo, Vicensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Stephani de Divione, Lingonensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Clementis Metensis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Pusoniensis, Nuemburgensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii de Westmonasterio prope Londonias.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Gemblacensis, Leodiensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Ambrosii Mediolanensis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Petri in Erfordia, Maguntine diocesis.*

In e. m. pro eisdem, *venerabili fratri . . archiepiscopo Tarantasiensi.*

In e. m. pro eisdem, . . *archiepiscopo Ravennati.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Petri de Generesio, Tarviensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *episcopo Aptensi.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Victoris Massiliensis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii de Antealtaria Compostellani.*

In e. m., . . *abbati monasterii de Condomio, Agennensis diocesis,* pro eisdem.

In e. m., . . *abbati monasterii de Sancto Salvatore, Tudensis diocesis,* pro eisdem.

In e. m. pro eisdem, . . *priori cathedralis ecclesie Dunelmensis.*

In e. m. pro eisdem, *venerabili fratri . . episcopo Signino.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancte Marie Matris Domini prope Nuceriam, Salernitane diocesis.*

In e. m. pro eisdem, *venerabili fratri . . episcopo Suessanensi.*

In e. m. pro eisdem, *venerabili fratri . . episcopo Civitatensi.*

In e. m. pro eisdem, *venerabili fratri . . episcopo Massano.*

4915 (CCCLXXII) Latran, 24 décembre 1302.

« Mandatur conferri Johanni Poverelli [1] canonicatus ecclesie Sancti Ilarii Pictavensis. » (fol. 251.)

Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Eduensi. Personam tuam —.

Conceditur suprascripto facultas conferendi canonicatum et præbendam, quos, tempore promotionis suæ, in ecclesia Sancti Ilarii Pictavensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, obtinebat, per consecrationem ejus apud Sedem Apostolicam vacantes et Apostolicæ dispositioni reservatos, Johanni Poverelli, nato Petri Poverelli, civis Pictavensis, pronepoti ejus, clerico, non obstante quod in ecclesia Avalonensi, Eduensis diocesis, canonicatum et præbendam noscitur obtinere.

Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno octavo.

4916 (CCCLXXIII) Même date.

« Bartholomeo, episcopo Eduensi. Absolvitur a juramento quod prestitit de visitando singulis bienniis Apostolorum limina. » (fol. 251.)

Eidem. Meritis tue devotionis —.

Suprascriptum, qui, cum apud sedem Apostolicam præfectus fuit Eduensi ecclesiæ in episcopum, juramentum de Apostolorum liminibus singulis bienniis visitandis præstitit, licet dicta ecclesia privilegium exemptionis non habeat sed archie-

1. *Ms* : Peverelle.

piscopo Lugdunensi sit subjecta, absolvit dominus papa a dicto juramento, quoad visitationem.

Dat. ut supra.

4917 (CCCLXXIII *bis*) Même date.

Ut nullus delegatus in personam ejus interdicti vel excommunicationis sententias promulgare valeat. (fol. 251.)

Eidem. Personam tuam nobis —. Dat. ut supra.

4918 (CCCLXXIIII) Latran, 28 décembre 1302.

Ut diocesim suam per personam idoneam visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit usque ad triennium.

Venerabili fratri G[uidoni], episcopo Xanctonensi. Sincera devotio —. Dat. Laterani, v kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Lemovicensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Nobiliacensis ac . . priori de Subisia Pictavensis, Xanctonensis diocesis.*

4919 (CCCLXXV) Latran, 24 décembre 1302.

« Reservatur Raymundo Deugod prebenda ecclesie Carnotensis cum dignitate seu personatu. » (fol. 251 v°.)

Dilecto filio Raymundo Deugod, canonico Carnotensi. Apostolice Sedis —.

Suprascripto, obtentu bonæ memoriæ B[erardi], Albanensis episcopi, cujus nepos fuit, canonicatum nec non et dignitatem, in ecclesia ipsa vacantes confert vel vacaturos reservat dominus papa, non obstante quod « Sancti Thome et de Rayano et de Monte Aurioli, ac Sancti Petri Podge prioratus sine cura, Xanctonensis, Agennensis et Convenarum diocesium, et quod in Agennensi, Xanctonensi et Lectorensi ecclesiis canonicatus et prebendas » noscitur obtinere.

Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori de Sancto Machario, Burdegalensis diocesis, et Thome Pigalotti, archidiacono Cameracensi, camere nostre clerico, ac . . scolastico ecclesie Xanctonensis.*

4920 (CCCLXXVI) Latran, 25 décembre 1302.

« Quod possit facere recipi in Majori Burdegalensi et in singulis cathedralibus seu regularibus ac collegiatis ecclesiis suarum civitatis et diocesis ac provincie Burdegalensis singulas personas ydoneas », etiamsi personæ ipsæ duo vel plura beneficia obtineant.

Venerabili fratri B[ertrando], archiepiscopo Burdegalensi. Personam tuam —. Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno octavo.

4921 (CCCLXXVII) Latran, 8 janvier 1303.

« Littere contra indulta pro ordine Cluniacensi. » (fol. 252.)

Dilecto filio . . abbati monasterii Trenorciensis, Cabilonensis diocesis. Ad compescendos conatus —. Dat. Laterani, VI id. januarii, anno octavo.

POTTHAST, 25208.

In e. m., . . *abbati monasterii de Aureliaco, Claromontensis diocesis,* pro eisdem.

In e. m. pro eisdem, . . *abbati Montisfiscanensis, Rothomagensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati Majoris Monasterii Turonensis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Luxoriensis, Bisuntine diocesis.*

In e. m. pro eisdem. . . *abbati monasterii Sancti Victoris Massiliensis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Petri de Generesio, Tarviensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Antonii, Viennensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii de Rivopullo, Vicensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii de Condomio, Agennensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, . . *abbati monasterii Sancti Ambrosii Mediolanensis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii Sancti Mauricii Aganensis, Sedunensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii Sancti Cornelii Compendiensis, Suessionensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii Grassensis, Carcassonensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii Sancti Pauli Virdunensis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii Sancte Columbe Senonensis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii de Westmonasterio, Londoniensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii de Sallebi, Eboracensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterio de Valle Paradisi, Zamorrensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii de Carraceto, Astoricensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii Sancti Honorati Lirinensis, Grassensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii de Floregia, Forojuliensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem, .. *abbati monasterii Sancti Stephani Januensis.*

4922 (CCCLXXVIII) Latran, 21 décembre 1302.

« Quod possit visitare per alium, usque ad quinquennium, civitatem et diocesim suam Adurensem. » (fol. 252 v°.)

Venerabili fratri Martino, episcopo Adurensi. Grata devotionis studia —.

Suprascripto indulget dominus papa, « propter graves inimicitias ei pro defendendis ecclesiæ suæ juribus ingruentes ac etiam propter debilitatem corporis, quam in eo parit senectus, et graves infirmitates, » ut, ad quinquennium, civitatem et diocesim suam per personas idoneas visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit.

Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Flarano et .. priori de Ussaco, Auxitane et Lemovicensis diocesium, ac .. archidiacono Sipondii in ecclesia Auxitana.*

4923 (CCCLXXVIIII) Même date.

« Quod possit providere de una persona ydonea in ecclesia Adurensi. » (fol. 252 v°.)

Venerabili fratri Martino, episcopo Adurensi. Sincere devotionis affectus —. Dat. ut supra.

4924 (CCCLXXX) Latran, 8 janvier 1303.

« Executoria de mutuo pro Gerardo, abbate monasterii de Altovillari, Remensis diocesis. » (fol. 252 v°.)

.. abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentini et .. cantori Morinensis, ac .. cancellario Parisiensis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum duorum millium et quingentorum florenorum auri de totali summa quatuor millium, quos Gerardus, abbas monasterii de Altovillari, recepit ab Advocato quondam Nerii de Advocatis, cive et mercatore Florentino, mutuante pro se et « nomine Hugonis Munaldi, socii et concivis sui. »

Dat. Laterani, VI id. januarii, anno octavo.

4925 (CCCLXXXI) Latran, 11 décembre 1302.

« Super causa que vertitur inter magistrum Ricardum de Goleto, clericum Sagiensis diocesis, et Radulphum dictum Aligot, clericum Constanciensis diocesis super ecclesia Sancti Martini supra Nigram Aquam, Bajocensis diocesis. » (fol. 252 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Bajocensi, et .. Constantiensi episcopis ac dilecto filio .. archidiacono de Obximo in ecclesia Bajocensi. In causa, que inter dilectos filios magistrum Ricardum de Goleto, clericum Sagiensis diocesis, ac Radulphum dictum Aligot, clericum Constantiensis diocesis, super ecclesia Sancti Martini de Condeto supra Nigram Aquam, Bajocensis diocesis, vertitur, per appellationes hinc inde interpositas ad Sedem Apostolicam devoluta, dilectum filium magistrum Huguitionem de Vercellis, canonicum Brugensem, subdiaconum et capellanum nostrum, deputavimus auditorem, coram

quo super libello, pro parte dicti magistri Ricardi oblato, inter magistrum Georgium de Interampne, magistri Ricardi, et Matheum de Anagnia, Radulphi predictorum procuratores, lite legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, formatis insuper et datis articulis hinc et inde, productis juribus et munimentis, quibus procuratores ipsi uti in causa hujusmodi voluerunt, dictus auditor, juribus partium diligenter inspectis, diffinitivam pro eodem magistro Ricardo sententiam promulgavit, a qua, cum pro parte dicti Radulphi ad Sedem fuisset appellatum eandem, demum dilectus filius magister Bartolinus de Cornazano, canonicus Brixiensis, cappellanus noster, quem nos in causa appellationis ab eadem sententia interjecte deputavimus auditorem, partibus ad suam presentiam evocatis, visis, auditis et intellectis que partes ipse coram eo dare producere ac proponere voluerunt, dictam sententiam confirmavit. Et, licet ex parte dicti Radulphi ab hujusmodi confirmatione ad Sedem iterum fuerit appellatum predictam, dilectus tamen filius magister Onufrius de Trebis, decanus ecclesie Meldensis, capellanus noster, in causa hujusmodi appellationis ab eadem confirmatione interposite post multos processus in ea coram diversis auditoribus in ea datis habitos, a nobis deputatus auditor, ceteris actis tam coram se quam prefatis aliis auditoribus habitis diligenter examinatis atque discussis, pronuntiavit per eundem magistrum Bartholinum bene et legitime in hac parte processum, et a predicta sua confirmatione pro parte dicti Radulphi perperam appellatum fuisse. Cumque dictus magister Ricardus se possessione ejusdem ecclesie, jurium et pertinentiarum ejus per eundem Radulphum, sicut per acta coram dictis auditoribus habita apparere dicebat, asserens spoliatum, a nobis cum instantia postularet, ut nos, hujusmodi sententias pro eo taliter promulgatas auctoritate Apostolica confirmantes, illas executioni mandare debite faceremus, ex parte adversa sibi fuit objectum, quod, cum ipse de jure patronatus, quod carissimus in Christo filius noster P[hilippus], rex Francie illustris, in predicta ecclesia Sancti Martini obtinet, in litteris, quas super provisione sibi per nos facta de ecclesia predicta obtinuit, nullam fecerit mentionem, ac per hoc idem magister Ricardus in dicta ecclesia jus aliquod non haberet, non erant hujusmodi confirmatio et executio aliquatenus faciende. Nos autem, volentes prefati magistri Ricardi ita jura servare, quod predicti Radulphi justitiam, si quam habet in petitorio, non ledamus, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus, veris existentibus que supra de spoliatione hujusmodi premittuntur, vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem magistrum Ricardum restituatis ad possessionem ecclesie, jurium et pertinentiarum predictorum ac restitutum etiam defendatis : salva, ut predicitur, questione ipsi Radulpho super eadem ecclesia in petitorio judicio, si super hoc voluerit cum eodem magistro Ricardo judicialiter experiri : contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Dat. Laterani, III id. decembris, anno octavo.

4926 (CCCLXXXII) Latran, 11 janvier 1303.

« Executoria de mutuo pro J[acobo], archiepiscopo Neapolitano. » (fol. 253.)

Dilectis filiis .. decano Meldensi et . . archidiacono Tiburtino ac magistro Odoni de Sermineto, camere nostre clerico, canonico Xanctonensi. Exponente nobis pridem —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum sex millium et quingentorum florenorum auri, quos J[acobus], archiepiscopus Neapolitanus, recepit, videlicet a Balducio Floravanti et Johanne Puczii de Pistorio, de Clarentum, trium millium et quingentorum, et a Facio Miczoli et Nicolao Galligari de Florentia, mercatoribus de Scalorum societatibus, trium millium.

Dat. Laterani, III id. januarii, anno octavo.

4927 (CCCLXXXIII) Latran, 24 décembre 1302.

« Indulgentia ad fabricam pro ecclesia Eduensi. » (fol. 253 v°.)

Universis Christi fidelibus per Lugdunensem civitatem, diocesim et provinciam constitutis. Quoniam, ut ait Apostatus —. Cum itaque, sicut venerabilis frater noster B[artholomeus], episcopus Eduensis, exposuit coram nobis, Eduensis ecclesia in magna sui parte jam passa sit et in reliqua minetur omnino ruinam, ita quod ipsius ecclesie canonici nequeunt in eadem ecclesia divina officia celebrare, ac idem episcopus ad ejusdem ecclesie reparationem intendat, et ad id magna requirantur onera expensarum, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur — quatinus — eidem episcopo vel ejus nuntiis propter hoc grata caritatis subsidia erogetis —.

Conceditur indulgentia centum dierum omnibus qui ad hoc manum porrexerint adjutricem.

Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno octavo.

4928 (CCCLXXXIIII) Latran, 24 décembre 1302.

« Super reconciliatione ecclesiarum et cimiteriorum. » (fol. 253.)

Venerabili fratri B[artholomeo], episcopo Eduensi. Sincere devotionis affectus —.

Suprascripto indulgetur ut per presbyteros idoneos ecclesias et cimiteria violata suæ civitatis et dioecsis reconciliare possit.

Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno octavo.

4929-4930 (CCCLXXXV) Latran, 10 et 11 janvier 1303.

« Executoria de mutuo pro Aymuino, abbate monasterii Casedei, Claromontensis diocesis. » (fol. 253 v°).

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentini et . . priori Sancti Laurentii de Arboribus, Avinionensis diocesis, ac . . cantori ecclesie Morinensis. Exponente pridem nobis —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum quatuor millium florenorum auri, quos Aymuinus, abbas monasterii Casedei, recepit ab Advocato quondam Nerii de Advocatis, cive et mercatore Florentino.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono, et . . thesaurario ecclesie Florentine, ac magistro Andree de Eugubio, canonico Cathalaunensi, thesaurario nostro.* Exponente pridem nobis —.

Pro eodem de mutuo quatuor millium florenorum a Donato Boncii Riconerii cive et mercatore Florentino receptorum.

Dat. Laterani, III id. januarii, anno octavo.

4931 (CCCLXXXVI) Latran, 6 décembre 1302.

« Super discordia prebende Ruthenensis que vertitur inter magistrum Johannem Labacalaria et magistrum Petrum Bernardi, canonicos Ruthenenses. » (fol. 253 v°.)

Venerabili fratri P[etro], episcopo Ruthenensi. Personam tuam nobis et Apostolice Sedi devotam libenter, in quibus possimus, honoramus, et ea tibi, de quo fiduciam gerimus in Domino pleniorem, secure committimus, que ad commodum aliorum et ad tue mentis quietem tendere dinoscantur. Petitio quidem tua nuper nobis exhibita continebat, quod inter magistrum Johannem dictum Labacalaria et magistrum Petrum Bernardi, canonicos Ruthenenses, super eo quod idem Johannes auctoritate litterarum nostrarum se asserit in canonicum ecclesie Ruthenensis sub expectatione vacature prebende canonice fuisse receptum, dictusque Petrus receptionem hujusmodi certis ex causis impugnat, orta materia questionis, et in causa hujusmodi, per appellationem dicti Petri ad Sedem Apostolicam devoluta, coram quondam magistro Nicolino de Camilla, canonico Ambianensi, capellano dicte Sedis ac Apostolici palatii auditore causarum, per eandem Sedem auditore in dicta causa specialiter deputato, super libello ex parte dicti Petri oblato, lite inter procuratores partium legitime contestata, de calumpnia et veritate dicenda prestitis juramentis hinc inde, ac dilecto filio magistro Andrea de Piperno, procuratore magistrorum Petri de Cabanis, archidiaconi Amelianensis in eadem ecclesia, Raymundi Pauchelli, tunc sacriste, Berengarii de Landerra et quondam Bernardi de Veyraco, canonicorum dicte ecclesie, qui etiam contra dictum Johannem certis ex causis occasione receptionis hujusmodi appellarant, ad assistendum tantum dicto magistro Petro in ipsius cause prosecutione, ne in ea colluderetur, admisso, demum dicto auditore viam universe carnis ingresso, et causa ipsa coram diversis auditoribus, quibus successive ab eadem Sede commissa extitit, agitata, dilectus filius magister Onufrius de Trebis, capellanus noster et auditor causarum palatii memorati a nobis in eadem causa deputatus auditor, visis et auditis hinc inde propositis, diffinitivam pro dicto Johanne sententiam promulgavit, ipsumque a petitione dicti Petri Bernardi absolvens, et eidem Petro imponens perpetuum silentium super eo, pronuntiavit pro parte dicti Petri Bernardi male in hac parte appellatum, et pro dicto Johanne bene processum fuisse, declarando nichilominus prebendam, que post receptionem sepefati Johannis, per consecrationem bone memorie Bernardi, episcopi Ruthenensis, olim ipsius ecclesie canonici, in ecclesia ipsa hujusmodi lite pendente vacarat, fore dicto Johanni tamquam sibi debitam conferendam, ei de ipsa etiam providendo, a qua sententia pro parte dicti Petri Bernardi ad prefatam Sedem extitit appellatum. Nosque ipsius appellationis, ab eadem sententia interjecte, causam dilecto filio magistro Symoni de Marvilla, capellano nostro, thesaurario Metensi et causarum prelibati palatii auditori, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Coram quo, licet per procuratores dictarum partium aliquandiu fuerit in causa ipsa processum, adhuc tamen eadem causa remanet in-

decisa. Cum autem, sicut asseris, ex hujusmodi questione, in prefata Ruthenensi ecclesia discordie, scissura, et scandala gravia sint exorta, ex quibus possunt tam eidem ecclesie quam personis ipsius pericula provenire, pro eo maxime quod nonnulli ex canonicis ecclesie memorate per receptionem dicti Johannis et provisionem sibi factam de predicta prebenda prejudicari dicunt statutis capituli ecclesie prelibate, aliique canonici ejusdem ecclesie contrarium asseverant, nobis humiliter supplicasti, ut hujusmodi questioni, discordie, scissure ac scandalis providere de celeri et salubri remedio dignaremur. Nos igitur, qui libenter Christi fidelibus quietis et pacis comoda procuramus et evitamus scandala et pericula inter eos, sperantes quod per te, qui de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, super hiis poterit salubriter provideri, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus hujusmodi causam et dependentes ab ipsa, non obstantibus appellationibus interpositis et processibus omnibus habitis in eadem, seu quod coram dicto Symone auditore noscitur, ut premittitur, in Curia Romana pendere, infra duorum mensium post receptionem presentium, de plano, sine strepitu et figura judicii, vel concordia, sine pravitate tamen aliqua, si de ipsarum partium voluntate processerit, auctoritate nostra terminare procures, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Alioquin ex tunc, infra alios duos menses immediate sequentes, causam ipsam. instructam vel non instructam, ad predicte Sedis remittas examen. Dat. Laterani, VIII id. decembris, anno octavo.

4932 (CCCLXXXVII) Latran, 17 décembre 1302.

« Quod cogant capitulum Claromontense ad restitutionem faciendam episcopo Claromontensi de nonnullis pecuniarum summis perceptis de proventibus sigillorum. » (fol. 254.)

.. decano et capitulo ecclesie Brivatensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Claromontensis diocesis. Querelam venerabilis fratris nostri P[etri], episcopi Claromontensis, nuper accepimus, continentem quod capitulum ecclesie Claromontensis, pridem ante promotionem suam, sede Claromontensi vacante, nonnullas pecuniarum summas de proventibus sigillorum ad ipsum episcopum pertinentes indebite recipere ac inter se dividere, contra constitutionem nostram super hoc editam, presumpserunt, quandam pravam consuetudinem in constitutione ipsa expresse reprobatam pretendentes indebite, videlicet sic fore inhibi hactenus observatum. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio curaremus. Nos igitur, qui sumus omnibus in justitia debitores, nolentes eidem episcopo in suo jure deesse, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, si vobis de plano, sine strepitu et figura judicii constiterit de premissis, prefatum capitulum et singulares canonicos ac personas de dicto capitulo, qui de hujusmodi pecuniis taliter perceperunt, quod eidem episcopo de sic perceptis plenam et debitam satisfactionem impendant, per penam in constitutione ipsa contentam ac per censuram ecclesiasticam, monitione premissa, appellatione cessante, cogatis, non obstante si eisdem capitulo, canonicis et personis comuniter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici vel excomunicari nequeant aut suspendi per litteras Sedis ejusdem, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, XVI kal. januarii, anno octavo.

4933 (CCCLXXXVIII) Latran, 15 décembre 1302.

Indultum Petro, episcopo Claromentensi, concessum. (fol. 254.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Claromontensi. Personam tuam nobis —.

Suprascripto indulgetur, ut possit conferre alicui personæ idoneæ præbendam Claromontensis ecclesiæ, quam obtinebat tempore promotionis suæ, per consecrationem ejus apud Sedem Apostolicam vacantem et Apostolicæ dispositioni reservatam.

Dat. Laterani, XVIII kal. januari, anno octavo.

4934 (CCCLXXXVIIII) Même date.

« Eidem. Quod possit concedere uni persone ydonee tabellionatus officium. » (fol. 254 v°.)

Eidem. Ne contractuum memoria —. Dat. ut supra.

4935 (CCCLXXXVIIII *bis*) [1] Même date.

Pro eodem. (fol. 254 v°.)

Eidem. Sincere devotionis affectus —.

1. Deest numerus in regesto.

Absolvitur a juramento, quod, cum apud Sedem Apostolicam existens præfectus fuit in episcopum Claromontensem, præstitit de visitandis liminibus Apostolorum singulis bienniis, licet ecclesia ipsa Claromontensis privilegium exemptionis non habeat sed archiepiscopo Biturensi sit subjecta.

Dat. ut supra.

4936 (CCCLXXXX) Latran, 5 décembre 1302.

« Conceditur Rogerio de Armaniaco archidiaconatus Agennensis. » (fol. 254 v°.)

Rogerio de Armaniaco, canonico et archidiacono Agennensi. Sincere devotionis affectus —.

Consideratione nobilis viri Bernardi, comitis Armaniaci, collationem canonicatus et archidiaconatus, quos Guillelmus, episcopus, tunc electus Vasatensis, in Agennensi ecclesia obtinebat tempore promotionis suæ, et qui Apostolicæ dispositioni reservati fuerant, suprascripto factam, confirmat dominus papa. Providerat antea eidem de dictis canonicatu et archidiaconatu, verum, « antequam tibi hujusmodi provisio per nos facta esset, memoratus episcopus prefatum archidiaconatum in manibus venerabilis fratris nostri Agennensis episcopi, ad quem ejusdem archidiaconatus collatio pertinet, resignarat, illumque idem episcopus Raymundo de Goto [1], canonico Agennensi, pronepoti suo, duxerat conferendum. » Hanc collationem dicti episcopi et appellationem, quam dictus Raymundus ad Sedem Apostolicam interjecit, irritat.

Dat. Laterani, non. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Cimarra, Auxitane, et Arnaldo, priori de Ussaco, Lemovicensis diocesium, ac magistro Bernardo, archidiacono Xanctonensi.*

4937 (CCCLXXXXI Latran, 13 octobre 1302.

Super dispensatione matrimonii a rege Portugaliæ pro filio naturali petita. (fol. 255.)

Venerabilibus fratribus .. Ulixbonensi, et .. Elborensi episcopis. Cum summus pontifex —. Sane pro parte carissimi in Christo filii Dyonisii, regis Portugalie illustris, fuit nuper nobis humiliter supplicatum, ut, cum suggerentibus certis et rationabilibus causis desideret plurimum Alfonsum Sancii, ejus filium naturalem, cum dilecta in Christo filia Tarasia Martini, nata dilecti filii nobilis viri Johannis Alfonsi, comitis Portugalie, matrimonialiter copulari, quod iidem Alfonsus et Tarasia, non obstante tertio consanguinitatis gradu, quo altera contingit alterum, matrimonium invicem contrahere licite possent, dispensare de speciali gratia dignaremur.

Committitur suprascriptis, ut si pensatis diligenter circumstantiis, ex necessaria causa vel evidenti utilitate, quæ subsit, hujusmodi matrimonium contrahi viderint expedire, cum præfatis dispensent.

Dat. Laterani, III id. octobris, anno octavo.

4938 (CCCLXXXXII) Latran, 16 octobre 1302.

Gratia pro clericis regis Portugaliæ. (fol. 255.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Bracharensi. Exigit carissimi —.

Ut cum clericis, obsequiis Dyonisii, regis Portugaliæ, insistentibus, qui, non obstante revocatione generali concessionum sine præfinitione temporis factarum, fructus beneficiorum suorum in absentia perceperunt, dispenset super nota, quam exinde contraxerunt, injuncta eis salutari pœnitentia.

Dat. Laterani, XVII kal. novembris, anno octavo.

4939 (CCCLXXXXIII) Même date.

De fructibus a clericis regis Portugaliæ in absentia percipiendis. (fol. 255 v°.)

Carissimo in Christo filio Dyonisio, regi Portugaliæ illustri. Personam tuam —.

Indulgetur suprascripto, ut octo clerici, ejus obsequiis insistentes, fructus beneficiorum suorum ad quinquennium in absentia percipere valeant. « Olim siquidem felicis recordationis Nicolaus papa IIII, predecessor noster, tibi per suas sub certa forma duxit litteras sine prefinitione temporis concedendum, ut sex clerici tui, dum tuis insisterent obsequiis, beneficiorum suorum ecclesiasticorum percipere possent fructus —. Verum, quia nos postmodum omnes tales concessiones generaliter duximus auctoritate Apostolica revocandas, hujusmodi concessio tibi facta — juribus extitit vacuata. »

Dat ut supra.

In e. m. *dilecto filio .. priori Sancte Crucis Colimbriensis.*

1. *Ms* : Goco.

4940 (CCCLXXXXIIII) Latran, 24 décembre 1302.

« Annectitur monasterio Cluniacensi monasterium de Sancto Secano, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis. » (fol. 255 v°.)

Dilecto filio Bertrando, abbati monasterii Cluniacensis. Inter cetera —.

Suprascripto significat dominus papa, se monasterium de Sancto Sequano, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, cum omnibus membris ordini Cluniacensi annectere, eique ac ejus successoribus idem reformandum et regendum committit

Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno octavo.

POTTHAST, 25204.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Cabilonensi et dilectis filiis .. Trenorbiensis, Cabilonensis diocesis, ac .. Sancti Martini Eduensis monasteriorum abbatibus.*

4941 (CCCLXXXXV) Latran, 8 décembre 1302.

Ut jura civilia per triennium, audire possit « ubi studium vigeat generale. » (fol. 256.)

Neapuleoni de Alviano, nato dilecti filii nobilis viri Offredutii, priori secularis ecclesie Sancte Lucie de Paterno, Balneoregensis diocesis. Cupientes ut in sortem —. Dat. Laterani, VI id. decembris, anno octavo.

4942 (CCCLXXXXVI) Latran, 22 octobre 1302.

« Dispensatur cum Stephano Petri, decano Egitaniensi, super pluralitate. » (fol. 256.)

Stephano Petri, decano Egitaniensi. Exigunt laudabilia —. Cum itaque, sicut asseris, decanatus ecclesie Egitaniensis, curam habens animarum, per venerabilem fratrem nostrum Velascum, Egitaniensem episcopum, nuper tibi, canonicatum et prebendam in Portugalensi ecclesia et a dilectis filiis capitulo ecclesie Ulixbonensis quoddam prestimonium et ecclesiam Sancti Johannis de Cunfaxens, Lamecensis diocesis, obtinenti, canonice sit collatus —.

Dispensatur cum eo super pluralitate.

Dat. Laterani, XI kal. novembris, anno octavo.

4943 (CCCLXXXXVII) Latran, 8 janvier 1303.

« Quod possit facere recipi duas personas in ecclesia Petragoricensi. » (fol. 256.)

Venerabili fratri Audoyno, episcopo Petragoricensi. Sincere devotionis affectus —. Dat. Laterani, VI id. januarii, anno octavo.

4944 (CCCLXXXXVIII) Latran, 8 janvier 1303.

« Super dispensatione matrimonii. » (fol. 256 v°.)

. . vicario dilecti filii Uberti, electi Bononiensis. Sedis Apostolice —. Ex parte siquidem dilecti filii Uberti, electi, et comunis Bononiensis fuit expositum coram nobis, quod, cum dudum inter nobiles viros comites de Panico, Bononiensis diocesis, ex parte una, et nobiles viros Cathaneos de Monzano, ejusdem diocesis, ex altera, inimicitie graves exorte fuissent — ex quibus — civitas Bononiensis discrimina multa perpessa fuerat dictarumque inimicitiarum occasione sepius turbabatur, ad sedandas inimicitias supradictas, ipsi comune sollicito studio procurarunt, quod nobilis vir Artusius de Monzano, qui est de dictis Cathaneis, et nobilis mulier Johanna quondam Brunioli comitis de Panico matrimonialiter invicem jungerentur, sicque dicti Artusius et Johanna exhortationibus dictorum comunis inducti matrimonium per verba de presenti invicem contraxerunt, quamvis carnalis copula nondum intervenerit inter eos. Verum, quia quondam Johanna, prior uxor dicti Artusii, predicte Johanne Brunioli quarto fuit consanguinitatis gradu conjuncta —, fuit nobis — supplicatum ut providere super hoc — dignaremur —.

Mandatur suprascriptis, ut, consideratis circumstantiis universis, « que circa predicta fuerunt attendende, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, » cum præfatis dispenset.

Dat. Laterani, VI id. januarii, anno octavo.

4945 (CCCLXXXXVIIII) Latran, 10 janvier 1303.

« Conceditur Jacobo Bigerii de Tornaquincis prioratus secularis ecclesie Sancti Stephani ad Pontem Florentine. »

Jacobo, nato dilecti filii nobilis viri Bigerii de Tornaquincis, priori secularis ecclesie Sancti Stephani ad Pontem Florentine. Sincere devotionis affectus —.

Suprascripto prioratus ejus ecclesiæ per mortem quondam Andreæ, qui nuper in civitate Florentina decessit, vacans et Apostolicæ dispositioni reservatus juxta tenorem reservationis de beneficio vacante in Florentina vel Fesulana diocesi, inter mensis spatium per dominum papam eligendo, confertur, non obstante quod in Lucana et Tervisina ecclesiis sub exspectatione præbendæ in canonicum est receptus et in minoribus tantum ordinibus et octavo decimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancte Trinitatis, et . . Sancti Pancratii Florentinorum monasteriorum abbatibus ac . . cantori ecclesie Morinensis.*

4946 (CCCC) Latran, 8 janvier 1303.

« Preficitur in episcopum Novariensem. » (fol. 257.)

Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Novariensi. Angit nos cura —.

Novariensi ecclesie per translationem Papiniani, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, ad Parmensem vacanti et Apostolicæ dispositioni reservatæ, præficitur suprascriptus, tunc Castellanus episcopus, in episcopum.

Dat. Laterani, VI id januarii, anno VIII°.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Novariensis — clero Novariensis civitatis et diocesis — populo — universis vassallis.*

4947 (CCCCI) Latran, 24 décembre 1302.

« Confertur Leonardo Nicolai Emanuelis de Guarcino prebenda cum thesauraria Lingonensi. » (fol. 257.)

Dilecto filio Leonardo, nato dilecti filii nobilis viri Nicolai Emanuelis de Guarcino, canonico et thesaurario ecclesie Lingonensis. Virtutum studiis —.

Suprascripto, consideratione Leonardi, episcopi Albanensis cujus nepos existit, canonicatum et thesaurariam dictæ ecclesiæ, per obitum bonæ memoriæ Petri, Sanctæ Mariæ Novæ diaconi cardinalis, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantes confert dominus papa, non obstante quod in Patracensi, archidiaconatum, et in ea ac Mothonensi, Aversana et Sancti Firmini Ambianensi, canonicatus et prebendas, et in Sancti Angeli de Guarcino, Alatrinæ diocesis, ecclesiis locum et perpetuum beneficium noscitur obtinere.

Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno VIII°.

In e. m. *venerabili fratri . episcopo Theanensi et dilectis filiis . . Sancti Amatoris, ac . . Sancti Gengulphi Lingonensium prioribus.*

4948 (CCCCII) Latran, 25 décembre 1302.

« Mandatur restitui bona arrestata per regem Francie Amanevo, archiepiscopo Auxitano. » (fol. 257 v°.)

Dilecto filio Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinali, Apostolice Sedis nuntio. Dignum esse conspicimus, quin immo debitum arbitramur, ut illos favoris plenitudine prosequamur, quos gratos nobis et Apostolice Sedi per devotionis et obedientie studium reperimus. Nuper siquidem venerabilis frater noster Amanevus, archiepiscopus Auxitanus, in nostra proposuit presentia constitutus, quod, postquam pridem prelatos regni Francie ad nostram duximus presentiam evocandos, officiales et ballivi regis Francie, pro eo quod dictus archiepiscopus, vocatus ab ipso rege ad generalem congregationem suam, factam tunc temporis Parisius de prelatis et baronibus regni Francie, non accessit, eundem archiepiscopum et Auxitanam ecclesiam indebite, quin immo ansu nephario persequentes, nonnulla bona mobilia et immobilia, ad ipsos archiepiscopum et ecclesiam pertinentia, temere occuparunt seu saisiverunt, eaque detinent occupata seu etiam saisita, alias eis dampna gravia et injurias irrogando. Quare dictus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi et eidem ecclesie super hiis de oportuno remedio curaremus. Nos igitur, volentes predictis archiepiscopo et ecclesie adesse in suis juribus favoribus oportunis, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus eundem regem ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, ut prefata bona, occupata taliter et detenta seu saisita, absque deductione expensarum et gagiorum servientium seu custodum ad ipsorum bonorum detentionem sive custodiam positorum, faciat ipsis archiepiscopo et ecclesie sine difficultate cum integritate restitui. Alioquin per te vel alium seu alios omnes hujusmodi predictorum bonorum occupatores et detentores seu saisitores et illatores dampnorum et injuriarum, qui bona ipsa, sic occupata et detenta seu saisita, absque deductione predicta et sine difficultate, predictis archiepiscopo et ecclesie cum integritate resti-

tuant, ac de predictis dampnis et injuriis eis plenam et debitam satisfactionem impendant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas : non obstante si eis vel eorum aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et constitutionibus, tam nostra, qua cavetur, cum actor et reus diocesium fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis, ad judicium nullatenus evocetur, quam de duabus dietis in concilio generali et quibuslibet aliis a predecessoribus nostris super hoc editis, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno octavo.

4949 (CCCCIII) Anagni, 14 septembre 1302.

« Statuta confirmata in diversis ecclesiis de civitate Ferentinate. » (fol. 258.)

Dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Petri Ferentinatis. In eminenti Sedis Apostolice —.

Taxatur octodenarius numerus canonicorum in ipsa ecclesia, abbate computato.

Dat. Anagnie, XVIII kal. octobris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis, et . . Sancti Johannis Evangeliste, ac . . Sancti Valentini Ferentinatum secularium ecclesiarum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Valentini Ferentinatis.* In eminenti Sedis Apostolice —

Taxatur octonarius canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis, et . . Sancte Agathe, ac . . Sancti Angeli secularium ecclesiarum Ferentinatum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Angeli Ferentinatis* —.

Taxatur in ipsa quinquenarius clericorum seu canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis, ac . . Sancti Ypoliti, et . . Sancti Laurentii secularium ecclesiarum Ferentinatum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capituto secularis ecclesie Sancte Agathe Ferentinatis* —.

Taxatur in ipsa duodenarius canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis, et . . Sancte Marie Majoris, ac . . Sancti Nicolai secularium Ferentinatum ecclesiarum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Laurentii Ferentinatis* —.

Taxatur quinquenarius clericorum seu canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Casemarii, Verulane diocesis, et . . Sancte Marie Majoris, et . . Sancti Ipoliti secularium ecclesiarum Ferentinatum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancte Lucie Ferentinatis* etc...

Taxatur in ipsa senarius canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis, et . . Sancti Nicolai, et . . Sancti Ipoliti secularium ecclesiarum Ferentinatum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancte Marie Majoris Ferentinatis* etc...

Taxatur duodenarius canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis et . . Sancti Nicolai, ac . . Sancti Laurentii secularium ecclesiarum Ferentinatum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Ipoliti Ferentinatis —.*

Taxatur octonarius canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis, et . . Sancte Marie Majoris, et . . Sancti Angeli secularium ecclesiarum Ferentinatum abbatibus.*

In e. m. *dilectis filiis . . abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Johannis Evangeliste Ferentinatis —.*

Taxatur denarius clericorum seu canonicorum numerus, abbate computato.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . monasterii Casemarii, Verulane diocesis, et . . Sancte Agathe, et . . Sancti Laurentii secularium ecclesiarum Ferentinatum abbatibus.*

4950 (CCCCIIII) Latran, 30 décembre 1302.

« Super ordinatione ecclesie Aversane. » (fol. 258.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Aversano. Devotionis tue promeretur —.

Suprascripto, qui ex parte sua et capituli proposuit, « quod in eadem ecclesia fere trecenti clerici, canonicis computatis, fore noscuntur ad ipsius ecclesie servitium in divinis officiis deputati, quorum multi non habent unde valeant in ipsa ecclesia substentari, dat facultatem dominus papa, ut tot de beneficiis ecclesiasticis suæ civitatis et diocesis ad collationem suam spectantibus, quorum fructus quadraginta unciarum auri valorem annuum non excedant, usibus capituli et clericorum ejusdem ecclesiæ pro ministrandis eis quotidianis distributionis deputare valeat.

Dat. Laterani, III kal. januarii, anno octavo.

4951 (CCCCV) Latran, 10 janvier 1303.

« Mandatur provideri de abbate in monasterio Sancte Marie de Huntingdonia, ordinis sancti Augustini, Lincolniensis diocesis. » (fol. 259 v°.)

Dilectis filiis . . Eliensi, et . . Norwicensi episcopis. Ex debito pastoralis —. Vacante siquidem dudum monasterio Sancte Marie de Huntingdonia, per priorem solito gubernari, ordinis sancti Augustini, Lincolniensis diocesis, per liberam resignationem Johannis de Cantenbrigg, canonici tunc prioris dicti monasterii, in manibus venerabilis fratris nostri .. episcopi Lincolniensis — conventus — convenerunt, et, licet dilectus filius Walterus de Evenlee, monasterii predicti canonicus, fuisset per compromissi viam ab eis — electus ac — consensisset, eodem tamen Waltero renuntiante postmodum ob certam causam — dictisque conventu convenientibus iterato — contigit eundem Walterum in priorem per eandem viam eligi iterato. Verum, quia sepedictus episcopus, presentato sibi hujusmodi secunde electionis [decreto] —, cui Walterus ipse infra legitimum tempus consenserat, electionem eandem confirmare recusans, illam cassavit.

Ad Sedem Apostolicam dictus Walterus appellans, cum procuratoribus conventus accessit, sed postmodum resignavit. Mandat suprascriptis dominus papa, ut dicto monasterio de persona dicti Walteri « pro quo repetita de eo, ut premittitur, concors electio et sepefati conventus prosecutio facit », si eum repererint ydoneum, alioquin de alia persona idonea, de ipso monasterio vel aliunde assumenda, provideant.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno octavo.

4952 (CCCVI) Latran, 13 janvier 1303.

« Littera de mutuo — trium millium florenorum auri — pro Raymundo, episcopo Lectorensi. » (fol. 259 v°.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Lectorensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, id. januarii, anno VIII°.

4953 (CCCCVII) Latran, 22 janvier 1303.

« Mandatur quod Minores non debeant exercere officium inquisitoris in Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus. » (fol. 259 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Ab exordio nascentis —.

Commemorata relatione ei facta a Guidone, episcopo Xanctonensi, cui vices commiserat inquirendi de commissis a non-

nullis de ordine Fratrum Minorum inquisitoribus hereticæ pravitatis in Marchiæ Tarvisinæ sive Sancti Antonii seu Venetiarum provincia deputatis, de quibus supra in capitulis CLXXVIII et CLXXXX mentionem fecit, ex qua compertum extitit : « inquisitores predictos in premissis graviter deliquisse et nonnulla ex his, super quibus apud nos insurrexerat clamor et delatio contra eos veritate fulciri, nequeuntes — hujusmodi predictorum inquisitorum excessus conniventibus oculis, sana conscientia, preterire », statuit dominus papa, ut usque ad Sedis Apostolice beneplacitum « per personas dicti ordinis Fratrum Minorum inquisitionis contra pravitatem eamdem non exerceatur officium in Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus » sed illo fungantur in eisdem Fratres Ordinis Predicatorum.

Dat. Laterani, XI kal. februarii, anno octavo.

POTTHAST, 25211.

In e. m. *dilectis filiis .. ministro in provincia Sancti Antonii et universis Fratribus ordinis Minorum* etc. — *dilectis filiis .. magistro et .. priori in provincia Lombardie ordinis Fratrum Predicatorum.*

4954 (CCCCVIII) Latran, 21 janvier 1303.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Tusculana. » (fol. 260.)

Dilecto filio nobili viro Ceccło Francisci de Zcambis et dilecte in Christo filie nobili mulieri Turisciane Ranerii Egidii, uxori ejus, de Corgneto, Tuscanensis diocesis. Licet copula conjugalis —.

Suprascripti, qui ad sedandas graves inimicitias, quarum occasione castrum Corgneti plurimum turbabatur, matrimonium ad invicem contraxerunt, quamvis nondum fuerit per carnis copulam confirmatum, indulgetur, ut in dicto matrimonio remanere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilecto filio nobili viro Paulucio Francisci de Zambis et dilecte in Christo filie nobili mulieri Benmiplace Geptii Octaviani de Corgneto, uxori ejus, Tuscanensis diocesis.* Intenta salutis —.

Eadem gratia conceditur quam in proxima superiori.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilecto filio nobili viro Lotio Petri Bartholii ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Lotie Jacobi Octaviani dicte Pisane, ejus uxori, de castro Corgneti, Tuscanensis diocesis.* Romani Pontificis —.

Ut in prima.

Dat. ut supra.

4955 (CCCCVIIII) Latran, 17 janvier 1303.

« Preficitur in archiepiscopum Beneventanum. » (fol. 260 v°.)

Venerabili fratri Munaldo, archiepiscopo Beneventano. In dispensatione ministeriorum —.

Suprascriptum ad ipsam ecclesiam, per translationem Jacobi ad Neapolitanam vacantem, de Suana transfert dominus papa, palleo ei per Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, Jacobum, Sancti Georgii ad Velum Aureum, Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Riczardum, Sancti Eustachii, et Lucam, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconos cardinales.

Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Beneventane — clero civitatis et diocesis — populo — venerabilibus fratribus universis suffraganeis ecclesie.*

4956 (CCCCX) Latran, 25 décembre 1302.

« Super augmentatione prebendariorum canonicorum in ecclesia Auxitana. » (fol. 261.)

Venerabili fratri Amanevo, archiepiscopo Auxitano. Devotionis tue promeretur —. In nostra siquidem proposuisti presentia constitutus, quod, cum ecclesia ipsa, que regularis existit et in qua certus canonicorum numerus institutus ac prebendarum seu beneficiorum distinctio non habentur, in canonicis et aliis servitoribus, qui prebendarii dicuntur, quorum institutio ad te una cum capitulo ejusdem ecclesie pertinet, defectum notabilem patiatur, et ecclesia ipsa, per Dei gratiam, ex tuis studiis, in redditibus et aliis bonis, ab eo tempore quo ad eam assumptus in archiepiscopum extitisti, satis creverit ac fuerit augmentata, et canonici qui nunc sunt in dicta ecclesia velint redditus et bona eadem inter se paucos dividi, que possent pluribus sufficere condecenter, desideras hujusmodi canonicorum et prebendariorum suppleri defectum juxta hujusmodi ecclesie facultates. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, volentes ut

hujusmodi defectus suppleatur in ecclesia memorata, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino pleniorem, instituendi hac vice et unica ordinatione, auctoritate nostra, canonicos et prebendarios ydoneos in eadem ecclesia usque ad numerum, de quo, juxta redditus, anniversaria et alias ipsius ecclesie facultates, pro honore et bono statu ejusdem ecclesie et ampliando in ea divino cultu, expedire videris, et faciendi hujusmodi canonicos et prebendarios, qui per te fuerint in dicta ecclesia taliter instituti, in ea in canonicos et prebendarios recipi et admitti, ipsisque in dicta ecclesia personaliter residentibus de comunibus ejusdem ecclesie proventibus, sicut aliis ecclesie prefate canonicis et prebendariis in ea personaliter residentibus et servientibus, portionem integram exhiberi — concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno octavo.

4957 (CCCCXI) Latran, 28 décembre 1302.

« Conceditur G[uidoni], episcopo Xanctonensi, quod possit facere recipi unam personam ydoneam in canonicum et in fratrem in ecclesia Xanctonensi. » (fol. 261.)

Venerabili fratri G[uidon]i, episcopo Xanctonensi. Devotionis tue probata —. Dat. Laterani, V kal. januarii, anno octavo.

4958 (CCCCXII) Latran, 16 janvier 1303.

Preficitur in abbatem Usercensis monasterii. (fol. 261 v°.)

Dilecto filio Guidoni Laporta, abbati monasterii Usercensis, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis. Debitum officii nostri —. Olim siquidem Gilberto de Corsonio, monacho monasterii Usercensis, Fratrem Guillelmum Roberti, tunc abbatem ipsius monasterii, coram nobis super dilapidatione et alienatione bonorum dicti monasterii ac symonie, perjurii et quibusdam aliis criminibus et excessibus deferente, nos, causam hujusmodi Nicolao, Ostiensi episcopo, primo, et, eo demum post nonnullos processus habitos in causa predicta se de mandato nostro ad partes alias transferente, Theoderico, episcopo Civitatis Papalis, duximus committendam, coram quo eadem causa pendente, Frater Hugo Laporta, dicti monasterii monachus, vehementer suspicans, ut dicebat, quod collusio in causa ipsa inter Guillelmum et Gilbertum intervenerat prelibatos, in elusionem commissionis hujusmodi, memorato episcopo Civitatis Papalis facte, et dispendium monasterii sepedicti, ad probandum ea, per que predicta detegeretur collusio, a nobis humiliter petiit se admitti. Cumque idem Hugo ad id per prefatum episcopum Civitatis Papalis, de mandato nostro, admissus fuisset, idemque episcopus Civitatis Papalis, exhibitis super hoc coram eo articulis ab Hugone predicto, supradictum Guillelmum coram se citari fecisset, Guillelmus et Gilbertus predicti, illicentiati de nostra curia recedentes, ad prefatum monasterium redierunt. Sane dicto Hugone in nostra presentia exponente, quod prefati Guillelmus et Gilbertus taliter recederant, quodque idem Guillelmus dampnosas alienationes de rebus dicti monasterii et alia illicita in enormem jacturam ejusdem monasterii attemptarat, nos sepedictum Guillelmum citari fecimus, ut coram nobis personaliter compareret, et demum, eo nostro se conspectui personaliter presentante, nos, auditis hiis que tam per eundem Guillelmum quam contra ipsum fuerunt proposita coram nobis, quia constitit, tam per confessionem ipsius Guillelmi quam per autentica instrumenta adversus eum nobis ostensa, dictum Guillelmum talia commisisse, per que administratione dicti monasterii omnino reddiderat se indignum, eundem Guillelmum sententialiter abbatia dicti monasterii, exigente justitia, privavimus, ipsum ab ejusdem monasterii regimine amovendo, ac, provisionem ejusdem monasterii de abbate ea vice faciendam nobis et Sedi Apostolice reservantes, decrevimus irritum et inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter attemptatum esset vel contingeret attemptari, et consequenter de ordinatione prefati monasterii vigilanti studio cogitantes talemque personam ejusdem monasterii regimini preficere cupientes, per quam salubriter gubernari valeret, in te, tunc monachum monasterii Sancti Marcialis Lemovicensis, ejusdem ordinis, convertimus oculos nostre mentis. Premissis itaque omnibus diligenti meditatione pensatis, te, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, eidem monasterio Usercensi preficimus in abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii Usercensis tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, firma spe fiduciaque tenentes, quod, cum nobis de competenti litterarum scientia, regulari observantia, honestate morum et vite, prudentia spiritualium et providentia temporalium, fidedignorum testimonio commenderis, dictum monasterium Usercense per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis et alias Deo auctore spiritualiter et temporaliter gratis proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, regimen ipsius monasterii Usercensis suscipiens, reverenter in ejus ampliandis honoribus et profectibus procurandis sic te reddas sine intermissione

sollicitum, quod apud remotos et proximos fama tua clareat per effectum et in dilectionem nobis veniat te oportuno tempore gratiose prosequi ac tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Dat. Laterani, XVII kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Usercensis, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis — universis vassallis.*

4959 (CCCCXIII) Latran, 25 décembre 1302.

« Quod possit propter occupationes ejus ac debilitatem corporis quam in eo parit senectus facere visitari civitatem, diocesim et provinciam suam. » (fol. 262.)

Venerabili fratri A[menevo], archiepiscopo Auxitano. Grata devotionis studia —. Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Amandi, Petragoricensis diocesis, et . . archidiacono ecclesie Xanctonensis, ac . . priori de Ussaco, Lemovicensis diocesis.*

4960 (CCCCXIIII) Latran, 4 décembre 1302.

« Quod possit facere recipi singulas personas in singulis ecclesiis. » (fol. 262.)

Eidem. Personam tuam nobis —.

Ut in sua Auxitana, quæ regularis existit, et cathedralibus et collegiatis regularibus, dummodo monasteria non existant, et secularibus ecclesiis, suæ provinciæ, civitatis et diocesis singulas personas idoneas recipi in canonicos facere possit.

Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno octavo.

4961 (CCCCXV) Latran, 25 décembre 1302.

« Super recuperatione quorumdam castrorum ecclesie Auxitane et aliarum ecclesiarum et monasteriorum Auxitane diocesis. » (fol. 262 v°.)

Dilecto filio . . abbati monasterii de Sancto Fremeno Vasatensis diocesis. Ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum comodis, in quibus honeste possumus, favorabiliter intendentes, cum aliqua in eorum lesionem et grave prejudicium attemptantur, in statum revocari debitum oportunis remediis procuramus. Sane nuper ad audientiam nostram pervenit, quod, cum olim inter venerabilem fratrem nostrum A[menevum], archiepiscopum, et dilectos filios capitulum Auxitanos, *B. abbatem et conventum monasterii de Pessano, ordinis sancti Benedicti* [1], et B. abbatem et capitulum secularis ecclesie de Fageto ac ordinem Fidei et Pacis, qui ordo Spate vulgariter appellatur, Auxitane diocesis, ex parte una, et nobilem virum Centullum, comitem Astariaci, Auxitane diocesis, ex altera, super nonnullis castris et aliis bonis ad Auxitanam et predictam de Fageto ecclesias, nec non monasterium et ordinem predicta Fidei et Pacis spectantibus, in quibus idem comes se jus habere mendaciter pretendebat, et aliis certis articulis materia questionis et discordie foret exorta, tandem per partes ipsas vel ipsarum procuratores, ad hoc ab eis specialiter constitutos, nomine earum, dicto ordine Fidei et Pacis, qui per magistrum regi consueverunt, tunc magistro carente, in dilectos filios abbatem monasterii de Condomio, ejusdem ordinis sancti Benedicti, et nobilem virum Odonem de Lomania, militem, Agennensis diocesis, super hiis, tanquam in arbitros, arbitratores, et amicabiles compositores sub certa forma extitit compromissum, multis promissionibus factis et pactis initis ac gravibus penis adjectis, et etiam quibusdam castris et aliis bonis immobilibus traditis titulo pignoris ad majorem compromissi hujusmodi et ferendi ex eo arbitrii firmitatem. Iidem vero arbitri, in hujusmodi negotio procedentes, quoddam super hiis contra archiepiscopum, abbates de Pessano et de Fageto, conventum, capitula et ordinem Fidei et Pacis predicta arbitrium protulerunt. Et licet arbitrium ipsum, quo ad nonnulla capitula in eo contenta, fore nullum, et, quo ad alia, in enormem ecclesiarum, monasterii de Pessano ac ordinis Fidei et Pacis predictorum lesionem redundare noscatur, ipsi tamen archiepiscopus, abbates, conventus, capitula et ordo Fidei et Pacis, metu penarum appositarum in compromisso predicto, nichil per se audent dicere vel opponere contra illud. Nos autem, super hiis ex officio nostro de oportuno remedio providere volentes, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, auctoritate nostra, constituto procuratore ydoneo pro ecclesiis, monasterio de Pessano et ordine Fidei et Pacis supradictis ad negotium hujusmodi prosequendum, in eodem negotio vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, de plano, sine strepitu et figura judicii procedens, dictum arbitrium, quo ad ea, in quibus illud tibi nullum fuisse constiterit,

1. Verba : « B. abbatem et conventum monasterii de Pessano, ordinis sancti Benedicti » leguntur in margine.

denunties penitus non tenere, quo ad alia vero, ex quibus ecclesias monasterium de Pessano ac ordinem Fidei et Pacis predicta repereris enormiter esse lesas, ecclesiis, monasterio de Pessano et ordine Fidei et Pacis predictis, dictoque procuratore adversus ipsum in integrum, sicut justum fuerit, restitutis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris, auctoritate nostra, firmiter observari, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii auxilio secularis : non obstantibus lapsu temporis seu penis et bonorum traditionibus supradictis, aut obligationibus, omologationibus et renuntiationibus quibuscumque sive confirmatione aliqua super hiis in forma communi ab Apostolica Sede vel alias obtenta, sive si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et constitutionibus tam nostra, qua cavetur, quod cum actor et reus diocesum fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad judicium nullatenus evocetur, quam quibuslibet aliis a predecessoribus nostris super hoc editis, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim, auctoritate presentium, ad judicium non trahatur. Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno octavo.

4962 (CCCCXVI) Latran, 10 janvier 1303.

« Quod possit facere visitari civitatem, diocesim et provinciam suam. » (fol. 262 v°.)

Venerabili fratri B[ertrando], archiepiscopo Burdegalensi. Tue merita sinceritatis —.

Suprascripto, qui domino papæ exposuit, quod redditus archiepiscopalis sedis Burdegalensis, propter guerrarum discrimina et temporis malitiam illarum partium, sunt adeo diminuta, quod nequaquam sufficiunt ad sui substentationem et ad reparationem maneriorum ecclesiæ suæ, quæ sunt pro magna parte destructa, indulgetur, ut usque ad tres annos, ecclesiastica loca suæ civitatis diocesis ac provinciæ per personam idoneam visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis Thome Picalotti, camere nostre clerico, Cameracensis, ac . . de Savenesio, Auxitane, archidiacono, et . . scolastico Xanctonensis ecclesiarum.*

4963 (CCCCXVII) Latran, 2 janvier 1303.

« Quod possit exercere censuram ecclesiasticam in turbatores et raptores [1] etc. » (fol. 263.)

Venerabili fratri Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Personam tuam —.

Ut exercere possit, ad triennium, censuram ecclesiasticam adversus invasores bonorum et perturbatores jurisdictionis, tam ecclesiasticæ quam secularis, ecclesiæ suæ et aliarum suæ provinciæ, civitatis et diocesis.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno octavo.

4964 (CCCCXVIII) Latran, 7 janvier 1303.

« Indulgentia pro ecclesia Auxitana. » (fol. 263.)

Universis Christi fidelibus presentes inspecturis. Vite perennis gloria —.

Ad instar felicis recordationis Clementis papæ quarti, concedit, ad quinquennium, dominus papa indulgentiam centum dierum omnibus pœnitentibus et confessis, qui accesserunt annuatim ad cathedralem ecclesiam Auxitanam in honore Beatæ Mariæ Virginis constructam, in festivitatibus ipsius Virginis Gloriosse ac in octavis Assumptionis et Nativitatis ejusdem.

Dat. Laterani, VII id. januarii, anno octavo.

4965-4966 (CCCCXVIIII) Latran, 30 décembre et 31 décembre 1302.

« Confertur Angelo Petri de Urbeveteri plebanatus plebis Sancte Marie de Fighino, Clusine diocesis. » (fol. 263.)

Dilecto filio Angelo Petri de Urbeveteri, nepoti venerabilis fratris nostri Theoderici episcopi Civitatis Papalis, plebano plebis Sancte Marie de Fighino, Clusine diocesis. Digne agere credimus —.

Obtentu dicti cardinalis plebanatum dictæ ecclesiæ, quem Zampus, episcopus Suanensis, promotionis suæ tempore obtinebat, per consecrationem ejus apud Sedem Apostolicam vacantem, suprascripto confert dominus papa, non obstante quod nuper per Apostolicas litteras de canonicatu et præbenda ecclesiæ Clusinæ eodem modo vacantibus fuit provisus, et quod primam tantum tonsuram habet clericalem et in sexte decimo ætatis suæ anno est constitutus.

1. *Ms* : ractores.

Dat. Laterani, III kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis Petro de Genezano, archidiacono Tiburtino, et Andree de Eugubio, Cathalaunensis* [1], *ac Nicolao de Guarcino, Civitatis Papalis canonicis ecclesiarum.*

In e. m. *dilecto filio Angelo Petri de Urbeveteri, nepoti venerabilis fratris nostri Theoderici episcopi Civitatis Papalis, rectori parrochialis ecclesie Sancti Aniani de Gambes, Carnotensis diocesis.* Digne agere credimus —.

Confertur ei ipsa ecclesia per promotionem Zampi, episcopi Suanensis, similiter vacans.

Dat. Laterani, II kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. archidiacono Pisciacensi in ecclesia Carnotensi et Andree de Eugubio, Cathalaunensis, ac Nicolao de Guarcino, Civitatis Papalis canonicis ecclesiarum.*

4967 (CCCCXX) Latran, 19 janvier 1303.

« Conceditur priori et conventui monasterii Sancti Euxebii de Urbe quod possit vendere casale suum de Pompeio. » (fol. 264.)

Dilecto filio Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali. Petitio dilectorum filiorum .. prioris et conventus monasterii Sancti Eusebii de Urbe, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti, nobis exhibita continebat, quod quondam Philippus de Subura, miles Romanus, pro anime sue remedio, eisdem casale suum de Pompeio, situm in territorio dicte Urbis, — eo modo legavit quod iidem — prius solverent Ymilie, vidue relicte ipsius, et executoribus testamenti militis antedicti quantitatem mille florenorum auri, tam pro restitutione dotis ejusdem Ymilie quam pro solvendis quibusdam aliis legatis —.

Mandatur suprascripto, ut, si expedire viderit, concedat licentiam dictis priori et conventui vendendi pro solutione dictorum mille florenorum casale, ad dictum monasterium pertinens, juxta castrum Montis Rotundi quod est minoris valoris quam dictum casale de Pompeio.

Volumus autem quod illud, quod de pretio supererit memorato, penes te pro emendis aliis possessionibus, dicto monasterio utilibus, juxta tuum consilium deponatur. Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno octavo.

1. *Ms* : Cathalanensis.

4968 (CCCCXXI) Latran, 21 janvier 1303.

« Quod possit absolvere per se vel alium monachos suos etc. » (fol. 264.)

.. abbati monasterii Cluniacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Matisconensis diocesis. Volentes aliqua tibi —.

Monachos sui ordinis, qui incurrerunt vel deinceps usque ad quinquennium incurrerint excommunicationis sententias a canone promulgatas, dummodo in eas sententias non inciderint pro tam gravibus excessibus quod sint ad Sedem Apostolicam merito destinandi, absolvere possit.

Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno octavo.

4969 (CCCCXXII) Latran, 19 janvier 1303.

Præficitur in abbatem sancti Petri de Rodis, Gerundensis diocesis. (fol. 264.)

Dilecto filio Arnaldo, abbati monasterii Sancti Petri de Rodis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Gerundensis diocesis. Ex suscepte servitutis —. Sane monasterio Sancti Petri de Rodis — olim per obitum quondam Raymundi — pastoris regimine destituto — Jacobus, prior, et conventus — deliberantes in hujusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, quinque ex dictis conventu videlicet predicto Jacobo, priori, Berengario, preposito, Raymundo, elemosinario, et Raymundo, camerario, ac Raymundo de Cistella, monachis ipsius monasterii, providendi ea vice — de abbate concesserunt potestatem.

Compromissarii suprascriptum elegerunt, qui cum procuratoribus dicti conventus ad Sedem Apostolicam accessit. Examinatione per Theodericum, Civitatis Papalis episcopum, et Robertum, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyterum, et Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinales facta, confirmatur electio ejusdem.

Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui monasterii Sancti Petri de Rodis — vassallis — carissimo in Christo filio Jacobo, regi Aragonum illustri.*

4970 (CCCCXXIII) Latran, 11 janvier 1303.

« Indulgentia ad fabricam pro ecclesia Neapolitana. » (fol. 264 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis

per Neapolitanam civitatem, diocesim et provinciam constitutis. Quoniam ut ait Apostolus —.

Conceditur ad triennium indulgentia centum dierum omnibus qui manum porrexerint adjutricem ad consummationem operis ecclesiæ Neapolitanæ, in honorem Beatæ Virginis novo ædificationis opere inceptæ.

Dat. Laterani, III id. januarii anno octavo.

4971 (CCCCXXIII) Latran, 24 décembre 1302.

« Aymuino, abbati monasterii Casedei, Claromontensis diocesis. Restituitur ad pristinam potestatem administrationis temporalium et spiritualium. » (fol. 265.)

Dilecto filio Aymuino, abbati monasterii Casedei, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diœcesis. Illius licet immeriti vices gerentes in terris, qui patiens est et humilis atque misericors, Ejus vestigia, quantum patitur humana fragilitas, imitamur, delinquentibus filiis veniam humiliter implorantibus misericordiam largiendo. Dudum siquidem Pontio de Manso, tuo et monasterii tui procuratore, in nostra proponente presentia, quod idem monasterium exemptum erat per specialia Sedis Apostolice privilegia et Sedi eidem immediate subjectum, nos, de hujusmodi privilegiis plenius certificari volentes, te ac conventum ipsius monasterii peremptorie citari fecimus, ut tu, personaliter, conventus vero predicti, per procuratorem ydoneum, comparere coram nobis infra certum ad hoc nobis statutum terminum curaretis, portaturi vobiscum omnia privilegia originalia, quorum auctoritate vos fore pretendebatis exemptos, ac facturi et recepturi et audituri super eisdem privilegiis nostrum beneplacitum et mandatum. Quia vero tu in hujusmodi statuto termino comparere minime curavisti, quasdam super hoc excusationes pretendi faciens, quas, sicut frivolas, non duximus admittendas, quamvis prefati conventus per procuratores suos duxerint in ipso termino comparendum, nos, contra te ob hoc non immerito provocati, reputantes te, exigente justitia, contumacem, te propter hujusmodi contumaciam ab administratione spiritualium et temporalium dicti monasterii duximus usque ad nostre beneplacitum voluntatis, auctoritate Apostolica, suspendendum. Nuper autem devote ad presentiam nostram accedens et super hujusmodi contumacia veniam reverenter implorans, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hiis misericorditer dignaremur : nos igitur, volentes erga te mansuetudinis gratiam exercere, ut quanto benignius noveris agi tecum tanto devotius Sedem Apostolicam studeas revereri, auctoritate Apostolica tibi contumaciam et ex nunc suspensionem hujusmodi revocantes, restituimus te plene ac libere ad administrationis spiritualium et temporalium pristinam potestatem, ita quod de cetero administrationem ipsam libere valeas ubilibet exercere, sicut olim poteras, antequam a nobis suspensio omanasset, nulli ergo, et cetera, nostre remissionis, revocationis et restitutionis, et cetera. Dat. Laterani, VIIII kal. januarii, anno octavo.

4972 (CCCCXXV) Latran, 22 décembre, 1302.

« Super provisione abbatis in monasterio Lutrensi, ordinis sancti Benedicti, Bisuntinensis diocesis. » (fol. 265.)

Dilectis filiis . . priori Predicatorum et . . guardiano Minorum Fratrum ordinum Bisuntinensibus. Ecclesiis et monasteriis —. Sane monasterio Lutrensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, — abbate vacante per translationem Fratris Petri, quondam abbatis dicti monasterii, ad monasterium Gorgiense, Metensis diocesis, de licentia Apostolice Sedis factam — Guido, prior et conventus ejusdem monasterii — dictum priorem — elegerunt idemque prior — consensit. Verum, quia idem Guido, gravi corporis infirmitate detentus et alias propter prefati monasterii paupertatem, ad Apostolicam Sedem pro ejusdem electionis confirmatione petenda commode accedere non valebat, per — Pontium, ejusdem monasterii Lutrensis monachum, procuratorem suum — resignavit in manibus — Johannis, Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis — et demum pro parte prioris et conventus predictorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut — Alardum de Goenans, monachum et pitentiarium monasterii Luxoviensis, ejusdem ordinis, predicte diocesis — preficere eidem Lutrensi monasterio in abbatem dignaremur. Nos itaque — cum de prefati Alardi persone meritis notitiam habere commode non possimus, discretioni vestre — mandamus, quatinus — eumdem Alardum, si ad hoc sibi merita suffragari noveritis — alioquin aliam personam idoneam assumendam de gremio ipsius monasterii vel etiam aliunde, ejusdem tamen ordinis — preficere studeatis —. Dat. Laterani, XI kal. januarii, anno octavo.

POTTHAST, 25203.

4973 (CCCCXXVI) Latran, 11 janvier 1303.

« Mandatur reduci in possessionem ecclesie de Ponteland, Dunelmensis diocesis, custos, scolares et fratres domus de Mertonia in Oxonia, Lincolniensis diocesis. » (fol. 265 v°.)

Dilectis filiis cancellario Eboracensis, et archidiacono Leycestre ac Guiliberto de Segrave, canonico Lincolniensis ecclesiarum. Ex parte dilectorum —. Dat. Laterani, III id. januarii, anno octavo.

4974 (CCCCXXVII) Latran, 16 janvier 1303.

« Indulgentia in capella J[acobi], regis Majoricarum in civitate Majoricarum. » (fol. 266 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Vite perennis gloria —.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum pro capella infra septa domus regiæ constituta « in qua Sancte Anne altare dicitur esse constructum, in singulis Beate Marie Virginis ac ejusdem Sancte Anne festivitatibus et per octo dies immediate sequentes annuatim. »

Dat. Laterani, XVII kal. februarii, anno octavo.

4975 (CCCCXXVIII) Latran, 16 janvier 1303.

« Mandatur vendi locus quem Fratres Penitentie Jhesu Christi habent in civitate Majoricarum. » (fol. 266 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo et dilecto filio . . archidiacono Majoricensi. Ex parte carissimi —.

Cum a Jacobo, rege Majoricarum sit expositum, quod locus, quem Fratres Penitentie Jhesu Christi habent in civitate Majoricarum, in brevi a dictis Fratribus, cum valde pauci sint, relinquetur et secundum constitutionem Gregorii papæ noni Ecclesiæ Romanæ remanebit, mandatur suprascriptis ut hunc locum eidem regi concedant pro pretio, quod ab alio haberi poterit, et pretium nomine Ecclesiæ Romanæ deponi faciant.

Dat. Laterani, XVII kal. februarii, anno VIII°.

4976 (CCCCXXVIIII) Latran, 3 janvier 1303.

« Quod usque ad biennium loca ecclesiastica suarum diocesis et provincie possit facere visitari. » (fol. 266 v°.)

Venerabili fratri R[eginaldo], archiepiscopo Turonensi. Personam tuam nobis —.

1. Calendar of Papal registers. Papal Letters, t. I, p. 605.

Suprascripto, cum nonnullis suffraganeis suis super juribus ecclesiæ suæ quæstiones habenti, indulgetur ut ad biennium loca ecclesiastica suæ civitatis, diocesis et provinciæ per personam idoneam visitare possit.

Dat. Laterani, III non. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis magistris Andree de Haya, Andegavensis, et Johanni de Savoneriis, Beati Martini Turonensis, ac Hernulpho de Haya, Sancti Florentii de Ambazia, Turonensis diocesis, canonicis ecclesiarum.*

4977 (CCCCXXX) Latran, 2 janvier 1303.

« Quod possit facere (recipi) duas personas in Cenomanensi et Sancti Martini Turonensi ecclesiis. » (fol. 267.)

Venerabili fratri R[eginaldo], archiepiscopo Turonensi. Sincere devotionis affectus —. Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno octavo.

4978 (CCCCXXXI) Latran, 11 janvier 1303.

« Dispensatur super matrimonio. » (fol. 267.)

Dilecto filio Nicolao dicto de Senbach et dilecte in Christo filie Anne, uxori ejus, Constantiensis diocesis. Intenta salutis operibus —.

Ut in matrimonio, quod contraxerunt ignorantes se quarto duplicis affinitatis gradu contingere, pro eo quod duæ mulieres, quas Nicolaus ante matrimonium suum carnaliter cognoverat, erant Annæ quarto consanguinitatis gradu conjunctæ, remanere valeant.

Dat. Laterani, III id. januarii, anno octavo.

4979 (CCCCXXXII) Latran, 19 janvier 1303.

« Cautela pro societate Spinorum de Florentia de quatuor milibus librarum Turonensium. » (fol. 267.)

Dilectis filiis Symoni Gerardi, Cino Buosi et Tuccio Cochi ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatoribus. Cum dudum dilectus filius magister Arnaldus de Villario, canonicus et operarius ecclesie Caturcensis, per manus Petri, Hugonis et Bernardi de Serignano fratrum, penes vos Cinum et Tuccium, recipientes nomine vestro ac sociorum et socie-

tatis predictorum, quatuor milia librarum Turonensium, residua cujusdam majoris summe pecunie, que fuerat de bonis quondam Bertrandi et Hugonis, episcoporum Tholosanorum, de mandato nostro deponenda, duxerit nobis et Ecclesie Romane per vos in Romana Curia persolvenda, sicut in instrumento publico manu Pellegrini Vitiani, notarii Avinionensis, inde [1] confecto plenius novimus contineri, nosque nuper ipsa quatuor milia librarum duxeritis nobis, nomine nostro et ipsius Ecclesie recipientibus, ad beneplacitum nostrum integraliter persolvenda, et nos a vobis illa receperimus cum effectu —.

Conceditur eis cautela liberationis de dicta summa.

Dat. Laterani, xiiii kal. februarii, anno octavo.

4980 (ccccxxxiii) Latran, 7 janvier 1303.

« Confertur Johanni, nato Corradi dicti Monachi militis, prebenda Basiliensis cum personatu, si vacat, alioquin reservatur. » (fol. 267 v°.)

Dilecto filio Johanni, nato dilecti filii Corradi dicti Monachi militis, canonico Basiliensi. Apostolice Sedis benignitas —.

Suprascripto, obtentu patris ejus, qui nuper se gratum aspectui domini papæ præsentavit, præbenda Basiliensis ecclesiæ nec non et personatus vacantes conferuntur vel vacaturi reservantur, non obstante quod primam tantum tonsuram habet clericalem et in tertio decimo ætatis suæ anno est constitutus, ea tamen lege ut canonicatum, quem in Ludembatensi ecclesia, Basiliensis diocesis, habet, omnino dimittat.

Dat. Laterani, vii id. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis Symoni de Marvilla, thesaurario Metensis, capellano nostro, et . . Sancti Thome Argentinensis, ac . . Sancti Stephani Maguntini scolasticis ecclesiarum.*

4981 (ccccxxxiiii) Latran, 8 janvier 1303.

« Confertur Corrado de Lorche prebenda Maguntina cum personatu. » (fol. 268.)

Dilecto filio Conrado de Lorche, canonico Maguntino. Apostolice Sedis circumspecta —.

Suprascripto, qui nuper se gratum aspectui domini papæ præsentavit, canonicatus et præbenda in ipsa ecclesia vacantes conferuntur vel vacaturi reservantur, non obstante quod in Werdensi, preposituram et canonicatus et prebendas in Sancti Martini Pinguensis, et Sancti Servasii Trajectensis, Coloniensis, Maguntinæ ac Leodiensis diocesium, et in Sancti Stephani Maguntina ecclesiis noscitur obtinere.

Dat. Laterani, vi id. januarii, anno octavo.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Treverensi et dilectis filiis . . abbati monasterii in Grunave, Treverensis diocesis, ac Symoni de Marvilla, capellano nostro, thesaurario ecclesie Metensis.*

4982 (ccccxxxv) Latran, 10 janvier 1303.

« Confertur magistro Henrico de Vriburge prebenda ecclesie Sancti Thome Argentinensis. » (fol. 268 v°.)

Dilecto filio magistro Henrico de Vriburgo, canonico ecclesie Sancti Thome Argentinensis. Apostolice Sedis benignitas —.

Suprascripto canonicatus et præbenda dictæ ecclesiæ vacantes conferuntur vel vacaturi reservantur, non obstante quod defectum natalium patitur, de subdiacono genitus et soluta, et quod ecclesiam de Vugeswilre, Argentinensis diocesis, curam animarum habentem, ex dispensatione Apostolica noscitur obtinere.

Dat. Laterani, iiii id. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito Sancti Petri, et . . scolastico Majoris Basiliensis, ac Henrico de Labro, capellano nostro, canonico Pisane ecclesiarum.*

4983 (ccccxxxvi) Latran, 16 janvier 1303.

« Quod possint predicare et confessiones audire. » (fol. 269.)

Dilectis filiis . . generali et . . provincialibus prioribus Fratrum Heremitarum ordinis sancti Augustini presentibus et futuris. Inter sollicitudines nostras —.

Suprascriptis concedit facultatem dominus papa audiendi confessiones, absolvendi confitentes, etc. Statuit, ut nulli religiosi vel sæculares, eis invitis, corpora defunctorum in eorum cœmiteriis sepeliant, aut in eorum ecclesiis missarum solemnia vel ibidem exequias celebrent sine eorum assensu, etc.

Dat. Laterani, xvii kal. februarii, anno octavo.

Potthast, 25210.

1. *Ms* : inte.

4984 (CCCCXXXVII) Latran, 25 décembre 1302.

« Quod possit dispensare cum octo personis nobilibus sibi quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu invicem attinentibus, que pro reformatione pacis invicem matrimonium contraxerunt in partibus Vasconie. » (fol. 269 v°.)

Venerabili fratri Amenevo, archiepiscopo Auxitano. Intenta salutis operibus —. Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno octavo.

4985 (CCCCXXXVIII) Latran, 25 décembre 1302.

« Confirmatur quoddam statutum episcopo et capitulo Mimatensi. » (fol. 270.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . capitulo Mimatensibus. Justis petentium desideriis —.

Confirmat statutum dominus papa, quo cautum est ab eis, ut nullus recipiatur in canonicum de cetero in dicta ecclesia, qui vel cujus consanguinei usque ad tertium gradum res, bona et jura ejusdem ecclesiæ occupaverint vel violaverint, nisi prius satisfecerint, et ut, si gravamina per eorum aliquem vel consanguineos inferantur, ea per eos illata, infra tres menses emendent, per consanguineos vero facta, emendari procurent, expensis prædictis occasionibus factis pro medietate a capitulo et ab episcopo persolvendis.

Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno octavo.

4986 (CCCCXXXVIIII) Latran, 7 janvier 1303.

Indultum de præbendis certis modis conferendis a capitulo Cameracensi. (fol. 270.)

Dilectis filiis . . preposito, et . . decano, ac capitulo ecclesie Cameracensis. Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod ex statuto seu consuetudine Cameracensis ecclesie est obtentum, quod prebende ipsius ecclesie vicissim per episcopum Cameracensem, qui est pro tempore, et per vos conferuntur, eo modo videlicet quod idem episcopus duas, et vos vero tertiam proximo post illas vacantes confertis, et ille que a vobis sic conferuntur sacerdotales existunt. Verum sepe contingit quod de hujusmodi prebendis, ad vestram collationem spectantibus, auctoritate Apostolica, aliis providetur, et eedem prebende a sacerdotii onere eximuntur, et onus ipsum imponitur eadem auctoritate aliis prebendis tunc proximo in eadem ecclesia vacaturis. Nos igitur, volentes in hac parte vobis, venerabili fratri nostro J[ohanni], episcopo Tusculano nobis super hoc supplicante, gratiam facere specialem presentium vobis auctoritate concedimus, ut prebendas, quas in ecclesia predicta proximo post illas, que ab eodem onere sunt exempte vel in posterum eximentur, vacare contingit, libere sicut easdem prebendas sic exemptas, si de eis auctoritate Apostolica dispositum non fuisset, conferre personis ydoneis valeatis : nulli ergo, et cetera, nostre concessionis et cetera. Dat. Laterani, VII id. januarii, anno octavo.

4987 (CCCCX) Latran, 8 janvier 1303.

« Ordinatio inter Fratres ordinis sancti Guillelmi, ex parte una, et parrochianos ecclesie Sancti Juvenalis Urbevetane super institutione clericorum in ipsa ecclesia Sancti Juvenalis. » (fol. 270.)

Ad perpetuam rei memoriam. Veritas habet indubia —. Inter dilectos filios . . generalem et alios priores et fratres ordinis sancti Guillelmi, ex parte una, et parrochianos ecclesie Sancti Juvenalis Urbevetane super institutione clericorum facienda in ipsa ecclesia, ad eundem ordinem pertinente, ex altera, orta materia questionis — statuimus, ut quatuor ydonei presbyteri seculares, qui curam gerant parrochianorum ipsius ecclesie et eis ministrent ecclesiastica sacramenta impresentiarum, per ipsos parrochianos, successores vero dictorum presbyterorum, per superstites presbyteros et dictos parrochianos comuniter in eadem ecclesia presententur . . abbati monasterii de Aquaorta, ejusdem ordinis, Urbevetane diocesis, qui presentatos hujusmodi auctoritate Apostolica instituat in ecclesia memorata, animarum curam eis nichilominus committendo. Si vero idem abbas, infra duorum mensium spatium a die presentationis hujusmodi, instituere presentatos ipsos et curam eis committere omiserit negligenter, pro institutione ipsa facienda et animarum cura committenda eisdem, ea vice tantum, ad episcopum Urbevetanum, qui pro tempore fuerit, habeatur recursus, qui dictos presentatos in prefata ecclesia instituat et eis animarum curam auctoritate predicta committat. Volumus autem quod dicti presbyteri habeant domos, quas in eadem ecclesia consueverunt habere presbyteri, qui pro tempore fuerunt in sepedicta ecclesia, et quod de oblationibus ipsius ecclesie partem percipiant, quam presbyteri in dicta ecclesia instituti consueverunt percipere hactenus in eadem : nulli ergo et cetera, nostri statuti et commissionis, et cetera. Dat. Laterani, VI id. januarii, anno octavo.

4988 (CCCCXLI) Latran, 10 janvier 1303.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 270.)

Dilecto filio Hartungo dicto Monacho, canonico Basiliensi. Etsi actus hominum —.

Suprascripto, qui ecclesias de Wergastecon, de Wizkilhe, de Zumershein, de Ilziche, de Paffehem, de Octinarhem, de Egeshem, de Beynechem et de Burchem, curam animarum habentes, Basiliensis, Argentinensis et Constantiensis diocesium, post concilium Lugdunense absque dispensatione tenuit, indulgetur, ut dictas ecclesias, cum fructibus ex illis illicite perceptis, et una cum eis canonicatum et præbendam ecclesiæ Basiliensis et capellam de Rinwille, prædictæ Constantiensis diocesis, sine cura, quos obtinet, quorum omnium beneficiorum fructus centum et viginti marcarum argenti valorem annuum, ut asserit, non excedunt, possit licite retinere.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis .. decano Majoris, et .. thesaurario, ac .. scolastico Sancti Thome Argentinensium ecclesiarum.*

4989 (CCCCXLII) Latran, 17 janvier 1303.

« Confirmatio certi numeri in ecclesia Sancti Angeli de Fumone, Alatrine diocesis. » (fol. 270 v°.)

Dilectis filiis .. abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Angeli de Fumone, Alatrine diocesis. Cum a nobis petitur —.

Confirmatur taxatio senarii clericorum numeri, abbate computato, a Nicolao, episcopo Alatrino, facta, ad id eorum accedente consensu, tenore litterarum dicti episcopi inserto incipientium : « Dignum est », sub data : « Dat. Alatri apud ecclesiam Alatrinam, sub anno Domini M°CCC°, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno sexto, indictione XIIII[a], mense septembri die XII[a].

Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno octavo.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. Anagnino, et .. Ferentinati episcopis, ac dilecto filio .. archipresbytero ecclesie Sancte Marie de Fumone, Alatrine diocesis.*

4990 (CCCCXLIII) Latran, 17 janvier 1303.

« Confirmatio cujusdam constitutionis facte in eadem ecclesie Sancti Angeli de Fumone. » (fol. 271)

Dilectis filiis .. abbati et capitulo secularis ecclesie Sancti Angeli de Fumone, Alatrine diocesis. Cum a nobis petitur —.

Confirmatur revocatio, a Nicolao, episcopo Alatrino, facta, de bonis ipsius ecclesiæ, a predecessoribus suis concessis illicite, insertis litteris dicti episcopi incipientibus : « Volentes ecclesiam Sancti Angeli », sub data : « Dat. Alatri, anno Domini millesimo trecentesimo secundo, pontificatus domini Bonifatii pape octavi anno octavo, indictione prima, mense novembris.

Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno VIII°.

4991 (CCCCXLIIII) Latran, 19 décembre 1302.

« Confirmatur electio abbatis in monasterio Sancti Petri Melungdensis. » (fol. 271 v°.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Petri Melungdensis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis. Angit nos cura —. Dudum siquidem monasterio Sancti Petri — per obitum quondam Andree — regimine destituto pastoris, dilecti filii conventus —, deliberantes in hujusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, dilectis filiis Hugoni, priori, Johanni, suppriori, Guillelmo, coquinario, et Stephano de Fontanis, monachis dicti monasterii, providendi ea vice dicto monasterio — concesserunt unanimiter potestatem — dicti vero compromissarii — tandem in dilectum filium Fratrem Guidonem de Sanceyo, monachum ipsius monasterii, direxerunt concorditer vota sua — et postmodum tam dicti conventus quam idem Frater Guido, qui hujusmodi electioni — consenserat, a venerabili fratre nostro .. episcopo Lingonensi petierunt electionem eandem auctoritate ordinaria confirmari ; verum dilecti filii Otto de Cresceyo, archidiaconus Bassigneii, Johannes de Bellovisu, cantor ecclesie Lingonensis, et magister Johannes de Calvomonte, officialis Lingonensis, quibus dictus episcopus examinationem electionis predicte — commisit — quia invenerunt electionem predictam celebratam scienter de persona indigna, utpote intolerabilem patiente in litteratura defectum, ipsam, justitia suadente, denuntiantes irritam et inanem, pronuntiaverunt dictos conventum — fore ea vice propterea eligendi potestate privatos —.

Dictus vero Frater Guido, ad Sedem Apostolicam appellans, bonæ memoriæ M[atthæum], episcopum Portuensem, et Ro-

bertum, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyterum cardinales, dari sibi obtinuit auditores; sed postea in eorum manibus renuntiavit. Interim episcopus Lingonensis dictis archidiacono et officiali ac Jacobo de Musseyo, canonico Lingonensi, commisit, ut dicto monasterio de persona ydonea providerent. Iidem vero suprascriptum tunc sacristam ipsius monasterii prefecerunt in abbatem, ac episcopus Monovagiensis, in diocesi prædicta commorans, auctoritate dicti episcopi, ei munus benedictionis impendit.

Sed nos, hujusmodi tue provisionis ignari, cardinalibus predictis oraculo vive vocis commisimus, ut de prefato Guidone vel alia persona ydonea, auctoritate nostra, providerent monasterio supradicto, qui eundem Guidonem, pretextu hujusmodi nostre commissionis eis facte, in abbatem dicto monasterio prefecerunt et subsequenter hujusmodi provisionem per cardinales eosdem factam de dicto Guidone, quem ad gerendum prefati monasterii regimen fore ydoneum credebamus, ad ipsius instantiam, auctoritate Apostolica, duximus confirmandam. Postmodum autem tu, intellecto quod erat taliter de dicto Guidone monasterio predicto provisum, personaliter ad Apostolicam Sedem accedens, nobis tue promotionis processum et dicti Guidonis defectum predictum exponere curavisti. Nos autem, tam te quam dicto Guidone in nostra presentia personaliter constitutis, quasdam interrogationes eidem Guidoni fecimus, ad quas responsiones ipsius Guidonis secute fuerunt, ac de inde consideratis hiis et aliis, que hinc inde fuerunt proposita coram nobis, quia de predicto ipsius Guidonis litterarum defectu nobis constitit evidenter et per hoc ipsum Guidonem esse insufficientem et indignum ad ipsius monasterii regimen exercendum, prefatam provisionem, de eo factam per cardinales predictos, et confirmationem ejusdem provisionis, per nos inde secutam, decernentes irritas et inanes, predicto Guidoni perpetuum silentium imponimus super abbatia monasterii supradicti, demum vero provisionem de te, ut predicitur, factam, auctoritate Apostolica, ex certa scientia approbamus et etiam confirmamus —. Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Sancti Petri — universis vassallis.*

4992 (CCCCXLV) Latran, 10 décembre 1302.

« Preficitur in episcopum Suanensem. » (fol. 272.)

Venerabili fratri Zampo, episcopo Suanensi. Onerosa pastoralis officii —.

Suprascriptus, tunc plebanus plebis ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Fichino, Clusinæ diocesis, Suanensi ecclesiæ, per translationem Monaldi ad archiepiscopalem sedem Beneventanam vacanti et Apostolicæ dispositioni reservatæ, preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, IIII id. decembris, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Suanensis — clero — populo — universis vassallis.*

4993 (CCCCXLVI) Latran, 2 janvier 1303.

« Confertur Balduino, nato Raynaldi de Supino, prebenda ecclesie Tornacensis. » (fol. 272 v°.)

Dilecto filio Balduino, nato dilecti filii nobilis viri Raynaldi de Supino militis, familiaris nostri, canonico Tornacensi. Grate devotionis studia —.

Canonicatum et præbendam Tornacensis ecclesiæ, per mortem Rizardi de Ferentino, capellani domini papæ, « qui apud civitatem Ferentinatem diem clausit extremum », vacantes dominus papa suprascripto contulerat . . Atrebatensi, et . . Barensi, in ecclesia Lingonensi, archidiaconis, ac Oddone dicto Spata, canonico Lingonensi, ei super hoc executoribus deputatis; verum, quia decanus et capitulum recusaverunt eum in minoribus ordinibus tantum constitutum, ad dictam præbendam admittere, prætendentes eam esse sacerdotalem, et ad Sedem Apostolicam appellaverunt, indulget ei, ut præbendam ipsam licite retinere valeat, eximendo eam ab omni onere sacerdotii, quamdiu eam duxerit retinendam, et hoc onus vacanti præbendæ vel proximo vacaturæ, quæ sacerdotalis non existat, imponendo.

Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . Atrebatensi, et . . Barensi, in ecclesia Lingonensi, archidiaconis, ac Odoni dicto Spata, canonico Lingonensi.*

4994 (CCCCXLVII) Latran, 7 janvier 1303.

« Confirmatio ordinationis prebendarum in domo Leprosorum Sancti Lazari sita prope civitatem Cameracensem. » (fol. 273.)

Venerabili fratri . . episcopo et dilectis filiis capitulo Cameracensibus. Cum a nobis petitur —. Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod vos, attendentes prudenter quod domus Leprosorum Sancti Lazari site prope civitatem Cameracensem, subjecte Cameracensi

ecclesie, per operosum studium vestrum adeo excreverant facultates, quod ad infirmorum in domo ipsa degentium substentationem congruam suppetebant, et de residuo in capella domus ejusdem poterat cultus divini nominis augmentari, duodecim prebendas et octo capellanias perpetuas in dicta capella de prefato residuo, quod ad hoc sufficiens esse dinoscitur, conferendas per vos totidem personis ydoneis, singulas videlicet singulis, sub certis in ordinatione vestra expressis modis et conditionibus ordinastis, pluraque tam circa modum celebrationis divinorum in eadem capella quam alias in dicta domo statuta edidistis provida et honesta, que in vestris super hoc confectis litteris seriosius describuntur. Venerabilis preterea frater noster .. archiepiscopus Remensis, loci metropolitanus, ordinatione ac statutis hujusmodi diligenter inspectis, ea, auctoritate metropolitica, confirmavit, prout in ipsius archiepiscopi patentibus litteris, ejus sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, ordinationem et statuta predicta rata et grata habentes, illa, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, confirmamus, et cetera : usque communimus : nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, et cetera. Dat. Laterani, vii id. januarii, anno viii°.

4995 (ccccxlviii) Latran, 10 janvier 1303.

« Confertur Duraguerre, nato Riccardi quondam Valeriani, canonicatus cum beneficio ecclesie Sancte Marie de Piperno. Terracinensis diocesis. » (fol. 273.)

Dilecto filio Duraguerre, nato dilecti filii nobilis viri Riccardi quondam Valleriani, canonico ecclesie Sancte Marie de Piperno, Terracinensis diocesis. Apostolice Sedis benignitas —.

Suprascripto beneficium dictæ ecclesiæ per obitum bonæ memoriæ Petri, Sanctæ Mariæ Novæ diaconi cardinalis, « qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum », vacans et Apostolicæ dispositioni deputatus confertur, ea lege tamen ut, postquam dictum beneficium fuerit assecutus, beneficium, quod jam in dicta ecclesia obtinet, omnino dimittat.

Dat. Laterani, iiii id. januarii, anno octavo.

4996 (ccccxlviiii) Anagni, 26 septembre 1303.

« Confirmatio numeri in ecclesia Sancti Angeli de Vico, Alatrine diocesis. » (fol. 273.)

Dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo ecclesie Sancti Angeli de Vico, Alatrine diocesis. Cum a nobis petitur —.

Taxatio senarii clericorum numeri, computato archipresbytero, a Nicolao, episcopo Alatrino, cum capituli consensu facta, confirmatur, insertis litteris dicti episcopi incipientibus : « Dignum est ut », sub data : « Dat. Alatri, in palatio nostro episcopali, sub anno Domini millesimo trecentesimo secundo, indictione xv^a^, pontificatus domini Bonifatii pape octavi anno octavo, mense martii die sexta decima.

Dat. Anagnie, vi kal. octobris, anno octavo.

4997 (ccccl) Même date.

« Confirmatio super eodem in ecclesia Sancti Martini de Vico, dicte diocesis. » (fol. 273 v°.)

In e. m. *dilectis filiis . . priori et capitulo secularis ecclesie Sancti Martini de Vico, Alatrine diocesis.* Cum a nobis petitur —.

Taxatio quaternarii clericorum numeri, priore computato, a Nicolao episcopo cum consensu capituli facta, confirmatur, insertis ejusdem episcopi litteris incipientibus : « Dignum est ut », sub data : Dat. Alatri, in palatio nostro, sub anno Domini millesimo cccii°, indictione xv^a^, pontificatus domini Bonifatii pape octavi anno octavo, mense septembris die vicesima.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et capitulo secularis ecclesie Sancte Marie de Vico, Alatrine diocesis* mutatis mutandis. Dat. ut supra.

4998 (cccceli) Anagni, 29 mai 1302.

« Reservatur beneficium, quod duxerit acceptandum, ad cujuscumque collationem, Berizo Cichi de Prato, presbytero, in civitate vel diocesi Pistoriensi. » (fol. 273 v°.)

Berizo Cicki de Prato, presbytero Pistoriensis diocesis. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione Bertholdi Radulphi Judicis de Guazalottis de Prato laïci, pro eo nepote suo supplicantis, beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam habeat animarum vel dignitas existat, in civitate vel diocesi Pistoriensi vacans confertur vel vacaturum reservatur.

Dat. Anagnie, iiii kal. junii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Pactiana, Pistoriensis diocesis, et . . archidiacono Tiburtine, ac . . preposito Pistoriensis ecclesiarum.*

INCIPIT REGESTUM LITTERARUM CURIE
ANNI OCTAVI
DOMINI BONIFATII PAPE VIII

4999 (CUR. I) Latran, 30 janvier 1302.

De residuo decimæ in regno Angliæ impositæ domino papæ destinando. (fol. 275.)

Bonifatius etc... venerabili fratri . . episcopo, et dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensibus, salutem, et cetera. Cum apud venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Cantuariensem de residuo pecunie decime dudum per Sedem Apostolicam imposite in regno Anglie, quod ad ipsius archiepiscopi manus pervenit, sex milia marcharum sterlingorum debita nobis et Ecclesie Romane adhuc existere dinoscantur...

Ut dictam pecuniam petant et domino papæ quantocius destinare curent, « rescripturi nobis per vestras litteras harum seriem continentes quicquid super hiis duxeritis faciendum. »

Dat. Laterani, III kal. februarii, pontificatus nostri anno octavo.

5000 (CUR. II) Latran, 29 janvier 1302.

De pecunia credita mercatoribus societatis Amannatorum a Romana Curia fugitivis nullo modo solvenda. (fol. 277.)

Ad perpetuam rei memoriam. Mercatores de societate Ammanatorum de Pistorio, per diversa mundi climata, provintias et regna dispersi, super diversis quantitatibus pecuniarum et summis, per titulum seu viam depositi, mutui, comodati seu sub quibusvis aliis modis vel titulis etiam magnarum eminentiarum, dignitatum seu statuum diversos iniere contractus, quibus se, socios vel societatem suam, multis modis, jura et bona sua multifarie obligarunt; alios etiam sibi, societati vel sociis suiis bona, jura et actiones eorum multipliciter astrinxerunt, variis penis, spiritualibus et temporalibus, ac juramentis adjectis. Nuper autem quidam mercatores de societate predicta, in Romana Curia existentes, irrequisitis et insalutatis eorum creditoribus, quos in Romana Curia et in Urbe multos habebant, clandestine aufugerunt et in diversis partibus defecisse dicuntur in multorum scandalum, turbationem et dampnum, propter quod ad nos magnus clamor ascendit. Nolentes igitur ut hujusmodi mercatores cum aliorum jactura ditentur, quodve dolus et fraus patrocinentur eisdem, et quod talia transeant aliis in exemplum, deliberatione previa providemus [1], statuimus et mandamus, ut nulli ecclesiarum prelati, capitula seu conventus, persone ecclesiastice, religiose vel seculares, cujuscumque fuerint eminentie, conditionis aut ordinis etiamsi regali vel imperiali fulgeant dignitate, qui dictis societati vel sociis aut eorum alicui sunt in quibuscumque pecuniarum quantitalibus quomodolibet obligati, aut ipsis aliquod mobile vel immobile dare vel solvere quoquomodo tenentur, eis vel ipsorum aliquibus vel alicui dent vel solvant aut satisfactionem impendant, sine nostra speciali licentia, per nostras litteras apparente : non obstantibus quibuscumque contractibus, obligationibus, promissionibus, summissionibus, juramentorum, confirmatione Sedis Apostolice et quarumqumque spiritualium vel temporalium penarum adjectione vallatis, necnon et litteris Apostolicis vel aliis quibuscumque, etiamsi ipsarum auctoritate processus sint habiti vel quevis sententie promulgate aut sine expressa auctoritate nostra habeantur in antea seu etiam promulgentur. Nos enim per provisionem, statutum et mandatum

1. *Ms* : previdemus.

hujusmodi de hiis pecuniarum summis et aliis bonis, mobilibus et immobilibus, rebus et juribus predictorum societatis et sociorum, que debentur ipsis, eorum aliquibus seu alicui vel que sunt ipsorum et cujuslibet eorumdem vel ad eos pertinere noscuntur, ordinare disponimus, prout facultas aderit et viderimus expedire, quod nobis et Apostolice Sedi et nonnullis ex fratribus nostris ceterisque prelatis et capitulis, conventibus et personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus, et mundavis ac mercatoribus Romanis et aliis satisfiat. Ideoque mercatoribus ipsis omnibus et singulis eorumque heredibus, quos mori continget, districte precipimus, ut a data presentium nullam donationem, venditionem, remissionem, cessionem, obligationem nullumque contractum vel quasi contractum de hujusmodi pecuniarum summis, bonis rebus, juribus seu de quibuscumque actionibus contra hujusmodi nostrum processum facere vel attemptare, aut ipsa in alium quovis modo vel titulo transferre presumant. Nos enim decernimus irritum et inane ac nullius fore momenti, si secus factum fuerit vel quomodolibet attemptatum, nisi per nostras patentes litteras illud ratum haberi contigerit atque gratum: nulli ergo, et cetera, nostre provisionis, statuti, mandati, precepti et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, IIII kal. februarii, anno octavo.

5001 (CUR. III) Latran, 12 février 1302.

De pace inter Fredericum, comitem Montisferetri, ex parte una, Malatestam de Veruculo et Guidonem de Polenta, ex altera, perficienda.

Fratri Raynerio de Samaritanis de Bononia, ordinis Fratrum Minorum [1]. Experta tue circumspectionis —.

Cum inter Fredericum comitem Montisferetri, Uguitionem, Ribaldum et Hugonem alias dictum Frendaza de Fajola fratres, et Zappetium de Ubertinis et suos ex parte una, et Malatestam de Veruculo et filios ejus, Guidonem de Polenta et filios, ex altera, discordia exorta fuisset, iidem in « Matheum, Portuensem episcopum, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatum et provincie Romaniole rectorem super facienda pace et concordia inter eos, secundum quod de nostro mandato et provisione procederet » compromiserunt, sed, « eodem legato infra breve tempus post hujusmodi compromissum de illis partibus recedente, remansit hujusmodi negotium imperfectum. » Deinde comparentibus procuratoribus eorum coram domino papa, Gerardus, episcopus Sabinensis, mandato domini papæ vivæ vocis oraculo ei commisso, pacem inter eos firmari certo modo fecit. Mandatur suprascripto, ut, ad partes illas confestim se personaliter conferens, « omnia et singula que de pronuntiatione et ordinatione predicta facienda supersunt » debitæ executioni demandet. Quibus adimpletis resipiscentes ab omnibus sententiis excommunicationis et interdicti absolvat.

Dat. Laterani, II id. februarii, anno octavo.

POTTHAST, 25127.

1. Nomen fratris, cui epistola dirigitur, scriptum fuit super rasura.

5002 (CUR. IIII) Latran, 16 février 1302.

De negotio societatis Amannatorum. (fol. 276.)

Dilecto filio Lante Agolantis, civi et mercatori Pistoriensi. In necessitatibus afflictorum solita mater Ecclesia pietatis gratiam exercere, non potest suorum abesse gemitibus, que consolatione multiplici reficit alienos. Nuper siquidem sociis tuis de societate Amannatorum, qui in nostra Curia morabantur, de Curia ipsa recedentibus turpi fuga et secum deferentibus multorum curialium magnas pecunie quantitates, ad clamorem et gemitum ipsorum curialium noster animus non modicum fuit turbatus. Habemus enim eisdem curialibus et curiam ipsam sequentibus, qui apud eos deposuerant hujusmodi pecuniam confidenter, compassionis affectum, et dolemus etiam quia hujusmodi fuga potest dampnum et scandalum maximum dicte nostre Curie generare. Recolentes igitur dilectionis affectum, quem ad predictam vestram societatem habuimus, et cupientes indempnitati predictorum curialium et aliorum salubri in hac parte remedio subvenire, devotioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, adjunctis tibi duobus de societate tua predicta, quos ad expeditionem negotii expedire cognoveris, secure cum illis Apostolico te conspectui representes, expositurus et petiturus que pro utilitate dicte societatis videris exponenda : ita quod per tuam et aliorum sociorum tuorum providentiam et indempnitati conquerentium et societatis infamie satisfiat. Nos autem, qui predicte societati in hoc et aliis justitiam facere intendimus et favorem, ad veniendum, morandum, ordinandum et redeundum cum plena securitate personarum et rerum duos menses, a data presentium computandos, tibi tuisque sociis deputamus. Dat. Laterani, XIIII kal. martii, anno octavo.

5003 (CUR. V) Latran, 28 janvier 1302.

Confirmatur Petro Gaytani, comiti Casertano, emptio castri Sancti Felicis, Terracinensis diocesis. (fol. 276.)

Dilecto filio nobili viro Petro Gaytani, nepoti nostro, comiti Casertano, domino Militiarum Urbis. Habet tua petitio —.

Suprascripto confirmatur emptio castri Sancti Felicis, Terracinensis diocesis, cum loco qui dicitur Paula et alio loco qui vocatur Sancta Maria de Surresca et cum monte Cercei, quod ei nobilis vir Riccardus quondam dictus de Militiis, filius olim Petri Anibaldi de Urbe vendidit pro pretio viginti millium florenorum auri, inserto emptionis instrumento, incipiente : In nomine Domini. Amen. Anno Domini MCCI, indictione XIIII, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno septimo, die XXIII mensis novembris » finiente : « Actum in palatio Lateranensi, in camera reverendi domini Petri Yspani, Dei gratia episcopi Burgensis, presentibus ipso domino episcopo et domino Ildebrandino, nepote ipsius domini Riccardi, canonico Lateranensi, domino Bernardino domini Catenacii, milite Anagnino, Fratre Antonio, elemosinario domini pape, domino Alexandro de Cavis, milite, vicemarescalco, et domino Rogerio de Grimaldis de Anagnia, magistro ostiario ipsius domini pape, domino Reatino Judice ac Fratre Daynesio quondam Angeli Daynesii de Mercato de Urbe et aliis testibus ad hoc vocatis et rogatis. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico, Apostolica et Imperiali auctoritate notarius —. »

Dat. Laterani, v kal. februarii, anno octavo.

POTTHAST, 25122.

5004 (CUR. VI) Même date.

Emptionem quorumdam bonorum in territorio Terracinensi eidem confirmat dominus papa. (fol. 177.)

Eidem Habet petitio tua —.

Cum nobilis vir Franciscus quondam Raynonis Frajapanis de Urbe vendidit suprascripto quædam bona, quæ habebat in civitate Terracinensi ac ejus territorio, videlicet inter alia « octavam partem dominii seu segnorie et punitionis homicidiorum, sanguinis et foris facture et cognitionis causarum in eis et plateatici, herbatici et annatici, silvarum et pascuorum, » quartam partem roccæ ac domorum quæ dicuntur Transversa et cetera, necnon medietatem omnium bonorum, quæ quondam D. Rayno pater ejus habuit in civitate et territorio prædictis, et « omne jus et actionem, quod et quam ipse Franciscus habebat adversus Anibaldum, filium quondam Jacobi Frajapanis, nepotem ejus, occasione fructuum — sibi debitorum ex bonis prædictis — occupatorum olim — per Anibaldum prædictum » pro pretio mille florenorum auri. Eidem prædictam emptionem confirmat dominus papa, inserto venditionis instrumento incipiente : « In nomine Domini amen. Anno Domini MCCCI, indictione XIIII, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno septimo, die ultima mensis novembris » finiente : « Actum Rome in domibus Militiarum in lobia juxta salam majorem, presentibus D. Mathia domini Adenulfi, domino Bernazono domini Catenatii, domino Alexandro domini Raynaldi, domino Johanne domini Raynaldi dicto de Sermineto de Anagnia, domino Girardo Picalotti de Paliano, domino Johanne Mazocclo de Silvamolli, domino Jordano de Maximo de Nimpha, militibus, et Nicolao domini Oddonis de Buccamatiis de Urbe et aliis —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25123.

5005 (CUR. VII) Anagni, 2 août 1301.

Dispensatio matrimonii. (fol. 178.)

Dilecto filio nobili viro Petro quondam Nicolai olim Theobaldi de Anibaldis de Urbe et dilecte in Christo filie nobili mulieri Mathaleoni, nate dilecti filii Mathie Adenulphi de Anagnia, militis, nepti nostre. Licet matrimonium contractum —.

Ut invicem matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Anagnie, IIII non. augusti, anno VII (*sic*).

5006 (CUR. VIII) Latran, 4 mars 1302.

Raynaldus, episcopus Vicentinus, generalis vicarius Caroli, comitis Andegavensis, rectoris in provincia Romaniolæ, comitatu Brittenorii ac pertinentiis eorumdem instituitur necnon in Massa Trabaria et Terra Sanctæ Agathæ. (fol. 278.)

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Vicentino, dilecti filii nobilis viri Caroli, nati clare memorie Phylippi regis Francorum, comitis Andegavensis, in temporalibus totius provincie Romaniole et comitatus Brittenorii ac pertinentiarum eorumdem rectoris vicario generali. Ad statum prosperum —. Dat. Laterani, IIII non. martii, anno octavo.

POTTHAST, 25130.

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum per totam provinciam Romaniole et comitatum Brittenorii ac eorum pertinentias constitutis.*

In e. m. *eidem R[ainaldo], episcopo Vicentino, dilecti nobilis viri,* et cetera usque: *temporalibus in Massa Trabaria et Terra Sancte Agathe ac pertinentiarum earumdem rectoris vicario generali.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus per Massam Trabariam et Terram Sancte Agathe ac pertinentias earumdem constitutis.*

5007 (CUR. VIIII) Même date.

Eidem committitur in eisdem partibus jurisdictio spiritualis in « fulcimentum et auxilium temporalis jurisdictionis dumtaxat » exercenda et non alias. (fol. 278.)

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Vicentino, in spiritualibus totius provincie Romaniole et comitatus Brittenorii ac pertinentiarum eorumdem rectori. Cum in provincia —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum, prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque nobilibus, potestatibus, rectoribus, comunitatibus et universitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum per totam provinciam Romaniole et comitatum Brittenorii ac pertinentias constitutis.*

In e. m. *eidem episcopo Vicentino, in spiritualibus Masse Trabarie et Terre Sancte Agathe ac pertinentiarum earumdem rectori.*

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis electis,* et cetera ut in alia usque : *aliorum locorum per Massam Trabarie ac Terram Sancte Agathe earumque pertinentias constitutis.*

5008 (CUR. X) Latran, 17 mars 1302.

Super executione testamenti Johannis, episcopi Egitanensis. (fol. 288 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Egitanensi. Cum, sicut accepimus —.

Cum bonæ memoriæ Johannes, episcopus Egitanensis, testamentum fecerit, in quo certam pecunie summam, quam habebat in Romana Curia, domino papæ et Ecclesiæ Romanæ reliquerit nec a Gundisalvo Dominici, magistro scolarum Egitanensi, hujusmodi testamenti executore, potuerit dominus papa super hoc certitudinem obtinere, mandat suprascripto eumdem Gundisalvum peremptorie citare procuret, ut infra duorum mensium post citationem cum prædicto testamento se Apostolico conspectui repræsentet.

Dat. Laterani, XVI kal. aprilis, anno octavo.

5009 (CUR. XI) Latran, 30 mars 1302.

De consecrationis munere Petro, electo Mothonensi, impendendo. (fol. 278 v°.)

Venerabili fratri L[eonardo], episcopo Anagnino. Dilectus filius Petrus —.

Mandatur suprascripto, ut Petro, electo Mothonensi, qui Anagniæ de beneplacito domini papæ moram trahit, et qui jam in presbyterum est promotus, consecrationis munus impendat, sine præjudicio metropolitanæ Patracensis ecclesiæ.

Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno octavo.

5010 (CUR. XII) Latran, 3 mars 1302.

Committitur basilica Duodecim Apostolorum Guillelmo, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali. (fol. 278 v°).

Guillelmo, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali. Inter ceteras Urbis —.

Committitur suprascripto usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ cura et administratio basilicæ Duodecim Apostolorum de Urbe, per cardinalem solitæ gubernari, cardinali carentis ad præsens.

Dat. Laterani, v non. martii, anno octavo.

5011 (CUR. XIII) Latran, 8 mars 1302.

Confirmatur venditio loci de Cardineto Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, facta ad opus pauperum scolarium. (fol. 278 v°.)

Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod olim, dilectis filiis . . priore et fratribus Heremitarum Parisiensibus, ordinis sancti Augustini, significantinbus nobis quod ipsi de loco eorum de Cardineto Parisiensi, in quo moram traxerant temporibus retroactis, ad locum, quem dudum in civitate Parisiensi habuerant Fratres de Penitentia Jhesu Christi, auctoritate Apostolica ipsis concessum, ubi commodius degebant, se duxerant transferendos, nos eorundem prioris et fratrum Heremitarum supplicationibus inclinati, vendendi predictum locum de Cardineto, cum juribus et pertinentiis suis, ejusque pretium in edificatione domorum et officinarum predicti alterius loci eorum, in quo manent, aliasque suas necessitates, prout expedire viderent, convertendi seu eundem locum de Cardineto, cum predictis juribus et pertinentiis pro aliis possessionibus eis magis accomodis, prout putarent eis fore utile, permutandi, plenam et liberam ipsis concessimus per nostras litteras facultatem. Et postmodum dilectus filius Frater Franciscus, prior generalis predicti ordinis, prefatum locum de Cardineto, cum omnibus libertatibus, immunitatibus, juribus et pertinentiis suis, tibi locum ipsum acquirere intendenti ad opus pauperum scolarium, studentium in liberalibus artibus, necnon et magistrorum earundem artium in theologica facultate instruendorum, quos in eo desideras collocari, vendidit, prout sibi licere credebat, pro non modica quantitate pecunie, in utilitatem dicti ordinis convertenda, sicut in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Et demum tu predictas nostras litteras, quas ex fiducia, quam in hoc de dicto priore gerebas, videre prius non curaras, tibi ad majorem certitudinem obtinendam potestatis, quam in hac parte dictum priorem generalem extimabat habere, faciens exhiberi, ac, earum tenore diligenter inspecto, attendens quod propter hujusmodi nostram concessionem, que non specialiter dicto priori generali seu eidem ordini sed prefatis priori et fratribus Parisiensibus, ad eorum ac dicti loci, ubi morantur, utilitatem tantummodo facta fuerat, ut superius est expressum, hujusmodi venditio inefficax videbatur [1], nobis humiliter supplicasti, ut, cum iidem prior et fratres Parisienses nondum processerint ad venditionem aliquam de prefato loco de Cardineto alii faciendam, super hoc presidium Apostolicum adhibere, per quod hujusmodi tuum desiderium adimpleri valeat, dignaremur.

1. *Ms :* videbitur.

Prefatam venditionem confirmat dominus papa omnem defectum supplendo, inserto instrumenti tenore incipientis : « In nomine, Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem M°CCCII°, ind. XV, die V mensis martii, pontificatus summi patris domini Bonifatii pp. VIII anno octavo » finientis : « Actum Rome in hospicio prefati domini cardinalis, presentibus religiosis viris domino Deodato de Sevenanco, priore de Toleniaco, Lectorensis diocesis, fratre Johanne de Brayo, canonico Vallisscolarium Parisiensis, et Magistris Symone de Villaregia, capicerio ecclesie Sancti Stephani de Gressibus Parisiensis, Thoma de Gayssart, rectore ecclesie de Camons, Ambianensis diocesis, capellanis supradicti domini cardinalis, magistro Johanne de Courta, Caserta canonico ecclesie Sancti Audomari, Morinensis diocesis, ac fratribus Roberto de Monterubiano, Gregorio de Luca et Alexandro de Sancto Elpidio, ordinis antedicti, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis. Et ego Blasius —. »

Dat. Laterani, VIII id. martii, anno octavo.

5012 (CUR. XIIII) Latran, 1er mars 1302.

De negotio Gualteri, episcopi Conventrensis. (fol. 279.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Cantuariensi et dilectis filiis . . priori Predicatorum, et . . ministro Minorum Fratrum provincialibus in Anglia. Ad audientiam nostram — perlato quod Gualterus, Conventrensis et Lichefeldensis episcopus — diversa scelera gravia — commiserat ac etiam committebat et quod super eis erat in illis partibus publice diffamatus, nos — episcopum ipsum peremptorie citare fecimus —.

Qui quidem se infra prescriptum terminum non præsentans a pontificalium executione suspensus fuit, sed postmodum ad dominum papam accessit. Cum autem Johannes de Lovetot, miles, adversus eum litteras graves præsentasset et de eo gravissima delatio facta esset super diversis criminibus, super quibus per Gentilem, tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, nonnullos testes de partibus Angliæ in Curia morantes recipi fecit dominus papa.

Eorum tamen depositiones ipsi episcopo ex causa nolumus publicare, sed pensata diligenter negotii qualitate, predictum episcopum ab administratione suspendimus spiritualium et temporalium, justitia exigente. Et, licet contra eum ex rigore juris ad graviora in presentiarum procedere valeremus, volentes tamen obtentu —

Eduardi, regis Anglie, et — Margarite, regine Anglie, — qui pro dicto episcopo apud nos efficacibus precibus ins titerunt, mansuetudine temperare rigorem et super hujusmodi criminibus elici plenius veritatem, discretioni vestre —, sub pena excommunicationis, quam vos incurrere volumus ipso facto, si fraudem commiseritis vel malitiam in hujus nostri executione mandati, — mandamus, quatinus in regno Anglie ac potissimum in Conventrensi et Lichefeldensi et Londoniarum partibus super articulis, hujusmodi contingentibus crimina, quos vobis inclusos sub bulla nostra transmittimus, et an idem episcopus est super eisdem criminibus infamatus et ipsorum circumstantiis universis infra trium mensium spatium summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, auctoritate nostra, studeatis a testibus fidedignis inquirere diligentius veritatem — nominibus testium eorumdem, ne ipsis possit in posterum aliquod periculum imminere, occultatis penitus episcopo memorato. Si vero prefatus episcopus dicta ipsorum testium voluerit reprobare, testes qui per eundem episcopum super reprobatione hujusmodi producti fuerint coram vobis infra unum mensem — examinare curetis — depositiones omnium testium — ad nostram presentiam quantocius transmissuri ac significaturi nobis que et quanta sit fides hujusmodi testibus adhibenda, prefixo ipsi episcopo termino peremptorio trium mensium predictum unum mensem immediate sequentium, quo personaliter nostro se conspectui representet —. Dat. Laterani, kal. martii, anno octavo.

Inquisitio que fit ex officio per — Gentilem cardinalem auctoritate commissionis sibi facte a — Domino Bonifacio papa VIII ad petitionem — D. Johannis de Lovetot militis contra D. Gualterum, Conventrensem et Lichefeldensem episcopum, super eis videlicet : in primis super eo quod dictus episcopus fuit et est publice diffamatus in regno Anglie et alibi quod diabolo fecit homagium —. Item quod — antequam adeptus esset episcopatum — per duos annos et ultra et post adeptionem — fuit et adhuc est — diffamatus — super eo quod commisit adulterium cum D. Johanna de Brionzon, noverca dicti militis et uxore quondam D. Johannis de Lovetot — regis Anglie justitiarii et fratris dicti D. Johannis de Lovetot et super eo quod dictam D. Johannam post mortem dicti — mariti sui — tenuit publice in fornicariam suam —. Item — super eo quod idem episcopus — una cum dicta D. Johanna — dictum D. Johannem — occiderunt — quod dictus episcopus — fuit et est — diffamatus de symoniaca pravitate et quod plurima mala commisit — per se et alios clericis et ecclesiasticis personis et locis de partibus illis contra ecclesiasticam libertatem, veniendo etiam contra constitutiones sanctissimi patris D. Bonifatii pape VIII. Item quod de predictis fuit et est in partibus illis et in Romana Curia apud Anglicos curiales publica vox et fama. Item — quod dictus episcopus ante promotionem suam ad episcopatum — plurima et plura beneficia animarum curam habentia et dignitates tenuit sine dispensatione Sedis Apostolice —.

Potthast, 25129.

5013 (cur. xv) Latran, 7 avril 1302.

Ut adversus Johannem Bele, falsarum litterarum Nicolai papæ quarti fabricatorem et alios, hujusmodi falsitatis auctores inquirat. (fol. 280.)

. . *abbati de Frenuncea in ecclesia Burgensi.* Inspectis litteris sub nomine felicis recordationis Nicolai pape quarti, predecessoris nostri, presumptione dampnabili fabricatis, quas nuper venerabilis frater noster episcopus Calagurritanus nobis transmisit, quasque tibi ecce sub bulla nostra mittimus interclusas, eas comperimus liquido esse falsas. Ut igitur falsariorum temeritas non remaneat impunita, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus contra Johannem Bele, clericum. Calaguritanensis diocesis, penes quem eedem littere, sicut asseritur, sunt reperte, quique ipsarum fuisse dicitur fabricator, et alios, qui hujusmodi falsitatis creduntur auctores, inquiras diligentius veritatem, procedens contra illos, quos culpabiles repereris in premissis, secundum canonicas sanctiones, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Dat. Laterani VII id. aprilis, anno octavo.

5014 (cur. xvi) Latran, 22 février 1302.

Confirmatur concessio ecclesiæ Sancti Cesarii in Turri de Urbe, ab episcopo Tusculano ordini Cruciferorum facta ad xenodochium instituendum. (fol. 280.)

. . *generali ac . . Sancti Mathei de Merulano ceterisque prioribus et fratribus ordinis Cruciferorum.* Piis vestris desideriis —. Presentata siquidem nobis vestra petitio continebat, quod, ecclesia Sancti Cesarii in Turri de Urbe, ad Tusculanam ecclesiam pertinente, divinis obsequiis et temporalibus favoribus destituta, venerabilis frater noster J. episcopus Tusculanus, de statu ipsius ecclesie prospero sollicitus, ad reparationem ipsius per ministros vigiles, Deo gratos, consurgens, cupiensque ut in

ipsa ecclesia Sancti Cesarii vigeant opera caritatis, xenodochium in ipsa ordinare decrevit, in qua Christi pauperes elemosinarum alimoniis foveantur et in eis paupertatis amaritudo lentescat dulcedine pietatis, ac vobis, quos, investigatione previa, invenit patres pauperum et amicos, ac plebi assiduitate pie hospitalitatis acceptos, ecclesiam ipsam Sancti Cesarii, cum casali et omnibus juribus et pertinentiis suis, concessit et ordini vestro incorporavit eandem, medietate fructuum casalis et possessionum ejusdem ecclesie Sancti Cesarii, que presentialiter obtinet, reservata perpetuo sibi et successoribus suis, episcopis Tusculanis, quecumque autem alia bona, quomodolibet acquisita vel acquirenda seu relicta extiterint in posterum ecclesie memorate, eidem xenodochio totaliter et libere cedant, ejus utilitatibus dumtaxat perpetuis temporibus profutura. Tu quoque, fili prior Sancti Mathei, ad id constitutus procurator, tuo et vestro, filii priores et fratres, ac ordinis vestri nomine, promisisti quod in eadem ecclesia sex clericos et quatuor conversos et in prefato xenodochio viginti lectos ordinabitis et tenebitis, pro recipiendis et alendis pauperibus et infirmis ibidem, ipsaque pro posse spiritualiter et temporaliter adaugere, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur.

Confirmatur dicta fundatio, tenore instrumenti inserto incipientis : « In nomine Domini, amen. Anno Domini M°CCC°II°. Indictione XV^{a}, die XVIII° mensis februarii, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno octavo. Cum ecclesia —. » et finientis : « Actum Rome apud Sanctam Mariam in monasterio, presentibus domino Nicolao de Cesariis, camerario, domino Pandulfo de Podio, domino Gerardo, priore plebis Fenoicensis, Fulginatis diocesis, et fratribus Petro de Castro et Scambio de Viterbio, ordinis Predicatorum, capellanis supradicti domini Tusculani ad hoc vocatis testibus et rogatis. Et ego Johannes magistri Andree Johannis de Mevania, Imperiali auctoritate notarius —. »

Dat. Laterani, VIII kal. martii, anno octavo.

Processus habiti in die Cene Domini.

5015 (CUR. XVII) Latran, solennité du Jeudi-Saint, 19 avril 1302.

Processus adversus Christianos, res prohibitas Sarracenis deferentes, adversus Fredericum, Siculos, scismaticos Columpnenses, fautores et receptatores eorum innovantur. (fol. 280 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Contra illos falsos et impios Christianos, qui, contra Deum et Christianum populum, res prohibitas deferunt Sarracenis, et contra accedentes ad terras, que per soldanum Babilonie vel Egipti tenentur, et cum rebus prohibitis redeuntes ab eis, nec non et contra Fredericum, natum quondam Petri olim regis Aragonum, qui insulam Sicilie, ad nos et Romanam Ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum C[arolum], Sicilie regem illustrem, spectantem, temere occupare presumpsit et adhuc pro certis ejusdem insule partibus detinet occupatam, et Siculos, sequaces ipsius et participantes in crimine criminoso, ac insuper contra scismaticos Columpnenses et adjutores, fautores et receptatores eorum dudum per Apostolicam Sedem diversi habiti sunt processus, excommunicationis et interdicti et alias spirituales et temporales sententias, penas continentes et mulctas, qui in archivo dicte Ecclesie conservantur. Nos vero processus ipsos, sententias, penas et mulctas, in suo manere volentes robore firmitatis, illos ratos et gratos habemus et decernimus inconcusse servari ac innovamus eosdem. Et nichilominus contra predictos, nisi ad nostra et ejusdem Ecclesie mandata, saniori ducti consilio redierint, gravius spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus. Illos autem a presenti processu excludimus, quantum ad excommunicationis et interdicti sententias, qui jam ad mandata redierunt Sedis ejusdem et absolutionis et interdicti relaxationis beneficium obtinuerunt, nec ad vomitum postmodum sunt reversi. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas seu membranas, processum continentes eundem, in presentis Lateranensis Basilice appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum, suo quasi sonoro preconio et patulo inditio, publicabunt, ita quod hii, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos, incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno octavo.

5016 (CUR. XVIII) Même date.

Processus adversus omnes hereticos et fautores eorum, adversus nova pedagia imponentes, piratas et omnes illos qui ad Sedem Apostolicam venientes vel redeuntes ab ea capiunt, etiamsi imperiali aut regali fulgeant dignitate, etc. (fol. 180 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Excommunicamus et

anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, et nostra, omnes hereticos, Gazaros et Patarenos, Arnaldistas, Speronistas et Pauperes de Lugduno, Passaginos ac omnes alios, quocumque nomine censeantur, et omnes fautores, receptatores et defensores eorum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas et latrunculos marinos, qui Cazetti et Capelletti vocantur, et omnes fautores, receptatores et defensores eorum. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes vel redeuntes ab ea capiunt, spoliant vel detinere presumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quominus ad eandem Sedem libere cum personis, bonis et rebus suis veniant et redeant ab eadem, etiamsi imperiali aut regali fulgeant dignitate, seu cujuscumque alterius fuerint preeminentie, dignitatis, ordinis, conditionis aut status: non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis, eis vel eorum alicui vel aliquibus ab Apostolica Sede, sub quavis forma vel tenore, concessis, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, que prorsus tollimus et revocamus omnino, ad hoc quod contra hujusmodi nostram sententiam et processus per ea nequeant se tueri quominus includantur in eis. Declaramus insuper omnes predictos et alios, qui, per se vel suos officiales seu ministros aut per alios, incolis imperii, regnorum seu terrarum suorum vel transeuntibus per ea, undecumque oriundis, ad Sedem venientibus memoratam vel redeuntibus ab eadem, equitaturas limitant, vel subtrahunt que deferunt seu reportant, pro suis oportunitatibus vel expensis, vel quevis alia res et bona, aut aperiunt litteras vel auferunt, seu taxant numerum personarum et familiarum vel quantitatem expensarum aut evectionum, vel alias, directe vel indirecte, talibus venientibus vel redeuntibus impedimentum vel obstaculum prestare presumunt, impeditores fore ad dictam Sedem venientium et redeuntium ab eadem, et anathematis et excommunicationis sententiam incurrere supradictam, ipsosque sic ligatos a sacramentorum perceptione nuntiamus exclusos : districte precipientes, ut nullus ea ipsis ministrare presumat, nec etiam sacramentum penitentie, nisi in mortis articulo constitutis, sed nec tunc, nisi de stando mandatis Ecclesie satisfactione vel sufficienti cautione premissis. Eos vero, cujuscumque fuerint preeminentie, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi archiepiscopali vel episcopali dignitate prefulgeant, qui, contra hujusmodi nostrum preceptum, talibus vel eorum alicui sacramenta vel sacramentum aliquod presumpserunt ministrare, excommunicationis et anathematis sententia innodamus, eisque interdicimus predicatonis, lectionis, administrationis sacramentorum et audiendi confessiones officium, predicentes aperte impedientibus et contemptoribus supradictis nos gravius contra eos, spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, processuros. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina vel alia prohibita deferunt Sarracenis, quibus Christianos impugnant. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios bulle nostre vel litterarum nostrarum. Ut autem hujusmodi noster processus, et cetera ut supra in proxima usque in finem. Actum ut supra.

5017 (cur. xviiii) Latran, 28 mars 1302.

Committitur Francisco, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, ecclesia Sanctæ Agathæ in Suburra. (fol. 281.)

Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali. Ecclesiam Sancte Agathe —.

Committitur suprascripto cura et administratio ecclesiæ Sanctæ Agathæ in Suburra de Urbe, per cardinalem solitæ gubernari, cardinali carentis ad præsens.

Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno octavo.

5018 (cur. xx) Anagni, 23 mai 1302.

Committitur archiepiscopo Januensi citatio Nicolai, episcopi Albinganensis. (fol. 281.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Januensi. Quia fidedigna relatio —.

Cum ad audentiam domini papæ nonnulla de N[icolao], episcopo Albinganensi, perlata fuerint, quæ nec dissimulari possunt, nec, si sint vero, conniventibus oculis præteriri, mandatur suprascripto, ut eundem episcopum citet, infra unum mensem post citationem compariturum, « omni alienationis genere bonorum et jurium Albinganensis ecclesie ex nunc sibi penitus interdicto. »

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno octavo.

5019 (cur. xxi) Anagni, 31 mai 1302.

Constitutio de nullo loco ecclesiastico interdicto supponendo pro pecuniario debito. (fol. 281.)

Ad perpetuam rei memoriam. Provido attendentes,

quod ut frequentius, quamvis non sine causa, sine culpa tamen multorum, interdicti sententie proferuntur; quodque sunt nonnulli judices nimis prompti ad proferendas easdem etiam in negotiis sive causis, que interdum plus ex cupiditatis quam ex caritatis radice, perspicuis indiciis, procedere arguuntur; quodque tempore interdicti divina organa suspenduntur et laudes, nec ecclesiastica sacramenta ministrantur ut solent, tolluntur mortuis seu minuuntur suffragia, presertim per oblationem frequentem hostie salutaris, adolescentes et parvuli, participantes rarius sacramenta, minus inflammantur et solidantur in fide, fidelium tepescit devotio, hereses pululant et multiplicantur pericula animarum, presentis constitutionis providemus edicto, ut nulla provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium vel districtus, auctoritate ordinaria vel delegata, supponantur ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito vel pro cujusvis monete vel pecunie quantitate, quacumque occasione vel causa seu quovis quesito colore, pro eo maxime quod ipsorum domini, rectores seu officiales, quocumque nomine censeantur, aut incole seu habitatores aut singulares persone ipsorum, statutis vel statuendis, ordinatis vel ordinandis terminis, hujusmodi debitum seu quantitatem non solverunt hactenus aut in antea non persolvent. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane, si secus hactenus extitit attemptatum vel contigerit attemptari, illudque revocamus omnino, non obstantibus, et cetera. Dat. Anagnie, II kal. junii, anno octavo.

Potthast, 25155.

Processus habiti in die Ascensionis Dominice.

5020 (cur. XXII) Anagni, solennité de l'Ascension, 31 mai 1302.

Processus adversus Christianos res prohibitas Sarracenis deferentes. (fol. 281 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Contra illos falsos et impios Christianos, qui, contra Deum et Christianum populum, res prohibitas deferunt Sarracenis, et contra accedentes ad terras, que per soldanum Babilonie vel Egipti tenentur, et cetera ut supra capitulo XVII de verbo ad verbum usque : cartas seu membranas processum continentes eundem in Majoris Ecclesie Anagnine appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, que processum, et cetera usque : publicatur. Actum Anagnie, in die Ascensionis Dominice, pontificatus nostri anno octavo.

5021 (cur. XXIII) Même date.

Innovatur processus in capitulo XVIII° editus. (fol. 281 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, et nostra, omnes hereticos, Gazaros et Patarenos, et cetera ut supra capitulo XVIII° de verbo ad verbum usque : cartas sive membranas processum continentes eundem, in Majori Ecclesia Anagnina appendi vel affigi ostiis, et cetera usque : publicatur. Actum ut supra.

5022 (cur. XXIII) Anagni, 18 juin 1302.

Citantur potestas, consilium et commune Parmenses ob gabellas et collectas episcopo et clero Parmensibus impositas. (fol. 281 v°.)

Dilecto filio Fratri Manfredo de Parma, ordinis Predicatorum, inquisitori heretice pravitatis in partibus Lombardie, et Ottobono de Rubeis, canonico Parmensi. Dudum nobis venerabilis frater noster Papinianus, episcopus Parmensis, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarius, de diversis injuriis, gravaminibus, violentiis et offensis, que potestas, consilium et commune civitatis Parmensis non solum sibi et Parmensi ecclesie sed et clero Parmensis civitatis et diocesis multipliciter irrogaverant, est conquestus, nosque, ad ejus instantiam, causam super premissis inter ipsum et illos exortam dilecto filio nostro Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, sub certa forma audiendam commisimus et fine debito terminandam, coram quo in ea nonnulli habiti sunt processus. Verum, sicut nobis ejusdem episcopi iterata conquestio patefecit, Guillelmus de Guaschis de Alexandria, potestas ejusdem civitatis, et predicti consilium et commune, prioribus injuriis, gravaminibus, offensis et violentiis non contenti, causa taliter apud Apostolicam Sedem pendente predicta, divina, ejusdem Sedis et nostra reverentia retrojecta, mala malis addentes et excessus excessibus cumulantes, quasi non sit qui dictos episcopum, clerum et ecclesiam tueatur, non sine magne temeritatis audacia, in conculcationem ecclesiastice libertatis statuere presumpserunt, quod nullus pro eodem episcopo advocare, postulare vel aliquid petere contra personam aliquam, ipsi communi subjectam, quoquo modo presumat, et, qui contra fecerit, si clericus fuerit, extra protectionem eorum existat et impune possit offendi, si vero laicus, centum li-

bras usualis monete camere ipsorum communis solvere teneatur, quodque nullus vinum emat ipsius episcopi, nisi prius de ipso vino gabella juxta ipsorum ordinamenta fuerit persoluta. Prefati quoque Guillemus potestas, consilium et commune seu gabellatores eorum fregerunt eorumdem episcopi et ecclesie molendina, auferentes inde ferramenta et instrumenta alias oportuna, et molendinarios, pro eo quod de molendinis ipsis, prout nec debebant, gabellam hujusmodi non solvebant eisdem, capientes et carceri mancipantes, ac alias, pro gabellis hujusmodi exigendis, gastaldos, colonos, bobulcos, aliosque familiares dicti episcopi, necnon ceteros de clero predictis multiplicer gravant, impetunt et infestant. Compellunt preterea dicti potestas, consilium et commune memoratum episcopum ad contribuendum in expensis, quas, jam octo annis elapsis, occasione cujusdam aggeris facti in ripa Padi, se asserunt subiisse, ac imposuerunt hominibus dicte ecclesie, in quibus nichil juris habent, collectam ducentarum quinquaginta librarum Imperialium, quam exigunt ab eisdem, coartantes homines prelibatos ad contribuendum in expensis constructionis cujusdam pontis, quem construunt super Parmam, qui dicitur de Dataro, quamvis homines ipsi ad hoc de jure vel consuetudine nullatenus teneantur, imponendo propter hoc illis collectam immoderatam ac super hoc episcopum et homines predictos audire de jure penitus denegando. Ad hec mercatum, quod apud Rivalbam, cujus due partes sunt ipsius episcopi, ab antiquo fieri consuevit, iidem potestas, consilium et commune ad locum Reducii, qui totus est ipsorum, in grave dampnum et prejudicium dictorum episcopi et suorum hominum transtulerunt, promulgatas in nostris et predecessorum nostrorum Romanorum pontificum constitutionibus in conditores et scriptores hujusmodi statutorum, ac potestates, consules, rectores et consiliarios loci, in quo statuta ipsa edi et servari contingit, ac in predictarum gabellarum et collectarum impositores et exactores, excommunicationis, necnon in universitates, que sunt in ipsarum gabellarum et collectarum impositione et exactione culpabiles, interdicti sententias, quas predictorum statutorum conditores et scriptores, ac ipsius civitatis potestas, consules, rectores et consiliarii, et omnes imponentes et exigentes gabellas et collectas predictas, necnon et ipsum commune ob premissa, si veritate nitantur, incurrisse noscuntur, nullatenus formidantes, et alia plura tam idem Guillelmus potestas quam consilium et commune predicti contra prefatos episcopum, ecclesiam, clerum et homines ausu temerario attemptasse dicuntur, que omnia dum nos, qui in gravaminibus et injuriis, que quibuscumque ecclesiis et personis ecclesiasticis inferuntur, plurimum pregravamur, diligenter attendimus, ex premissis eo durius, non immerito, provocamur, quod injurie dicti episcopi, qui apud eandem Sedem nostris et universalis Ecclesie obsequiis immoratur, specialius nos contingunt, nosque ipsum, ejus exigentibus meritis ex familiari experientia nobis notis, dilectione prosequimur ampliori.

Mandat suprascriptis dominus papa sub excommunicationis pœna, quam eos incurrere vult ipso facto si præsens mandatum neglexerint, quatinus prefatum Guillelmum potestatem vel alium, si quis ei substitutus fuerit, ac ipsos consilium et commune monere procurent, ita ut, si est ita, ea statuta revocent et a predictarum gabellarum et collectarum exactione prorsus desistant, ac eidem episcopo de dampnis et injuriis satisfactionem exhibeant, ac nichilominus eosdem peremptorie citare curent, ut potestas, personaliter, consilium vero et commune, per syndicum vel procuratorem idoneum, de ancianis eorum qui nunc sunt instituendum, infra unius mensis spatium compareant coram domino papa.

Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno octavo.

5023 (CUR. XXV) Anagni, 10 juin 1302.

Ut civitates et personas rebelles regni Siculi ad mandata Romanæ Ecclesiæ recipere et omnibus sententiis in eos prolatis absolvere valeant. (fol. 282.)

Dilectis filiis Guillelmo, electo Salernitano, et Johanni de Camera, canonico ecclesie de Castra, Bituricensis diocesis. Illius exemplo cujus —. Cum — Carolus, natus clare memorie Philippi regis Francorum, comes Andegavensis, et Robertus, dux Calabrie, primogenitus charissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris, in ipsius Sicilie insula contra Fridericum — progressi nuper magnifice dignoscantur — vos illuc accessistis cum eisdem, nos — volentes, ut eo libentius rebelles ibidem civitates — et loca, tam ipsius insule quam aliarum etiam regni predicti partium citra Pharum, — et eorum incole, que rebellia dignoscuntur, redeant ad devotionem nostram — quo magis nos — sibi senserint in misericordie pietate propitios —.

Ut dictos rebelles ad mandata Ecclesiæ recipere valeant et omnes sententias quas incurrerunt relaxare.

Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno octavo.

POTTHAST, 25158.

5024 (CUR. XXVI) Même date

Ne Fredericum absolvant absque domini papæ speciali mandato. (fol. 282 v°.)

Eisdem. Licet vobis per —.

Licet eis per alias litteras commissum fuerit, ut Siculos rebelles, ad mandata Ecclesiæ redeuntes, absolvere possint, inhibetur eis, ne Frederico, etiamsi eum redire ad hujusmodi mandata contigerit, cujusvis absolutionis beneficium impendant, absque domini papæ speciali mandato.

Dat. ut supra.

5025 (XXVII) Anagni, 10 juin 1302.

Super negotio regnorum Hungariæ et Poloniæ. (fol. 282 v°.)

Carissimo in Christo filio W., regi Boemie illustri. Dilectum filium magistrum Ulricum de Pabenic, doctorem decretorum, canonicum Pragensem, nuntium tuum, et litteras regias, quas ipse nobis ex parte tua detulit, paterna benignitate recepimus, et ipsarum litterarum tenore diligenter inspecto, et auditis hiis, que dictus nuntius coram nobis exposuit viva voce, ex eis in summa percepimus, quod ad hoc tua tendebat intentio, tuaque id petitio postulabat, ut tui nati negotium, quem in regem Ungarie concorditer et canonice proponis electum, et te ac tuos et suos in hac parte sequaces in benevolentiam nostram reciperemus et gratiam; ac tibi et ipsis adjutores, directores, favorabiles et benignos nos in ipso negotio redderemus. Sane, fili carissime, sicut alias tibi per litteras nostras scripsisse meminimus, regnum Ungarie, tam nobile hactenus, tam preclarum in spiritualibus et temporalibus, modernis temporibus, heu, multipliciter collapsum agnoscitur et quasi datum in predam, per Cumanorum Tartarorum, scismaticorum et paganorum hostiles incursus, ac, propter dissensiones et novitates periculosas, noviter attemptatas in ipso, ex quibus discriminose vastatur, fere ad nichilum est deductum, sicque nos, hiis non sine gravi mentis amaricatione recensitis, desiderantes, prout nobis ex officii debito summi apostolatus incumbit, super eis de salubri remedio providere, ad procurandam in ipso regno pacem, que vinculum caritatis existit, et ad tollenda inde dissentiones, et scandala, que miserabilem desolationem inducunt, venerabilem fratrem nostrum Nicolaum, Ostiensem episcopum, Apostolice Sedis legatum, religione preclarum, virum magni consilii et grande Romane membrum Ecclesie, cujus presentiam nobis non absque magna incomoditate subtraximus, duximus pridem illuc cum plene legationis officio destinandum; teque per ipsum et litteras nostras hortati fuimus diligenter, ut nonnulla, que circa prefatum natum tuum dicebantur minus provide attemptata, prudenter corrrigeres per te ipsum et regali providentia emendares; ac tam tu, quam tui et nati memorati sequaces acquiesceretis ipsius legati salubribus monitis reverenter, vosque beneplacitis coaptaretis ipsius, qui ad dictum regnum ut pacis angelus nuntiusque salutis accessit; significantes tibi, quod, si qua jura in eodem regno aliisque provinciis tibi vel nato memorato competerent, ea prosequeremini coram nobis, illa disponebamus illibata servare nec minuere, sed augere. Licet autem legatus ipse multos propterea non solum mentales, sed etiam corporales subierit sollicitudines et labores, qui apud Deum erunt meritorii et gloriosi fructus eorum, non tamen, ut sperabamus, quietis et pacis effectum per viam compositionis vel concordie amicabilis labores et sollicitudines hujusmodi habuerunt; nec alias etiam regni predicti status ad quietis comoda est reductus; quinimmo guerrarum turbines in regno ipso, proh dolor! invalescunt. Attendentes igitur quod thronus Apostolici culminis constitutus est a Domino super reges et regna, ut equitatis virga unicuique tribuat, prava dirigat in directa, et morbis, qui fomentorum non recipiunt medicinam, asperius medicamen apponat, super petitione tua predicta deliberatione prehabita diligenti, eidem nuntio in presentia fratrum nostrorum viva voce respondimus tibique presentibus respondemus, quod personam tuam paterna et speciali sumus benivolentia prosecuti, et proponimus tam tua quam nati predicti jura conservare ubilibet, ac tibi et ei sine juris alieni prejudicio plenitudinem debiti favoris impendere, dum tu et natus ipse filialis devotionis affectibus et gratis ac laudabilibus operibus vos nostris et Apostolice Sedis beneplacitis coaptetis. Verum, cum longo jam tempore dilata sit reformatio dicti regni, deformati taliter et collapsi, et a tempore obitus clare memorie Watislai, regis Ungarie, ac deinde, dum Andreas in eodem regno se pro rege gerebat, carissima in Christo filia nostra Maria, regina Sicilie illustris, ad se ac dilectum filium nobilem virum Carolum, nepotem ejus, prefatum regnum asseruerit et adhuc asserat pertinere de jure, hujusmodi petitionem tuam, propositam ut prefertur, absque juris injuria et alieno prejudicio ad gratiam exauditionis admittere non valemus. Sed hiis, qui in regno prefato jus se proponunt habere, nos ad reddendam justitiam convertentes, per alias litteras nostras te ac regi-

nam, nepotem ipsius ac filium tuum predictos, vestrumque sequaces, et alios qui sua crediderint interesse, de quibus expedire viderimus, per peremptorie citationis edictum, proponimus ad nostram facere presentiam evocari, ut, cum omnibus juribus, actis et munimentis, hujusmodi negotium contingentibus, compareatis legitime coram nobis, recepturi justitie complementum et facturi que pro bono statu dicti regni duxerimus ordinanda. Ad hec ignorare te nolumus, quod, cum in predictis tuis literis te regem non solum Boemie, sed etiam Polonie duxeris describendum, causa nobis exinde magne turbationis advenit, dum auctoritate propria, quinimmo temeritate non modica, non vocatus a Domino tamquam Aaron, sed Apostolica Sede, matre omnium et magistra, contempta, ad quam provincie Polonie pertinere noscuntur, regium in ipsa Polonia nomen usurpas, te regem Polonie nominando. In que autem crimina assumptio falsa regie dignitatis, immo et simplicis magistratus, ac seditio et commissio violentie cum armis incidant, quibus subiciendi sint penis talium patratores, non est opus exprimere, quia id nota et vetustissima decreta sanxerunt. Ne igitur in te tante temeritatis audaciam, in tue salutis dispendium, prefate Sedis injuriam et plurimorum scandalum absque dubitatione presumptam, dissimulare quodammodo videamur, magnificentie tue per Apostolica scripta sub spiritualibus et temporalibus penis, quas si contrarium feceris, tibi volemus inferre, districtius prohibemus, ne te ulterius regem Polonie nomines, sigillum regium sub intitulatione Polonie regni assumas vel utaris assumpto, neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona, et jura quecumque in ipsa Polonia vel aliqua ejus parte concedas, aut tamquam rex Polonie quicquam agas. Nos enim tibi paratos offerimus ad manutenendum et conservandum jura, si qua in ipsa Polonia ostenderis tibi competere legitime coram nobis. Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno octavo.

Potthast, 25159.

5026 (cur. XXVIII) Même date.

Eadem de re. (fol. 283.)

Venerabili fratri Nicolao, Ostiensi episcopo, Apostolice Sedis legato. Carissimus in Christo —.

Suprascripto communicat ea dominus papa quæ eadem die Wenceslao, regi Boemiæ, ad petita ejus in facto regni Ungariæ responderat, mandatque, ut, publico et solemni edicto, peremptorie citet W[enceslaum], regem Boemie, ejusque filium W[enceslaum] atque Carolum, nepotem regine Sicilie, « ut infra sex mensium spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus juribus, actis et munimentis suis », compareant coram Sede Apostolica, « complementum justitie recepturi ac facturi que pro dicti regni bono statu per nos extiterint ordinanda. »

Dat. ut supra.

Potthast, 25160.

5027 (cur. XXVIIII) Même date.

De Colocensi archiepiscopo et aliquibus regni Hungariæ episcopis et personis ecclesiasticis ad Curiam Romanam ab episcopo Ostiensi citandis. (fol. 283 v°.)

Eidem. Volentes de statu regni Ungarie ac conditionibus ejus — pleniorem notitiam obtinere, ex rationabilibus causis moti, aliquorum ex prelatis dicti regni et aliarum personarum ecclesiasticarum, regularium et secularium, de regno oriundorum eodem, penes nos providimus habere presentiam. Quocirca fraternitati tue — mandamus, quatinus . . Collocensem archiepiscopum et quos et quot de aliis episcopis ac prelatis et personis ecclesiasticis regni prefati expedire videris peremptorie citare procures, ut infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi personaliter nostro se conspectui representent —. Dat. ut supra.

5028 (cur. XXX) Latran, 5 mai 1302.

Ut absolvere possit episcopus Ostiensis infra legationis suæ terminos violatores constitutionis « Clericis laicos. » (fol. 283 v°.)

Eidem. Significasti nobis —.

Ut absolvere possit laicos et clericos infra legationis suæ terminos, qui, exigendo collectas a personis ecclesiasticis vel solvendo easdem contra constitutionis nuper editæ tenorem, sententiam in eadem contentam incurrisse noscuntur.

Dat. Laterani, III non. maii, anno octavo.

5029 (CUR. XXXI) Même date.

Ut idem monasteria sui ordinis infra legationis suæ terminos reformare valeat. (fol. 283 v°.)

Eidem. Significasti nobis —.

Conceditur eidem facultas reformandi monasteria sui ordinis, quæ infra suæ legationis terminos invenerit, propter occupationem bonorum eorum, a monachis derelicta vel, propter monachorum defectum et desidiam, quasi totaliter desolata.

Dat. ut supra.

5030 (CUR. XXXII) Même date.

Pro eodem. (fol. 283 v°.)

Eidem. Significasti nobis —.

Ut dispensare valeat cum clericis, secularibus et regularibus, infra suæ legationis terminos constitutis, qui, per simplicitatem in locis interdictis divina officia celebrando, irregularitatem contraxerunt.

Dat. ut supra.

5031 (CUR. XXXIII) Latran, 15 juin 1302 [1].

Constituitur procurator in causis contra Ecclesiam Romanam seu rectores terrarum ipsius Ecclesiæ vel pro eis movendis. (fol. 283 v°.)

Magistro Cursio nato quondam Bonajuncte de Sancto Geminiano, Vulterane diocesis. De fidelitate ac industria tua plenam in Domino fidutiam obtinentes, te nostrum et Ecclesie Romane yconomum, procuratorem sive actorem constituimus in omnibus causis, contra nos, dictam Ecclesiam seu rectores aut officiales terrarum ipsius Ecclesie, necnon et processibus [2] eorum ac pro nobis et Ecclesia, rectoribus et officialibus supradictis, contra quoscumque motis atque movendis coram quibuslibet judicibus seu auditoribus, a nobis super hiis specialiter seu generaliter deputatis aut in posterum deputandis, in premissis agendi, defendendi, excipiendi, replicandi, litem contestandi, ponendi, respondendi, beneficium restitutionis in integrum petendi ac faciendi cetera, que verus et legitimus procurator et yconomus sive actor facere debet et potest, et substituendi alium vel alios procuratores ad omnia et singula supradicta, qui consimilem in hiis potestatem habeant, revocandi quoque eosdem ac loco ipsorum alium vel alios subrogandi, quotiens oportunum fuerit seu videris expedire, plenam tibi concedentes, auctoritate presentium, facultatem, ratum habituri et gratum quicquid circa predicta et quodlibet predictorum, per te vel substitutum seu substitutos a te, factum extiterit vel etiam procuratum. Dat. Anagnie, XVII kal. julii, anno VIII°.

1. Male XVIII kal. julii apud Potthast legitur.
2. *Ms* : processus.

POTTHAST, 25162.

5032 (CUR. XXXIIII) Anagni, 23 juillet 1302.

De arce de Agnese destruenda. (fol. 284.)

Fratri Huguitioni de Vercellis, ordinis Militie Templi, cubiculario nostro. Celestis Agricole vices —. Cum igitur dudum dilecti filii communia Spoletanum, ex parte una, et Reatinum, ex altera, — bellicis forent dissidiis concitata, omnes fortellitias et novitates factas ad emulationem per utrumque communium eorumdem, ex quarum erectione pars maxima ipsius dissidii procedebat, mandavimus demoliri, iidemque Spoletani super hoc nobis plenarie paruerunt. Cumque sola arx — de Agnese de dictis novitatibus penes eosdem Reatinos remansisset intacta, ipsam — nobilibus viris dominis de Labro per Reatinos ipsos restitui et resignari mandavimus.

Ad omnem materiam scandali præcidendam suprascripto mandat dominus papa, ut, ad arcem ipsam se personaliter conferens, eam, « licet juxta mandatum nostrum hujusmodi fuerit prefatis nobilibus resignata », destrui faciat.

Dat. Anagnie, X kal. augusti, anno octavo.

POTTHAST, 25166.

5033 (CUR. XXXV) Anagni, 17 juillet 1302.

Reservatio ecclesiæ Bononiensis. (fol. 284.)

Ad perpetuam rei memoriam. Cum ecclesia Bononiensis —.

Reservatur Apostolicæ dispositioni ecclesia Bononiensis, per obitum bonæ memoriæ Johannis episcopi vacans.

Dat. Anagnie, XVI kal. augusti, anno octavo.

5034 (CUR. XXXVI) Anagni, 22 juillet 1302.

Committitur Nerio Zachariæ castellania castri Radicofani. (fol. 284.)

Nerio, nato dilecti filii Zacharie militis Urbevetani, castellano castri Radicofani, Clusine diocesis. Sincere devotionis affectu —.

Committitur suprascripto usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis castellania dicti castri, cujus incolas « gravium odiorum et discordiarum turbines diutius conquassarunt. »

Dat. Anagnie, XI kal. augusti, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis hominibus castri Radicofani, Clusine diocesis.*

5035 (CUR. XXXVII) Même date.

Committitur eidem potestaria ejusdem castri. (fol. 284.)

Nerio, nato dilecti filii Zachariæ militis Urbevetani, potestati castri Radicofani, Clusine diocesis. Grate devotionis studia, quibus dilecti filii consilium et commune castri Radicofani, Clusine diocesis, nobis prudentius adheserunt, sollicitant mentem nostram —. Cum igitur prefati consilium et commune — habentes a nobis eligendi et assumendi sibi potestatem sive rectorem usque ad Apostolice Sedis beneplacitum liberam facultatem, nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis hac vice de potestate seu rectore ydoneo dignaremur.

Dicta potestaria suprascripto committitur usque ad beneplacitum domini papæ exercenda.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis consilio et communi castri Radicofani, Clusine diocesis.*

5036 (CUR. XXXVIII) Même date.

De pace inter intrinsecos et extrinsecos castri Radicofani reformanda. (fol. 284 v°.)

Nerio, nato dilecti filii Zacharie militis Urbevetani. Inter cetera que —. Profecto turbationibus plurimis, angustiis multis innumerisque molestiis homines castri Radicofani, Clusine diocesis, ad eandem Ecclesiam pertinentis, se diutius lacerasse noscuntur, nunc turbationis intestine furoribus se invicem lacescentes, nunc exterioribus dissidiis sub personarum et rerum laceratione miserabili confundentes, et violato inter eos federe proximitatis et sanguinis, eorum nonnulli longi temporis spatio a laribus propriis exularunt, ac ipsorum terra, que solebat statu prospero et bonorum ubertate vigere, multum per hoc utilitatis perdidit et decoris. Verum nuper, Omnipotentis gratia faciente, homines intrinseci ejusdem castri, qui per devium oberrabant, ad nostra et Ecclesie prefate mandata, devote ac humiliter redierunt, se super reformatione pacis et concordie inter ipsos et extrinsecos homines dicti castri mandatis et beneplacitis nostris totaliter summittentes, nosque, ad ipsorum castri et hominum gubernationem prosperam intendentes, tibi, de quo plene confidimus, potestariam, castellaniam et regimen dicti castri duximus per alias nostras sub certa forma litteras committenda. Desiderantes igitur curam adhibere sollicitam ad ea que respiciant dicti reformationem status et quietem perpetuam hominum eorumdem, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, illuc te personaliter conferens, inter predictos intrinsecos et extrinsecos ac alios dissidentes homines dicti castri firmam et perpetuam pacem et concordiam studeas reformare, quam juramentorum et penarum adjectione solemnium, secundum quod expedire videris, facias roborari, reducendo extrinsecos predictos, cum cautela et securitate vitandi excidia, ad castrum ipsum et bona propria, necnon contradictores et rebelles, si qui fuerint, per temporales penas, prout expedire videris, appellatione postposita, compescendo. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis hominibus tam intrinsecis quam extrinsecis castri Radicofani, Clusine diocesis, nostris et Ecclesie Romane fidelibus — dilectis filiis comitibus, baronibus ceterisque nobilibus, potestatibus, capitaneis aliisque rectoribus, consiliariis, consiliis, comunitatibus et universitatibus ac personis singularibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per Patrimonium Beati Petri in Tuscia et alia loca vicina castro Radicofani, Clusine diocesis, constitutis.*

5037 (CUR. XXXVIIII) Anagni, 1er août 1302.

Reservatio monasterii de Sancto Januario, Vercellensis diocesis. (fol. 284.)

Ad perpetuam rei memoriam. Gerentes ad monasterium —.

Cum monasterium de Sancto Januario, ordinis sancti Benedicti, Vercellensis diocesis, reformatione non modica indigeat, provisio ejusdem, ut ipsius regimen « persone ydonee committatur, que ad reformationem ipsius diligenter intendat », reservatur Apostolicæ dispositioni.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno octavo.

5038 (CUR. XL) Anagni, 14 septembre 1302.

Citatur coram Sede Apostolica Johannes, episcopus Reatinus. (fol. 285.)

Dilectis filiis.. priori Predicatorum, et.. guardiano Minorum Fratrum Reatinis. Cum nuper venerabilem fratrem nostrum Johannem, episcopum Realinum, de ecclesia Imolensi, cujus tunc presidebat regimini, transtulissemus ad ecclesiam Reatinam, idem episcopus de Curia nostra, in qua tunc temporis existebat, spretis litteris nostris, super hujusmodi translationibus et aliis ecclesiarum provisionibus concedi et fieri consuetis, absque eis inaudita presumptione ad dictam ecclesiam se conferens, administrationem exercet pontificalis officii, sicut accepimus, in eadem, capitulum quoque dicte ecclesie Reatine, nullis super hoc litteris vel mandato nostro receptis, temere ipsum in eorum pontificem receperunt et habent, obedentiam sibi ac reverentiam exhibendo.

Episcopum et capitulum citent, ut, infra decem dierum spatium post citationem, episcopus, personaliter, capitulum, per syndicum, « nostro se conspectui repræsentent super præmissis nostris beneplacitis et mandatis plenarie parituri. »

Non obstantibus indulgentiis, per quas ordinibus vestris dicitur esse concessum, quod de causis seu negotiis, que Fratribus ipsius ordinis a Sede committuntur eadem cognoscere minime teneantur. Dat. Anagnie, XVIII kal. octobris, anno octavo.

POTTHAST, 25177.

Processus habiti in die Dedicationis.

5039 (CUR. XLI) Latran, solennité de la dédicace de la Basilique Vaticane, 20 novembre 1302.

Processus adversus « omnes illos qui ad Sedem Apostolicam venientes vel redeuntes ab ea capiunt — etiamsi imperiali aut regali fulgeant dignitate. » (fol. 285.)

Ad perpetuam rei memoriam. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis — omnes illos qui ad Sedem Apostolicam venientes vel redeuntes ab ea capiunt —.

Tenor hujus processus eisdem constat verbis quam supra in capitulo XVIII° usque : processurus.

Actum Laterani, in festo Dedicationis Basilice Principis Apostolorum de Urbe, pontificatus nostri anno VIII°.

POTTHAST, 25190

5040 (CUR. XLII) Même date.

Processus adversus omnes hereticos et fautores eorum, piratas vel latrunculos marinos, necnon et res prohibitas Sarracenis deferentes. (fol. 285 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis — omnes hereticos —.

Tenor hujus processus eisdem constat verbis quam supra in capitulo XVIII°, omissis excommunicationibus adversus illos qui ad Sedem Apostolicam venientes capiunt et adversus litterarum Apostolicarum falsarios editis.

Ut autem hujusmodi noster processus, et cetera ut in proxima superiori usque in finem.

5041 (CUR. XLIII) Latran, 24 novembre 1302.

Committitur Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytere cardinalis munus nuntii Apostolice Sedis in Gallia. (fol. 285 v°.) [1]

Dilecto filio Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, Apostolice Sedis nuntio. Clara multiplicis merita probitatis et virtutum dotes exuberes, quibus Superni Numinis munere, a quo universorum carismatum dona proveniunt, nosceris insignitus, attente considerationis indagine perscrutantes, ea que in desideriis gerimus tue discretionis industrie libenter committimus exequenda, firma ducti fiducia spemque indubiam obtinentes quod circa executionem hujusmodi vigilanter et solerter intendes ac operose solicitudinis studium exhibebis etc. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno octavo.

POTTHAST, 25192.

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

5042 (CUR. XLIIII) Même date.

Ut clerici, ejus domestici, obsequiis ejus insistendo fructus beneficiorum suorum percipere valeant. (fol. 285 v°.)

Eidem. Laudanda tue circumspectionis —. Dat. ut supra.

5043 (CUR. XVL) Même date.

Pro eodem. (fol. 286.)

Eidem. Laudanda —.

Licentia dispensandi cum prælatis et personis ecclesiasticis super irregularitate, quam contraxerunt vel contraxerint ferendo in alios, contra constitutionem Innocentii papæ, excommunicationis sententiam sine scriptis et non abstinendo a divinis.

Dat. ut supra.

5044 (CUR. XLVI) Même date.

Pro eodem. (fol. 286.)

Eidem. Laudanda —.

Licentia absolvendi a sententiis excommunicationis vel interdicti eos qui, ob mortem vel destitutionem judicum a quibus fuerunt innodati, commode absolvi non possunt.

Dat. ut supra.

5045 (CUR. XLVII) Même date.

Ut, tam in absentia quam in præsentia, procurationes sibi debitas petere et recipere valeat. (fol. 286.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5046 (CUR. XLVIII) Même date.

Ut quoslibet prælatos et religiosos ad contribuendum procurationibus sibi debitis compellere valeat. (fol. 286.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5047 (CUR. XLVIIII) Même date.

Ut omnes ecclesiasticas personas ad contribuendum in necessariis nuntiis, quos pro commissis sibi negotiis destinabit, compellere valeat. (fol. 286.)

Eidem. Cum te ad —. Dat. ut supra.

5048 (CUR. L) Même date.

Licentia concedendi tabellionatus officium tribus personis idoneis. (fol. 286 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

5049 (CUR. LI) Même date.

Ut possit injungere Fratribus Prædicatorum, Minorum et aliorum ordinum quæcumque prosecutioni officii vel utilitati negotiorum sibi commissorum viderit expedire et contradictores compescere (fol. 286 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

5050 (CUR. LII) Même date.

Ut omnes et singulos clericos et laïcos suæ legationis partium, qui per violentam injectionem manuum in clericos excommunicationis sententiam incurrerunt, dummodo passis injuriam satisfecerint competenter, absolvere valeat. (fol. 286 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

5051 (CUR. LIII) Même date.

Licentia convocandi omnes personas ecclesiasticas tam sæculares quam regulares generaliter vel specialiter et injungendi eis quæcumque prosecutioni negotiorum legationis suæ viderit expedire. (fol. 286 v°.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5052 (CUR. LIIII) Même date.

Licentia ducendi evectiones quot sibi commissis negotiis viderit expedire. (fol. 286 v°.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5053 (CUR. VL) Même date.

Licentia exercendi censuram ecclesiasticam contra injuriatores. (fol. 286 v°.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5054 (CUR. LVI) Même date.

Licentia dispensandi cum quinquaginta clericis super defectu natalium, dummodo de presbyteris seu regularibus aut adulterio vel incestu geniti non existant. (fol. 287.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5055 (CUR. LVII) Même date.

Ut vere pœnitentibus et confessis indulgentiam unius anni et quadraginta dierum, cum proponere verbum Dei contigerit vel in festivitatibus solemnibus celebrare, relaxare valeat. (fol. 287.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5056 (CUR. LVIII) Même date.

Pro eodem. (fol. 287.)

Eidem. Cum te ad —. Nos — discretioni tue faciendi per te — auctoritate nostra, decem clericos in totidem ecclesiis — regni Francie, Parisiensi, Carnotensi et Ambianensi dumtaxat exceptis, dummodo illorum ad quos in eisdem ecclesiis spectat collatio prebendarum ad id accedat assensus et alias beneficiati dicti clerici non existant, concedimus facultatem —. Dat. ut supra.

5057 (CUR. LVIIII) Même date.

Ut clericorum suorum domesticorum cedentium vel decedentium beneficia antequam ad curiam redeat conferre valeat. (fol. 287.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5058 (CUR. LX) Même date.

Littere de securo conductu pro Johanne, tituli Sanctorum Marcellini et Petri diacono cardinali (fol. 287.)

Bonifatius etc. venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus ac ecclesiasticis personis, religiosis et aliis, ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Camaldulensis ac sancti Guillelmi ac aliorum ordinum, nec non magistris et preceptoribus Militie Templi et Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Beate Marie Theotonicorum in regno Francie constitutis. Cum dilectum filium nostrum Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum cardinalem, Apostolice Sedis nuntium, — latorem presentium ad ultramontanas partes, certis sibi commissis negotiis, fiducialiter destinemus, universitatem vestram rogamus — quatinus nuntium ipsum, cum per partes vestras transitum fecerit, — sibi et suis familiis de securo conductu nec non in evectionibus oportunis, si sue in via decesserint vel alias defecerint, — in eundo, morando et redeundo, liberaliter providere curetis, et, si eundem nuntium in aliquibus locis vel loco interdum moram contrahere contigerit, volumus quod non solum eorumdem locorum eisque vicinarum vel adjacentium partium sed aliarum etiam, sicut eidem nuntio pro hujusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire videbitur, remotarum, de regno tamen predicto, patriarche, archiepiscopi — monasteriorum conventus — nec non magistri et preceptores Militie Templi — et quorumcumque aliorum locorum ecclesiasticorum contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur —. Dat. ut supra.

5059 (CUR. LXI) Même date.

Licentia dispensandi cum prælatis et personis ecclesiasticis super irregularitate, quam contraxerunt vel contraxerint ex eo quod excommunicati receperunt ordines et ministrarunt in ipsis aut, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis innodati, divina officia celebrarunt. (fol. 287 v°.)

Eidem Johanni cardinali. Cum te ad —. Dat. ut supra.

5060 (CUR. LXII) Même date.

Licentia celebrandi in locis interdictis. (fol. 287 v°.)

Eidem. Cum te ad —. Dat. ut supra.

5061 (CUR. LXIII) Même date.

Licentia commutandi vota, votis tamen religionis, continentiæ et Jerosolimitano dumtaxat exceptis. (fol. 287 v°.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5062 (CUR. LXIIII) Même date.

Licentia dispensandi cum religiosis super simoniaca pravitate in acquirendis vel exhibendis locis in monasteriis, dummodo tales in aliis sui ordinis monasteriis collocari non valeant. (fol. 287 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

5063 (CUR. LXV) Même date.

Licentia absolvendi omnes illarum partium clericos, qui synodalia, et monachos, qui abbatum suorum statuta minime observantes, excommunicationis sententiam incurrerunt et dispensandi cum eis super irregularitate. (fol. 288.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5064 (CUR. LXVI) Même date.

Licentia condendi testamentum pro clericis ejus domesticis. (fol. 288.)

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5065 (CUR. LXVII) Même date.

Licentia dispensandi « cum clericis partium predictorum qui ab archiepiscopis et episcopis, vinculo excommunicationis astrictis, ignoranter ordines receperunt, ut in sic susceptis ordinibus ministrare valeant, injuncta propter hoc eis penitentia salutari. »

Eidem. Laudanda —. Dat. ut supra.

5066 (CUR. LXVIII) Même date.

Licentia celebrandi antequam illuscescat dies. (fol. 288.)

Eidem. Cum te ad —. Dat. ut supra.

5067 (CUR. LXVIIII) Même date.

Pro eodem. (fol. 288.)

Eidem. Cum te —. Nos, ut tutius et celerius in illis procedere valeas, compellendi per censuram ecclesiasticam et alias etiam, prout expedire videris, universos marchiones, comites, barones, nobiles, potestates, capitaneos, rectores, ballivos nec non universitates civitatum et castrorum aliorumque locorum ac alios etiam, de quibus expedire videris, per quorum terras et districtus te transire contigerit, ad providendum tibi et familiis tuis de securo conductu in eundo, morando et redeundo —. Dat. ut supra.

5068 (CUR. LXX) Même date.

Facultas absolvendi Philippum, regem Francorum excommunicationis vinculo innodatum. (fol. 288.)

Eidem. Cum te ad partes Francie, certis tibi commissis negotiis, fiducialiter destinemus et intellexerimus, referentibus fidedignis, quod princeps magnificus Phylippus, rex Francorum illustris, excommunicationis est vinculo innodatus, discretioni tue, absolvendi regem ipsum, cum ab eo fueris requisitus, juxta formam Ecclesie, a quibuscumque excommunicationum sententiis a canone seu alias, nostra vel predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum auctoritate prolatis, quas idem rex incurrisse dinoscitur, plenam et liberam, presentium auctoritate, concedimus facultatem. Dat. ut supra.

5069 (CUR. LXXI) Latran, 28 novembre 1302.

Perpetuatio jurisdictionis. (fol. 288.)

Eidem. Considerantes attentius —. Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno octavo.

5070 (CUR. LXXII) Latran, 6 décembre 1302.

De nuntiis Frederici, responsum domini papæ referentibus super tractatu pacis, cum Carolo, Valesii comite, habito. (fol. 288.)

Nobili viro Frederico, nato quondam Petri olim regis Aragonie, spiritum non vertiginis sed salutis. Guillelmus de Gazerano, Damianus de Palitio et Cataldus Rubeus de Messana, nuntii tui, nostram nuper presentiam adeuntes, expresserunt reverenter et provide tue devotionis affectum laudandumque propositum, quibus interne constringeris ad gratiam nostram et [ad] gremium Sancte Matris Ecclesie cum sinceritatis azima revertaris, subjuncto per ipsos ut tractatum pacis habitum inter dilectos filios nobiles viros C[arolum], Alanzoni et Valesii comitem, et Robertum, primogenitum carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris, ducem Calabrie, ex parte una, et te, ex altera, confirmare clementius nostra benignitas dignaretur. Quorum verbis diligenter auditis more pastoris providi et affectione pariter pii patris, in collationis examen asperitati commixta dulcedine, ipsis responsum dedimus atque licentiam ad tuam presentiam redeundi. Cujus responsi seriem ordinatam et lucidam, nostra rescriptio ac relatio nuntiorum, quos ad te propterea mittendos decrevimus, tuis sensibus apertius explicabunt. Dat. Laterani, VIII id. decembris, anno octavo.

5071 [1] Même date.

De tractatu pacis inter Fredericum et Carolum, comitem Valesii, habito. (fol. 288 v°.)

Eidem. Habuit nuntiorum tuorum —.

Suprascripto significat, dominus papa se tractatum pacis habitum inter Carolum, Alanzoni et Valesii comitem, et Robertum, primogenitum Caroli regis Sicilie, ducem Calabriæ, ex parte una, et ipsum Fredericum, ex altera, confirmare non posse. Addit se, ut ille « libentius veritatis semitam ingredi valeat », mandare et expresse committere, ut ab excommunicationis sententia, qua ligatur, absolvatur, et interdictum de insula Siciliæ removeatur ac super matrimonio contrahendo inter illum et juvenem Alienoram, natam dicti regis Siciliæ, dispensetur.

Dat. ut supra.

Potthast, 25195

5072 Même date.

Super eodem. (fol. 288 v°.)

Dilectis filiis Guillelmo, Salernitano, et Uberto, Bononiensi electis. Apparet majorem —. Sane licet nobilis vir Fredericus, natus quondam Petri olim regis Aragonum, contra Sanctam Romanam Ecclesiam per notorios excessus et varios enormiter admodum frequenter excesserit, per quod gravioris pene reus fore dinoscitur, quia tamen de inchoate pacis cum ipso in Sicilie insula reformatione nunc agitur, cujus dulcedinem vehementer appetimus tanquam verum bonum diligentium nomen Dei, cum ipso clementer agimus nec rigorose officii nostri debitum exercemus, ideoque inchoantes a tramite benignitatis et gratie ut ipsum ad meliora paternis beneficiis attrahamus, quod omnes excommunicationis sententias contra eum latas per Romanam Ecclesiam vel legatum ejus aut quemlibet alium, recepto ab eo in forma debita sacramento de parendo mandatis Ecclesie, vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, relaxare valeatis, injuncta sibi penitentia quam congruere videritis, plenam vobis, auctoritate presentium, concedimus potestatem. Adicimus autem et expresse subnectimus quod, si Fredericus prefatus circa reformationem jamdicte pacis nostris requisitionibus et exhortationibus, quas sibi rationabiliter facimus, se finaliter non inclinet, in prefatas excommunicationis sententias, ipso jure, sine aliquo facto hominis relabatur. Dat. ut supra.

1. Ab hoc capitulo usque ad ultimum numeri desunt in registro.

5073 Même date.

Super eodem. (fol. 289.)

Eisdem. Apparet majorem esse —.

Cum de inchoatæ pacis in Siciliæ insula reformatione nunc agitur et per ejus effectum nobilis vir Fredericus creditur reduci ad Ecclesiæ unitatem, suprascriptis conceditur potestas relaxandi omnes sententias excommunicationis, interdicti vel alias, quæ occasione guerræ seu rebellionis Siciliæ latæ fuerunt contra incolas Siciliæ, Aragoniæ vel partium Cathaloniæ, qui se publice cum dicto quondam Petro vel cum quondam Alfonso, primogenito suo, aut cum Jacobo, Aragoniæ rege illustri, tunc ejusdem Siciliæ illicito detentore, vel Frederico præfato tenuerunt aut adhæserunt eis.

Dat ut supra.

5074 Même date.

Dispensatio matrimonii pro Frederico, nato quondam Petri olim regis Aragoniæ, et Alyonora, nata Caroli regis Siciliæ. (fol. 289).

Nobili viro Frederico, nato quondam Petri olim regis Aragonie, spiritum non vertiginis sed salutis. Etsi inter illos —. Cum — tractatus sit habitus quod tu dilecte in Christo filie nobili juveni Alyonore, nate carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris, cui ex pluribus diversisque lateribus, quarto vel ad plus tertio et quarto consanguinitatis vel affinitatis jungeris gradibus, matrimonialiter copuleris, supplicatum fuit nobis humiliter, quod tu et Alionora prefata, impedimentis consanguinitatis seu affinitatis hujusmodi non obstantibus, matrimonium inter vos possitis contrahere —. Nos — credentes ex hujusmodi copula pacem mundo et Romane Ecclesie provenire, quod tu et Alionora predicta — matrimonium invicem libere valeatis contrahere — auctoritate Apostolica dispensamus —. Dat. ut supra.

5075 Même date.

Ut Alionora, filia Caroli regis Siciliæ, cum Frederico, nato quondam Petri olim regis Aragoniæ, matrimonium contrahere valeat. (fol. 289.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Etsi inter illos —. Dat. ut supra.

5076 Même date.

Super eodem. (fol. 289 v° [1].)

Eidem. Cum tractatus sit habitus de matrimonio contrahendo inter dilectam in Christo filiam nobilem juvenem Alionoram, filiam tuam, et nobilem virum Fredericum, natum quondam Petri olim regis Aragonie, hostem Sancte Romane Ecclesie tuumque pariter, quid tibi super consumatione tractatus ejusdem agendum remaneat per tuos nuntios nostrum consilium et beneplacitum petiisti. Nos igitur considerantes attentius statum tuum et conditiones alias circumstantes, quodque ex dicto matrimoniali complexu provenire poterit, auctore Domino, pax et quies, permittimus tibique consulimus, quod ad perfectionem matrimonii supradictam, quantum ad te pertinet, procedere non omittas. Nos quidem super ipso matrimonio contrahendo, non obstantibus impedimentis consanguinitatis seu affinitatis, que inter contrahentes prefatos existunt, certo modo, ut declarant patentes nostre littere, de benignitate Apostolica dispensamus. Dat. ut supra.

5077 Latran, 3 janvier 1302.

Committitur Petro, episcopo Sabinensi, rectoria comitatus Sabinensis tam in spiritualibus quam temporalibus. (fol. 291 [2].)

Venerabili fratri Petro, episcopo Sabinensi, comitatus Sabine rectori. Licet de singulis —. Dat. Laterani, III non. januarii, anno VIII°.

In e. m. *dilectis filiis abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis, archidiaconis, plebanis et capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Domus Militie Templi, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani magistris et preceptoribus, universis quoque baronibus, nobilibus et potestatibus, capitaneis aliisque rectoribus, comunitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus castrorum et aliorum locorum per comitatum Sabine constitutis.*

5078 Même date.

Committitur Petro, episcopo Sabinensi, rectoria civitatis Interampnensis ac castrorum Utricoli et Strunconis. (fol. 291.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Sabinensi, civitatis Interampnensis, castrorum Utriculi et Strunconis ac districtuum et pertinentiarum eorumdem rectori. Grandia tue merita — ut in eadem usque in finem.

In e. m. *dilectis filiis abbatibus, prioribus etc.*

5079 Latran, 10 janvier 1303.

De decima pro negotio regni Siciliæ per Cretensem insulam, in prioribus litteris omissam, percipienda. (fol. 291.)

Bonifatius etc.. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniaencis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, et aliorum ordinum, necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Domorum Militie Templi, Beate Marie Theotonicorum et Calatravensis prioribus, preceptoribus seu magistris ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per totam insulam Cretensem constitutis. Olim super negotio decime per nos imposite per triennium, a festo Sancti Johannis Baptiste tunc proxime preterito inchoandum, pro prosecutione guerre ac negotii regni Sicilie contra hostes, venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum, necnon Hospitalis Sancti Joannis Jerosolimitani, Domorum Militie Templi, Beate Marie Theotonicorum et Calatravensis prioribus, preceptoribus seu magistris ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per totam Italiam et insulas Sicilie, Sardinie et Corsice ac per principatum Achaye, ducatum Athenarum et insulas adjacentes seu vicinas constitutis, nostras certi tenori litteras duximus dirigendas, ac postmodum in dictis principatus Achaye, ducatus Athenarum provinciis ac etiam insula Cretensi et aliis insulis adjacentibus seu vicinis eisdem et civitatibus, castris, terris et locis sitis in eis, archiepiscopum Patracensem per alias nostras, quas ei direximus, litteras, prout vos latere non credimus, ejusdem decime deputavimus collectorem, et licet per occupationem vel errorem contigerit, quod in dictis nostris prioribus litteris de prefata insula Cretensi expressa mentio facta non fuit, nostre tamen intentionis extitit et existit, quod in eadem insula Cretensi, sicut et

1. In ultima parte folii, in qua notantur linee viginti octo, nihil scriptum est.
2. Folium CCLXXXX^um, in quo verisimiliter nihil scriptum fuerat, abscissum est. In sequenti folio legitur : CCLXXXXI^um.

in aliis locis, que in dictis prioribus litteris exprimuntur, colligatur et exigatur decima supradicta, quod etiam patere potest ex eo quod in predictis litteris, eidem collectori directis, habetur de prefata Cretensi insula mentio specialis. Nolentes igitur quod hujusmodi occasione quomodolibet impediatur negotium decime, quod cordi gerimus, supradictum, universitatem vestram attente monemus, affectuose rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo per Apostolica vobis nichilominus scripta mandantes ac in remissionem peccaminum injungentes, quatinus eidem collectori ac subcollectoribus, ad hoc deputatis vel deputandis ab ipso, de hujusmodi decima juxta predictarum priorum continentiam litterarum, non obstante quod, ut premittitur, de predicta Cretensi insula non est habita mentio in eisdem, respondere curetis, ac si de predicta Cretensi insula specialis in illis mentio habita extitisset. Nos enim, juxta predictarum priorum litterarum tenorem, processus, sententias sive penas spirituales, quas idem collector per se vel alium seu alios rite fecerit, tulerit vel statuerit in rebelles, ratos habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Laterani, III id. januarii, anno octavo.

5080 Latran, 29 octobre 1302.

Licentia condendi testamentum. (fol. 291 v°.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Theatino. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, IIII kal. novembris, anno octavo.

5081 Latran, 7 décembre 1302.

Conceditur infrascripto, a Petro, Sanctæ Mariæ Novæ diacono cardinali, examinato, tabellionatus officium. (fol. 291 v°.)

Riccardo dicto Ponerel, clerico Exoniensis diocesis. Ne contractuum —. Dat. Laterani, VII id. decembris, anno octavo.

5082 Latran, 5 décembre 1302.

Constituitur infrascriptus procurator ecclesie Regine in spiritualibus et temporalibus. (fol. 292.)

Thome, nato dilecti filii nobilis viri Petri, comitis de Cathanzaro, canonico Carnotensi, procuratori ecclesie Regine. Regine ecclesie longa suspiria, ipsius diutini labores et gemitus sueque deformationis lamenta gravissima nostris inculcata auribus — nos excitant — ut misereamur ejus et pro filia consilium capiamus : quod procul dubio bene fiet, si — Deo propitio queramus talem, qui illius spiritualia fere deperdita reparet et temporalia recuperet occupata. Ad id autem exequendum et zelus domus Dei requiritur et mundana potentia nichilominus flagitatur. Per primum itaque in spiritualibus domus eadem augetur et per secundum temporalibus, sine quibus spiritualia proficere nequeunt, non privatur. In te igitur, potentem in Reginis partibus, de cujus ad Ecclesiam zelo, circumspectione, vita, scientia et moribus laudandum testimonium perhibetur, ad hec exequenda direximus mentem nostram. Verum quia personam tuam, salva canonum auctoritate, cum trigesimum etatis tue annum, cui vicinus diceris, nondum exegeris, preficere in pastorem ad presens non possimus, vacanti ecclesie memorate, te ipsi — in procuratorem concedimus, plenam, generalem et liberam administrationem ipsius tibi tam in temporalibus quam in spiritualibus committentes —. Dat. Laterani, non. decembris, anno octavo.

In e. m. *capitulo ecclesie Regine — clero — populo — universis vassallis — regi Sicilie illustri.*

5083 Latran, 2 janvier 1302.

Constituitur infrascriptus rector in temporalibus ducatus Spoletani. (fol. 292.)

Nobili viro Riccardo quondam Mathie de Anibaldis de Urbe, militi, in temporalibus ducatus Spoletani rectori. Etsi exigente pastoralis —. Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus — rectoribus, comunitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum per ducatum Spoletanum constitutis.*

5084 Même date.

Constituitur infrascriptus rector in spiritualibus ducatus Spoletani. (fol. 292 v°.)

Johanni Guallati, canonico ecclesie Sancti Theodori de Urbe, in spiritualibus ducatus Spoletani rectori. Cum in ducatu Spoletano —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus — universis quoque nobilibus — per ducatum Spoletanum constitutis.*

5085 Même date.

Constituitur infrascriptus Marchiæ Anconitanæ rector. (fol. 292 v°.)

Antonio, episcopo Fesulano, Marchie Anconitane rectori. Supra gregem dominicum —. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus et potestatibus — per Anconitanam Marchiam constitutis.*

5086 Même date.

Idem constituitur rector in spiritualibus Marchiæ Anconitanæ. (fol. 292 v°.)

Antonio, episcopo Fesulano, in spiritualibus Marchie Anconitane rectori. Cum te —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus,* et cetera ut in alia de ducatu usque : *aliorum locorum per Anconitanam Marchiam constitutis.*

5087 Latran, 30 novembre 1302.

Privatur suis beneficiis ecclesiasticis Johannes de Camera, capellanus Caroli, comitis Audegavensis, ob interdicti sententiam in Siculos rebelles prolatam temere relaxatam. (fol. 292 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ne glorientur reprobi —. Pridem siquidem Johannes de Camera, canonicus ecclesie de Castra, Bituricensis diocesis, capellanus dilecti filii nobilis viri Caroli, nati clare memorie Phylippi regis Francie, comitis Andegavensis, dum in insula Sicilie cum eodem nobili moraretur, interdicti sententiam, latam per nos et nonnullos Romanos Pontifices predecessores nostros in Siculos, Ecclesie Romane rebelles et publicos inimicos, non auctoritate aliqua sibi concessa sed temeritate propria, relaxavit, cum nullum a nobis haberet in hac parte mandatum, per quod posset quoquo modo procedere ad relaxationem hujusmodi interdicti. Ne igitur ipsius Johannis tam presumptuosa temeritas remaneat impunita, ipsum, auctoritate presentium, omnibus beneficiis ecclesiasticis que obtinet privamus omnino, eumque ad illa et alia quelibet obtinenda perpetuis futuris temporibus inhabilem reddimus et indignum, dictaque beneficia, que, sicut premittitur, obtinebat, collationi Sedis Apostolice, reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus de beneficiis ipsis fuerit attemptatum : nulli ergo, et cetera, nostre privationis, reservationis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, II kal. decembris, anno octavo.

5088 Latran, 9 décembre 1302.

Reservatio beneficiorum ab Uberto, electo Bononiensi, resignatorum. (fol. 293.)

Ad futuram rei memoriam. Cum dilectus filius Ubertus, electus Bononiensis, Laudunensis, Cathalaunensis et Placentine ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos in ipsis ecclesiis obtinebat, nuper, infra tempus de consecrandis episcopis a canone diffinitum, libere in nostris manibus resignarit, nosque resignationem hujusmodi duxerimus admittendam, nos, intendentes de canonicatibus et prebendis predictis personis ydoneis, de quibus expedire viderimus, providere, canonicatus et prebendas eosdem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, collationi nostre ac Sedis Apostolice, auctoritate Apostolica, reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si de ipsis secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Laterani, v id. decembris, anno octavo.

5089-5090 Latran, 22 décembre et 17 décembre 1302.

Committitur Petro, episcopo Sabinensi, ecclesia Sanctorum Johannis et Pauli, et Riccardo, Sancti Eustachii diacono cardinali, ecclesia Sanctæ Mariæ Novæ. (fol. 293.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Sabinensi. Ecclesiam Sanctorum Johannis et Pauli de Urbe paterna benivolentia prosequentes, opem et operam libenter impendimus, ut ipsa, per nostre sollicitudinis studium administratoris solliciti commissa regimini, status pacifici comodis affluat et votivis proficiat incrementis. Eapropter curam et administrationem ejusdem ecclesie, per cardinalem solite gubernari, cardinali carentis ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis ubilibet constitutis, tam in capite quam in membris, in spiritualibus et temporalibus, Apostolica tibi auctoritate, usque ad beneplacitum Apostolice Sedis, committimus, a te gerendam et exercendam, sicut eam gerere et exercere consueverunt alii Romane Ecclesie cardinales, qui eidem ecclesie pro tempore prefuerunt. Dat. Laterani, XI kal. januarii, anno octavo.

In e. m. committitur Riccardo, Sancti Eustachii diacono cardinali, ecclesia Sancte Marie Nove de Urbe sub data: Dat. Laterani, XVI kal. januarii, anno octavo.

5091 Latran, 21 janvier 1302.

Commendatur infrascripto monasterium Sancti Johannis Parmense, ordinis sancti Benedicti. (fol. 293.)

Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, Sancte Romane Ecclesie vicecancellario. Digne agere credimus —. Cum itaque, sicut accepimus, Anselmus, abbas monasterii Sancti Johannis Parmensis, ordinis sancti Benedicti, propter capitales inimicitias, quas habet in civitate Parmensi, non possit absque periculo personaliter in dicto monasterio residere, propter quod eidem monasterio non modicum imminet detrimentum, tuaque ecclesia debitorum onere sit oppressa, nos eidem monasterio, ut gubernatoris ac defensoris munimine fulciatur, tibique, ut commodius possis hujusmodi debita solvere ac alia incumbentia tibi onera supportare, de oportuno providere remedio cupientes, monasterium ipsum fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, usque ad predicte Sedis beneplacitum, auctoritate Apostolica, commendamus —. Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno octavo.

5092 Même date.

Indultum super sententiis excommunicationis et interdicti. (fol. 293.)

Eidem. Personam tuam —.

Ut nullatenus astringatur excommunicationis et interdicti sententiis, quas executores, a Sede Apostolica concessi, de voluntate ejus, occasione summarum mutui statutis terminis non solutarum, protulerunt vel proferent.

Dat. ut supra.

5093 Latran, 17 décembre 1302.

Conceditur in feudum Jacobo Bussæ molendinum in territorio civitatis Beneventanæ situm. (fol. 293 v° [1].)

Nobili viro Jacobo dicto Busse, militi Anagnino, familiari nostro. Grata tua et tuorum promerentur obsequia, ut tibi Apostolica Sedis munificentiam in tuis invenias profectibus liberalem. Ut igitur tua et tuorum devotio eo amplius erga nos et Romanam excrescat Ecclesiam, quo majorem ab ipsis te noveris gratiam assecutum.

Molendinum situm in territorio civitatis Beneventanæ, « in loco qui dicitur Sancta Barbara, quod per quendam Fredericum, olim Romanorum imperatorem, dirutum extitit, et possessiones juxta ipsum molendinum positas, que dicuntur Plana, ad eandem Romanam Ecclesiam, pertinentia » in feudum suprascripto ac heredibus ejus in perpetuum per masculam et femineam lineam legitime descendentibus conceditur, ea lege ut annis singulis infra quindenam Resurrectionis Dominicæ quinque solidi Provisinorum cum ostensione litterarum cameræ Apostolicæ persolvantur.

Dat. Laterani, XVI kal. januarii, anno octavo.

In e. m. *dilecto filio Gentili de Pileo, militi, vicario dilecti filii nobilis veri Guidonis de Pileo rectoris Beneventani.*

1. In margine superiore hujus folii legitur : Folia CL. Quæ quidem nota indicat quanta folia a transcriptore scribenda essent, quum tempore Urbani V registra nostra transcripta fuerunt, sicut conjeceramus : *La série des registres pontificaux du XIII[e] siècle* in *Bib. de l'Ecole des Chartres*, t. XLVII (1886), p. 87 et demonstravit DENIFLE *Die paepstlichen Registerbaende des XIII. Jhs und das Inventar derselten vom I. 1339.* in *Archiv f. Litteratur in Kirchengeschichte*, t. II (1886), pp. 1-109. Si enim de foliis CCLXXXXIII deduces folia CXLVI[um] et CCLXXXX[um] quæ ambo, utpote alba, abcissa fuerunt, invenies folium CXLI[um] in quo incipiunt index et epistolæ hujus octavi anni.

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM NONI ANNI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

5094 (I) Latran, 30 janvier 1303.

« Quod possit promoveri ad presbyterum et recipere munus consecrationis. » (fol. 299.)

Bonifatius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Reginaldo, electo Metensi. Pridem Metensi ecclesia —.

Suprascripto, qui, tempore promotionis suæ in subdiaconatus ordine constitutus, diaconatus ordinem a Theoderico, episcopo Civitatis Papalis, recepit, conceditur ut, a quocumque maluerit catholico episcopo, possit se facere, statutis temporibus, in presbyterum promoveri et munus consecrationis recipere.

Dat. Laterani, III kal. februarii, pontificatus nostri anno nono.

5095 (II) Latran, 30 janvier 1303.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quatuor millium florenorum auri. (fol. 299.)

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Lemovicensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, III kal. februarii, anno nono.

5096 (III) Latran, 8 février 1303.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Raymundo, episcopo Lectorensi. » (fol. 299.)

Venerabili fratri . . episcopo Nemausensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentine ac Jacobo Cardarello de Narnia, archidiacono de Benavento in ecclesia Ovetensi, capellano nostro. Exponente pridem nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum trium millium florenorum auri, quos Raymundus, episcopus Lectorensis, recepit a Johanne Maffei, de societate Spinorum, mutuante pro se ipso ac pro Rogerio Vanne et Mino Manetti Spine, Phylippo et Spina filiis quondam Hugonis Spine, Doffo Lapi Spine, Symone Gerardi, Ranutio et Gerardo Hugonis, Andrea Bonaventure, Gerardo Hugolini, Cino Buosi, Montechio Corbizi, Tuttio Cotihii et Bonsegnore Jacobi ac ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, VI id. februarii, anno nono.

5097 (IIII) Latran, 25 janvier 1303.

« Citatio ad instantiam Thome Picaloti. » (fol. 300.)

Dilectis filiis . . Westimonasterii, et . . Sancte Crucis de Waltham, Londoniensis diocesis, monasteriorum abbatibus. Licet grave feramus —. Sane volentes olim dilecto filio Thome Picalotto de Paliano, clerico et familiari nostro, canonico Eboracensi, gratiam facere specialem, ei de canonicatu ecclesie Eboracensis, cum plenitudine juris canonici, et prebenda, quos bone memorie Herricus, archiepiscopus Eboracensis, promotionis sue tempore, in eadem ecclesia, cujus fuerat canonicus, obtinuerat duximus — providendum — verum, licet executores — in executione processerint et nonnulla obstacula, que contra provisionem interponebantur eandem, pro eo quod Amedeus de Sancto Johanne, canonicus Eboracensis, jus in prebenda ipsa se pretendebat habere, fuerint auctoritate nostra sublata, tandem tamen nobili viro Guillelmo de Ros, falso pretendente se fore ipsius prebende

patronum et ad prebendam ipsam de facto, ut dicitur, quendam alium presentante, prefatus Thomas, seu procurator ejus pro eo, nequierit ipsius prebenda possessionem pacificam adipisci, propter quod nos demum mandavimus certo modo, quem etiam servari volumus, in hac parte procedi. Nuper autem nobis ex fide dignorum relatione suggesto, quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus Eboracensis ex sue calliditatis astutia — in elusionem predicte nostre provisionis omnia hujusmodi presumi procurat obstacula —.

Adhibens fidem relatibus, maxime cum in cathedralibus et collegiatis ecclesiis laicis jus non competat in talibus et taliter patronatus, mandat dominus papa : moneant dictum archiepiscopum, « qui, ex sui officii debito, etiam nullo prosequente, teneretur hanc juris injuriam et libertatis ecclesiastice subversionem per se prosequi », ut, infra unius mensis spatium, procuratorem præfati Thomæ in possessionem dictæ præbendæ induceat, alioquin eum citet infra tres menses personaliter comparriturum coram Apostolica Sede.

Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno nono.

5098 (v) Latran, 31 janvier 1303.

« Quod procedat contra .. potestatem et .. capitaneum civitatis Camerinensis super captione R[ambotonis], episcopi Camerinensis. » (fol. 300 v°.)

Venerabili fratri Antonio, episcopo Fesulano, Marchie Anconitane rectori. Pridem ad nostram deducto notitiam quod .. potestas et .. capitaneus civitatis Camerinensis, venerabilem fratrem nostrum R. [ambotonem], Camerinensem episcopum, et nonnullos etiam clericos civitatis ejusdem ausu sacrilego ceperant et detinebant carcerali custodie mancipatos, tibi, ut nosti, per litteras nostras injunximus, ut, ad civitatem predictam te personaliter conferens, episcopum et clericos memoratos quantocius restitui faceres pristine libertati, eos ad nostram presentiam sub fida custodia transmissurus, ac potestatem et capitaneum supradictos, et alios de civitate prefata, qui noscerentur in captione ac detentione episcopi et clericorum ipsorum culpabiles extitisse, excommunicatos publice nuntiares, et faceres per alios nuntiari, et nichilominus potestatem et capitaneum et alios culpabiles memoratos ex parte nostra citares, ut, infra certum terminum competentem, a te prefigendum eisdem, comparerent personaliter coram nobis, nostris et Apostolice Sedis beneplacitis et mandatis super hiis humiliter et efficaciter parituri. Tu vero, sicut ex tuis patentibus accepimus litteris, hujusmodi mandatum nostrum prosequens diligenter, et prefatum episcopum et Bernardum, priorem Sancti Justi, et Franciscum Zaffiri, canonicum Majoris ecclesiarum, Pandolfutium Raynerii, clericum Camerinensem, qui dicebantur cum eodem episcopo capti et detenti fuisse, libertati redditos ad presentiam nostram transmittentes, Thomassinum de Anciola, potestatem, Guidonem Noce, capitaneum, et Rodulfum de Civitate Castelli ac Jacobum de Parma, socios potestatis et capitanei predictorum, necnon Berardum Gentilis, militem, Zuzum, ejus filium, ac Funcium Francisci, Anselmum Jacobi, et Guillelmum Bolforanni, familiares Berardi et Zucii predictorum, de Camerino, quos scripsisti fuisse culpabiles in custodia seu detentione episcopi et captione ac detentione Bernardi, Francisci et Pandolfutii clericorum premissorum, juxta predictum mandatum nostrum citare curasti, ut, infra certum terminum, quem prefixisti eisdem, et in predictis tuis contentum litteris, personaliter nostro se conspectui presentarent. Infra hujusmodi autem per te statutum terminum, Bernardus, miles, Rodulfus, Anselmus, Fuccius et Guillelmus predicti, citationi hujusmodi per te facte parentes, comparuerunt personaliter coram nobis. Prefati vero Thomassinus, potestas, Guido, capitaneus, Jacobus de Parma, et Zucius, sic citati per te, nec infra prefatum terminum, neque postmodum etiam, quamvis diutius exspectati, comparere coram nobis personaliter curaverunt, sed pro poni fecerunt per alium coram nobis excusationes quasdam super absentia eorundem, quas sicut frivolas non duximus admittendas, quin immo, eos reputavimus, exigente justitia, contumaces. Nolentes igitur, sicut nec debemus, tam graves et enormes excessus conniventibus oculis preterire, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, auctoritate nostra, per te ac alios contra contumaces predictos, tam pro contemptu et contumacia, quam pro aliis commissis per eos excessibus in hac parte, spiritualiter et temporaliter, prout hujusmodi excessus et contumacia eorum exegerint, ac tibi videbitur expedire, procedas, et tam eos quam predictos Berardum et Zucium ac omnes alios, qui fuerunt culpabiles in custodia, captione ac detentione predictis, tanquam sacrilegos, excommunicatos publice nunties, et mandas per omnia loca, de quibus expedire videris, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, tamdiu publice nuntiari, donec nobis et Ecclesie Romane ac memoratis episcopo et clericis de hujusmodi injuria illata per eos, juxta nostrum arbitrium satisfecerint et meruerint a prefata Sede super hoc absolutionis beneficium obtinere. Et, quia in hujusmodi custodia seu detentione episcopi et captione ac de-

tentione clericorum prescriptorum, iidem episcopus et clerici nonnullis bonis et rebus mobilibus et immobilibus, tam ecclesiasticis, pertinentibus ad eos, quam etiam patrimonialibus suis, spoliati fuisse dicuntur, facias eis a spoliatoribus et detentoribus bonorum et rerum hujusmodi, res et bona eadem cum integritate restitui, vel de ipsis plenariam satisfactionem impendi. Contradictores —. Ceterum, quia nepotes episcopi memorati, et nonnulli alii, tam de prefata civitate Camerinensi, quam etiam aliunde de Anconitana Marchia, ad subversionem et scandalum civitatis ejusdem nequiter laborasse dicuntur, propter quod excessus hujusmodi, ut asseritur, contigerunt, volumus, ut super hoc efficaciter contra tales officii tui debitum exequaris sicut putaveris expedire. Non obstantibus —. Dat. Laterani, II kal. februarii, anno nono.

5099-5116 (VI) Latran, 25 janvier, 25 février, 3 mars, 5 février, 28 janvier, 3 mars, 18 mars, 18 avril, 18 mars, Anagni 3 août, 5 juin, 28 juillet, 9 août, 5 juin 1303.

Littere « Cupientes » pro diversis ecclesiis. (fol. 300 v°.)

Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Mansueti extra muros Tullenses, ac .. archidiacono Majoris, et .. decano Sancti Gengulphi Tullensium ecclesiarum. Cupientes olim discordiam que inter prelatos et rectores seu sacerdotes et clericos parrochialium ecclesiarum per diversas mundi provintias constitutos, ex parte una, et Predicatorum ac Minorum ordinum Fratres, ex altera, super predicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum confessionibus, penitentiis injungendis eisdem et tumulandis defunctorum corporibus qui eligebant apud Fratrum ipsorum loca vel ecclesias sepulturam, graviter invaluerat, prorsus evellere ac omnimodo submovere, nullis unquam futuris temporibus suscitandam, quandam super hiis constitutionem edidimus, in qua ubi, quando et quomodo liceat eisdem Fratribus predicare, hujusmodi confessiones audire, penitentias injungere, qualiter ipsi Fratres liberam habeant sepulturam, et de quarta obventionum, per eos eisdem parrochialibus sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis integraliter exhibenda, expresse ac plenarie continetur. Verum, sicut rectores seu curati, presbiteri et clerici parrochialium ecclesiarum Metensium civitatis et diocesis gravi nobis conquestione monstrarunt, Fratres ipsi earundem civitatis et diocesis, licet constitutionem eandem, in quantum pro eis est, velint districtius observari, in quantum tamen est pro rectoribus, curatis, presbiteris et clericis antedictis, multipliciter illam infringere moliuntur, quartam predictam eis exhibere pro sue voluntatis libito denegando, predicando in dictis parrochiatibus ecclesiis, invitis rectoribus, curatis, presbiteris et clericis supradictis, et in aliis multis articulis, quos longum esset enarrare per singula, contra constitutionem eandem, in ipsorum rectorum, curatorum, presbiterorum et clericorum grave prejudicium veniendo, diversis per eosdem Fratres, ut fraudem faciant constitutioni predicte, malitiis, cavillationibus et astutiis exquisitis. Nos itaque, ipsorum rectorum, curatorum, presbiterorum et clericorum earundem civitatis et diocesis supplicationibus inclinati, attendentes quod parum est jura concedere nisi qui ea tueatur existat, ac volentes constitutionem predictam irrefragabiliter observari, dictisque rectoribus, curatis, presbiteris et clericis earundem civitatis et diocesis de illo providere remedio, per quod ipsi nunc et in futurum contra Fratres eosdem circa ea que in dicta continetur constitutione, justitie plenitudinem assequantur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eisdem rectoribus, curatis, presbiteris et clericis dictarum civitatis et diocesis efficacis defensionis presidio assistentes, ac facientes constitutionem eandem, quo ad omnia ejus capitula, prout jacet, firmiter observari, non permittatis, contra tenorem ipsius, memoratos rectores, curatos, presbiteros et clericos civitatis et diocesis predictarum vel eorum aliquem ab eisdem Fratribus molestari, vel eis ab ipsis gravamina vel injurias irrogari, facturi predictis rectoribus, curatis, presbiteris et clericis civitatis et diocesis predictarum de illatis eis injuriis et gravaminibus ac subtractis ex quarta predicta contra tenorem dicte constitutionis, per eosdem Fratres debitam satisfactionem impendi, ac exhibituri eis, tam super hiis, quam super omnibus constitutionem eandem tangentibus, in illis que judicialem requirunt indaginem, per viam judicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, justitie complementum : ita quod officium, potestas et jurisdictio vestra, cepto contra aliquos uno negotio, quo ad omnes et omnia negotia, etiam non cepta, perpetuata inconcusse et integraliter habeantur. Molestatores, et injuriatores hujusmodi nec non contradictores quoslibet et rebelles, quantumcunque et quotienscunque expedierit, per censuram — compescendo : non obstantibus —. Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri .. Bathoniensi et Wellensi*

episcopo, ac dilectis filiis . . decano, et .. precentori ecclesie Wellensis, pro rectoribus seu curatis, presbiteris et clericis parrochialium ecclesiarum Exoniensium civitatis et diocesis sub : Dat. Laterani, v kal. martii, anno nono.

In e. m. *venerabili archiepiscopo Barensi et dilectis filiis . . thesaurario Sancti Nicolai, ac Leoni de Maloconsilio, canonico Majoris ecclesiarum Barensium*, pro rectoribus — ecclesiarum Tranensium civitatis et diocesis sub : Dat. Laterani, v non. martii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Brixiensi et dilectis filiis . . preposito, et . . archipresbitero ecclesie Brixiensis*, pro rectoribus — ecclesiarum Mediolanensium civitatis et diocesis. Dat. Laterani, v non. martii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Eduensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Martini Eduensis, ac . . priori de Sinemuro, Eduensis diocesis*, pro rectoribus — ecclesiarum Aniciensium civitatis et diocesis. Dat. Laterani, non februarii, anno nono.

In e. m. *dilectis . . Majoris, et . . Sancti Widonis, ac . . Sancte Trinitatis Spirensium ecclesiarum decanis*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Wormaciensium civitatis et diocesis. Dat. Laterani, v kal. februarii, anno nonno.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . cantori, et . . thesaurario Lucensibus*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Compostellanarum civitatis et diocesis. Dat. Laterani, v non. martii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . de Fabrios, et . . de Biblona, ac . . de Aquis, Vulterane diocesis, plebium plebanis*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Pisanarum civitatis et diocesis. Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . Majoris, et . . de Ponteuria archidiaconis, ac . . scolastico ecclesiarum Briocensium*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Corisopitensium civitatis et diocesis. Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Florentino et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Marie, ac Rogerio Mathei, canonico Florentinis*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Senensium civitatis et diocesis. Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Georgii Majoris, et . . priori Sancti Salvatoris, ac . . primicerio ecclesiarum Sancti Marci de Venetiis, Castellane diocesis*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Tervisinarum civitatis et diocesis. Dat. Laterani, xiiii kal. maii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . preposito, ac . . cantori Merseburgensibus*, pro rectoribus — parriochialium ecclesiarum Magdeburgensium civitatis et diocesis. Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Vincentii, et . . Sancti Symphoriani Metensium monasteriorum abbatibus, ac . . archidiacono de Marsallo in ecclesia Metensi*, pro rectoribus — ecclesiarum parrochialium Virdunensium civitatis et diocesis. Dat. Anagnie, iii non. augusti, anno nono.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . sacriste, ac . . precentori Barchinonensibus*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Majoricensium civitatis et diocesis. Dat. Agnanie, non. junii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . decano Aniciensibus*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Vivariensium civitatis et diocesis. Dat. Anagnie, v kal. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . Nanthensis, et . . Vabrensis monasteriorum abbatibus, Ruthenensis diocesis, ac . . archidiacono Ruthenensis* [1].

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Nicolai et . . priori, ac., archidiacono ecclesie Auximane*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum Anconitanarum civitatis et diocesis. Dat. Anagnie, v id. augusti, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Pennensi, et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Clementis de Piscaria, Pennensis diocesis, ac Bruno Raynaldi, canonico Pennensi*, pro rectoribus — parrochialium ecclesiarum terre monasterii Sancti Johannis in Venere. Dat. Anagnie, non. junii, anno nono.

1. Cetera erasa fuerunt.

5117 (VII) Latran, 15 février 1303.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Raynaldo, episcopo Lemovicensi. » (fol. 301 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Nemausensi et dilectis filiis . . archidiacono Tiburtine, ac . . cantori Morinensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur, executorio nomine, mutuum quatuor millium florenorum auri, quos Raynaldus, episcopus Lemovicensis, recepit a Baldo Raynerii Floravantis, de societate Clarentum de Pistorio, mutuante pro se et pro Clarentino Anselmi, Mergoliese Bracii, Putio Floravantis, Marsopino Clarenti, Jacobo Bacii Clarenti, Bonino Gerardini, Bartholomeo Johannis, Anselino Bartholomei, Raynerio, Phylippo et Johanne Floravantis, Symone et Lotto Anselmi, Johanne Pucii et Nello Andree ac ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, xv kal. martii, anno nono.

5118 (VIII) Latran, 11 février 1303.

« Super inquisitione Lentii, episcopi Botontini. » (fol. 301 v°.)

Dilecto filio magistro Onufrio de Trebis, decano ecclesie Meldensis, capellano nostro. Moleste ferimus quorumlibet —.

Suprascripto mandatur, ut de quibusdam sceleribus Lentio, episcopo Botuntino, objectis diligentius inquirat eumque ad sistendum coram Sede Apostolica citet.

Dat. Laterani, III id. februarii, anno nono.

Potthast, 25216.

5119 (VIIII) Latran, 8 février 1303.

« Quod possit facere visitari archidiaconatum suum usque ad quinquennium. » (fol. 302.)

Hectori, nato dilecti filii Berardi quondam Hectoris de Supino, militis, ostiarii et familiaris nostri, archidiacono Castri Lidii in ecclesia Cenomanensi. Devotionis tue meritis —.

Suprascripto conceditur, consideratione patris ejus, ut archidiaconatum suum usque ad quinquennium per personnas idoneas visitare valeat.

Dat. Laterani, VI id. februarii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Cenomanensis, et Thomasio Pigaloti, archidiacono Atrebatensis, ac Jordano de Pileo, canonico Cameracensis ecclesiarum.*

5120 (X) Latran, 10 février 1303.

« Quod possit usque ad triennium facere visitari civitatem, diocesim et provinciam Burdegalenses. » (fol. 302.)

Venerabili fratri Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Personam tuam nobis —.

Suprascripto, qui nuper gratiam recepit de non visitando personaliter ad triennium et qui, ante concessionem prædictam, jam concessa sibi ad triennium simili gratia, promiserat nonnullis personis ecclesiasticis dictæ provinciæ, quod infra triennium a tempore promissionum hujusmodi similem a Sede Apostolica gratiam non impetraret nec impetrata etiam uteretur, indulgetur ut concessione sibi facta utatur non obstantibus talibus promissionibus.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno nono.

5121 (XI) Latran, 9 février 1303.

« Dispensatio matrimonii in civitate Senensi. » (fol. 302 v°.)

Dilecto filio Bonsignore, nato quondam Orlandi, et dilecte in Christo filie Binde, filie Ciampoli militum Senensium. Vestra nobis petitio —.

Indulgetur, pro concordia inter consanguineos stabilianda, ut matrimonium invicem contrahere valeant non obstante tertio affinitatis gradu.

Dat. Laterani, V id. februarii, anno nono.

5122 (XII) Latran, 24 janvier 1303.

« Citatur Johannes, episcopus Capudaquensis. » (fol. 302 v°.)

Dilectis filiis . . Ravellensi, et . . Acernensi episcopis et dilecto filio . . archidiacono Regino. Gravem dilecti filii Oddonis Provincialis, canonici Capudaquensis, querelam recepimus, quod, cum dudum bone memorie G[erardus], episcopus Sabinensis, in regno Sicilie legationis officio fungeretur, venerabilis frater noster . . episcopus Ravellensis, quem dictus legatus — procurationum sibi debitarum a personis ecclesiasticis dicti regni in

quibusdam ipsius regni partibus generalem deputaverat collectorem, canonico memorato, prout id poterat ex forma litterarum predictarum, commisit, ut in certis locis dictarum partium procurationes colligeret et exigeret supradictas, et, quia idem canonicus — Johannem, episcopum Capudaquensem, qui in exhibendis hujusmodi procurationibus per eum dicto legato debitis se reddebat difficilem, ad eas solvendas juxta sui officii debitum compellebat, dictus episcopus Capudaquensis, contra dictum canonicum sine alia causa rationabili graviter provocatus, ipsum postmodum, eodem episcopo Sabinensi viam universe carnis ingresso, non absque dicte Sedis injuria, capi fecit ac eum stricte ligatum in castro Agropoli, ecclesie Capudaquensi subjecto, duro et atro carceri, ad penam, non tantum ad custodiam, mancipari, ubi per quadraginta dies et amplius eum detinuit, faciendo eum pane et aqua modicis solummodo sustentari, nec iis contentus — eundem canonicum, sic ligatum et captum, omnibus beneficiis ecclesiasticis, que in diocesi Capudaquensi habebat, ac rebus suis mobilibus, post appellationem ex parte ipsius canonici per dictum episcopum Ravellensem ad eandem Sedem super hoc legitime interjectam, pro sue voluntatis libito, spoliavit, et, nisi fuissent preces carissimi in Christo filii nostri C[aroli], regis Sicilie illlustris, ac pecunia, quam idem canonicus predicto Capudaquensi coactus exolvit, fuisset idem canonicus, sic maceratus in eodem carcere, miserabiliter interemptus.

Mandatur suprascriptis ut dictum episcopum peremptorie citent infra unius mensis spatium personaliter comparituram.

Dat. Laterani, VIIII kal. februarii, anno nono.

5123 (XIII) [Latran], 27 janvier 1303.

« Quod possit providere hac vice in singulis ecclesiis collegiatis et conventibus Metensium civitatis et diocesis de singulis personis ydoneis, cathedrali ecclesia Metensi dumtaxat excepta. » (fol. 302 v°.)

Dilecto filio Reginaldo, electo Metensi. Personam tuam —. [Dat. Laterani], VI kal. februarii, anno nono.

5124 (XIIII) Même date.

« Quod possit absolvere non nullos clericos et laicos suarum civitatis et diocesis super injectione manuum. » (fol. 303.)

Eidem. Tua nobis discretio —. Dat. ut supra.

5125 (XV) Même date.

« Quod possit concedere duabus personis officium tabellionatus. » (fol. 303.)

Eidem. Ex parte tua —. Dat. ut supra.

5126 (XVI) Latran, 20 février 1303.

« Conceditur pallcum Stephano, archiepiscopo Colocensi. » (fol. 303.)

Venerabili fratri Stephano, archiepiscopo Colocensi. Cum palleum —.

Testatur dominus papa pallæum suprascripto assignatum fuisse per Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, Neapoleonem Sancti Adriani, Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Landulfum, Sancti Angeli, Franciscum, Sanctæ Luciæ in Silice, Jacobum, Sancti Georgii ad Velum Aureum, Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, et Lucam, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconos cardinales.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, X kal. martii, anno nono.

5127 (XVII) Latran, 20 février 1303.

« Confirmatur electio Arnaldi, abbatis monasterii Sancti Petri de Rodis, Gerundensis diocesis. » (fol. 303.)

Arnaldo, abbati monasterii Sancti Petri de Rodis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Gerundensis diocesis. Dudum monasterio —.

Suprascriptum, cujus electio, nuper per viam compromissi post obitum Raymundi facta, in aliis super hoc confectis litteris confirmata fuit, testatur dominus papa munus benedictionis a Leonardo, episcopo Albanensi, recepisse.

Dat. Laterani, X kal. martii, anno nono.

5128 (XVIII) Latran, 4 février 1303.

« Guillelmo, abbati monasterii Sancte Marie de Ylice, Consane diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasteri. » (fol. 303 v°.)

Guillelmo, abbati monasterii Sancte Marie de Ylice, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Consane diocesis. Licet continuata superve-

nientium —. Sane monasterio Sancte Marie de Ylice — per obitum quondam Bartholomei — pastoris regimine destituto, dilecti filii conventus — certa die ad eligendum prefixa — in dilectum filium fratrem Alexandrum, monachum monasterii supradicti, unanimiter et concorditer compromittere curaverunt — et tandem dictus frater Alexander — te, tunc ejusdem monasterii monachum, in abbatem dicti monasterii duxit canonice eligendum —.

Confirmatur dicta electio post examinationem a Theodorico, Civitatis Papalis episcopo, Roberto, tituli Sanctæ Pudentianæ presbytero, ac Guillelmo, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinalibus, factam, munere consecrationis ei per L[eonardum], episcopum Albanensem, impenso.

Dat. Laterani, II non. februarii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancte Marie de Ylice — universis vassallis*

5129 (XVIII) Latran, 4 février 1303.

« Francisco, abbati monasterii Sancti Gabrielis de Ayrola —. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 304.)

Francisco, abbati monasterii Sancti Gabrielis de Ayrola Vallisgaudine, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Sancte Agathe diocesis. Inter cetera sollicitudinum —.

Electionem suprascripti, qui, monachus dicti monasterii, post obitum quondam Paschasii, a Jacobo priore, compromissario electo, electus fuit in abbatem, confirmat dominus papa, post examinationem a Theodorico, Civitatis Papalis episcopo, factam.

Dat. Laterani, II non. februarii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis J[acobo], priori, et conventui monasterii Sancti Gabrielis — universis vassallis.*

5130 (XX) Latran, 6 février 1303.

« Super citatione Francisci de Sancta Julia, monachi monasterii Sancte Marie de Pinariolo, Taurinensis diocesis. » (fol. 304.)

Venerabili fratri . . episcopo Taurinensi. In causa appellationis seu appellationum et negotii principalis, que inter Franciscum de Sancta Julia, monachum monasterii Sancte Marie de Pinarolio, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Taurinensis diocesis, qui se in abbatem dicti monasterii proponit electum et hujusmodi electionem suam confirmatam fuisse, et Stephanum de Mollo, dicti monasterii monachum, qui electionem et confirmationem hujusmodi certis ex causis impugnat, vertitur vel verti speratur, dilectum filium nostrum Lucam, Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, deputavimus auditorem.

Cum autem contra electionem et confirmationem predictas ac personam dicti Francisci plura objiciantur, super quorum veritate plenius indaganda ipsius Francisci præsentia personalis esse dicitur opportuna, mandatur suprascripto, ut eumdem citet, personaliter infra unius mensis spatium compariturum.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno nono.

5131 (XXI) Latran, 3 mars 1303.

« Super provisione facienda de abbate in monasterio Sancti Johannis extra muros Anconitanos. » (fol. 304 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Auximano et dilectis filiis . . priori Sancte Crucis de Fonte Avellana, Eugubine diocesis. Vacante dudum monasterio Sancti Johannis extra muros Anconitanos, ordinis sancti Benedicti, per obitum quondam Servi — N[icolaus], episcopus Anconitanus, cupiens provisionem dicti monasterii pro sua voluntate disponere, ad monasterium ipsum accessit, corpore dicti Servi nondum tradito ecclesiastice sepulture, de cujus mandato quinque ex monachis dicti monasterii, qui erant numero novem in universo, reliquis quatuor contradicentibus — in Rainaldum, vicarium dicti episcopi, compromittere curaverunt — idemque vicarius, hujusmodi compromisso recepto, — Thomam de Ancona, unum ex dictis quinque compromittentibus, in ipsius monasterii abbatem elegit; predicti vero reliqui quatuor, credentes potestatem eligendi ad eos devolutam fuisse, Leonardum, abbatem de Portunovo, Anconitane diocesis, in abbatem dicti monasterii Sancti Johannis concorditer elegerunt, ac dictus episcopus electionem dicti Thome, ut premittitur, ab eodem vicario [factam], nulla super persone meritis seu electionis forma examinatione premissa, pro sue voluntatis libito confirmavit, idemque Thomas, talis confirmationis pretextu, se administrationi bonorum dicti monasterii Sancti Johannis immiscere cepit, bona predicta dilapidans et consumens.

Reliquis vero quatuor monachis ad Sedem Apostolicam appellantibus, dictam confirmationem præfatus episcopus, « tanquam sibi male concius, timens ne hujusmodi causa per talem

appellationem ad Sedem deferretur eandem », irritavit, sed postea dicto Leonardo, petente per eundem episcopum confirmari, et orta materia quæstionis inter eum et præfatum Thomam, lite in ipsius episcopi præsentia contestata, idem episcopus, ulterius hujusmodi non examinato negotio eodemque Leonardo nullatenus evocato, prædictam electionem Thomæ, cujus confirmationem prius duxerat revocandam, iterum confirmavit.

Propter quod ex parte dicti Leonardi ad dictam Sedem extitit appellatum, ac idem Thomas, nichilominus bonorum dicti monasterii, hujusmodi secunde confirmationis pretextu, administrationi se ingerens, multa, ut dicitur, ex bonis dicti monasterii Sancti Johannis donavit, alienavit, distraxit et etiam obligavit. Nos autem, hujusmodi negotii serie coram nobis et fratribus nostris proposita diligenter, electiones nec non confirmationes easdem, de fratrum eorumdem consilio, cassavimus — provisionem dicti monasterii Sancti Johannis, ea vice, dispositioni nostre ac dicte Sedis specialiter reservantes. Verum, post reservationem hujusmodi, Beneventus, avunculus et procurator dicti Thome, de consensu et voluntate dicti episcopi, dictum monasterium una cum armatis pluribus, quos habet ibidem, per violentiam detinens, calices, libros et alia ecclesiastica paramenta, necnon frumentum, vinum, oleum, pecuniam et alia bona dicti monasterii Sancti Johannis ibidem inventa fecit exinde nequiter asportari. Prefatus quoque Thomas constituisse dicitur procuratorem de consensu ipsius episcopi ad alienandum et obligandum et etiam donandum de bonis dicti monasterii usque ad quantitatem mille florenorum auri, ut idem Thomas posset abbatiam dicti monasterii obtinere, de quibus quidem bonis aliqua ad prefatum episcopum ejusque familiares, et alia ad Thomam Johannis et Thomam Petri judices, Ceptolum Mataleonis et ejus filios ac dictum Bevenutum et Petrucium Branchanovelle pervenisse dicuntur.

Mandatur suprascriptis, ut, ea vice, dicto monasterio provideant de persona idonea, de gremio ejusdem assumenda vel etiam aliunde, et bona monasterii, post electiones de ipsis Thoma et Leonardo factas distracta, restitui faciant.

Dat. Laterani, v non. martii, anno nono.

5132 (XXII) Latran, 31 janvier 1303.

« Citatur [Nicolaus], episcopus Anconitanus. » (fol. 304 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Auximano. Vacante dudum monasterio —.

Ut episcopum Anconitanum, « qui sic improvide et inordinate quin potius animose se habuit » in negotio monasterii Sancti Johannis, peremptorie citare curet, infra unius mensis spatium compariturum.

Dat. Laterani, II kal. februarii, anno [nono].

5133 (XXIII) Latran, 20 février 1303.

« Ramberto, episcopo Castellano. Preficitur in episcopum Castellanum. » (fol. 305.)

Venerabili fratri Ramberto, episcopo Castellano. Apostolatus officium —.

Suprascriptus, ordinis Fratrum Predicatorum professor, in sacerdotii ordine constitutus, ecclesiæ Castellanæ, per translationem Bartholomæi ad Novariensem vacanti et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatæ, præficitur in episcopum.

Dat. Laterani, x kal. martii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — universis vassallis — nobili viro Petro Gradonico, duci Venetiarum.*

5134 (XXIII) Latran, 7 février 1303.

« Quod possit facere visitari archidiaconatum suum per alium » ad quinquennium. (fol. 305.)

Ricardo nato dilecti filii nobilis viri Anibaldi Riccardi de Anibaldis de Urbe, archidiacono Conventrensi. Tue ac tuorum —. Dat. Laterani, VII id. februarii, anno nono.

In e. m. *venerabi fratri . . episcopo, et dilectis filiis magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensibus, ac Nicolao Trajecto, canonico Ebroicensi, capellano nostro.*

5135 (XXV) Latran, 31 janvier 1303.

« Super dispensatione. » (fol. 305 v°.)

Magistro Galfrido Bacoun dicto de Norwyco, juris civilis professori, rectori ecclesie de Overebury, Wigorniensis diocesis. Sedes Apostolica —.

Dispensatum fuerat cum suprascripto, de soluto genito et soluta, tonsuram tantum clericalem habente, super defectu

natalium a bonæ memoriæ Guillelmo, episcopo Norwicensi auctoritate Apostolicarum litterarum, ea lege ut se faceret ad ordines promoveri, quos onus beneficii sui requireret, et personaliter resideret. Postea vero ecclesiam de Walfardelege, Norwicensis diocesis, curam animarum habentem et, eadem dimissa, ecclesiam de Overebury, Wigorniensis diocesis, similiter curatam, recepit, non implendo dispensationis conditiones, cumque præfatæ litteræ casualiter amissæ fuissent, « tacito de dispensatione priore et assecutione dictarum ecclesiarum, » obtinuit dispensari secum a bonæ memoriæ Beraldo, episcopo Albanensi, tunc in illis partibus legato et potestatem dispensandi super defectu natalium habente. « Demum autem archiepiscopus Cantuariensis, loci metropolitanus, cui, dum visitaret prefatam Wigorniensem diocesim, per processum super hiis ex officio habitum coram eo, constitit de premissis », injunxit eidem, ut ad Apostolicam Sedem accederet, statui suo in hac parte salubrius provisurus. Dispensatur cum eo super præmissis.

Dat. Laterani, II kal. februarii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Westimonasterii, et . . priori Sancti Olwaldi, Gloucestrensis, Londoniensis et Wigorniensis diocesium, ac . . archidiacono [de] Notinghanne in ecclesia Eboracensi.*

5136 (XXVI) Latran, 5 mars 1303.

« Alexandro, abbati monasterii Sancti Petri de Perusio. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 305 v°.)

Dilecto filio Alexandro, abbati monasterii Sancti Petri de Perusio, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Debitum nostri requirit —. Pridem siquidem monasterio Sancti Petri de Perusio — per obitum quondam Orlandini, abbatis ipsius, regimine destituto pastoris — Bonus, prior, et conventus — per viam scrutinii procedentes, tres ipsius monasterii monachos fidedignos videlicet : predictum priorem et dilectos filios fratres Recabenem et Gentilem Berardi assumere curaverunt, qui vota — scrutarentur —. Cumque scrutatores predicti super hoc juxta formam eis traditam processissent —, compertum extitit, quod viginti septem ex monachis, qui ad hujusmodi electionem convenerant celebrandam, cum essent numero triginta unus in universo, in te, tunc prioratus Sancti Apolinaris, Perusine diocesis, ordinis memorati, priorem ac monachum monasterii supradicti professum consenserunt —.

Electionem ejusdem, ad Sedem Apostolicam accedentis, confirmat dominus papa, post examinationem per Leonardum, Albanensem episcopum, et Robertum, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyterum, ac Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinales factam, munere benedictionis ei per eundem episcopum impenso.

Dat. Laterani, III non. martii, anno nono.

In e. m. . . *priori et conventui — universis vassallis.*

5137 (XXVI) Latran, 7 mars 1303.

« Eidem abbati conceditur licentia de mutuo » usque ad summam duorum millium et quingentorum florenorum auri. (fol. 306.)

Alexandro, abbati. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, non. martii, anno nono.

5138 (XXVIII) Latran, 14 février 1303.

« Super reformatione monasterii de Corona, ordinis sancti Augustini, Engolismensis diocesis. » (fol. 306 v°.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Eparchii, et . . ordinis Fratrum Predicatorum Engolismensium, ac . . de Botavilla, Xanctonensis diocesis, prioribus. Cupientes ut loca —. Accedentes siquidem ad presentiam nostram Iterius de Chanderico, prior, Iterius de Cressaco, et Petrus Regis, canonici monasterii de Corona, ordinis sancti Augustini Engolismensis diocesis, coram nobis exponere curaverunt, quod Falco, abbas dicti monasterii, minus canonice ad regimen monasterii predicti assumptus, multa ex ipsius bonis donaverat, concesserat et etiam obligarat, quosdam etiam prioratus dicti monasterii personis alterius professionis commiserat, incontinentie vitio laborabat et symonie, perjurii et falsitatis erat criminibus irretibus. Predictum insuper monasterium, pretextu guardie, laicali de novo subjecerat servituti, in eo etiam subtrahens sive diminuens elemosinam et luminaria consueta, quodque in cimiterio et alio venerabili loco dicti monasterii fiebant immunditie per eundem abbatem, et familiares ipsius. Prioratus quoque et loca monasterio predicto subjecta gravibus opprimebat oneribus, cum exercebat visitationis officium in eisdem, ac per ipsius negligentiam monachi et persone dicti monasterii exorbitabant in pluribus ab observantia regulari, plura committebantur inibi inhonesta, et, contra antiquam consuetudinem ipsius monasterii, idem abbas cum familia sua segregatim a conventu monasterii predicti manebat, que-

rens pro se et dicta familia vina et cibaria delicata, et, licet idem abbas majori esset excommunicatione ligatus, non tamen verebatur se divinis officiis immiscere, propter que omnia dicebant Iterius de Chanderico, Iterius de Cressaco et Petrus predicti se contra dictum abbatem, pro se et sibi adherentibus, ad Sedem Apostolicam appellasse. E contra vero ex parte dicti abbatis, suo et conventus dicti monasterii nomine, contra Iterium de Chanderico, Iterium de Cressaco et Petrum predictos, necnon Heliam de Cressaco et Johannem Danielis, canonicos dicti monasterii, fuit expositum coram nobis, quod idem Iterius de Chanderico, tempore quo dicti ordinis recepit habitum, erat sententia excommunicationis astrictus, de furti crimine condempnatus et alias infamis, homo etiam litigiosus et male opinionis et vite, et adhuc idem prior hujusmodi erat excommunicatione ligatus, necnon perjurii, homicidii, adulterii ac falsi criminibus irretitus, et alias incontinens et dilapidator bonorum dicti monasterii et membrorum suorum. Plures quoque administrationes insimul, contra constitutionis nostre super hoc promulgate tenorem, post publicationem ipsius, absque aliqua dispensatione, duxerat retinendas. Helias vero predictus erat homicida, falsarius et de furti crimine condempnatus. Petrus autem prefatus furtum commiserat ac, tam ipse, quam Johannes predictus, erant fugitivi, vagabundi et apostate monasterii supradicti. Nos autem, premissis et aliis, que coram nobis, pro parte prioris et canonicorum predictorum, contra eundem abbatem, et, pro parte abbatis ejusdem, contra dictos priorem et canonicos proposita extiterunt, diligenter auditis, volentes ad statum dicti monasterii reformandum, prout nobis incumbit ex debito pastoralis officii, intendere diligenter, discretioni vestre, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, ad dictum monasterium personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, visitetis, inquiratis, corrigatis et reformetis ibidem, tam in capite quam in membris, super premissis et aliis, que in articulis, per abbatem, priorem et canonicos predictos vobis exhibendis, videbitis contineri, quecunque visitationis, inquisitionis, correctionis et reformationis officio noveritis indigere, non obstantibus, si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem : contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si monasterium ipsum propter aliquam causam reformare forsitan non possitis, que per hujusmodi vestram inquisitionem inveneritis, fideliter in scriptis redacta, sub vestris inclusa sigillis, ad nostram presentiam destinare curetis, ut, ex eorum inspectione instructi, super premissis, prout expediens fuerit, remedium valeamus apponere oportunum, prefixo abbati et priori predictis termino peremptorio competenti, quo personaliter compareant coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie parituri, ac alias facturi et recepturi super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi prefixionis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimetis : non obstante indulgentia, qua, fili, prior Predicatorum, ordini tuo a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod Fratres ipsius ordinis non teneantur se intromittere de quibuscunque negotiis, que ipsis per ipsius Sedis litteras committuntur, nisi de concessione hujusmodi plena et expressa mentio habeatur. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Dat. Laterani, xvi kal. martii, anno nono.

5139 (xxviiii) Latran, 9 février 1303.

« Quod possit facere recipi duas personas in ecclesia Metensi. » (fol. 306 v°.)

Reginaldo, electo Metensi. Sincere devotionis —. Dat. Laterani, v id. februarii, anno nono.

5140 (xxx) Latran, 11 mars, 1303.

« Confertur Gregorio, nato Marcoaldi de Camilla, canonicatus ecclesie Januensis per resignationem. » (fol. 307.)

Gregorio, nato nobilis viri Marcoaldi de Camilla, civis Januensis, canonico ecclesie Januensis. Dilectus filius noster —.

Suprascripto canonicatum et præbendam in ecclesia Januensi, quos pater ejus, procurator Andalonis, fratris ejus, in manibus Matthæi, Sanctæ Mariæ in Porticu diaconi cardinalis, resignavit et quos idem cardinalis, auctoritate Apostolica, ei contulit, confirmat dominus papa, procuratorem ejus, Johannem de Pontecurvo, cantorem ecclesiæ Brundusinæ, investiens, non obstante quod in Beatorum Petri et Pauli [de] Wolvernehamptone, Lichefeldensis diocesis, canonicatum et præbendiam noscitur obtinere ac in Ebroicensi ecclesiis sub exspectatione vacaturæ præbendæ est receptus.

Dat. Laterani, v id. martii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Stephani Januensis et . . archidiacono Remensis, ac Henrico de Labro, capellano nostro, canonico Pisane ecclesiarum.*

5141 (XXXI) Latran, 12 février 1303.

« Gundisalvo, electo Zamorrensi. Preficitur in episcopum Zamorrensem. » (fol. 307.)

Dilecto filio Gundisalvo, electo Zamorrensi. Dum sollicite considerationis —. Dudum siquidem Zamorrensi ecclesia per obitum bone memorie Petri — solatio destituta pastoris, dilecti filii . . decanus et capitulum ipsius ecclesie — die ad eligendum prefixa — per viam scrutinii processerunt. Et demum — due electiones, una videlicet, de dilecto filio Petro Annay, archidiacono ipsius ecclesie Zamorrensis, et altera de te, archidiacono Salamantino, in diaconatus ordine constituto, tunc apud Sedem Apostolicam existente, fuerunt — in discordia celebrate. Hujusmodi autem electionum negotio per appellationes partium ad eandem Sedem legitime devoluto tibique apud eam presentato decreto electionis hujusmodi de te facte, tu predicte electioni consensum tuum impendere noluisti. Postmodum vero certi procuratores eorum, qui prefatum Petrum elegerant, ad hoc specialiter constituti, decretum super ipsius electione confectum nostro Apostolatui presentantes, suppliciter postularunt, ut electionem ipsam confirmare — dignaremur. Nos autem, deliberatione super hiis cum fratribus nostris habita diligenti, ex certis rationabilibus causis, electionem ipsam cassavimus, ipsumque P[etrum] privavimus omni jure, si quod sibi competebat, — et tandem — nonnullis canonicis ipsius ecclesie, tunc apud Sedem prefatam hujusmodi occasione negotii constitutis, nominandi aliquam personam ydoneam de se ipsis aut aliis ecclesie prelibate canonicis seu etiam aliunde — facultatem vive vocis oraculo duximus concedendam : qui tandem te in Zamorrensem episcopum — nominarunt.

Eum sic primo in ecclesia Zamorensi et deinde apud Sedem Apostolicam electum præficit in episcopum dominus papa.

Dat. Laterani, II id. februarii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo — clero — populo — universis vassalis — Fernando, regi Castelle et Legionis illustri.*

5142 (XXXII) Latran, 28 février 1303.

« Mandatur provideri de abbatissa in monasterio Morgnevallis, Suessionensis diocesis. » (fol. 308.)

Dilectis filiis . . Sancti Cornelii Compendiensis, et . . de Longo Ponte, Suessionensis diocesis, monasteriorum abbatibus. Inter sollicitudines —. Vacante siquidem nuper monasterio Morgnevallis, ordinis sancti Benedicti, Suessionensis diocesis, per obitum quondam Margarete, abbatisse ipsius, ac monialibus ejusdem monasterii in diversis dirigentibus vota sua, duas contigit ibidem electiones de futura abbatissa, unam videlicet, de Margareta de Bellomaro, et alteram, de Johanna de Monasteriis, dicti monasterii monialibus, per viam scrutinii in discordia celebrari. Cumque, Maria de Maremont, dicti monasterii monialis, una de electricibus dicte Johanne, Margarete prefate quedam crimina et defectus obiciens, ad venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Suessionensem contra Margaretam appellasset eamdem, dictus episcopus pronuntiavit eamdem Mariam de Maremont non esse super hujusmodi criminibus et defectibus audiendam, pro eo quod in appellatione sua hujusmodi formam constitutionis felicis recordationis Gregorii pape X, predecessoris nostri, super hoc edite, non servarat, ac eadem Maria de Maremont ab hujusmodi pronuntiatione dicti episcopi ad Sedem Apostolicam appellavit. Et, licet hujusmodi sua appellatio, ad eandem Sedem emissa, dicte Margarete legitime intimata fuisset, eadem tamen Margareta ad eandem Sedem accedere vel procuratorem transmittere, juxta constitutionem pie memorie Nicolai pape III, predecessoris nostri, pro hujusmodi prosequendo negotio non curavit : propter quod nos, juxta constitutionem eandem dicti predecessoris nostri, pronuntiavimus eandem M[ariam] cecidisse a jure, si quod ei ex electione hujusmodi de se facta fuerat acquisitum. Eadem vero Johanna, per procuratorem suum, quem ad nostram destinavit presentiam, — resignavit pure et libere omne jus, si quod ei fuisset ex hujusmodi sua electione quesitum, in manibus dilecti filii nostri R[oberti], tituli Sancte Pudentiane presbyteri cardinalis, de mandato nostro facto sibi oraculo vive vocis resignationem hujusmodi admittentis.

Mandatur suprascriptis, ut, ad dictum monasterium personaliter accedentes, eidem monasterio de aliqua persona ydonea, assumenda de ipsius monasterii gremio vel etiam aliunde, provideant.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno nono.

5143 (xxxiii) Latran, 9 mars 1303.

« Littera de mutuo pro Ramberto, episcopo Castellano » usque ad summam mille et quingentorum florenorum auri. (fol. 308.)

Venerabili fratri Ramberto, episcopo Castellano. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, vii id. martii, anno nono.

5144 (xxxiv) Latran, 23 mars 1303.

« Littera de mutuo pro Raymundo, abbate monasterii de Clariaco » usque ad summam mille florenorum auri. (fol. 308.)

Raymundo, abbati monasterii de Clariaco, ordinis sancti Benedicti, Agennensis diocesis. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno nono.

5145 (xxxv) Latran, 23 février 1303.

« Providetur Accerito, nato Raynerii Bondelmontis, canonico Florentino, de personatu vel dignitate in civitate vel diocesi Florentina. » (fol. 308.)

Dilecto filio Accerito, nato dilecti filii Raynerii Bondelmontis militis, canonico Florentino. Ut tua et tuorum —.

Suprascripto beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam habeat animarum vel dignitas existat, in civitate vel diocesi Florentina vacans confert vel vacaturum reservat dominus papa, non obstante quod in ecclesia Florentina sub exspectatione vacaturæ præbendæ auctoritate Apostolica est receptus aut quod in minoribus tantum ordinibus et in undecimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Laterani, vii kal. martii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . priori Sanctorum Apostolorum Florentine, et . . plebano plebis de Sancto Pancratio, Flocentine diocesis, ac Jordano de Pileo, canonico Cameracensis* [*ecclesiarum*].

5146 (xxxvi) Latran, 19 mars 1303.

« Super exemptione monasterii Sancti Augustini Cantuariensis. » (fol. 308 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Dudum pro parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ordinis sancti Benedicti; fuit expositum coram nobis, quod, licet eorum monasterium a principio fundationis ipsius, seu a tempore, cujus memoria non exstabat, cum omnibus membris suis, existentibus ubicumque, fuisset exemptum per specialia privilegia Sedis Apostolice a jurisdictione qualibet ordinaria, prout evidentius in privilegiis contineri dicebatur eisdem, eis tamen postmodum per nonnullos archiepiscopos Cantuarienses, qui pro tempore fuerunt, nunc hinc nunc inde vexationibus et angustiis fatigatis, quedam compositiones super exemptionibus et libertatibus contentis in dictis privilegiis intervenerant inter partes. Verum cum iidem abbas et conventus assererent per hujusmodi compositiones predictis eorum privilegiis et libertatibus non modicum derogari, nos, eorum supplicationibus inclinati, hujusmodi privilegia, exemptiones et libertates, ipsis in dicto monasterio a prefata Sede concessa, in suo voluimus et decrevimus robore permanere, ac nichilominus ipsos abbatem et conventum dictumque monasterium cum omnibus membris, ecclesiis, capellis, cenodochiis, hospitalibus, cantariis, nec non castris, villis, maneriis, domibus, grangiis, terris, possessionibus, redditibus et quibuscumque bonis suis, in quibuscumque forent diocesibus constituta, et omnibus personis sui ordinis et aliis eis subditis, degentibus in eisdem, ab omni potestate, jurisdictione, subjectione atque dominio tam venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi, et dilectorum filiorum capituli Cantuariensium, qui tunc erant et pro tempore forent, quam quorumlibet archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, prelatorum et officialium suorum, et aliarum quarumlibet ecclesiasticarum personarum duximus per nostras sub certa forma litteras eximenda, et eis super hujusmodi exemptionis nostre privilegio dilectos filios . . Westimonasterii, et . . de Waltham, et . . de Sancto Eadmundo, Londoniensis et Norwicensis diocesium, monasteriorum abbates, per alias nostras sub certa forma litteras, conservatores nichilominus deputandos. Postmodum autem venerabili fratre nostro Roberto, archiepiscopo Cantuariensi, pretendente, quod prefati Westimonasteris et de Waltham abbates, in hujusmodi conservationis negotio procedentes, fines mandati nostri in hac parte, super certis articulis patenter excesserant, et quod memorati abbates et conventus ejusdem monasterii Sancti Augustini predictas exemptiones et fines earum contra justitiam excedentes, jurisdictionem ordinariam, nedum in ecclesiis, quas ipsi abbas et conventus appropriatas sibi esse dicebant, et vicariis, clericis, parrochiis et parrochianis earundem ecclesiarum, sed etiam in ecclesiis, in quibus iidem abbas et conventus asserebant jus patronatus dumtaxat habere, ac

in rectoribus, clericis, parrochiis et parrochianis ipsarum sibi temere usurpare, ac jurisdictionem ipsam in civitate ac diocesi Cantuariensibus diversis modis exercere, sollennes insuper processiones, que a clero et populo dictarum ecclesiarum, sicut a ceteris clericis et populis dictarum Cantuariensium civitatis et diocesis, singulis annis, certis diebus, ad ecclesiam Christi Cantuariensem publice fieri consueverunt, impedire, pulsationem quoque campanarum, que in transitu ipsius archiepiscopi per predictas civitatem et diocesim Cantuarienses, ob ejus reverentiam et honorem, fieri consueverant ab antiquo, subtrahere seu subtrahi facere in ecclesiis predictis presumpserunt, fuerunt, tam pro parte memorati archiepiscopi et predicte Cantuariensis ecclesie, quam sibi adherentium et adherere volentium, diverse appellationes ad Sedem Apostolicam interjecte. Cumque negotium appellationum hujusmodi, pro parte ipsius archiepiscopi, per ejus procuratorem, presente procuratore ipsorum abbatis et conventus, fuisset propositum coram nobis, nos, volentes de ipsius qualitate negotii plenius informari, ac per viam provisionis et ordinationis negotium ipsum ex officio nostro sub compendio diffinire, procuratoribus ipsis duximus injungendum, ut, tam super exemptione predicta, quam super appellationibus memoratis, nos de juribus partium earundem verbotenus et in scriptis plenius informarent : qui pro partibus ipsis super earum juribus nos juxta hujusmodi mandatum nostrum informare curarunt. Nos igitur, hujusmodi informatione recepta, volentes super premissis ipsarum partium cavillationibus obviare, ac amputare litigiorum et jurgiorum anfractus et dispendia, inter eas providendo et ordinando declaramus et declarando decernimus, quod prefati abbas et conventus monasterii Sancti Augustini Cantuariensis in ecclesiis Cantuariensium civitatis et diocesis, in quibus ipsi jus patronatus dumtaxat obtinent et futuris temporibus obtinebunt, habeant presentationem rectorum et clericorum et alia que jura continent patronatus, archiepiscopus vero Cantuariensis, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, habeat in eisdem ecclesiis institutionem et destitutionem, et tam in eis quam in rectoribus, clericis et parrochianis ipsarum etiam alia spiritualia, prout hinc et inde communia jura permittunt. In ecclesiis quoque ipsarum civitatis et diocesis, quas iidem abbas et conventus in proprios usus obtinere noscuntur et quas eos in futurum obtinere contigerit, et rectoribus seu vicariis, clericis et parrochianis earum ipsi abbas et conventus habeant temporalia sua, idem autem archiepiscopus habeat spiritualia in eisdem, nec alias quam eis ex presenti nostra declaratione permittitur memorati abbas et conventus in predictis ecclesiis, in quibus ipsi, ut dictum est, jus patronatus dumtaxat habent vel habebunt, rectoribus, clericis et parrochianis earum, et in ecclesiis, quas in proprios usus obtinent vel obtinebunt, aut in rectoribus seu vicariis, clericis, parrochiis et parrochianis earum, jurisdictionem sibi vendicent aut in eos exercere quoquo modo presumant. Declaramus insuper quod clausula de personis degentibus in ecclesiis, capellis et ceteris locis eorumdem ad monachos et perpetuo conversos referatur. Insuper autem per rectores et alios clericos, nec non parrochianos predictatarum et aliarum quarumcumque ecclesiarum Cantuariensium civitatis et diocesis, in quibus ipsi abbas et conventus qualemcumque jurisdictionem habere noscuntur, debitum honorem et reverentiam in pulsando campanas, in processionibus faciendis et in omnibus aliis, in quibus consueverunt et debent, volumus et precipimus exhiberi archiepiscopo memorato, debitis et consuetis temporibus atque locis, prefato exemptionis nostre privilegio, in ceteris contentis in eo, in pleno robore duraturo. Nulli ergo, etc., nostre declarationis, constitutionis et precepti, etc. Dat. Laterani, XIIII kal. aprilis, anno nono.

5147-5148 (XXXVII) Latran, 26 mars 1303 et Latran, 25 mars 1303.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Ramberto, episcopo Castellano. » (fol. 309.)

Dilectis filiis . . archidiacono Tiburtino et . . cantori Morinensis, ac Odoni de Sermineto, canonico Xanctonensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Suprascriptis notificatur, executorio nomine, mutuum septingentorum florenorum auri, quos Rambertus, episcopus Castellanus, recepit de summa mille et quingentorum a Baldo Raynerii Floravantis, de societate Clarentum, mutuante pro se et pro Clarentino Anselmi, Mergoliese Bracchii, Pucio Raynerii Floravantis, Marsoppino Meliorati de Clarentis, Johanne Brachii, Raynerio et Phylippo Floravantis, Corrado Gay, Andrea Mergollesi, Nello Andree, Johanne Puccii de Floranvantis, Lapo Lanfranki de Clarentis, Lapo Baldi et Vanno Bartholomei ac ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, VII kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . patriarche Gradensi et dilectis filiis . . archidiacono Tiburtino ac . . cantori ecclesie Morinensis.* Exponente pridem nobis —.

Suprascriptis notificatur mutuum sexcentorum florenorum auri, quos idem Rambertus recepit de summa mille et quin-

gentorum a Bartholomeo dicto de Primis, cive et mercatore Venetiarum

Dat. Laterani, VIII kal. aprilis, anno nono.

5149 (XXXVIII) Latran, 13 février 1303.

« Super observatione sententiarum excommunicationis contra . . comitem Hanonie de injuriis illatis ecclesie Cameracensi. » (fol. 309 v°.)

Dilectis filiis . . de Castello, Cameracensis diocesis, et . . Sancti Sepulcri Cameracensis, ac . . de Cantimprato juxta Cameracum monasteriorum abbatibus. Sua nobis dilecti filii capitulum ecclesie Cameracensis petitione monstravit, quod, cum nobilis vir . . comes Hanonie ac ejus in hac parte complices et fautores nonnullas villas et alia bona, ad eandem ecclesiam spectantia, temeritate propria, occupassent, ac homines, habitatores earumdem villarum, indebitis exactionibus aggravarent et alias etiam molestarent, in predictorum capituli et ecclesie injuriam, prejudicium non modicum et gravamen, et hec adeo essent notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, dicti capitulum, quibus est ab Apostolica Sede indultum, ut in tales injuriatores et molestatores eorum possint censuram ecclesiasticam exercere, in comitem ac complices et fautores predictos, nominatim, canonica monitione premissa, primo excomunicationis, et, eorum contumacia excrescente, in terras eorum interdicti sententias, auctoritate indulti hujusmodi, exigente justitia, promulgavit. Verum prefati comes, complices et fautores, prelibatas sententias dampnabiliter contempnentes, eas per annum et amplius sustinuerunt et adhuc sustinent animis induratis, ac eosdem capitulum et ecclesiam aliis diversis injuriis et vexationibus fatigare multipliciter non desistunt, in animarum suarum periculum et ipsorum capituli et ecclesie non modicum detrimentum. Quare dicti capitulum a nobis suppliciter petierunt, ut easdem sententias robur firmitatis debitum obtinere, et alias contra predictorum comitis et fautorum pertinatiam, prout justum est, procedi per discretum aliquem faceremus. Nos igitur venerabilis fratris nostri J[ohannis], Tusculani episcopi, nobis super hoc supplicantis obtentu, eisdem capitulo in suo jure assistere intendentes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus sententias ipsas, sicut rationabiliter sunt prolate, faciatis, auctoritate nostra, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari: si vero prefati comes, complices et fautores dictas sententias, postquam eas vobis fore constiterit rite latas, per unum mensem pertinaciter tolerarint, ex tunc ipsos, pulsatis campanis et candelis accensis, excomunicatos et prefatas earum terras interdictas, singulis diebus dominicis et festivis publice nuntietis, et ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videritis, nuntiari faciatis, ac eosdem excomunicatos ab omnibus artius evitari, et alias contra eos, si eorum pertinacia exegerit, agravetis etiam manus vestras, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, contradietores, etc., non obstante si eisdem comiti, fautoribus et complicibus aut quibuscumque aliis a Sede Apostolica sit indultum, quod excomunicari aut eorum terre interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Dat. Laterani, id. februarii, anno nono.

5150 (XXXVIII) Latran, 13 mars 1303.

« Theobaldo electo Leodiensi. Confirmatur electio de eo facta in ecclesia Leodiensi. » (fol. 309 v°.)

Dilecto filio Theobaldo, electo Leodiensi. Celestis dispositione consilii —. Pridem siquidem Leodiensi ecclesia, per obitum bone memorie Adulfi, Leodiensis episcopi, pastoris solatio destituta, licet dilectus filius Willelmus, archidiaconus de Atrebato in dicta ecclesia per dilectos filios Arnaldum, prepositum, . . decanum et capitulum ejusdem ecclesie in episcopum Leodiensem per viam compromissi fuisset electus, eodem tamen archidiacono nolente electioni hujusmodi consentire, dicti prepositus decanus et capitulum — pro electione futuri pastoris iterum facienda — insimul convenerunt, ipsisque deliberantibus per viam procedere compromissi — memoratis preposito et Willelmo necnon dilectis filiis Willelmo de Juliaco, Theoderico de Horne, archidiaconis, et Goddefrido de Fontanis, canonico dicte ecclesie, provideri ea vice dicte ecclesie de pastore concesserunt unanimiter potestatem — dictique compromissarii — in te, canonicum, nunc electum Leodiensem, subdiaconum, tunc in citramontanis partibus, in itinere redeundi de Romana Curia, constitutum, direxerunt unanimiter vota — sua tuque, electioni predicte de te facte consentiens, ad eandem curiam rediisti, ac negotio dicte tue electionis coram nobis et fratribus nostris exposito — servatis in hiis omnibus a jure statutis temporibus — nobis humiliter supplicasti, ut eandem tuam electionem confirmare — dignaremur.

Post examinationem per Theodericum, Civitatis Papalis episcopum, Robertum, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyterum,

ac Franciscum, Sanctæ Luciæ in Silice diaconum cardinales, factam, confirmat suprascriptum dominus papa in episcopum Leodiensem.

Dat. Laterani, III id. martii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito . . decano et . . capitulo ecclesie — clero — populo — universis vassallis — venerabili fratri . . archiepiscopo Coloniensi.*

5151 (XL) Latran, 18 mars 1303.

« Confertur Jacobo Gaufridi de Pontesergie beneficium ecclesiasticum, etiamsi dignitas vel personatus existat, in civitate vel diocesi Uticensi. » (fol. 310.)

Jacobo Gaufridi de Pontesergie, clerico, Avinionensis diocesis. Laudabile testimonium —.

Suprascripto, consideratione bonæ memoriæ Petri, olim episcopi Carpentoratensis, cujus fuit nepos, beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam habeat et dignitas existat, ad collationem episcopi Carpentoratensis vacans confert vel vacaturum reservat dominus papa in civitate et diocesi Carpentoratensibus.

Dat. Laterani, XV kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Avinionensi et dilectis filiis . . Avinionensis, et . . Vivariensis ecclesiarum prepositis.*

5152 (XLI) Latran, 18 mars 1303.

« Johanni, nato Nicolai de Comite, canonico Cameracensi. Eximit prebendam suam ab onere sacerdotali. » (fol. 310 v°.)

Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Nicolai de Comite de Urbe, militis, canonico Cameracensi. Sincere devotionis affectus —.

Eximit dominus papa ab onere sacerdotali præbendam, per mortem quondam magistri Guidonis de Anagnia, notarii Apostolici, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantem, quam suprascripto contulit.

Dat. Laterani, XV kal. aprilis, anno nono.

5153-5154 (XLII) Latran, 3 avril 1303 et 5 avril 1303.

« Licentia de mutuo cantrahendo pro Theobaldo, electo Leodiensi » usque ad summam decem millium florenorum auri. (fol. 310 v°.)

Dilecto filio Theobaldo, electo Leodiensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, III non. aprilis, anno nono.

In e. m. *Eidem,* usque ad summam quatuor millium florenorum auri sub : Dat. Laterani, non. aprilis, anno nono.

5155 (XLIII) Latran, 23 mars 1303.

« Super dispensatione. » (fol. 310 v°.)

Rolando, nato dilecti filii Mathei Cernitori, militis Ferentinatis, rectori medietatis parrochialis ecclesie de Casefelde, Norwicensis diocesis, que per duos consuevit gubernari rectores. Exhibita nobis tua —.

Suprascripto, qui, patiens in ordinibus defectum, dictam medietatem recepit nec se fecit ad sacerdotium promoveri, indulgetur, ut fructus, sic illegitime perceptos, et eamdem medietatem retinere valeat, nec teneatur ad sacerdotium se facere promoveri.

Dat. Laterani, X kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Atrebatensi, et . . decano Sancti Pauli, Londoniensis, ac magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensis ecclesiarum.*

5156 (XLIIII) Latran, 22 février 1303.

« Matheo de Turrice, canonico ecclesie Sancti Gaugerici Cameracensis. Eximitur prebenda sua ejusdem ecclesie ab onere sacerdotali. » (fol. 311.)

Matheo, nato quondam Alberti de Turrice, canonico ecclesie Sancti Gaugerici Cameracensis. Grate devotionis studia —.

Canonicatus et præbendæ ipsius ecclesiæ qui, pro eo quod Franciscus de Castellione, qui eos obtinebat, cum Johanna, relicta quondam Pauli Bartholomæi de Urbe, militis, in Urbe ipsa matrimonium contraxerat, vacaverunt et qui virtute Apostolicæ reservationis suprascripto collati fuerunt, . . Cameracensi . . Annoniensi et . . Valensonensi in ecclesia Ca-

meracensi archidiaconis executoribus deputatis, eximuntur ab onere sacerdotii quamdiu eos tenuerit.

Dat. Laterani, VIII kal. martii, anno nono.

5157 (XLV) Latran, 25 février 1303.

« Quod possit facere recipi duos nepotes suos in ecclesia Lugdunensi. » (fol. 311.)

Venerabili fratri Ludovico, archiepiscopo Lugdunensi. Sincere devotionis affectus —.

Ut in ecclesia sua, in qua certus canonicorum numerus institutus et præbendarum seu beneficiorum distinctio non habetur, Johannem Johannis de Camera et Hubertum Johannis de Cossonay, nepotes suos, in canonicos facere recipi valeat.

Dat. Laterani, V kal. martii, anno novo.

5158 (XLVI) Même date.

« Ut nullus delegatus vel subdelegatus etc. » (fol. 311.)

Eidem. Meritis tue devotionis —. Dat. ut supra.

5159 (XLVII)

« Quod possit facere reconciliari ecclesias et cimiteria. » (fol. 311.)

Eidem. Personam tuam nobis —. Dat. ut supra.

5160 (XLVIII) Même date.

« Quod possit eligere confessorem. » (fol. 311 v°.)

Eidem. Pium arbitramur —. Dat. ut supra.

5161 (XLVIIII) Même date.

« Eidem. Super visitatione provincie sue. » (fol. 311 v°.)

Eidem. Sincere devotionis affectum —.

Ut, si infra biennium, persona, cui officium visitandi suas diocesim et provinciam commisit juxta indultum a Sede Apostolica nuper concessum, Lugdunensem vel aliquam dictæ provinciæ diocesim, postquam illam visitare cœperit, exiverit, visitationis ibi officio non completo, possit nichilominus, non obstante constitutione Innocentii papæ IIII, redire ad ipsam, ibique visitationem perficere inchoatam, etiam aliis ceteris locis non visitatis, quæ secundum eandem constitutionem fuerant prius visitanda.

Dat. ut supra.

5162 (L) Même date.

« Super eodem. » (fol. 311 v°.)

Eidem. Grata devotionis studia —.

Ut per personam idoneam suas civitatem, diocesim et provinciam ad biennium visitare possit.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo Viennensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Savigniacensis, Lugdunensis diocesis, ac .. priori de Plateria Lugdunensi.*

5163 (LI) Latran, 12 mars 1303.

« Super citatione pro certis excessibus commissis in monasterio Tyronensi, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis. » (fol. v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Carnotensi. Dudum ad audientiam nostram deducto, quod nonnulli monachi monasterii Tyronensis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis, quosdam graves excessus in personam Symonis, abbatis eorum, nequiter perpetrarant, nos dilecto filio nostro R[oberto], tituli Sancte Pudentiane presbitero cardinali, commisimus, ut ipse, super hiis diligenter inquirens, quod inveniret nobis referre fideliter procuraret. Idem vero cardinalis, super hujusmodi negotio sibi per nos commisso procedens, per inquisitionem, quam super hoc fecit, juxta formam sibi traditam, diligentem, tam per instrumenta coram eo exhibita, quam testes ab eo receptos, comperiit, quod duo abbates, plures priores subjecti eidem abbati ac major pars monachorum ejusdem monasterii conspirationem et conjurationem contra abbatem fecerant supradictum, et quod aliqui ex eisdem monachis, divino timore postposito, manus in eum injecerant temere violentas, ipsumque coegerant, per vim et metum qui cadere poterant in constantem, ad renuntiandum regimini monasterii supradicti et constituendum procuratores, qui, ejus nomine,

tibi renuntiationem hujusmodi presentarent, quodque aliqui ex predictis monachis, claves archarum dicti abbatis ab eo per violentiam auferentes, quasdam pecuniarum summas, usque ad quantitatem mille quingentarum librarum turonensium parvorum et multa jocalia dicti abbatis in eisdem archis et locis aliis existentia exinde nequiter asportarant, eundem abbatem carceri mancipando. Et, licet monasterium ipsum esset et ab antiquo fuisset de guardia regis Francorum, qui est pro tempore, iidem tamen monachi nobilem virum Carolum, comitem Carnotensem, ad guardiam dicti monasterii, ut suum in hac parte haberent favorem et auxilium, advocarant : hujusmodi etiam, ab eodem abbate taliter extorta, resignatio per eosdem procuratores tibi fuerat presentata, quam tu, ad cujus notitiam jamdicti excessus pervenerant, admittere recusaras, et, ad monasterium ipsum te conferens, ibidem inceperas super eisdem excessibus inquisitoris officium exercere, et, quia videbas ei abbati mortis imminere periculum, conatus fueras ipsum de monasterio extrahere prelibato, quod facere nequivisti, quin immo unus de familia dicti abbatis fuit, te vidente, per quosdam ex eisdem monachis de equitatura, cui insidebat, prostratus violenter ad terram et graviter verberatus, sicque tu, propter ipsorum proterviam monachorum, non valens inibi officium exercere predictum, monasterium prefatum exiisti [1], in nonnullos ex eisdem monachis, quos magis super hiis reppereras fuisse culpabiles, canonica monitione premissa, excommunicationis sententiam promulgando, et, quamvis ex parte ipsorum fuisset, occasione hujusmodi, ad Sedem Apostolicam appellatum, tu tamen eorum appellationi, tamquam frivole non duxeras aliquatenus deferendum : sed iidem monachi per servitores dicti nobilis fecerant bona monasterii occupari : nonnullis quoque ex eisdem monachis nobis suggerentibus quod abbas predictus quoddam falsum habebat privilegium, nos, venerabili fratri nostro episcopo Ebroicensi ejusque collegis nostris certi tenoris injunximus litteris, ut eundem abbatem ac fabricatores dicti privilegii capi facerent, et ad nos sub fida custodia destinarent, quarum pretextu episcopus et college predicti memoratum abbatem, jam in itinere constitutum ad Sedem veniendi predictam, capi fecerant ac vili et diro carceri mancipari, prout hec ex relatione fideli facta nobis per cardinalem eundem intelleximus diligenter : nos itaque nolentes, prout etiam non debemus, talia sub dissimulatione transire, plenamque gerentes de tua circumspectione fiduciam, qui super hiis habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus eundem abbatem, qui adhuc detineri dicitur carceri mancipatus, restitui facias libertati. Contradictores, etc. non obstantibus si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, ipsoque restituto, eundem abbatem nec non illos ex monachis antedictis, de quibus tibi videbitur, ita quod in numero non excedas, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut tam abbas, cum eodem privilegio, quam monachi predicti, infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi, compareant personaliter coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie parituri, ac facturi et recepturi super premissis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis et formam et quicquid inde duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Dat. Laterani, IV id. martii, anno nono.

1. *Ms* : existi.

5164 (LII) Latran, 14 avril 1303.

« Executoria super mutuo contrahendo pro Raymundo, abbate monasterii de Clariaco, Agennensis diocesis. » (fol. 312.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Trinitatis Florentine, et . . cantori ecclesie Morinensis ac . . officiali Nemausensi. Exponente pridem nobis —

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum octingentorum florenorum auri de summa mille florenorum, quos, Raymundus, abbas monasterii de Clariaco, recepit a Johanne Maffei de societate Spinorum de Florentia, mutuante pro se ipso ac pro Rogerio Vanne et Guillelmo fratribus, filiis quondam Manetti Spine, Spina Hugonis Spine, Doffo Lapi Spine de Spinis, Nigro Cambii, Symone Gerardi, Gabriele et Guidone Bertaldi, Gerardo Hugonis, Cino Bosii, Tuttio Cochii, Montechio Corbezi et ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, XVIII kal. maii, anno nono.

5165 (LIII) Latran, 17 avril 1303.

« Super resumendis organis in ecclesia Atrebatensi. » (fol. 312.)

Dilectis filiis . . archidiacono Valencenensi, Cameracensis, et . . thesaurario Baiocensis ecclesiarum. Dudum ve-

nerabilis frater noster G[erardus], episcopus, et dilecti filii Petrus Gerardi, scolasticus, et Jacobus ac Rogerius de Montanea, Mathias de Ferentino, Johannes Roberti de Anagnia et Johannes de Paliano, canonici Atrebatenses, nobis insinuare curarunt, quod, cum . . officialis dicti episcopi, ejus auctoritate sibi in hac parte commissa, contra quemdam ex capellanis Atrebatensis ecclesie, qui erat super furti crimine diffamatus, ad inquisitionem procedere incepisset, Florentius, prepositus, Johannes, decanus, et capitulum ipsius ecclesie, asserentes correctionem excessuum capellanorum ipsius ecclesie, in quos jurisdictionem omnimodam de antiqua, approbata et hactenus pacifice observata consuetudine se habere proponunt, ad se solummodo, et non ad dictum episcopum pertinere, dictumque episcopum in hoc et pluribus aliis articulis ab eis expressis graves ipsis injurias irrogasse, dictos articulos eidem episcopo exhibendo, ei cum instantia supplicarunt, ut super illis, infra terminum duorum mensium, quem sibi peremptorium assignabant, sufficientem episcopus prestaret emendam, alioquin intendebant extunc contra eum a divinis cessare, prout ad se spectare de simili consuetudine proponebant. Et, licet idem episcopus ostendisset per sufficientes responsiones, eos in hiis, que in predictis continebantur articulis, nequaquam fuisse gravatos ac nichilominus ex eis aliqua revocasset, quia tamen iidem prepositus, decanus et capitulum cessationem hujusmodi minabantur, ex parte ipsius episcopi, ne hujusmodi cessatio fieret, ad Remensem curiam, loci metropoliticam, extitit appellatum. Officiales vero dicte curie, de appellatione hujusmodi cognoscentes, inhibuerunt preposito, decano et capitulo supradictis, ne, causa dicte appellationis pendente taliter coram ipsis, ad cessationem hujusmodi procedere attemptarent, et, quia ipsi capitulum nichilominus ad cessationem volebant procedere supradictam, predicti scolasticus, Jacobus, Rogerius et Mathias, attendentes quod ex hujusmodi responsionibus et revocationibus factis per eundem episcopum adeo erat eisdem preposito, decano et capitulo satisfactum, quod nulla suberat causa rationabilis, quare foret ad cessationem hujusmodi contra dictum episcopum procedendum, eidem cessationi contradixerunt expresse, et, ne dicta cessatio fieret vel procederetur occasione contradictionis hujusmodi per eosdem capitulum contra eos, ad Sedem Apostolicam provocarunt; sed iidem prepositus, decanus et capitulum, hujusmodi appellationibus, provocatione et inhibitione contemptis, forma juris in hoc alias per eos, ut ipsi asserunt, observata, ad cessationem processerunt predictam, in dicta ecclesia organa suspendendo, ac ex tunc scolastico, Jacobo, Mathie et Rogerio predictis, pro eo quod, eorum appellationibus insistentes, nolebant, prout nec etiam tenebantur, cum eisdem preposito, decano et capitulo in dicta ecclesia submissa voce divina officia celebrare, distributiones cotidianas nullatenus ministrarunt, quamvis ipsi scolasticus, Jacobus, Mathias et Rogerius in predictorum prepositi, decani et capituli presentia fuerint protestati, quod per eos non stabat quin celebrarent solemniter eadem officia in ecclesia memorata, ac tam ipsi scolasticus, Jacobus, Mathias et Rogerius, quam Johannes de Paliano et Johannes Roberti de Anagnia, ex predictis et ex aliis certis [causis] contra prepositum, decanum et capitulum prelibatos ad Sedem pluries appellarunt eandem. Monuerunt quoque prepositus, decanus et capitulum prelibati eosdem scolasticum et canonicos, ut omnes fructus, quos ex eadem ecclesia minus licite percepissent, infra certum terminum restituere procurarent, alioquin in singulos eorum ex tunc excommunicationis sententiam promulgabant. Et, licet ipsi scolasticus et canonici quicquid ex fructibus eisdem perceperant juste ac licite percepissent, ac ex parte scolastici et canonicorum predictorum ad Sedem propter hoc fuisset appellatum predictam, ipsi tamen prepositus, decanus et capitulum, mendaciter pretendentes eos hujusmodi sententiam incurrisse, ipsos excommunicatos publice nuntiarunt. Cum autem ex parte dictorum episcopi, scolastici, et canonicorum appellantium super hiis omnibus ad nos habitus esset recursus, nos super hiis tam episcopi, scolastici et canonicorum, quam prepositi, decani et capituli predictorum providere quieti, ac eorum et dicte ecclesie dispendiis et gravaminibus, que ex hujusmodi dissensione provenire verisimiliter poterant, occurrere cupientes, ac propterea causas hujusmodi tam appellationum quam negotiorum principalium inter prefatos episcopum, scolasticum, canonicos, prepositum, decanum et capitulum, seu eorum aliquos aut quoscumque alios super premissis et ea contingentibus vel occasione ipsorum exortas, ad examen Apostolicum revocantes, venerabili fratri nostro . . episcopo Ambianensi nostris injunximus litteris, in quibus tamen de monitione, excommunicatione, appellatione ultima et denunciatione hujusmodi mentio non fiebat, ut ante omnia in eadem ecclesia resumi organa et divina officia solemniter celebrari, dictosque canonicos, quibus, ut premittitur, fuerunt cotidiane distributiones hujusmodi occasione subtracte, ad perceptionem ipsarum restitui, ac eis de subtractis eisdem a tempore cessationis jamdicte satisfactionem plenariam faceret exhiberi, ac, vocatis demum qui propter hoc evocandi essent, causas predictas legitimis in eis in dicta curia metropolitica vel alibi,

si qui forent habiti, servatis processibus, infra quatuor mensium spatium post receptionem dictarum litterarum, judicio, vel, si de partium voluntate procederet, concordia terminaret, faciens quod decerneret, auctoritate nostra, appellatione remota, firmiter observari : alioquin extunc causas easdem, instructas vel non instructas, ad ejusdem Sedis examen remitteret, prefixo partibus termino peremptorio trium mensium, quo, per se vel procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus et munimentis causas predictas contingentibus, comparerent legitime coram nobis, facture et recepture super premissis quod justitia suaderet. At, post impetrationem dictarum litterarum, prepositus, decanus et capitulum prefati, mala malis addentes ac pretendentes quod magister Petrus Mariette, capellanus dicti episcopi Atrebatensis, quasdam ipsis injurias irrogarat, quodque dictus episcopus Atrebatensis, super hoc requisitus ab eis, justitiam facere recusarat, quamvis idem episcopus Atrebatensis obtulerit se paratum exhibere illis super hoc justitie complementum, cujusdam privilegii, per quod sibi a felicis recordationis Alexandro papa IIII, predecessore nostro, dicunt fuisse concessum, quod in omnes injuriatores suos possent censuram ecclesiasticam exercere, si requisiti ab eis plene illis non facerent justitie complementum, memorato episcopo Atrebatensi ingressum interdixerunt ecclesie, dictusque episcopus Atrebatensis in ipsos prepositum, decanum et nonnullas alias personas dicte ecclesie nominatim, quia jurisdictionem impediebant ipsius et ex aliis causis pluribus, canonica monitione premissa, excommunicationum sententias promulgavit, eosque fecit excommunicatos publice nuntiari. Verum, licet dictus episcopus Ambianensis, prout ipse nobis suis litteris intimavit, in hujusmodi negotio juxta traditam sibi formam procedens, moneri fecerit diligenter prepositum, decanum et capitulum supradictos, ut ante omnia in dicta eorum ecclesia resumerent organa, divina ibi officia solemniter celebrando, dictosque scolasticum et canonicos ad perceptionem cotidianarum distributionum in eadem ecclesia restituerent et admitterent, ac eis de subtractis a tempore dicte cessationis satisfactionem debitam exhiberent, nec non eosdem prepositum et decanum et Hugonem de Bapalmis, archidiaconum Ostrevanensem dicte ecclesie, super hiis impedimentum prestantes, quod ab hujusmodi impedimento desisterent, quia tamen prepositus, decanus, capitulum, archidiaconus et canonici predicti, monitiones hujusmodi surdis auribus transeuntes, parere illis contumaciter non curarunt, quamvis ipsi prepositus, decanus, et capitulum certis ex causis frivolis ad Sedem appellarint predictam, memoratus episcopus Ambianensis, hujusmodi eorum appellationi, tamquam ex causis frivolis interjecte, non deferens, in prepositum, decanum, archidiaconum et canonicos predictos taliter impedientes diversas excommunicationum sententias promulgavit, sed iidem prepositus, decanus et alii nonnulli de ipsis capitulo, sententiis eisdem contemptis, divina officia celebrare, quinpotius, quantum in eis est, prophanare presumunt, ac nichilominus ipsi prepositus, decanus et capitulum, predictis scolastico, Jacobo, Rogerio, Mathie, Johanni Roberti et Johanni de Paliano prebendarum suarum, quas in dicta ecclesia obtinent, fructus, redditus et proventus pro eorum voluntatis libito subtraxerunt. Cum autem, propter hujusmodi tot et tanta dissidia et multiplicata litigia, divinus cultus in dicta ecclesia, sicut accepimus, minuatur, insurgant scandala et odia oriantur, ac ex hiis alias utrique parti et ipsi ecclesie grave immineat detrimentum, nos, qui in eadem et aliis ecclesiis cultum predictum non minui cupimus sed augeri, quique quietem et pacem querimus singulorum, nolentes dictam ecclesiam occasione dissidiorum et litigiorum hujusmodi divinis obsequiis defraudari, sed volentes in ea resumi organa, et memoratos scolasticum et canonicos ad predictos fructus redditus et proventus et cotidianas distributiones, juxta tenorem dictarum litterarum eidem Ambianensi episcopo directarum, restitui, omnes hujusmodi lites, causas et questiones, tam principales quam appellationum, et eas quomodolibet contingentia, legitimis in eis, per quoscumque judices habitis, servatis processibus, licet nondum cause hujusmodi per eundem episcopum Ambianensem, juxta predictarum litterarum formam, ad Sedem sint remisse predictam, exnunc ad ejusdem Sedis revocamus examen. Quocirca discretioni vestre, de quorum circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum prefatos prepositum, decanum et capitulum ad resumendum organa in dicta ecclesia ac restituendum prefatos scolasticum et canonicos, quibus distributiones cotidiane ac fructus prebendarum suarum ejusdem ecclesie, ut premittitur, subtracti fuerunt, ad eorum perceptionem et satisfaciendum ipsis de subtractis hujusmodi fructibus et distributionibus integraliter, ac si cessatum in eadem ecclesia non fuisset, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, non obstantibus si aliquibus sit indultum quod excommunicari vel suspendi vel interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, dictisque preposito, decano et capitulo taliter hujusmodi organa resumentibus, prefatas omnes excommunicatio-

num sententias hinc inde prolatas ad cautelam, auctoritate nostra, relaxare curetis. Nos enim parati sumus, prout id etiam partium ipsarum procuratoribus apud Sedem constitutis eandem obtulimus, super causa principali partes audire ipsisque justitie plenitudinem exhibere. Dat. Laterani, xv kal. maii, anno nono.

5166 (LIIII) Latran, 12 mars 1303.

« Raynerio Hugolinutii de Perusio, priori secularis ecclesie Sancti Viti de Montali, Perusine diocesis. Super ordinatione fructuum ejusdem ecclesie. » (fol. 313)

Raynerio, nato quondam Hugolinutii de Perusio, priori secularis ecclesie Sancti Viti de Montali, Perusine diocesis. Grate devotionis studia —.

Licet in dicta ecclesia, in qua distinctio præbendarum non habetur, per prædecessorem ejus quondam Raynaldum Tiberutii fuerit observatum et in ceteris collegiatis et sæcularibus ecclesiis dictæ diocesis communiter observetur, ut, datis canonicis præbendis seu portionibus consuetis, priores ipsius possint reliquos fructus percipere ac de ipsis disponere, tamen canonici, de mandato, ut dicitur, episcopi Perusini, quemdam ex se ipsis camerarium elegerunt, statuendo ut omnes fructus ad ejus manus devenirent et per eum de ipsis etiam disponeretur, et episcopus Perusinus ea omnia auctoritate ordinaria confirmavit. Petitioni suprascripti annuens indulget dominus papa ut, singulis canonicis exhibitis consuetis præbendis, reliquos fructus percipere valeat, electione, statuto et confirmatione prædictis non obstantibus.

Dat. Laterani, IIII id. martii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis.. abbati monasterii Sancti Pauli de Vallepontis, et.. priori Sancti Clerici prope Bittonium, Perusine et Asisinatis diocesium, ac Thome de Paliano, archidiacono Cameracensi.*

5167 (LV) Latran, 23 mars 1303.

« Super citatione quorumdam canonicorum ecclesie Misnensis. » (fol. 313 v°.)

. . abbati monasterii Pigaviensis, Merseburgensis diocesis. Intimante nobis —.

Cum episcopus Misnensis conquestus sit de inobedientia quorumdam canonicorum suæ ecclesiæ scilicet prepositi Henrici de Swienice, Henrici de Wratislavia et Petri olim decani de Cice, qui nec etiam in festivitate Sancti Donati officio suo funguntur, mandatur suprascripto, ut eosdem citet coram Sede Apostolica, si renuunt venire ad concordiam cum prefato episcopo.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno nono.

5168 (LVI) Latran, 20 avril 1303.

Gratia concessa Rogerio de Laurea. (fol. 313 v°.)

Dilecto filio nobili viro Rogerio de Laurea, regnorum Sicilie et Aragonum amirato. Pro sincere devotionis —.

Suscipit dominus papa sub Apostolica protectione dictum Rogerium, socios et bona ejus, quamdiu contra Sarracenos armatam retinere cum contigerit.

Dat. Laterani, XII kal. maii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri archiepiscopo Neapolitano — episcopo Cathaniensi — episcopo Valentinensi.*

5169 (LVII) Même date.

Pro eodem. (fol. 314.)

Carissimo in Christo filio C[arolo], regi Sicilie illustri. Satis credimus gratiose —.

Commendat suprascripto dominus papa Rogerium de Laurea qui contra Sanacenos armatam continue retinere proponit.

Dat. ut supra.

In e. m. *carissimo in Christo filio Jacobo, Aragonie, Sardinie et Corsice regi illustri.*

5170 (LVIII) Même date.

Pro eodem. (fol. 314.)

Guardiano Fratum Minorum civitatis Regii. Exposuit nobis —.

Mandat suprascripto dominus papa, ut compellat Nicolaum de Joffo, Anselinam dictam Cathiolo, Nicolaum de Laburzi et Ligium Bartholotti, cives et mercatores Messanenses, ad solutionem cujusdam pecunie quantitatis, quam Rogerius de Laurea ab eis pro lucro licito cujusdam negotiationis habere debebat.

Dat. ut supra.

5171 (LVIIII) Même date.

Pro eodem. (fol. 314.)

Nobili viro Rogerio de Laurea, regnorum Sicilie et Aragonum amirato. Considerantes attentius affluentis devotionis affectum et inconcusse fidei puritatem, quibus erga nos et Romanam Ecclesiam, matrem tuam, laudabilibus clarere studiis non desistis, pensantes etiam quod te ad nostra et Ecclesie predicte obsequia promptum semper invenimus et paratum, dignum duximus et rationi congruum extimamus, ut, presertim in hiis, que Deo, nobis et ipsi Ecclesie ac Terre Sancte gratificari desideras, personam tuam favoribus prosequamur uberibus et specialibus gratiis honoremus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu, qui olim Deum et predictam Ecclesiam te graviter offendisse rememoras, finire desideras, cum Dei adjutorio et nostro cooperante favore, in divinis obsequiis reliquum vite tue, ac propter hoc contra inimicos crucis Christi, perfidos Sarracenos, decentem armatam proponis continue retinere. Quare provideri tibi per sollicitudinis nostre studium, ut id comodius prosequi valeas, a nobis humiliter postulasti. Nos itaque, more patris benevoli, qui salutem querimus filiorum, devotionis et fidei tue constantiam benignius attendentes, et volentes te in hujusmodi tuo laudabili proposito confovere, ac propterea statui tuo in hac parte attente providentie studio providere, tuis supplicationibus inclinati, tibi faciendi tunc et deinceps, ac retinendi armatam contra hujusmodi inimicos crucis, perfidos Sarracenos, nec non capiendi et faciendi capi omnes ad partes Egypti vel Alexandrie contra inhibitionem Sedis Apostolice accedentes et exinde etiam redeuntes, auctoritate presentium, liberam licentiam impertimur, tibi nichilominus concedentes ut quicquid ab hujusmodi accedentibus et redeuntibus te licite, juxta processus Sedis ejusdem super hoc habitos, auferre forte contigerit, libere retinere valeas, illudque tuum sit et tuis possis usibus applicare, aliqua super retentione hujusmodi constitutione contraria non obstante. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. ut supra.

In e. m. *universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.*

5172 (LX) Même date.

Pro eodem. (fol. 314.)

Eidem nobili. Cum tibi faciendi —.

Conceditur suprascripto et omnibus in armata ejus proficiscentibus eadem indulgentia peccatorum, quæ proficiscentibus in Terræ Sanctæ subsidium, est concessa, quamvis ad partes Egypti vel Alexandriæ proficisci velit.

Dat. ut supra.

5173 (LXI) Latran, 24 mars 1303.

« Super venditione et permutatione quarumdam possessionum ecclesie Vulterane. » (fol. 314 v°.)

Venerabilibus fratribus . . Senensi, et . . Pistoriensi episcopis. Ex parte . . potestatis, consilii et comunis civitatis Vulterane fuit nuper expositum coram nobis, quod, licet dominium et jurisdictio temporalis castri de Monte Castelli, Vulterane diocesis, ad eos et civitatem eandem pertineant, ac ipsi in territorio dicti castri nonnullas terras [et] possessiones obtinere noscantur, tamen venerabilis frater noster . . episcopus Vulteranus, asserens se in dominio et jurisdictione dicti castri nec non et quibusdam possessionibus, in ejus territorio existentibus, quas predecessor ejus occupasse dicitur per violentiam, jus habere, prefatos — super premissis multipliciter aggravat — propter quod inter eos et dictum episcopum lites et contentiones frequenter emergunt et scandala oriuntur. Quare pro parte dictorum potestatis, consilii et comunis fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipsi, ad hujusmodi lites et contentiones ac scandala evitanda, velint dicto episcopo pro hujusmodi dominio ac jurisdictione nec non terris et possessionibus suis dare certam pecunie quantitatem, ex qua conditionem episcopalis sedis Vulterane facere poterit meliorem, dicto episcopo vendendi predictis — licentiam concedere dignaremur. Nos itaque, attendentes quod, licet ecclesiasticarum rerum alienationes regulariter jura prohibeant, ne tamen comode provisionis via et occasio, venerandis ecclesiis et locis ecclesiasticis profutura, omnino videatur exclusa, cum ipsas fieri ecclesiarum et locorum eorumdem exposcit utilitas, ut in hiis meliora prospiciant, alienationes fieri sacri canones proviserunt, ac, de circumspectione vestra gerentes in Domino fiduciam pleniorem, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus, consideratis diligenter circumstantiis universis, que circa premissa fuerunt attendende, super quibus vestras intendimus conscientias onerare, si evidenti utilitati dicti episcopi et ejusdem Sedis videritis expedire, prefato episcopo vendendi — predictis potestati, consilio et comuni dominium et jurisdictionem — auctoritate nostra concedatis : proviso quod pretium, quod ex dictis domi-

nio, jurisdictione, possessionibus, bonis et juribus pervenire contigerit, penes aliquam personam ydoneam deponi faciatis, de cujus consilio alie possessiones emantur, que episcopo et sedi prefatis magis utiles existere dinoscantur, ne id quod pro episcopi et sedis predictorum utilitate conceditur in eorum contingat vergere detrimentum idque de vestris manibus a Domino requiratur. Quod si alter vestrum legitimo forsitan impedimento detentus nequiverit circa premissorum executionem intendere, reliquus ea nichilominus exequatur. Dat. Laterani, VIIII kal. aprilis, anno nono.

5174 (LXII) Latran, 20 avril 1303.

« Confertur magistro Jacobo Andreutii de Asisio prebenda Meldensis. » (fol. 315.)

Magistro Jacobo Andreutii de Asisio, canonico Meldensi. Laudabile testimonium —.

Consideratione Matthæi, Sanctæ Mariæ in Porticu diaconi cardinalis, pro eo capellano suo supplicantis, canonicatum et præbendam in ecclesia Meldensi, per obitum quondam Desii Archionis de Urbe, nuper decedentis in ipsa Urbe, vacantes et Apostolicæ dispositioni reservatos confert dominus papa, non obstante quod in ecclesia Sanctæ Mariæ Rosarum Asisinati locum et beneficium sine cura, et ab episcopo Asisinati quasdam possessiones sitas in territorio Asisinati, ad mensam suam episcopalem spectantes, vel earum proventus in beneficium noscitur obtinere. « Volumus autem, quod, postquam canonicatum et prebendam predictos fueris pacifice assecutus, prefata, que, ut premittitur, ab eodem episcopo obtines, omnino dimittere tenearis. »

Dat. Laterani, XII kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis Bertuldo de filiis Ursi, preposito de Montefalcone, Remensis diocesis, et Grimerio, thesaurario Baiocensis, ac Guillelmo Lombardi, canonico Silvanectensis ecclesiarum.*

5175 (LXIII) Latran, 28 avril 1303.

« Dispensatio super matrimonio in Neapoli. » (fol. 315.)

Dilecto filio nobili viro Franciscolo Johannis Jacobi Galiote et dilecte in Christo filie Letitie, nate nobilis viri Petri Pistelli de Neapoli. Sedis Apostolice —.

Obtentu L[udovici], Sancti Angeli diaconi cardinalis, indulgetur suprascriptis, ad corraborandum amicitiæ vinculum inter progenitores, ut matrimonium contrahere possint, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, IIII kal. maii, anno nono.

5176 (LXIIII) Latran, 28 mars 1303.

« Super abbatissa preficienda in monasterio Liciensi. » (fol. 315 v°.)

. . priori Predicatorum, Brundusino, et . . guardiano Litienti Minorum Fratrum ordinum. Sua nobis —.

Post obitum quondam Flamengæ abbatissæ fuerunt electæ in monasterio Sancti Johannis Liciensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti quondam Audisia de Monterono et Constancia de Noha, moniales ejus monasterii, sed postmodum Audisia mortua et Constantia suam electionem, utpote a minore parte celebratam, infra tempus a jure statutum prosequi non curante, ad instanciam ejusdem Constanciæ et conventus, mandatur suprascriptis, ut, ad monasterium personaliter accedentes, personam ydoneam de gremio monasterii eligendam præficiant in abbatissam.

Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno nono.

POTTHAST, 25225.

5177 (LXV) Latran, 16 février 1303.

« Symoni Gerardi civi et mercatori Florentino de societate Spinorum. Super decem millibus florenorum quos habent depositos penes eum et societatem suam. » (fol. 315 v°.)

Symoni Gerardi, civi et mercatori Florentino, de societate Spinorum. Cum dudum dilecti filii Petrus, Remensis, Paulus, Carnotensis, Alibrandinus, Senonensis ecclesiarum canonici, et Johannes dictus Conte domicellus, fratres, filii quondam Adenulfi dicti Conte, civis Romani, vendidissent dilecto filio nobili viro Petro Gaytani, nepoti nostro, comiti Casertano, castrum Gabiniani, Signine diocesis, — pro pretio quadraginta milium florenorum auri, sicut apparet per publicum instrumentum confectum per quondam Egidium dictum Abbatem de Anagnia, notarium publicum, et dilecte in Christo filie nobiles mulieres Filippa et Johanna, filie quondam Johannis de Gabiniano, olim domini dicti castri, ratione suarum dotium jus aliquod in dicto castro pretenderent se habere, decem milia florenorum auri de supradicto pretio, tempore venditionis hujusmodi, apud bone memorie Petrum,

Sancte Marie Nove diaconum cardinalem, jussimus tali pacto et conditione deponi, quod, si predicte mulieres haberent jus in castro prefato, satisfieret eis de predictis decem milibus florenis pro rata juris earum et pretii suprascripti, et, si quod ultra satisfactionem eandem superesset de predictis decem milibus florenis, redderetur venditoribus memoratis — prout de hujusmodi deposito manu Nicolaii dicti Novelli de Vico, notarii publici, dicitur plenius apparere.

Cum autem dictus cardinalis apud suprascriptos hanc summam duxerit deponendam et viam sit universæ carnis ingressus, conceditur eis ut eam nomine depositi eisdem conditionibus retineant.

Dat. Laterani, XIIII kal. martii, anno nono.

5178 (LXVI) Latran, 28 mars 1303.

« Raymundo, abbati monasterii de Clayriaco, Agennensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 315 v°.)

Raymundo, abbati monasterii de Clayriaco, ordinis sancti Benedicti, Agennensis diocesis. Debitum officii nostri —. Dudum siquidem monasterio de Clayriaco — per mortem quondam Guabardi — regimine destituto pastoris, dilecti filii . . prior et conventus — ejusdem monasterii post varios et diversos processus et tractatus — qui sortiti effectum aliquem non fuerunt, vocatis demum omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse deliberantes per viam procedere compromissi, dilectis filiis Raymundo Bernardi de Rupe, de Marmanda, Aymerico de Prereissano, de Claromonte prioratuum, ad dictum monasterium immediate spectantium, ac Bernardo Peleti, secularis ecclesie de Manso, dicte diocesis, prioribus, providendi ea vice dicto monasterio de abbate, de gremio ejus monasterii, concesserunt unanimiter potestatem —, iidem vero compromissarii — in te, tunc monachum predicti monasterii direxerunt concorditer vota sua — dictusque prior de Manso — te in abbatem elegit monasterii memorati dictique prior et conventus — electionem ipsam per eorum certos procuratores et nuntios petierunt a venerabili fratre nostro . . Agennensi episcopo, auctoritate ordinaria, confirmari. Sane dilectus filius Arnaldus de Cantalupo, archidiaconus Bruliensis in ecclesia Agennensi, cui dictus episcopus, postquam ipsius electionis negotium fuerat coram ipso episcopo rite discussum, et tu per ipsum episcopum examinatus fueras diligenter, diffinitivam sententiam super ipsius electionis negotio proferendam — commiserat, quia eidem archidiacono legitime constitit, ut dicebat, te tunc pati intolerabilem in litteratura defectum, dictumque priorem de Manso tuam electionem pronuntiasse per verba pluralis numeri, cum ipsam per verba singularis numeri debuisset, electionem predictam, auctoritate commissionis hujusmodi, pronuntiavit sententialiter irritam et inanem, dictosque priorem et conventum — fore ea vice eligendi potestate privatos, et potestatem providendi dicta vice predicto monasterio de abbate ad eundem episcopum legitime devolutam, propter que pro parte tua et ipsorum prioris et conventus ad Burdegalensem curiam, loci metropoliticam, extitit appellatum, ac hujusmodi appellationis negotium per biennium et amplius in dicta curia ventilatum, et demum venerabilis frater noster . . archiepiscopus Burdegalensis ac idem episcopus, quantum in eo erat, hujusmodi negotium ad examen Sedis Apostolice remiserunt, nobis humiliter supplicantes ut de te, qui post tuam electionem adeo litterarum studio institisti, quod in eo dinosceris laudabiliter profecisse, vel alia persona ydonea providere dicto monasterio dignaremur.

Cum autem suprascriptus per Gentilem, tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum, et Neapoleonem, Sancti Adriani diaconum cardinales, quibus examinatio personæ ejus commissa fuerat, de litteratura examinatus fuerit diligenter et in illa repertus convenienter idoneus, præficitur dicto monasterio in abbatem, ei per J[ohannem], Portuensem episcopum, munere benedictionis impenso.

Dat. Laterani, V kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii de Clayriaco — universis vassallis.*

5179 (LXVII) Latran, 20 mars 1303.

Ordinatio super receptione episcoporum Autisiodorensium in monasterio Sancti Germani Autisiodorensi. (fol. 316.)

Ad perpetuam rei memoriam. Universalis Ecclesie regimini, divina dispositione, quamquam immeriti, presidentes, reddimur mente vigiles, ut de singulorum ecclesiarum et monasteriorum profectibus, juxta officii nostri debitum cogitemus, ea paterne diligentie studiis exequendo, per que ab imminentibus eis gravaminibus, eadem ecclesie et monasteria preserventur, ac dissensionibus exinde inter personas ecclesiarum et monasteriorum ipsorum provenire solitis obvietur, et persone

ipse gravaminibus et dissensionibus predictis submotis, in pulcritudine pacis et opulenta requie valeant permanere. Olim siquidem dilecti filii . . abbas et conventus monasterii Sancti Germani Autisiodorensis, ordinis sancti Benedicti, nobis significare curarunt, quod Autisiodorenses episcopi, qui fuerunt pro tempore, ab antiquo, in eorum promotionis primordio, post consecrationis munus ab ipsis susceptum, consueverant cum competenti non onerosa comitiva ad dictum monasterium declinare, ac ibidem per aliquot dies morari, et procurationes seu expensas diebus ipsis in victualibus ab ipso monasterio recipere moderatas, ita quod ex hiis dictum monasterium nullis superfluis sumptibus gravabatur, quodque monasterium ipsum, pro eo quod modernis temporibus aliqui predecessores venerabilis fratris nostri P[etri], episcopi Autisiodorensis, et etiam idem episcopus, cum ad dictum monasterium juxta prefatam consuetudinem declinarunt, modum ab aliis episcopis supradictis eorum antecessoribus servari solitum circa numerum tam personarum et evectionum[1], quas secum ducebant, quam etiam dierum, quibus in eodem monasterio morati fuerunt, excesserunt, in exhibitione procurationum et expensarum eis facta gravibus fuerat sumptibus oneratum. Quare fuit nobis ex parte dictorum abbatis et conventus humiliter supplicatum, ut indempnitati ejusdem monasterii paterna in hac parte diligentia precavere in posterum dignaremur. Et, cum nonnulla ex parte dicti episcopi et ecclesie sue fuissent proposita coram nobis, nos, eis nec non et hiis, que pro parte dicti monasterii allegata fuerunt, auditis et diligenter inspectis, volentes super premissis illius provisionis adhibere remedium, per quod eidem ecclesie ac futuris episcopis Autisiodorensibus jus in hac parte competens modeste servetur, dictique abbas et conventus et monasterium ipsum immoderatis seu superfluis procurationibus exhibendis ejusdem episcopi successoribus non graventur, breviumque dierum spatium victum longi temporis non consumat, auctoritate presentium et de Apostolice plenitudine potestatis, statuimus, ordinamus atque precipimus, ut quilibet dicti episcopi successorum, cum ad predictum monasterium in sua promotionis novitate secundum prefatam consuetudinem declinabit, non plus quam sex diebus apud ipsum monasterium moram trahat, qui etiam teneatur infra ipsos sex dies de monasterio predicto discedere, si expediens fuerit et commode poterit, super quo ejus conscientiam manere volumus oneratam, et per unius cujuslibet dierum, quibus in eodem monasterio personaliter morati fuerint, procuratione, expensis et sumptibus omnibus, decem libris Parisiensium minutorum vel eorum extimatione secundum usualem monetam Parisius currentium tempore quo hujusmodi pecunia fuerit persolvenda, exhibendis sibi a prelibatis abbate, conventu et monasterio, sit contentus, nec plus exigat seu recipiat ab eisdem aliquo vel aliquibus sive aliqua persona monasterii memorati : non obstantibus quibuscunque conventionibus, transactionibus sive concessionibus, promissionibus et obligationibus, si qua sunt forsitan facta vel inita inter partes, et consuetudine seu prescriptione contrariis, si sunt etiam juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quacumque alia firmitate vallati, et quibuslibet privilegiis et indulgentiis dicte Sedis quibuscumque concessis, per que, de verbo ad verbum presentibus non expressa vel totaliter non inserta, eorum effectus valeat quomodolibet impediri. Decernimus insuper irritum et inane, si secus super premissis contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera. Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, anno nono.

1. *Ms* : evenctionum.

5180 (LXVIII) Latran, 22 avril 1303.

« Alexio, abbati monasterii Sancte Marie Cripteferrate, Tusculane diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 316 v°.)

Dilecto filio Alexio, abbati monasterii Sancte Marie Cripteferrate, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Basilii, Tusculane diocesis. Inter sollicitudines varias —. Nuper siquidem monasterio Sancte Marie Cripteferrate — per obitum quondam Blasii — pastoris regimine destituto, dilectii filii . . sacrista et conventus, eligentes — per viam procedere compromissi, quatuor monachis monasterii supradicti providendi ea vice — ipsi monasterio de abbate potestatem — concesserunt, — prefati vero compromissarii — te, tunc monachum professum ejusdem monasterii, per sortes, quod est a jure prohibitum, in abbatem ipsius monasterii elegerunt. Sed tu, electioni predicte tuum consensum non exhibens, ipsam per te ac certos prefati conventus procuratores seu nuntios ad nostram notitiam perduxisti, nos autem electionem eandem — irritam nuntiavimus.

Suprascriptum, « ab annis teneris in eodem monasterio » educatum, præficit in abbatem dominus papa.

Dat. Laterani, X kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . sacriste et conventui — universis vasallis.*

5181 (LXVIIII) Latran, 25 mars 1303.)

« Lotherio, episcopo Florentino. Pro quibusdam de Circulis de Florentia. » (fol. 317.)

Venerabili fratri Lotherio, episcopo Florentino. Accedens ad presentiam nostram dilectus filius nobilis vir Lapus de Circulis de Florentia, miles, pro se ac filiis ejus et pro filiis quondam Gerardini et Consilii ac Nicolai de Circulis de Florentia et eorumdem filiorum natis, ejusdem Lapi nepotibus, nobis reverenter exposuit, quod ipse ac omnes et singuli supradicti fuerunt et sunt fideles, obedientes et amatores Sancte Matris Ecclesie ac de parte Guelforum, et semper Apostolice Sedi et legatis ipsius in partibus illis et comuni Florentie devote assistere ac obedire curarunt, nec unquam contra Ecclesiam, Sedem, legatos et comune predicta aliquid notabiliter attemptasse noscuntur, quod eis ad indevotionem vel inobedientiam possit ascribi. Quare nobis humiliter supplicavit, ut eos inter alios fideles et devotos de civitate predicta ascribere ac retinere in nostra memoria et Florentie ac alibi favorabiliter ac benivole tractari facere dignaremur. Cum igitur devotio et obedientia premium mereantur, nec sint a gratia et benivolentia, quos culpa non maculat, excludendi, quia te de facto et facti circumstantiis habere credimus notitiam pleniorem, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si Lapum et alios supradictos noveris fuisse ac esse fideles, obedientes et Guelfos, ut premittitur, ac devotos, procures ac facias per te ipsum et apud majores, rectores et officiales de parte Guelforum civitatis ejusdem, ut Lapus et alii supradicti a confinibus, impositionibus, oneribus et quibuscunque gravaminibus, personalibus et realibus, presentibus et futuris, sicut alii Guelfi fideles et devoti ejusdem Ecclesie, preserventur, et pertractentur honoribus, favoribus et auxiliis oportunis, nec permittas quod ipsi vel eorum aliquis, in hujusmodi obedientia et devotione manentes, pretextu aliorum de Circulis, qui in nostra et predicti comunis gratia, eorum demeritis exigentibus, non existunt, plus quam alii Guelfi fideles et devoti quomodolibet agraventur. Et, si qua eis vel eorum aliquibus in confinibus vel alias gravamina sunt illata, illa provide revocentur : sic te in hacte parte provide ac efficaciter habiturus quod possis exinde merito commendari. Dat. Laterani, VIII kal. aprilis, anno nono.

5182 (LXX) Latran, 3 avril 1304.

« Indultum pro Raynaldo, episcopo Lemovicensi. » (fol. 317.)

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Lemovicensi. Sincere devotionis affectus —.

Ut possit facere recipi singulas personas in sua cathedrali Lemovicensi et in Dauratensi, Ahentensi, Ranzoliensi, de Sancto Juniano et de Sancto Aredio ecclesiis collegiatis suarum civitatis et diocesis.

Dat. Laterani, III non. aprilis, anno nono.

5183 (LXXI) Latran, 20 mars 1303.

« Frederico, electo Brandeburgensi. Preficitur in episcopum Brandeburgensem. » (fol. 317.)

Frederico, electo Brandeburgensi. Recte tunc ecclesiarum —. Pridem siquidem Brandeburgensi ecclesia, Premonstratensis ordinis, per obitum bone memorie Volradi, Brandeburgensis episcopi, qui apud civitatem Anagninam, dum in ea Romana Curia resideret, debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii . . prepositus, . . prior et capitulum ejusdem Brandeburgensis ecclesie, vacatione ipsius fidedignis relatibus intellecta, nobis, per suas patentes litteras et dilectos filios Henricum dictum de Gadelege et Johannem de Milow, eorum concanicos et procuratores, ad hoc specialiter constitutos, humiliter supplicarunt, ut te — in pastorem ecclesie predicte preficere de benignitate Sedis Apostolice dignaremur —.

Petitioni annuens dominus papa suprascriptum, canonicum Halberstadensem, præfatæ ecclesiæ præficit in episcopum.

Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito, . . priori et capitulo — clero — venerabili fratri . . archiepiscopo Magdeburgensi.*

5184 (LXXII) Latran, 28 avril 1303.

« Super provisione episcopatus Tarsensis. » (fol. 317 v°.)

Venerabilibus fratribus . . Nimauciensi, et . . Famagustano episcopis. Pro parte dilecti filii Johannis, electi Tharsensis, fuit nuper expositum coram nobis, quod, vacante

dudum ecclesia Tharsensi, per obitum bone memorie Servidei, in episcopum Tharsensem electi et confirmati, capitulum ejusdem ecclesie Tharsensis, convenientes in unum — eundem Johannem, tunc ordinis Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, in archiepiscopum canonice et concorditer elegerunt. Idemque Johannes, habita sui superioris licentia, infra tempus debitum hujusmodi electioni consensit et eandem electionem per dilectum filium Michaelem de Accon, canonicum Antiochensem, Sede Antiochensi vacante, sub cujus patriarchatu ecclesia Tharsensis existit, cum plures canonici seu alii de capitulo ecclesie Antiochensis, ad quod capitulum propter vacationem ejusdem Sedis ipsius electi confirmatio pertinebat, non essent in patriarchatu ipso aut vicinis partibus, obtinuit confirmari, sibique demum, ex commissione seu de licentia ipsius Michaelis, per venerabilem fratrem nostrum Leonardum, episcopum Kyronensem, assistentibus sibi venerabilibus fratribus nostris Jacobo, Millopotamensi, et Placentino, Kalamonensi episcopis, quos patriarchatui predicto subesse noscimus, fuit sibi munus consecrationis impensum. Quare fuit nobis humiliter supplicitum, ut palleum, insigne videlicet pontificalis officii, eidem electo concedere et assignari facere dignaremur, cum, dicta ecclesia Antiochensi vacante, sibi non possit concedi palleum nisi per Sedem Apostolicam vel ejus auctoritate.

Mandatur suprascriptis ut pallium, quod dominus papa eis per Thomam de Accon, nuntium dicti electi, transmittit, eidem assignare curent.

Dat. Laterani, IIII kal. maii, anno nono.

5185 (LXXIII) Latran, 26 avril 1303.

« Licentia de mutuo contrahendo pro Alexio abbate monasterii Cripteferrate » usque ad summam mille florenorum auri. (fol. 317 v°.)

Alexio, abbati monasterii Cripteferrate, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Basilii, Tusculane diocesis. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, VI kal. maii, anno nono.

5186 (LXXIIII) Latran, 22 avril 1303

« Petro, abbati monasterii Sancti Salvatoris Reatini. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 318.)

Petro, abbati monasterii Sancti Salvatoris majoris Reatini, ad Romanam Ecclesiam, nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Debitum officii —.

Suprascriptum, ordinis professum, in sacerdotio constitutum et cellararium dicti monasterii, post obitum quondam Nicolai, in abbatem a Luca de Malielardo, Laurentio de Prato Johannis et Jacobo de Reate, compromissariis dicti conventus, electum, confirmat dominus papa, examinatione per Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, Neapolionem, Sancti Adriani, ac Franciscum, Sanctæ Luciæ in Silice diaconos cardinales facta et ei per L[eonardum], episcopum Albanensem, munere benedictionis impenso.

Dat. Laterani, X kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis conventui — universis vassallis.*

5187 (LXXV) Latran, 25 avril 1303.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Theobaldo, episcopo, tunc electo Leodiensi. » (fol. 318.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis et . . archidiacono Castri Radulphi in ecclesia Bituricensi ac Jacobo de Cancellariis de Urbe, canonico Laudunensi. Exponente pridem nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum quatuor millium florenorum auri, quos Theobaldus, episcopus tunc electus Leodiensis, recepit a Jacobo Nicolai Muti, Paulo de Rizia et Matheo Ciceronis, civibus et mercatoribus Romanis, mutuantibus hoc modo videlicet : prædicto Jacobo, pro se et Romanello filio suo, duo millia et quingentos, et præfato Paulo, pro se et Angelo fratre suo, septingentos quinquaginta, et prælibato Matthæo, pro se et heredibus suis, alios septingentos quinquaginta florenos auri.

Dat. Laterani, VII kal. maii, anno nono.

5188 (LXXVI) Latran, 22 avril 1303.

« Mandatur conferri Nicolao Manentis ruralis ecclesia Sancti Augustini de Valle Tresse, Senensis diocesis. » (fol. 318 v°.)

Dilectis filiis . . archidiacono Atrebatensi et . . priori secularis ecclesie Sancte Marie de Tacti ac . . plebano plebis de Lugnano, Grossetane et Vulterane diocesium. Ut dilecti filii —.

Cum ruralis ecclesia Sancti Augusti de Valle Tresse, Senensis diocesis, spectans ad monasterium de Sancto Eugenio prope

Senas, ordinis sancti Benedicti, consueta ab olim secularibus clericis assignari, per obitum proprii rectoris vacet ad præsens et tanto tempore vacaverit, ut Sedis Apostolicæ dispositioni sit devolutum, mandatur suprascriptis ut de ea Nicolao, nato Manentis Tholomei, clerico Senensi, provideant.

Dat. Laterani, x kal. maii anno nono.

5189 (LXXVII) Latran, 3 avril 1303.

« Quod possit facere reconciliari ecclesias et cimiteria suarum civitatis et diocesis. » (fol. 318 v°.)

Raynaldo, episcopo Lemovicensi. Personam tuam —. Dat. Laterani, III non aprilis, anno nono.

5190 (LXXVIII) Latran, 20 avril 1303.

« Ad perpetuam rei memoriam. Statuitur studium in Urbe. » (fol. 318 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. In suppreme preheminentia dignitatis divini dispositione consilii constitutis ad universas fidelium regiones, nostre vigilantie creditas, tanquam pastor dominici gregis vicem Apostolice considerationis extendimus, ad earum profectum quantum nobis ex Alto permittitur intendentes ; set ad urbium urbem, Romanam videlicet civitatem, quam divina clementia statuit capud orbis, eo attentioris meditationis intuitum retorquemus, quo principalius in eadem nostri sedem apostolatus celestis dispositio stabilivit et firmavit ecclesie fundamenta. Hanc profecto nimirum inter ceteras urbes sub christiane religione fidei militantes uberioris affectionis prerogativa prosequimur, studiosius aposto licis munimus presidiis et condignis libentius gratiis honoramus, ideoque ferventi non immerito desiderio ducimur quod eadem Urbs, quam divina bonitas tot gratiarum dotibus insignivit, scientiarum etiam fiat secunda muniminibus, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons scientiarum irriguus, de cujus plenitudine auriant universi litteralibus cupientes imbui documentis. Ad hunc igitur universalem profectum non solum incolarum Urbis ipsius et circumposite regionis, set et aliorum, qui preter hoc quasi continuo de diversis mundi partibus confluunt ad eandem, studio paterne solicitudinis intendentes, diligenti super hoc cum fratribus nostris deliberatione prehabita, de ipsorum consilio, Apostolica auctoritate statuimus, quod in Urbe predicta perpetuis futuris temporibus generale studium vigeat in qualibet facultate, ac docentes et studentes ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus, concessis doctoribus et scolaribus in studiis generalibus commorantibus, gaudeant et utantur. Et ne hujusmodi ipsorum studium quod de bono semper in melius dirigi cupimus perturbari contingat, auctoritate predicta, decernimus, ut doctores vel scolares, in hujusmodi Romano studio commorantes, non possint inviti in curia Capitolii occasione qualibet, civiliter vel criminaliter, conveniri, nisi forsan, quod absit, homicidium per aliquem vel aliquos de eodem studio Romano perpetrari contingat, in quo casu vicarius Romani Pontificis contra clericos, senator vero seu senatores, qui pro tempore fuerint in Urbe predicta, contra laicos procedant et faciant quod justitia suadebit, nec ad aliquas contributiones in talliis aut collectis, que imponerentur pro tempore habitatoribus dicte Urbis, seu aliqua obsequia communi Urbis ipsius prestanda, pretextu more quam in eadem Urbe contraherent, vel aliqua pedagia, ratione rerum suarum, quas ad dictum Romanum studium deferri vel exinde reportari facerent, doctores aut scola[res] ejusdem Romani studii teneantur, quodque pensiones domorum, quas doctores vel scolares in eadem Urbe studiorum causa morantes inhabitaverint, taxari debeant per duos taxatores, quorum unum ipsi doctores et scolares, et alterum commune ipsius Urbis eligant, et si hii duo nequiverint concordare, stetur taxationi tertii taxatoris, ab eisdem doctoribus et scolaribus eligendi, ac ultra taxationem hujusmodi nichil ab eis possit exigi, nomine pensionis, pro domibus antedictis. Et licet Roma communis sit patria, si tamen quispiam litem contra scolares peregrinantes causa studiorum in illa super aliquo negotio movere voluerit, hujusmodi rei optione data scolaribus ipsis, eos coram domino aut magistro suo vel vicario predicto conveniat juxta legitimam super hoc editam sanctionem, et qui contrafecerint penam dicte sanctionis incurrant. Rectores quoque, quos doctores et scolares ejusdem Romani studii pro tempore duxerint eligendos, in ipsos doctores et scolares ac familiares ipsorum, tam circa cognitionem et decisionem causarum civilium et criminalium, civiliter motarum et etiam criminaliter in criminibus levioribus, quam ipsorum corrigendos excessus leves, ordinariam obtineant potestatem. Ut autem doctores et scolares predicti eo liberius intendere studio valeant ac proficere in eodem, quo majoris fuerint gratie favore muniti, ipsis, auctoritate predicta, concedimus, ut, dum hujusmodi studio docendo vel audiendo institerint, fructus, redditus et proventus curam beneficiorum suorum, cum cura vel sine cura, etiamsi eorum aliqua per-

sonatus vel dignitates existant, cum ea possint integritate percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in eis, in quibus illa obtinent, personaliter residerent, et ad residendum in eis interim minime teneantur, neque ad id a quoquam valeant coarctari, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis dictarum ecclesiarum —. Nulli ergo — concessionis —. Dat. Laterani, XII kal. maii, anno nono.

5191 (LXXVIII) Latran, 2 avril 1303.

« Confirmatur monasterio Casedei privilegium exemptionis. » (fol. 319.)

. . *abbati et conventui monasterii Casedei, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis.* Religionis vestre meretur honestas et sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam Ecclesiam geritis, exigit, ut petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos et predecessores vestri, qui fuerunt pro tempore, ac vestrum monasterium cum abbatiis, prioratibus ac universis membris ad monasterium ipsum spectantibus, a potestate et jurisdictione quorumlibet ordinariorum per specialia privilegia Sedis Apostolice fuistis et estis exempti, tantoque tempore fuistis vos et iidem predecessores, sicut et adhuc vos esse asseritis, in possessione vel quasi hujusmodi libertatis, quod super boc estis legitima prescriptione muniti, cum contrarii memoria non existat, vobis quoque, tam ex privilegiis Apostolicis, quam ex antiqua approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, competit et est hactenus in monasterio predicto servatum, quod is, qui pro tempore in abbatem eligitur ipsius monasterii, confirmationem sue electionis et benedictionis munus ab . . episcopo Claromontensi, qui est pro tempore, recipit, si gratiam et communionem Apostolice Sedis habeat, et eas velit gratis et absque pravitate qualibet impertiri : alioquin licet ipsi electo aut ad prefatam Sedem super hoc habere recursum aut adire alium, quemcunque vult, antistitem catholicum pro confirmatione et benedictione hujusmodi obtinendis. Cum autem ex hiis statum pacificum et tranquillum ac utilitatem non modicam habueritis hactenus, et majorem, dante Domino, speretis suscipere in futurum, nos, vestris supplicationibus inclinati, privilegia, exemptionem, libertatem, consuetudinem hujusmodi, quatenus ea canonice obtinetis, vobis et, per vos, monasterio, abbatiis, prioratibus et universis membris prefatis, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, etc. usque : communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, IIII non. aprilis, anno nono.

5192 (LXXX) Latran, 22 avril 1303.

« Quod usque ad triennium possit per alium facere, visitari civitatem, diocesim et provinciam Viennenses. » (fol. 319.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Viennensi. Grata devotionis studia —.

Propter graves inimicitias suprascripto pro defendendis ecclesiæ suæ juribus ingruentes concedit dominus papa, ut, usque ad triennium, possit per alium facere visitari civitatem diocesim et provinciam Viennenses atque procurationes in pecunia numerata recipere.

Dat. Laterani, X kal. maii, anno nono.

In. e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Andree Viennensis et . . priori de Sancto Donato, Viennensis diocesis, ac . . archidiacono Valentino.*

5193 (LXXXI) Latran, 20 avril 1303.

« Conceduntur Tinatio Rolandi de Pomonte domus, casalina et possessiones posita in castro Bettonie, ad Ecclesiam Romanam pertinentia, que quondam magister Gerardus Benevenuti ab Ecclesia eadem obtinebat. » (fol. 319 v°.)

Tinatio, nato quondam Rolandi de Pomonte, civi Tudertino. Affectus pure devotionis —.

Suprascripto, obtentu L[eonardi], episcopi Albanensis, pro eo supplicantis, conceditur, quoad vixerit retinenda, omnes domos, casalina et possessiones posita in castro Bettonie ac ejus territorio, Asisinatis diocesis, ad Romanam Ecclesiam pertinentia, quæ quondam magister Bernardus Benvenuti dictus Cappanilii de castro Mevano ab eadem Ecclesia obtinebat.

Dat. Laterani, XII kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Crispoldi et . . plebano plebis Sancti Constantii de Pomonte, Assisinatis diocesis.*

5194 (LXXXII) Même date.

« Anibaldo de Ceccano, canonico Belvacensi. Dispensatur cum eo super quodam statuto in ecclesia Belvacensi. » (fol. 319 v°.)

Anibaldo de Ceccano, canonico Belvacensi. Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod in Belvacensi ecclesia, in qua prebendam nosceris obtinere, statutum, juramento vallatum, existit, ut quilibet canonicus, in ea de novo prebendam adeptus, teneatur in dicta ecclesia per unum annum continuum personaliter residere, et deinde, nisi, singulis sequentibus annis, per viginti sex ebdomadas continuas in eadem ecclesia vel in Curia aut in scolis vel in peregrinatione fuerit, foraneus efficitur, nec potest fructus prebende sue ipsius ecclesie percipere, quousque iterato per unum annum personaliter residerit in ecclesia supradicta. Verum tu, qui per procuratorem tuum juravisti predictum et alia statuta ipsius ecclesie observare, licet primam residentiam in dicta ecclesia perfeceris, postmodum tamen, ad partes istas te conferens, quatuor annis proximo jam elapsis, prout tenebaris, hujusmodi residentiam viginti sex ebdomadarum minime perfecisti, percipiendo nichilominus prebende predicte proventus.

Suprascripto omnem maculam, quam ex dicta perceptione fructuum contraxit, abolet dominus papa et indulget ad triennium ut fructus percipere valeat, residentiam præfatam non faciens.

Dat. ut supra.

5195 (LXXXIII) Latran, 29 mars 1303.

« Reservatur Francisco de Alviano personatus seu dignitas in civitate vel diocesi Aquilensi. » (fol. 319 v°.)

Francisco, nato dilecti filii Andree de Alviano, canonico ecclesie de Sancto Eusanio, Aquilensis diocesis. Probitatis tue meritis —.

Suprascripto, consideratione nobilis viri Francisci quondam Andree de Alviano, pro eo, nepote suo, supplicantis, beneficium, etiamsi curatum vel dignitas existat, in civitate vel diocesi Aquilensi vacans confert vel vacaturum reservat dominus papa, non obstante quod in ecclesia de Sancto Eusanio, canonicatum et præbendam, et ecclesiam Sancti Savini sine cura, Aquilensis et Reatinæ diocesium, noscitur obtinere, et in minoribus tantum ordinibus et quarto decimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Atrebatensi et . . preposito Sancte Andree de Stiphia, ac Thome Caroni, canonico de Sancto Sano, Aquilensis diocesis, ecclesiarum.*

5196 (LXXXIIII) Latran, 22 avril 1303.

Conceditur U[berto], episcopo Feretrano, administratio monasterii sancti Illari de Galliata, ordinis sancti Benedicti, Foropopuliensis diocesis. (fol. 320.)

Venerabili fratri U[berto], episcopo Feretrano. Tue fraternitatis devotio promeretur, ut illlam tibi gratiam favorabiliter impendamus, quam tuis fore conspicimus necessitatibus oportunam. Ex tenore siquidem tue petitionis accepimus, quod Apostolice Sedis benignitas, considerans hactenus turbationum et guerrarum insultus, qui invaluerant nec adhuc cessant in provincia Romandiole, quodque redditus et proventus episcopatus tui erant adeo diminuti, quod secundum pontificalis dignitatis honorem non poteras ex eis comode sustentari et expensarum onera supportare, que tibi pro custodia castrorum ecclesie tue, quorum aliqua per alios adhuc etiam occupata tenentur, et ex aliis causis multiplicibus incumbebant, diversis temporibus tibi clementer indulxit (*sic*), ut administrationem monasterii sancti Illari de Galliata, ordinis sancti Benedicti, Foropopuliensis diocesis, abbatis regimine destituti, tam in spiritualibus quam temporalibus per certa temporum spatia retinere posses licite ac libere exercere. Nos igitur, constantiam fidei tue — attendentes et volentes tam tibi quam Feretrane ecclesie ac dicti monasterii necessitatibus subvenire, et ut commissa tibi eadem ecclesia necnon monasterium antedictum tua protectione preservetur a noxiis et ad salutaria dirigatur, presentium tibi auctoritate concedimus, ut, postquam finitum erit tempus indulgentie ultime super hoc tibi facte per Sedem eandem, administrationem ipsius retinere licite valeas usque ad triennium, predictum tempus ejusdem ultime indulgentie immediate sequens, eamque tam in spiritalibus quam temporalibus libere exercere. Tuque administrationem eandem sic gerere studeas, quod grata prosperitas monasterio predicto proveniat, nosque providentiam tuam possimus merito commendare. Nulli ergo — concessionis —. Dat. Laterani, x kal. maii, anno nono.

5197 (LXXXV) Latran, 15 mars 1303.

« Frederico de Plozek, diacono, canonico ecclesie Halberstadensis. Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 320.)

Frederico de Plozek, diacono, canonico ecclesie Halberstadensis. Etsi actus hominum —. Sane petitio tua, nuper nobis exhibita continebat, quod tu in Schusen, Ascharie, in Derdessen et in Vitesleve archidiaconatus et parrochialem ecclesiam in Wrankevorde, Lubucensis diocesis, quos fuisti post Lugdunense concilium assecutus, una cum canonicatu et prebenda, quos in Halberstadensi ecclesia obtines, absque dispensatione Apostolica retinens, percepisti fructus et redditus ex eisdem nec te fecisti ad sacerdotium juxta ejusdem statuta concilii promoveri.

Dispensatur cum eodem.

Dat. Laterani, id. martii, anno nono.

5198 (LXXXVI) Latran, 27 mars 1303.

« Venerabili fratri archiepiscopo Lundensi. Super injuriis illatis Ketillo Petri, diacono Othoniensis diocesis. » (fol. 320 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Lundensi. Querelam gravem dilectus filius Ketillus Petri, diaconus Othoniensis diocesis, in nostra proposuit presentia constitutus, quod, cum ipse pridem, causa devotionis et pro quibusdam suis negotiis promovendis, iter arripuisset ad Sedem Apostolicam veniendi, ac ad ultimas fines vel circa regni Datie pervenisset, Martinus dictus Dive, vassallus carissimi in Christo filii nostri Henrici, regis Dacie illustris, eundem Ketillum, ablatis sibi equis, libris, argento, pecunia, vestibus et aliis bonis et rebus suis, que secum habebat, ausu sacrilego personaliter capi fecit et carcerali custodie muncipari. Et, licet ipsum post multa tormenta, tribulationes, et angustias, que inferri fecit eidem, abire permiserit, nichilominus tamen equos, libros, argentum, pecuniam, vestes, res et bona predicta, quibus ipsum, ut predicitur, spoliaverat, dictus Martinus ipsi Ketillo restituere denegavit. Cumque dictus Ketillus ad prefatum regem, cujus mandato idem Martinus hec se fecisse dicebat, habuisset super premissis recursum, prefatus rex, hiis non contentus, sed addens afflictionem afflicto, reliqua bona omnia mobilia ejusdem Ketilli, que in illis habebat partibus, confiscari mandavit et fecit, pro sue voluntatis libito, in opprobrium ecclesiastice libertatis, et ejusdem Ketilli non modicum dispendium et gravamen ac scandalum etiam plurimorum. Quare dictus Ketillus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio curaremus. Cum igitur, preter sententiam canonis, quam hujusmodi injuriatores clericorum et personarum ecclesiasticarum incurrerunt, hii, qui venientes ad dictam Sedem vel redeuntes ab ea, capiunt, spoliant et detinere presumunt, anathematis et excommunicationis sententia, que, singulis annis, certis diebus, pluries per eandem Sedem promulgatur, ligentur, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si tibi constiterit de captione, incarceratione, detentione, spoliatione ac sequestratione predictis, prefatum regem, cui super hoc scribimus, ex parte nostra, moneas efficaciter et inducas, ut eidem Ketillo vel ejus procuratori, pro eo, equos, libros, argentum, pecuniam, pannos, res et bona omnia supradicta, per prefatum Martinum taliter sibi ablata, necnon et predicta bona ejus, per eundem regem, ut premittitur, confiscata, faciat infra certum terminum, quem ad hoc duxeris statuendum, cum integritate restitui, ac de hujusmodi illatis sibi injuriis plenam et debitam satisfactionem impendi. Alioquin, ipso elapso termino, prefatum Martinum et omnes alios, qui in captione, carceris mancipatione, spoliatione, sequestratione et detentione predictis scienter culpabiles extiterunt, tandiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nunties et facias per omnia loca dicti regni, de quibus expedire videris, per alios publice nuntiari, donec Martinus et culpabiles supradicti meruerint super hiis ab eadem Sede absolutionis beneficium obtinere : contradictores — non obstantibus —. Dat. Laterani, VI kal. aprilis, anno nono.

5199 (LXXXVI *bis*) Latran, 27 avril 1303.

« Licentia de mutuo pro Obizone, archiepiscopo Ravennatensi » usque ad summam quatuor millium florenorum auri. (fol. 320 v°.)

Venerabili fratri Opizoni, archiepiscopo Ravennatensi. Ex parte tua fuit —. Dat. Laterani, v kal. maii, anno nono.

5200 (LXXXVII) Latran, 20 avril 1303.

« Raymundo, episcopo Valentinensi, Apostolice Sedis legato. Committitur sibi legatio in Sardinia et Corsica. » (fol. 320 v°.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Valentinensi,

Apostolice Sedis legato. Divine sapientie —. Sane dudum ad carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, Aragonie, Sardinie et Corsice regem illustrem, dirigentes nostre considerationis intuitum, sibi, tunc de regione dissimilitudinis redeunti, quem sue devotionis sinceritas ad Ecclesiam memoratam, a cujus unitate recesserat, quasi novum adoptionis filium nobis placidum reddidit atque carum, regnum Sardinie et Corsice, quod ipsius Ecclesie juris et proprietatis existit, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, in feudum duximus per nostras sub certa forma litteras concedendum. Cum autem idem rex, ad honorem ipsius matris Ecclesie, intendat, ut asserit, potenti manu ad ejusdem Sardinie et Corsice regni possessionem, quam nondum fuit adeptus, corporaliter obtinendam procedere, nostrumque sibi favorem et auxilium super hoc petiverit impertiri, nos, hujusmodi felicem consumationem negotii promotioni honoris et exaltationis Ecclesie prelibate ac recuperationi Terre Sancte, que prospicitur proh [1] dolor, depopulatione deserta, expedire multipliciter attendentes, petitioni regis ejusdem in hac parte per legati missionem, ut spiritualis auxilii circa hujusmodi negotium sollicitudo non desit, sed in ipsius prosecutione potestas sacerdotalis et regia se presentialiter alterno munimime foveant et favore mutuo muniantur, decrevimus annuendum.

Committitur suprascripto plenum legationis officium in eodem regno.

Dat Laterani, XII kal. maii, anno nono.

In e. m. *venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis sive rectoribus eorumque conventibus et collegiis per regnum Sardinie et Corsice constitutis.*

In e. m. *dilectis filiis universis comitibus et baronibus ceterisque nobilibus ac populis sive comitatibus (sic) et universatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per regnum Sardinie et Corsice constitutis.*

5201 (LXXXVIII) Même date.

Pro eodem legato. (fol. 321.)

Eidem legato. Cum dudum carissimo —.

1. *Ms* : proth.

Ut personas tam ecclesiasticas quam laïcas regni Sardiniæ et Corsicæ moneat efficaciter et inducat, ut ipsius regni regi Jacobo devote ac humiliter intendant et pareant, sicut debent, eos ad id, si necesse fuerit, per spirituales et temporales pœnas compescendo.

Dat. ut supra.

5202 (LXXXVIIII) Même date.

Conceditur per tres annos decima ecclesiasticorum redditwuum Jacobo, regi Aragoniæ, pro prosecutione negotii Sardiniæ et Corsicæ. (fol. 321 v°.)

Bonifatius etc. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per regna Aragonie ac Valentie et comitatum Barchinonie omnesque terras carissimo in Christo filio nostro Jacobo, Aragonie, Sardinie et Corsice regi illustri, immediate ac de jure et de facto subjecta constitutis, Sardinie et Corsice regno et terris exceptis salutem etc. Romane Matris Ecclesie —.

Decimam omnium ecclesiasticorum reddituum omnium terrarum regi Aragoniæ subjectarum, militaribus ordinibus eorumque personis et bonis necnon Sardiniæ et Corsicæ regno exceptis, per tres annos post finitum biennium, per quod eidem regi ultimo dudum in eisdem et quibusdam aliis regnis et terris decima, per Ramundum, Valentinensem, et Pontium, Vicensem, tunc præpositum ecclesiæ Celsonensis, Urgellensis diocesis, episcopos colligenda, concessa fuit, immediate sequentes, « dummodo ad id majoris partis vestrum, prelati, accedat assensus », pro prosecutione negotii Sardiniæ et Corsicæ deputat dominus papa et Cesaraugustanum et Vicensem episcopos ejusdem decimæ collectores instituit, qui rebelles per censuram ecclesiasticam compescendi habebunt facultatem, « eo casu videlicet, si predictus consensus majoris partis accesserit ».

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Cesaraugustano, et . . Vicensi episcopis.*

5203 (LXXXX) Même date.

Dispensatur pro prosecutione negotii Sardiniæ et Corsicæ super observatione constitutionis « Clericis Laïcos » in terris Jacobo, regi Aragoniæ, subjectis.

Bonifatius, etc. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis, electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus ac personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus, ecclesiarum et monasteriorum capitulis, collegiis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciencis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini ac aliorum ordinum, nec non magistris et preceptoribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Domorum Militie Templi, beate Marie Theotonicorum, Voclensis et Calatravensis per Aragonie et Valentie regna, comitatum Bachinonie, ceterasque terras et loca subjecta immediate ac de jure et de facto carissimo in Christo filio nostro Jacobo, Aragonie, Sardinie et Corsice regi illustri, constitutis. Dum ad memoriam —. Cum autem idem rex — intendat, ut asserit, — ad ejusdem Sardinie et Corsice regni possessionem — procedere, ac speret quod vos —, requisiti amicabiliter ab eodem, grato sibi subsidio, prout comoditas vobis affuerit, succurretis, dummodo constitutionis nostre in contrarium edite super hoc vobis relaxetur edictum, nos — ipsius regis supplicationibus inclinati, presentium auctoritate, concedimus, ut liceat vobis et vestrum singulis, absque metu constitutionis predicte, prefato regi pro negotio memorato, in hujusmodi necessitatis articulo, hac vice, subventionem congruam, prout vobis seu singulis vestrum videbitur, voluntariam, liberalem et liberam, non coactam, absque aliqua concussione, exactione et executione, temporali vel laïcali, exigendi, presenti nostra freti licentia, impertiri eamque subventionem similiter sit eidem regi recipiendi libere attributa facultas : presentibus post biennium minime valituris. Dat. ut supra.

5204 (LXXXX *bis*) Anagni, 9 mai 1303.

De eadem decima regi Aragoniæ assignanda. (fol. 323.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Valentinensi, Apostolice Sedis legato. Cum carissimus in Christo —.

Suprascripto, cui Cæsaraugustanus et Vicensis episcopi, collectores prædictæ decimæ, debent, secundum Apostolicas litteras eis directas, totam pecuniam, quæ ex hujusmodi decima colligetur, assignari facere, tradendam per eum ipsi regi et in prosecutione præfati negotii convertendam, mandatur, ut « ad ipsius pecuniæ receptionem diligenter intendat, eaque recepta, illam predicto regi, predictum prosequenti negotium, integraliter » assignare procuret.

Dat. Anagnie, VII id. maii, anno nono.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Cesaraugustano, et . . Vicensi episcopis, collectoribus decime.*

5205 (LXXXXI) Latran, 20 avril 1303.

Ut regi Aragoniæ ad possessionem regni Sardiniæ et Corsicæ obtinendam auxilium præstent Pisani et Januenses. (fol. 323.)

Dilectis filiis . . potestati, . . capitaneo, antianis, consilio et communi Pisanis. Tanquam discretionis —.

Ut Jacobo, regi Aragoniæ, ad Sardiniæ et Corsicæ regni possessionem obtinendam procedenti, cum hujusmodi consummatio negotii ad procurationem honoris Ecclesiæ Romanæ « ac recuperationem Terre Sancte, que prospicitur proth dolor depopulatione deserta », non modicum cedat, et Raymundus, episcopus Valentinensis, sit legatus Apostolice Sedis in dicto regno deputatus, rogat suprascriptos dominus papa, ut velint eidem regi suum auxilium, consilium et favorem impertiri, « a contrario penitus abstinendo ».

Dat. Laterani, XII kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . potestati, . . capitaneo, . . abbati, consilio et communi Januensibus.*

5206 (LXXXXII) Latran, 1er avril 1303.

« Communi et populo civitatis Cesene. Quod possint sibi eligere potestatem. » (fol. 323 v°.)

Dilectis filiis consilio, communi et populo civitatis Cesene. Antiqua devotio —. Vestris itaque devotis supplicationibus inclinati, vobis, auctoritate presentium, concedimus, ut, in devotione et fidelitate dicte Ecclesie persistentes, possitis vobis et civitati vestre, usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis, unumcumque et quemcumque volueritis eligere, assumere ac retinere ad annum potestatem et rectorem civitatis vestre, dummodo sit Ecclesie memorate devotus, et ecclesiastice voluntatis, nec sit de parte sepedicte Ecclesie adversanti, vel alias Ecclesie predicte suspectus : statuentes et decernentes ex nunc, ut, quandocumque, quod absit,

in fidelitate ac devotione non perseveraveritis Ecclesie prelibate, facta vobis hujusmodi gratia evanescat et nullius robur obtineat firmitatis. Nulli ergo etc. nostre concessionis, statuti et constitutionis etc. Dat. Laterani, kal. aprilis, anno nono.

5207 (LXXXXIII) Latran, 1er avril 1303.

« Consilio, communi et populo Cesenatibus. Recipiuntur sub protectione Sedis Apostolice. » (fol. 323 v°.)

Dilectis filiis consilio, communi et populo Cesenatibus. Quanto ferventiori studio —. Considerantes igitur quod nostris beneplacitis et mandatis studio filialis promptitudinis obeditis et sperantes vos perseveraturos ulterius —, vestris supplicationibus inclinati, vos et civitatem vestram cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus —. Dat. Laterani, kal. aprilis, anno nono.

5208 (LXXXXIIII) Latran, 1er avril 1303.

« Inhibetur quod quidam nobiles non possint amplius intrare civitatem et diocesim Cesenates. » (fol. 323 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Quantis olim fuerit —.

Inhibetur ne nobiles viri Huguitio et Fondaza de Fajola fratres, Fridericus et Speranza comites Montis Feretri, filii comitis Galasii, et alii pacis perturbatores civitatem et diocesim Cæsenates amplius intrare possint.

Dat. Laterani, kal. aprilis, anno nono.

POTTHAST, 25226.

5209 (LXXXXV) Latran, 22 avril 1303.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Lausanensi. » (fol. 324.)

Dilecto filio nobili viro Johanni de Enaides et dilecte in Christo filie nobili mulieri Amphelisie de Oranis, Lausanensis diocesis. Sedis Apostolice —.

Ad sedandas discordias inter eorum progenitores dispensatur cum eis ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

G[erardus], episcopus Lausanensis, cujus consanguinei estis, promotor dispensationis hujusmodi, credens super hec pro te, filia Amphelisia supplicare, a nobis petiit dispensari, ut tu, fili Johannes, cum dilecta in Christo filia Guillelmeta, sorore tua, Amphelisia, eodem consanguinitatis gradu tibi, Johannes, similiter attinente, posses matrimonialiter copulari. Nosque, ad instantiam ipsius episcopi super hoc tecum, Johannes, et cum predicta Guillelmeta duximus per nostras sub certa forma litteras dispensandum; sed postmodum, hujusmodi errore comperto, tu, Johannes, et prefata Guillelmeta usi dispensatione hujusmodi non fuistis —. Dat. Laterani, x kal. maii, anno nono.

5210 (LXXXXVI) Latran, 24 avril 1303.

« Confertur Johanni quondam Riccardi, comitis Arundelli, prebenda quam duxerit acceptandam in ecclesia Lichefeldensi. » (fol. 324.)

Dilecto filio Johanni quondam Ricardi, comitis Arundelli, canonico Lichefeldensi. Cum tibi generis —.

Suprascripto, obtentu Eduardi, regis Anglorum, pro eo, consanguineo suo, per suas litteras supplicantis, canonicatum in ipsa ecclesia vacantem confert dominus papa vel vacaturum reservat.

Dat. Laterani, VIII kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis priori de Pontefracto, Eboracensis diocesis, et . . archidiacono Norentonis, in ecclesia Lincolniensi, ac Antonio de Vetia, canonico Astensi.*

5211 (LXXXXVII) Latran, 20 avril 1303.

« Johanni, preposito monasterii Sancti Petri de Ferraria, Albensis diocesis. Preficitur in prepositum ejusdem monasterii. » (fol. 324 v°.)

Dilecto filio Johanni, preposito monasterii Sancti Petri de Ferraria, per priorem soliti gubernari, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Albensis diocesis. Tunc cor nostrum —.

Vacante dicto monasterio per obitum quondam Rufini, prior claustralis, Manuelis de Turre Uzoni ac Guillelmus de Monte Vici, canonici ejusdem monasterii, a conventu compromissarii electi, in suprascriptum, canonicum ejusdem monasterii, concorditer direxerunt vota sua. Confirmatur ejus electio, examinatione per J[ohannem], episcopum Portuensem, ac Gentilem,

tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum, et Lucam, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconum cardinales facta.

Dat. Laterani, XII kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis conventui — universis vassallis.*

5212 (LXXXXVIII) Latran, 28 avril 1303.

« Committitur rectoria comitatus seu districtus Urbini, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, Jacobo quondam Johannis de Tuderto. » (fol. 325.)

Dilecto filio Jacobo quondam Johannis de Tuderto judicis, rectori comitatus seu districtus Urbini. Etsi, exigente pastoralis —. Dat. Laterani, IIII kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus, universitatibus ceterisque personis secularibus terrarum et quorumcumque locorum per comitatum seu districtum Urbini constitutis.*

5213 (LXXXXVIIII) Latran, 29 avril 1303.

« Committitur potestaria civitatis Urbini Egidio Blasii de Tuderto. » (fol. 325 v°.)

Dilecto filio Egidio quondam Blasii de Tuderto, militi, familiari nostro, potestati civitatis Urbini. Obsequiose devotionis —.

Suprascripto committitur hæc potestaria, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscitur, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum exercenda.

Dat. Laterani, III kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis consilio et communi civitatis Urbini.*

5214 Même date (?)

Committitur eidem nobili rectoria Massæ Trabariæ, Terræ Sanctæ Agathæ et pertinentiarum. (fol. 325 v°.)

Bonifatius etc. dilecto filio Egidio nato quondam Blasii de Tuderto, militi, familiari nostro, Masse Trabarie, Terre Sancte Agathe ac pertinentiarum earumdem rectori, committitur hæc rectoria, per se vel per vicarium usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum exercenda [1].

In e. m. *universis nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus, universitatibus ceterisque personis secularibus, per Massam Trabariam, Terram Sancte Agathe ac earum pertinentias constitutis.*

5215 (C) Latran, 15 mars 1303.

« Abbati Cistercii. Quod suspendat citationem Thome, abbatis monasterii Fosse Nove, Terracinensis diocesis. » (fol. 326.)

Dilecto filio . . abbati Cisterciensi. Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod tu, pretendens fuisse dudum tibi, tunc in Romana Curia existenti, a personis quamplurimis nuntiatum, quod dilectus filius Thomas, abbas monasterii Fosse Nove, tui ordinis, Terracinensis diocesis, excessus non modicos duxerat committendos, eundem abbatem citari fecisti, ut ad instans capitulum generale ipsius ordinis celebrandum personaliter se conferre procuret, de hujusmodi excessibus eidem impositis se legitime purgaturum. Nos autem, de abbate predicto ex fidedignorum testimonio bonam conscientiam obtinentes, et attendentes quod ejus absentia esset ad presens monasterio predicto dampnosa, volumus et per Apostolica tibi scripta districte precipiendo mandamus, quatinus citationem suspendas hujusmodi usque ad nostre beneplacitum voluntatis : mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus, quod possis merito de prompta obedientia commendari. Dat. Laterani, id. martii, anno nono.

5216 (CI) Latran, 8 mars 1303.

« Dispensatio super pluralitate. » (fol. 326.)

Dilecto filio Willelmo dicto Brunel, presbytero, preposito ecclesie Wellensis. Exhibita nobis tua —.

Suprascriptus præposituram ecclesiæ Wellensis et parrochialem ecclesiam de Dontono, Sarisbiriensis diocesis, curatam, ei collatas, ex Apostolica dispensatione obtinens, ad decanatum ipsius ecclesiæ Wellensis electus fuit et, auctoritate Roberti, Bathoniensis et Wellensis episcopi, confirmatus, eum retinuit una cum dictis beneficiis absque dispensatione. Postmodum autem dictum decanatum penitus dimisit, sed episcopus Winto-

1. Hoc capitulum insertum fuit in registro sine rubrica, sine numero et sine data.

niensis, patronus dictæ ecclesiæ de Dontono, prætendens ecclesiam ipsam per assecutionem decanatus ex statuto generalis concilii vacavisse, Robertum de Maydenstono ad ipsam præsentavit. Cumque inter eos super dicta ecclesia diu litigatum fuisset, uterque in manibus domini papæ resignavit. Dictam ecclesiam ei confert dominus papa, auctoritate Apostolica, et dispensat cum eo, ut ecclesiam et præposituram easdem insimul et, una cum eis, canonicatus et præbendas, quos in Eboracensi, Sarisbirensi, Lichefeldensi, Menevensi ac Exoniensi ecclesiis obtinet, retinere possit.

Dat. Laterani, VIII id. martii, anno nono.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Cantuariensi et . . Sarisbiriensi, ac . . Bathoniensi et Wellensi episcopis.*

5217 (CII) Latran, 19 avril 1303.

« Guidoni, electo Lexoviensi. Quod possit redimere decimas de manibus laïcorum. » (fol. 226.)

Dilecto filio Guidoni, electo Lexoviensi. Affectu benivolo —.

Indulgetur suprascripto ut liceat ei redimere decimas de manibus laïcorum, dummodo rectores ecclesiarum, ad quas decimæ ipsæ spectant, accedat assensus.

Dat. Laterani, XIII kal. maii, anno nono.

5218 [1] Latran, 19 avril 1303.

De corpore Johannis de Haricuria, fratris episcopi Lexoviensis, in Franciam deportando (fol. 326 v°.)

Eidem. Promerente tue devotionis —. Hinc est, quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi faciendi exhumari corpus quondam Johannis de Haricuria, militis, fratris tui, quod in ecclesia dilectorum filiorum Fratrum ordinis Predicatorum Senensium dicitur esse sepultum, et illud in Franciam deportari, dummodo corpus ipsum in cinerem sit redactum, neque alias cremetur vel coquatur, aut etiam incidatur, liberam, auctoritate presentium, concedimus facultatem —. Dat. Laterani, XIII kal. maii, anno nono.

1. Desideratur numerus hujus capituli in registro.

5219 (CIII) Latran, 19 avril 1303.

« Dispensatur quod, non obstante natalium [defectu], possit ad administrationes ac etiam abbatiam sui ordinis [assumi]. » (fol. 326 v°.)

Dilecto filio Thome de Ductu, monacho monasterii de sancto Ebrulfo, ordinis sancti Benedicti, Lexoviensis diocesis. Adjutos virtutum meritis —.

Obtentu Guidonis, electi Lexoviensis, dispensatur cum suprascripto super defectu natalium, de soluto genito et soluta, ut administrationes et etiam abbatiam cujuscumque monasterii, sui dumtaxat ordinis, assumi licite valeat.

Dat. Laterani, XIII kal. maii, anno nono.

5220 (CIIII) Latran, 5 avril 1303.

« Super discordia que vertitur inter abbatem et conventum monasterii Sancti Germani Autisiodorensis et Petrum, episcopum Autisiodorensem. » (fol. 226 v°.)

Dilecto filio . . abbati monasterii Pulteriarum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis. Ex injuncte nobis servitutis —. Sane pro parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Sancti Germani Autisiodorensis, ordinis sancti Benedicti, fuit expositum coram nobis, quod, licet ad ipsum abbatem jurisdictio, correctio et punitio monachorum dicti monasterii, tam ex regula dicti ordinis, per Sedem Apostolicam approbata, quam etiam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, pertinere noscantur, idemque abbas sit et, tam ipse, quam predecessores sui abbates dicti monasterii, qui fuerunt pro tempore, fuerint in possessione vel quasi jurisdictionem, correctionem et punitionem hujusmodi exercendi a tempore cujus memoria non existit, tamen venerabilis frater noster Petrus, Autisiodorensis episcopus, ad gravamina dictorum abbatis et conventus aspirans, et pretendens quod quidam ejusdem monasterii monachi quosdam excessus commiserant in quibusdam possessione et grangia seu domibus Guidonis dicti Betarre, presbyteri, subditi predicti episcopi, dampna inibi gravia et injurias irrogando, dictos monachos propter hoc, intendens eos de hujusmodi excessibus, ut dicebat, punire, ad suam presentiam personaliter evocavit. Verum prefatus abbas, prospiciens sibi et eidem monasterio ex hoc prejudicium generari, coram episcopo predicto proposuit, quod, cum jurisdictio, correctio et punitio dictorum monachorum, quos

etiam alias de premissis excessibus punierit, prout disciplina regularis ordinis requirebat, tam ex regula prefati ordinis, per Sedem Apostolicam approbata, quam de premissa consuetudine, ad dictum abbatem, ut predicitur, pertinerent, et ipse ac predecessores sui abbates dicti monasterii, qui fuerunt pro tempore, fuissent ipseque foret in possessione vel quasi jurisdictionis hujusmodi, a tempore cujus memoria in contrarium non exstabat, prout superius est expressum, dictus episcopus se de predictis intromittere de jure non poterat nec debebat. Sed, cum idem abbas, timens super hiis per ipsum episcopum indebite aggravari, vellet propter hoc ad Sedem Apostolicam appellare, dictus episcopus, ad excogitatam malitiam se convertens, per captionem hominum dicti monasterii eundem abbatem compulit, quod ipse et procurator dictorum conventus consenserunt, quod dictus episcopus de jurisdictione et consuetudine hujusmodi per se vel alium cognosceret ac etiam diffiniret, nec ipsi ab ejus sententia, quam super hoc ferret, appellare possent, si eam de consilio . . abbatis monasterii Sancti Laurentii de Abbatia, ordinis sancti Augustini, Autisiodorensis diocesis, promulgaret. Et, cum supradictus episcopus causam hujusmodi cuidam canonico Autisiodorensi, familiari suo, audiendam commisisset, iidemque abbas et procurator coram eodem canonico comparuissent, et, causam prosequentes eandem, ad probandum consuetudinem supradictam et alia que in hac parte probanda incumbebant eisdem, testes produxissent coram eo, quorum aliquos canonicus ipse recepit et reliquos recipere recusavit, tandem dictus episcopus, causam ipsam ad se revocans et sequens motum proprie voluntatis, de consilio prefati abbatis sancti Laurentii, contra prefatos abbatem et conventum Sancti Germani super hiis diffinitivam sententiam promulgavit. A qua, ne demandaretur executioni, dicti abbas et conventus sancti Germani, asserentes ex certa causa eandem sententiam esse nullam, ad Sedem Apostolicam appellarunt. Quare fuit nobis ex parte ipsorum humiliter supplicatum, ut providere super premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, volentes, prout ad nostrum spectat officium, partibus memoratis super predictis salubriter providere, gerentes de tue industria probitatis, quam fama laudabilem predicat et multorum assertio fide digna commendat, fiduciam in Domino specialem, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, infra trium mensium spatium post receptionem presentium, super hiis studeas partes, si poteris, ad concordiam revocare, et, si eas ad concordiam infra dictum terminum reducere forte nequiveris, tu extunc, non obstante sententia supradicta, vocatis qui fuerint evocandi, de hujusmodi jurisdictione, consuetudine ac juribus tam dicti monasterii quam prefati episcopi et super aliis hujusmodi causam tangentibus, infra sex menses predictos tres immediate sequentes, inquiras plenius veritatem et causam ipsam, si commode poteris, debito fine decidas, faciens quod decreveris, auctoritate nostra, firmiter observari. Testes etc. — alioquin extunc causam eandem, instructam vel non instructam, remittas ad Apostolice Sedis examen, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo predicti episcopus et abbas, per se vel procuratores ydoneos, dicti vero conventus, per sufficientem procuratorem, cum omnibus actis [1] juribus et munimentis suis, hujusmodi causam contingentibus, compareant coram nobis, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis : diem autem remissionis et prefixionis hujusmodi, et quicquid inveneris et feceris in premissis nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Dat. Laterani, non. aprilis, anno nono.

5221 (cv) Latran, 28 mars 1303.

« Super citatione Francisci qui se gerit pro priore monasterii Sancti Secundi prope Eugubium. » (fol. 327.)

Venerabili fratri . . episcopo Eugubino. Accedentes ad presentiam nostram dilecti filii Johannes Venture et Huguitio Romei, canonici monasterii Sancti Secundi prope Eugubium, ordinis sancti Augustini, nobis exponere curaverunt, quod Fransciscus, qui se gerit pro priore dicti monasterii, per priorem soliti gubernari, multa ex bonis ipsius monasterii alienavit — quodque idem Franciscus, pravitate symoniaca labefactus, incontinentie laborans vitio, majori etiam excommunicatione ligatus et irregularitatis labe respersus ac tam homicidii quam aliis diversis criminibus est multipliciter irretitus.

Mandatur susprascripto ut eum citet, infra unius mensis spatium compariturum.

Dat. Laterani, v. kal. aprilis, anno nono.

5222 (cvi) Anagni, 23 mai 1303.

« Executoria de mutuo pro Theobaldo, episcopo, tunc electo Leodiensi. » (fol. 327.)

Venerabili fratri . . episcopo Tullensi et dilectis filiis

1. *Ms* : attis.

magistris Onufrio de Trebis, decano Meldensis, ac Guidotto de Mediolano, archidiacono Pergamensis ecclesiarum, capellanis nostris. Exponente pridem nobis —.

Notificatur suprascriptis, executorio nomine, mutuum quatuor millium quingentorum et viginti quinque florenorum auri, de summa sex millium, quos Theobaldus, episcopus tunc electus Leodiensis, recepit a Boccacino Paganelli et Manetto Ricchi, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate Canigianorum, mutuantibus pro se et pro Dato et Bindo Andree de Canigianis, Baldo Radulphi, Ubaldino Cionis de Infangatis, Gerardo Ildebrandini et Nerio Coppi de Canigianis, Philippo Lanfredi et Coppo Corbizi ac ceteris eorum sociis.

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno nono.

5223 (CVI *bis*) Latran, 2 avril 1303.

« Mandatur citari personaliter R[odericus], episcopus Lucensis. » (fol. 327 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Astoricensi, et dilecto filio . . abbati monasterii de Meirano, Cisterciensis ordinis, Lucensis diocesis. De venerabili fratre nostro R[oderico], episcopo Lucensi, si merito venerabilis dici debeat, gravia et ignominiosa ex fide dignorum assertione nuper ad nostram notitiam sunt deducta, que ex causa non duximus presentibus inserenda, sed illa potius nunc decrevimus silentio preterire, quodque post hec idem R[odericus] episcopus, contra cujus electionem factam dudum ad episcopatum Lucensem ad Sedem fuerat Apostolicam appellatum, appellationis hujusmodi non ignarus, ad eandem Sedem venire, prout tenebatur ex forma constitutionis felicis recordationis N[icolai] pape III, predecessoris nostri, super hoc edite, non curavit et, licet idem R[odericus] propter hoc, juxta constitutionem eandem, a jure ceciderit, si quod ei fuerat ex tali electione quesitum, ipse tamen electionem eandem confirmari, sibique munus consecrationis impendi per venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Bracharensem, loci metropolitanum, de facto, cum id de jure nequiverit, procuravit. Cum autem premissa, que limam Apostolice correctionis exposcunt, non intendamus, sicuti nec debemus, conniventibus oculis pertransire, et propterea ipsius episcopi presentiam habere velimus, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem episcopum, ex parte nostra, sub pena privationis et depositionis episcopalis officii, peremptorie citare curetis, ut, infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus actis, juribus et munimentis, hujusmodi confirmationis et consecrationis negotium contingentibus, compareat personaliter coram nobis, recepturus pro meritis vel suam, si poterit, innocentiam ostensurus, ac facturus quod super hiis ei duxerimus injungendum : diem autem hujusmodi citationis ac formam, et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, IIII non. aprilis, anno nono.

5224 (CVI *ter*) Latran, 8 avril 1303.

« Quod possit providere de quibusdam prestimoniis in ecclesia Burgensi. » (fol. 327 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Sabinensi. Exigunt laudabilia tue —.

Suprascripto conceditur licentia providendi personis idoneis de beneficiis in ecclesia Burgensi, per promotiones Gundisalvi, Legionensis, et Fernandi, Segobiensis episcoporum, apud Apostolicam Sedem vacantibus et Apostolicæ dispositioni reservatis.

Dat. Laterani, VI id. aprilis, anno nono.

5225 (CVII) Latran, 15 avril 1303.

« Quod possit uni persone ydonee conferre tabellionatus officium. » (fol. 328.)

Dilecto filio Bertrando, abbati monasterii Cluniacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Matisconensis diocesis. Ne contractuum memoria —.

Suprascripto conceditur licentia conferendi tabellionatus officium uni personæ, quam conventus ipse duxerit eligendam et quam suprascriptus post examinationem idoneam duxerit.

Dat. Laterani, XVII kal. maii, anno nono.

5226 (CVIII) Anagni, 15 mai 1303.

« Quedam jurisdictiones in castro Setie conceduntur Riccardo, nato quondam Nicolai Petri Trasmundi de Anibaldis. » (fol. 328.)

Dilecto filio nobili viro Riccardo, nato quondam Nicolai Petri Trasmundi de Anibaldis de Urbe, domicello et familiari nostro. Mater Ecclesia —.

Cum quondam Annibaldus, filius quondam Landulfi de Ceccano, sententiam confiscationis incurrerit a Clemente IV, latam contra fautores Conradini, nepotis Frederici, propter occupationem regni Siciliæ per eum nequiter attemptatam, accedendo « personaliter in predicti exercitum Conradini » et ab ea nunquam extiterit liberatus ; cumque postmodum Johannes junior de Ceccano, miles, ipsius Annibaldi filius, qui nisus fuit sæpius Campaniæ Maritimæque provinciam commovere, impugnando etiam nonnullos rectores per Sedem Apostolicam deputatos, necnon communitates et universitates et singulas personas ipsarum Campaniæ et Maritimæ, eandem sententiam a domino papa Bonifacio denuntiatus fuerit incurrisse, et cum decreverit dominus papa ipsius Annibaldi filios et nepotes in bonis taliter confiscatis ex testamento vel intestato minime succedere potuisse ac prædictum Johannem, ejus filium, nullum jus habere, cum ante ipsius Annibaldi obitum ad fiscum Ecclesiæ fuissent devoluta, prout in « processibus, qui in ejusdem archivio conservantur Ecclesie, plenius continetur », conferuntur suprascripto de bonis confiscatis omnia quæ possidebant dicti Annibaldus et Johannes in castro Setie, Terracinensis diocesis, et toto ejus territorio.

Dat. Anagnie, id. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis Jacobo de Bargiaco, sacriste Ebredunensi, in spiritualibus rectori, et Gualterio de Offida, vicario dilecti filii nobilis viri Loffridi Gaytani, nepotis nostri, comitis Fundorum, rectoris in temporalibus Campanie ac Maritime.*

5227 (CVIIII) Latran, 21 avril 1303.

« Super pluralitate. » (fol. 328 v°.)

Dilecto filio Roberto de Say, presbytero, rectori ecclesie de Conigtono, Lincolniensis diocesis, capellano venerabilis fratris nostri L[eonardi], episcopi Albanensis. Meritis tue probitatis —.

Obtentu ipsius cardinalis, cujus est capellanus et domesticus familiaris, cum suprascripto dispensatur, ut ecclesiam de Folesham, Norwicensis diocesis, curatam, in qua perpetuus vicarius deservit personaliter in divinis, et cujus fructus quinquaginta marcharum argenti valorem annuum non excedunt, una cum ecclesia de Conigtono retinere valeat.

Dat. Laterani, XI kal. maii, anno nono.

5228 (CX) Latran, 13 avril 1303.

« Super quibusdam consuetudinibus in ducatu Britanie. » (fol. 329.)

Venerabili fratri . . episcopo Andegavensi. Romanus pontifex, qui jura tuetur, sic profectibus proponit intendere singulorum, ut ejus gratia nequiter uti non debeant impetrantes, sed, suis contenti, jura non impediant vel occupent aliorum. Sane pro parte dilectorum filiorum rectorum ecclesiarum parrochialium consistentium in ducatu Britanie fuit expositum coram nobis, quod ipsi, juxta laudabilem consuetudinem ducatus predicti, pia devotione fidelium erga Sanctam Ecclesiam introductam, in ducatu ipso hactenus pacifice observatam, de bonis mobilibus parrochianorum suorum, ubicumque vel qualitercumque decedentium, sive testati sive ab intestato decesserint, sive sepulturam ecclesiasticam habuerint sive caruerint eadem, perceperunt et percipere consueverunt, a tempore cujus memoria in contrarium non existit, tertiam aut quartam seu decimam aut aliam portionem, pro locorum diversitatibus percipi consuetam, ac hujusmodi perceptio, mortuagium vel tertiagium in ducatu vulgariter appellata, loco decimarum personalium ac portionis canonice judicii defunctorum, pro quibus decimis seu portione canonica dicti rectores non aliud quam premissam tertiam aut quartam seu decimam aut aliam portionem percipiunt et consueverunt percipere, dinoscitur successisse. Ex simili consuetudine prefati rectores, nuptialis benedictionis munere primitus parrochianis suis nubentibus libere impertito, ac aliis solemnitatibus, que circa nubentes et eorum nuptias per rectores eosdem ex more dicti ducatus servari consueverunt, servatis [et] libere impensis, perceperunt et percipere consueverunt interdum ab aliquibus commestionem, ab aliquibus certam, et a nonnullis, communi consensu rectorum et eorum, qui ab eis benedictionem et observantiam hujusmodi susceperunt, vel officio judicis certificandam pecunie quantitatem, summam duorum aut trium, ut plurimum, et, interdum, quinque, rarissime autem, decem solidorum Turonensium attingentem. Et ex eadem etiam consuetudine prefati rectores percipere consueverunt cereos et luminaria, que portantur et portari consueverunt ad eorum ecclesias cum corporibus defunctorum qui sepeliuntur ibidem. Et, licet aliquando super hiis inter prefatos rectores, ex parte una, et heredes dictorum parrochianorum, in predicto ducatu vel extra decedentium, sepultura ecclesiastica habita vel non habita, testamento condito vel non condito, aut parrochianos ipsos, ex altera, coram locorum ordi-

nariis ducatus predicti, auctoritate ordinaria, orta fuisset materia questionis, tamen dicti rectores super eisdem semper meruerunt pro se diffinitivas sententias obtinere et ipsas per eosdem ordinarios executioni debite demandari. Sed olim, suggesto nobis mendaciter, quod prefati rectores sepulturis decedentium sub colore juris funeratitii affligebant graviter plebes suas, nunc partem nonam, nunc sextam et nunc tertiam in bonis mobilibus defunctorum hujusmodi sibi nequiter vendicantes et cogentes per abusus et litigia homines, presertim pauperes, ut se redimerent vel cum eis finantias facerent ad eorum libitum pro predictis, supponendo plebes ipsas in hac parte miserabili servituti, ex qua plerumque [1] contingebat quod homines predicti ducatus negligebant eorum negotia honesta sectari, ne post mortem [2] eorum labores suos ab ipsorum heredibus raperent alieni, sicque inter clericos et laicos discordiarum et rancorum materie propter hoc erant ibidem exorte, et propterea dicti rectores, pro nuptialium benedictionum parrochianis suis munere impendendo, nubentes redimere et pactiones facere cum eis super hoc illicitas, et, antequam eis vellent predictum munus impendere, certam portionem vel pecunie summam bonorum suorum illos sibi exsolvere compellebant invitos, faciendo cum eis super hoc, mercatorum more, mercatum, quandam pravam consuetudinem, que corruptela potius dicenda erat, indebite pretendentes videlicet sic fore ibidem hactenus in talibus observatum, propter quod contingebat frequenter quod persone nupture ibidem et hec potissime que paupertate gravabantur, metu exactionis hujusmodi, ecclesiasticam super hoc solennitatem omittebant, et sese recipiebant et conjungebant in domibus propriis et in locis quandoque prophanis, ex quo generale scandalum nonnunquam in ducatu exortum fuerat supradicto. Nos, ad suggestionem hujusmodi, abusus, consuetudines, exactiones sive usurpationes, coactiones et pactiones hujusmodi, quacumque diuturnitate seu prescriptione temporis aut auctoritate Apostolice Sedis vel alia quavis confirmatione, sub quacumque forma vel verborum expressione, vallatos, per nostras sub certa forma litteras omnino reprobavimus et irritavimus, ac precepimus de cetero non fieri nec servari, sed reprobatos, irritatos ac penitus non servandos potius nuntiari, ac moneri generaliter per easdem litteras rectores predictos et eorum in hac parte fautores, etiam si episcopali dignitate fulgerent, ipsisque sub excommunicationis pena mandari, ut ab hujusmodi exactionibus sive usurpationibus, coactionibus et pactionibus desisterent penitus, nec ulterius pro ipsis sepulturis vel funeratitiis aut eorum occasione seu pro hujusmodi nuptialium benedictionum munere, sub quocumque colore, nullo unquam tempore quicquam exigerent, nisi id quod ex mera liberalitate proinde ipsis contingeret erogari : indulgentes nichilominus per alias nostras litteras nobili viro . . duci Britanie, ut ad observationem aliquam abusuum, consuetudinum, usurpationum, coactionum et pactionum predictorum, pretextu, ratione vel causa quarumcunque promissionum vel obligationum seu conventionum initarum, olim factarum per quondam Johannem, ducem Britanie, patrem suum, cum quacunque vel quibuscunque personis, ecclesiasticis vel secularibus, de hujusmodi abusibus, consuetudinibus seu potius corruptelis, exactioninibus sive usurpationibus, coactionibus et pactionibus vel aliis similibus observandis, etiamsi forent juramentorum vel penarum vel alia quavis firmitate vallati, nullatenus teneretur neque ad id a quoquam posset quomodolibet coactari : quare prefati rectores nobis humiliter supplicaverunt, ut, cum prefatus dux premissis nostris litteris nequiter abutatur, dictosque rectores super hujusmodi laudabili et approbata consuetudine multipliciter impediat et perturbet, providere ipsis in hac parte paterna diligentia dignaremur. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, de plano, sine strepitu et figura judicii, infra sex mensium spatium a receptione presentium, inquiras super hiis diligentius veritatem, et, si inveneris quod dictus dux abusus fuerit litteris supradictis, in irritum revoces quicquid attemptatum extitit indebite per easdem, ac interim partes ad concordiam super premissis reducas, si potes, faciens concordiam ipsam, auctoritate nostra, firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo : alioquin ex tunc negotium hujusmodi, instructum vel non instructum, ad Sedis Apostolice remittas examen, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo [per] procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus [1], Apostolico se conspectui representent, facture et recepture super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero remissionis et prefixionis hujusmodi et quicquid super hiis duxeris faciendum nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, studeas feliciter intimare : non obstantibus si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici vel

1. *Ms* : plerinque.
2. *Ms* : mortes.

1. *Ms* : continentibus.

excommunicari nequeant aut suspendi per litteras Apostolicas non facientes plene et expresse ac de verbo ad verbum de mandato hujusmodi mentionem, et constitutionibus, tam nostra, qua cavetur quod, cum actor et reus diocesium fuerint diversarum, reus ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad judicium nullatenus evocetur, quam de duabus dietis in concilio generali et quibuslibet aliis a predecessoribus nostris super hoc editis, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis ex sua diocesi, auctoritate presentium, ad judicium non trahatur. Dat. Laterani, id. aprilis, anno nono.

5229 (CXI) Anagni, 15 mai 1303.

« Archiepiscopo Mediolanensi. Quod revocet quedam gravamina illata Matheo Vicecomiti, cimiliarche ecclesie Mediolanensis. » (fol. 329 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Mediolanensi. Causa nobis admirationis —.

Cum Mathæus Vicecomes, cimiliarcha ecclesiæ Mediolanensis, capellanus domini papæ, possessionibus dictæ cimiliarchiæ et præposituræ, quam in Desio, Mediolanensis ecclesiæ, ex Apostolica dispensatione obtinebat, et quorumdam aliorum beneficiorum suorum a potentibus, tam clericis quam laïcis, civitatis et diocesis Mediolanensium spoliatus fuisset, deputati fuerunt ei conservatores sed nondum sperat contra eos coram dictis conservatoribus justitiam obtinere.

Tu quoque, cui conservatores ipsi nimis deferunt in hac parte, cum deberes eum ab hujusmodi oppressionibus defensare, ad ipsius capellani aspirans gravamina et favorem prestans spoliatoribus antedictis, in officio predicti cimiliarche quendam yconomum et in prefata prepositura per capitulum ipsius ecclesie de Dexio quendam alium yconomum de potentibus dictarum partium, inimicum capellani ejusdem, fieri procurasti. Quare idem capellanus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super premissis de oportuno remedio dignaremur.

Mandatur suprascripto ut gravamina per illum ipsi capellano illata revocet et bona sua faciat restitui.

Alioquin venerabili fratri nostro . . episcopo, et dilectis filiis . . archipresbytero Veronensi, ac . . abbati monasterii Sancti Zenonis Veronensis damus per alias nostras sub certa forma litteras in mandatis — ut, tamdiu faciant de bonis mense sue usque ad certam summam pecunie, de qua eis omnibus videbitur, dicto capellano annis singulis provideri, donec eidem bona predicta, quorum proventus quadringentorum florenorum auri, ut asserit, annuum valorem attingunt, plene ac libere fuerint restituta —. Dat. Anagnie, id. maii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . archipresbytero Veronensi, ac . . abbati monasterii Sancti Zenonis Veronensis.*

5230 (CXII) Latran, 29 avril 1303.

« Confertur Radulfo de Haricuria archidiaconatus de Constantino in ecclesia Constantiensi. » (fol. 330.)

Dilecto filio Radulfo de Haricuria, canonico ecclesie Constantiensis et archidiacono de Constantino in eadem ecclesia. Conditiones attendentes —.

Hos archidiaconatum et canonicatum, quos Guido, electus Lexoviensis, per procuratorem suum in manibus Petri, episcopi Sabinensis, resignavit, confert suprascripto dominus papa, non obstante quod in Parisiensi, Remensi, Rothomagensi, Baiocensi, Ebroicensi et Lexoviensi ecclesiis canonicatus et præbendas et custodiam Baiocensis ecclesiæ, non curatam, noscitur obtinere et in Parisiensi ecclesia prima dignitas vacatura fuit ei reservata, sed ea lege ut præbendam de minoribus, quas in ecclesia Constantiensi jam obtinet, omnino dimittat.

Dat. Laterani, III kal. maii, anno nono.

In e. m. *Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Salvatoris Vicecomitis, Constantiensis diocesis, et . . capicerio ecclesie Sancti Stephani de Gressibus Parisiensis ac Nicolao de Benefacta, canonico Laudunensi.*

5231 (CXIII) Latran, 30 avril 1303.

« Confertur Nicolao de Benefacta archidiaconatus Augi in ecclesia Rothomagensi. » (fol. 330 v°.)

Dilecto filio Nicolao de Benefacta, presbytero, archidiacono Augi in ecclesia Rothomagensi. Probitatis tue merita —.

Hunc archidiaconum, quem Radulphus de Haricuria per ipsum Nicolaum, procuratorem suum, in manibus Petri, episcopi Sabinensis, apud Sedem Apostolicam resignavit, confert suprascripto dominus papa, non obstante quod archidiaconatum de Gaceyo, in Lexoviensi, et in eadem ac Laudunensi, Ebroicensi, Baiocensi et Sancti Aniani Aurelianensis ecclesiis, canonicatus et præbendas ac parrochialem ecclesiam de Hari-

curia, Ebroicensis diocesis, ex dispensatione Apostolica noscitur obtinere et quod ei de canonicatu et præbenda in ecclesia Rothomagensi fuit per Apostolicas litteras provisum.

Dat. Laterani, II kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filis . . abbati monasterii Sancti Audoeni Rothomagensis et . . capicerio Sancti Stephani de Gressibus Parisiensis, ac magistro Johanni de Monteforti, canonico Lexoviensis ecclesiarum.*

5232 (CXIIII) Anagni, 2 juin 1303.

« . . episcopo Paduano. Super assignandis libris inquisitionis inquisitoribus. » (fol. 331.)

Venerabili fratri . . episcopo Paduano. Dudum ad audientiam nostram deducto, quod nonnulli de ordine Fratrum Minorum, inquisitores heretice pravitatis in provincia Sancti Antonii —, qui pro tempore fuerant, multos de Paduana et Vicentina civitatibus et diocesibus, pretextu eorum officii, aggravarant, nos super iis et aliis, que de predictis inquisitoribus nobis relata fuerunt, scire volentes plenius veritatem — G[uidonem], episcopum Xanctonensem, ad partes illas duximus destinandum, qui, juxta traditam sibi formam super premissis diligenter inquirens, libros et scripturas continentes processus dictorum inquisitorum circa eorum officium habitos penes te de mandato nostro deposuit —.

Cum libri prædicti sint inquisitoribus hæreticæ pravitatis, qui postmodum de ordine Fratrum Prædicatorum sunt auctoritate Apostolica in eisdem civitatibus et diocesibus constituti, circa ipsorum executionem officii plurimum opportuni, mandatur suprascripto, ut dictos libros eisdem inquisitoribus de novo factis vel eorum alteri assignare procuret, cum super hoc ab eis vel eorum altero fuerit requisitus.

Dat. Anagnie, IIII non. junii, anno nono.

Potthast, 25255.

5233 (CXV) Latran, 24 avril 1303.

« Indulgentia super fructibus. » (fol. 331.)

Dilecto filio Thome de Paliano, archidiacono Atrebatensi, clerico et familiari nostro. Grata tue devotionis —.

Indulget suprascripto dominus papa, ut, quamdiu ejus obsequiis insisterit, fructus omnium beneficiorum suorum in absentia percipere valeat.

Dat. Laterani, VIII kal. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancte Genovefe Parisiensis, et . . Aquicintensis, Atrebatensis diocesis, monasteriorum abbatibus, ac magistro Guidotto de Mediolano, archidiacono Pergamensi, capellano nostro.*

5234 (CXVI) Anagni, 25 mai 1303.

« Corrado de Lorche, canonico Maguntino. Super prebenda et dignitate in ecclesia Maguntina. » (fol. 331 v°.)

Dilecto filio Corrado de Lorche, canonico Maguntino. Probitatis merita —.

Suprascripto, qui, formidans subire litigium, primam præbendam in dicta ecclesia ante præsentationem litterarum Apostolicarum, quibus ei reservata erat, vacantem et jam a capitulo alii personæ collatam, omisit petere, reservat dominus papa præbendam et dignitatem proximo vacaturas in eadem ecclesia, non obstante quod in Werdensi, præposituram, et canonicatus et præbendas in Sancti Martini Pinguensis et Sancti Servatii Trajectensis, Coloniensis, Maguntinæ et Leodiensis diocesium, et in Sancti Stephani Maguntini ecclesiis noscitur obtinere

Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Treverensi et dilectis filiis . . abbati monasterii de Grunoia, Treverensis diocesis, ac . . thesaurario ecclesie Basiliensis.*

5235 (CXVII) Anagni, 30 mai 1303.

« Johanni dicto Kusolt, canonico ecclesie Rivagensis, Argentinensis diocesis. Super indulgentia. » (fol. 332.)

Dilecto filio Johanni dicto Kusolt, canonico ecclesie Rivagensis, Argentinensis diocesis. Inducunt nos tue —.

Indulgetur suprascripto ut, juramento, quod secundum statuta dictæ ecclesiæ præstitit quod in eadem ecclesia personaliter resideret, non obstante, possit scolasticis insistere disciplinis vel in alia ecclesia, ubi est canonicus vel fuerit, personaliter residere.

Dat. Anagnie, III kal. junii, anno nono.

5236 (CXVIII) Anagni, 21 mai 1303.

« Super matrimonio inter nobiles in Alamania. » (fol. 332.)

Dilecto filio nobili viro Rudolfo, duci Saxoniensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri [Mathildi], nate quondam Ottonis Longi, marchionis Brandeburgensis. Licet matrimonii contractum —.

Suprascriptis, qui, ad obviandum guerrarum discriminibus, quæ inter dictum ducem et Hermannum, marchionem Brandeburgensem, fratrem dictæ Mathildis, sæviunt, invicem sponsalia de futuro contraxerunt, indulgetur, ut matrimonium contrahere possint non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Anagnie, XII kal junii, anno nono.

5237 (CXVIIII) Anagnie, 21 mai 1303.

« Alia dispensatio super eodem. » (fol. 332.)

Dilecto filio nobili viro Hermanno, comiti de Sulze, ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Elisabet, nate nobilis viri Hermanni, comitis de Ureburg. Romani pontificis —.

Indulgetur suprascriptis ut possint matrimonium contrahere non obstante quarto affinitatis gradu.

Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno nono.

5238 (CXX) Anagni, 29 mai 1303.

« Confertur magistro Jacobo Percholdi, Pataviensis diocesis, beneficium, quod duxerit acceptandum, ad collationem . . archiepiscopi Salzeburgensis. » (fol. 332.)

Dilecto filio magistro Jacobo Percholdi, presbytero, rectori capelle Sancti Nicolai de Vienna, Pataviensis diocesis. Laudabilia tue probitatis —.

Suprascripto, consideratione Alberti, regis Romanorum illustris, cujus medicus et capellanus existit, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, spectans ad collationem archiepiscopi Salzeburgensis, si quod in civitate vel diocesi Salzeburgensi vacat vel proximo vacaturum est, confert vel reservat dominus papa, non obstante quod capellam Sancti Nicolai de Wienna, Pataviensis diocesis, sine animarum cura, cujus redditus sex marcarum argenti valorem non excedunt, noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, IIII kal. junii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Scotorum Wiennensis, et . . preposito Turicensis, Pataviensis et Constanciensis diocesium, ac . . thesaurario Basiliensis ecclesiarum.*

5239 (CXXI) Anagni, 8 juin 1303.

« Absolvitur ab accusatione facta de eo per Johannem de Limetot militem Londoniensis diocesis. » (fol. 332 v°.)

Venerabili fratri W[altero], Conventrensi et Lichefeldensi episcopo. Dudum ad audientiam —.

Enumerantur accusationis capita, inter quæ illud de strangulatione Johannis de Limetot, militis, super quibus episcopum Conventrensem detulerat ad audientiam pontificalem Johannes de Limetot, miles Londoniensis diocesis.

Propter quod nos super premissis et aliis, que objici tibi vel opponi contingeret, fecimus te citari, ut certo termino coram nobis personaliter compareres —. Sed, quia te in eodem termino Apostolatui nostro minime presentasti, te a pontificalibus duximus suspendendum. Cumque postmodum diutius exspectatus ad nostram presentiam accessisses fuissetque negotium in consistorio coram nobis et fratribus nostris propositum, voluimus ante in dicta Curia super premissorum fama aliquam indaginem fieri quam ad pleniorem inquisitionem super veritate procederemus in Anglicanis partibus faciendam. Sicque — G[entilis], tituli Sancti Martini in Montibus —, cui id oraculo vive vocis commisimus, ad hujusmodi processit indaginem nobisque retulit quod invenit. Unde nos propterea moti — . . archiepiscopo Cantuariensi et — . . priori Predicatorum ac . . ministro Minorum Fratrum ordinum provincialibus in Anglia, eorum propriis nominibus non expressis, ita quod, si omnes hiis exequendis interesse non possent, dictus archiepiscopus cum altero collegarum suorum ea exequi procuraret, inquisitionem super premissis commisimus supradictam. Sed, ut liberius ad eam posset procedi, te ab administratione spiritualium et temporalium suspendimus, administrationem ipsam certis committendo personis. Qui archiepiscopus et prior, quondam Hugone, tunc ministro dicti ordinis Minorum ejusdem provincie, viam universe carnis ingresso et alio non creato, ad inquisitionem hujusmodi — processerunt ipsamque — assignato tibi et dicto Johanni, adversario tuo — peremptorio termino, infra quem nostro vos conspectui presentaretis, ad nos fideliter transmiserunt. Quo, te presente in dicta Curia et predicto tuo adversario per contumaciam absente, de

mandato nostro aperta et tibi copia data, compertum est, quod super premissorum tibi objectorum veritate nichil quod te lederet deposuerunt testes inquisitionis ejusdem. Et, licet multi ex eis contra te super publica fama deponerent, addebant tamen dictis suis ipsam a tuis emulis ortam esse, reliquis paucis —, qui hoc non dicebant, propter inimicitias reprobatis. Nos igitur, qui in odore bone fame prelatorum precipue delectamur, quamvis de te in genere bonam famam et quod dictus Johannes, miles, non violenta sed naturali morte diem clauserit extremum probaveris, et videretur nonnullis quod propter famam, que, ut predicitur, ab emulis ortum habuit, tibi non foret indicenda purgatio, tamen, non tam de necessitate juris quam ad cautelam tui, ne super premissis ulterius lacereris et morsibus subjaceas latratorum, tibi canonicam super objectis in dicta Curia subeundam purgationem indiximus, quam, humiliter juxta mandatum nostrum susceptam, coram — Ostiensi episcopo et — G[entili], Sancti Martini in Montibus, presbytero, et R[icardo], Sancti Eustachii diacono cardinalibus, eam de mandato nostro recipientibus, super premissis cum numerosa, videlicet triginta septem, compurgatorum, tam de Anglicanis partibus quam aliunde, qui longam moram in eisdem partibus contraxerunt, habentium de te notitiam, copia, inter quos episcopi, [religiose persone sancti Benedicti et dictorum Predicatorum et Minorum ordinum et seculares clerici fidedigni fuisse noscuntur, secundum formam canonum prestitisti. Quapropter — suspensiones relaxamus hujusmodi, commissionem ab iis, quibus dictam administrationem commisimus, revocantes, teque boni annuntiantes testimonii ab infamia absolvimus objectorum. Dat. Anagnie, vi id. junii, anno nono.

Potthast, 25261.

5240 (cxxii) Latran, 2 avril 1303.

« Super custodia castrorum et fortelliciorum ecclesie Vivariensis. » (fol. 333.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Viennensi et .. episcopo Aniciensi. Inter cetera sollicitudinum studia, que nobis ex officii debito pastoralis incumbunt, illa nos propensius excitat et instanter sollicitat mentem nostram, ut ad statum prosperum ecclesiarum omnium vigilantibus studiis intendamus. Sane petitio dilectorum filiorum capituli ecclesie Vivariensis nobis exhibita continebat, quod, cum olim inter eos, ex parte una, et bone memorie Hugonem, Vivariensem episcopum, tunc viventem, ex altera, occasione custodie quorundam castrorum et fortellitiorum ecclesie supradicte, orta esset materia questionis, tandem pro bono pacis et concordie utriusque partis, mediante venerabili fratre nostro G[uillelmo], archiepiscopo Viennensi, inter partes ipsas, juramentis hinc inde prestitis, ordinatum extitit et firmatum, quod castellani, positi per Vivarienses episcopos, qui essent pro tempore, pro custodia castrorum et fortellitiorum predictorum jurare teneantur, quod, episcopo ipso cedente vel predecedente, predicta castra et fortellitia prefatis capitulo [vel] eorum nuntio speciali restituere curabunt, custodienda, sede Vivariensi vacante, per capitulum supradictos, quodque prefati episcopi, cum dicta castra et fortellitia eisdem castellanis custodienda committunt, hoc per ipsos precipient observari. Set venerabilis frater noster Adelbertus, Vivariensis episcopus, contra ordinationem hujusmodi, quamvis ipsam servare juraverit, veniens, illam observare indebite contradicit, quin immo, pro observanda venditione quorundam reddituum seu proventuum, ad episcopalem mensam suam Vivariensem spectantium, de novo sine consensu predictorum capituli, non absque magno incommodo predicte ecclesie, usque ad certum tempus facta per ipsum, castellanos, quos pro custodia castrorum et fortellitiorum predictorum posuit, jurare fecit, quod si, durante tempore contractus hujusmodi, ipsum cedere vel decedere forte contingat, dicta castra et fortellitia restituant nobili viro Geraldo Ademarii de Montilio, militi, inimico ipsius ecclesie capituli, qui, quamvis homo ligius et fidelis ejusdem esse debeat, ipse tamen, spreto fidelitatis debito, eodem Aldeberto episcopo sciente et non contradicente, prefatam ecclesiam publice persequi non veretur. Quare pro parte dictorum capituli fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum hii, quibus hactenus dictorum castrorum et fortellitiorum custodia fuit per episcopos Vivarienses commissa, adveniente tempore restitutionis, circa ea restituenda dictis capitulo, se difficiles aliquando exhibuerint, temporibus retroactis, ac propterea ex premissis eisdem capitulo et ecclesie non modicum immineat detrimentum, providere ipsis et eidem ecclesie super hiis nunc et in posterum paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur, volentes, prout ad nostrum spectat officium, tam dispendioso statui dicte ecclesie utiliter ac salubriter providere, prefato Aldeberto episcopo et successoribus suis Vivariensibus episcopis, qui fuerint pro tempore, auctoritate presentium districtius inhibemus, ut castra et fortellitia sepedicta nonnisi hominibus ligiis et fidelibus dicte ecclesie de cetero custodienda committant, fraternitati vestre, eadem auctoritate, mandantes, quatinus vos vel alter vestrum prefa-

tum Aldebertum episcopum, ut, quod per ipsum in hac parte de novo factum extitit, penitus revocet, et tam ipsum quam successores suos predictos, quod ordinationem premissam, quam ipsos jurare volumus, et inhibitionem hujusmodi omnino observent, monitione premissa, auctoritate nostra, appellatione remota, cogatis. Non obstante —. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane si secus fuerit attemptatum. Dat. Laterani, IIII non. aprilis, anno nono.

5241 (CXXIII) Anagni, 3 juin 1303.

« Johanni, abbati monasterii Sancti Richarii in Pontivo, Ambianensis diocesis. Confirmatur electio sua in dicto monasterio. » (fol. 333 v°.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sanctii Richarii in Pontivo, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Ambianensis diocesis. Inter sollicitudines varias —. Pridem siquidem monasterio Sancti Richarii —, per obitum quondam Mathei pastoris regimine destituto, dilecti filii . . prior et conventus — sex ex ipsis : videlicet dilectis filiis Egidio, cantori, Gosselino de Blangisesso, Odoni de Andeciaco, Guillelmo de Pinpres, Alerino de Moiniet et Jacobo de Danlinges, dicti monasterii monachis, eligendi ea vice de gremio ipsius monasterii personam ydoneam in abbatem ejusdem monasterii concesserunt unanimiter potestatem plenariam, — prefati vero compromissarii — in te, tunc prioratus de Lulliaco, ad dictum monasterium pertinentis [priorem], ipsius monasterii monachum, direxerumt concorditer vota sua.

Suprascripti electionem confirmat dominus papa, munere benedictionis ei per Nicolaum, Ostiensen episcopum, impenso.

Dat. Anagnie, III non. junii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Sancti Richarii — universis vassallis.*

5242 (CXXIIII) Anagni, 17 juin 1303.

« Licentia de mutuo pro Waltero, Conventrensi et Lichefeldensi episcopo, » usque ad summam septem millium florenorum auri. (fol. 334.)

Venerabili fratri Waltero, Conventrensi et Lichefeldensi episcopo. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, xv kal. julii, anno nono.

5243 (CXXV) Anagni, 29 mai 1303.

« Mathie, electo Theatino. Confirmatur electio sua. » (fol. 334.)

Dilecto filio Mathie, electo Theatino. Militanti ecclesie —.

Vacante suprascripta ecclesia per obitum bonæ memoriæ Raynaldi, capitulum, per viam scrutinii procedere deliberans, magistrum Franciscum, archidiaconum, Grondinum, cantorem, et Conradum, canonicum ejusdem ecclesie, elegerunt scrutatores et in suprascriptum, archidiaconum Drocensem in ecclesia Carnotensi, cameræ Apostolicæ clericum, in diaconatus ordine constitutum, direxerunt unanimiter vota sua. Ejus electio confirmatur.

Dat. Anagnie, IIII kal. junii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Theatine — clero — populo — Carolo, regi Sicilie illustri.*

5244 (CXXVI) Anagni, 20 juin 1303.

« Preficitur rector in spiritualibus Johannes Archinisii in comitatu Venaysino. » (fol. 334 v°.)

Dilecto filio magistro Johanni Archinisii, priori secularis ecclesie Sancti Laurentii de Arboribus, Avinionensis diocesis. Cum pridem in comitatu Venaysino, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectante, de rectore in temporalibus duxerimus providendum, nos, volentes nunc inibi plenius providere, ut temporalis jurisdictio, cum expedierit, auxilio spiritualis fulta, liberius et efficacius valeat exerceri, tibi, quem nobis industrem et fidelem tua fama laudabilis tuaque merita representant, jurisdictionem in spiritualibus in comitatu predicto, in fulcimentum et auxilium temporalis jurisdictionis exercendam dumtaxat et non alias, presentium auctoritate, committimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus jurisdictionem ipsam sic prudenter et fideliter exequaris, sicque limites tibi datos observes, quod possis exinde merito commendari. Nos enim sententias sive penas, quas spiritualiter rite tuleris seu statueris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari : non obtantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis vel litteris Apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per que mandati nostri executio in hac parte possit quomodolibet

impediri et de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum fieri oporteat in nostris litteris mentionem. Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno nono.

In. e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum ac decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque nobilibus, rectoribus, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per comitatum Venaysinum, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantem, constitutis.*

5245 (CXXVII) Anagni, 20 juin 1303.

« Quod compellat Raymundum [de] Medullione ad restituendum homines de comitatu Venaysino quos capi fecit. » (fol. 334 v°.)

Dilecto filio Fratri Guillelmo de Sancto Marcello, ordinis Minorum, inquisitori heretice pravitatis in provincia Provincie per Sedem Apostolicam deputato. Grave gerimus —. Sane cum pridem dilectus magister Mathias de Theate, clericus Theatinus, tunc rector comitatus Venaysini, — gravis occasione discordie inter ipsum et nobilem virum Raymundum de Medullione, ex certis causis, exorte, gentem non modicam de civitate Carpentoratensi et terris aliis tam comitatus predicti quam aliunde, pro defensione bonorum ejus et jurium, congregasset, prefatus nobilis — quamplures Carpentoratenses et alios de ipsius gentis numero existentes — capi fecit et carceri mancipari, ipsosque, bonis eorum, que secum habebant, ablatis, adhuc carceralibus vinculis detinere dicitur mancipatos —.

Moneat præfatum nobilem, ut prædictos captivos reddere studeat pristinæ libertati, eum « ad hoc si opus fuerit per excommunicationis in personam et interdicti in terram », appellatione postposita, compellendo. « Quidquid autem super hiis feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, rescribere non postponas. »

Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno nono.

POTTHAST, 25267.

5246 (CXXVIII) Anagni, 20 juin 1303.

« Mandantur expelli usurarii de comitatu Venaysino. » (fol. 335.)

Dilecto filio magistro Johanni Arcinisii, priori secularis ecclesie Sancti Laurentii de Arboribus, Avinionensis diocesis. Circa statum comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantis, attente considerationis intuitum dirigentes, opem et operam libenter impendimus et studium efficax, prout expedire perpendimus, adhibemus, ut comitatus ipse, subductis noxiis et impedimentis quibuslibet eminus profugatis, prosperis successibus gaudeat et votivum suscipiat incrementum. Nuper siquidem ad audientiam nostram fidedigna relatione pervenit, quod quamplures usurarii, tam de alienis partibus oriundi, ad comitatum ipsum se personaliter conferentes, quam ipsius indigene, non attendentes quantum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, publice in comitatu predicto usuras exercere presumunt : ex quo ipsius incole comitatus dampna non modica et dispendia patiuntur. Nos autem, super hoc de oportuno remedio providere volentes, discretioni tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus universos usurarios hujusmodi, alienigenas scilicet, quod de cunctis terris comitatus ejusdem discedant, ad illas pro hujusmodi exercendis usuris nullo unquam tempore redituri, indigenas vero, quod ab usurarum exercitio in eodem comitatu prorsus abstineant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus, quod bonum statum et prosperum comitatus ejusdem diligere comproberis, et a nobis pro merito non immerito valeas commendari. Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno nono.

5247 (CXXVIIII) Anagni, 15 juin 1303.

« Indulgentia in ecclesia Sancte Marie de Portu, Ispalensis diocesis. » (fol. 335.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Licet is de cujus —.

Conceditur ad triennium indulgentia quadraginta dierum pro ecclesia Sanctæ Mariæ de Portu, Ispalensis diocesis, in singulis ejusdem Virginis et Nativitatis ac Resurrectionis Domini festivitatibus.

Dat. Anagnie, XVII kal, julii, anno nono.

5248 (CXXX) Latran, 30 avril 1303.

« Bentio, abbati monasterii Sancte Justine de Sezadio, Aquensis diocesis. Confirmatur electio sua. » (fol. 335.)

Dilecto filio Bentio, abbati monasterii Sancte Justine de Sezadio, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Aquensis diocesis. Licet ea que —.

Vacante suprascripto monasterio per obitum quondam Oberti et conventu per viam compromissi procedere deliberante, Anselmus de Quarguento, presbyter, Frater ordinis Humiliatorum, compromissarius electus, suprascriptum, ipsius monasterii monachum, in abbatem elegit. Qui quidem ad Sedem Apostolicam pro confirmatione suæ electionis accessit; sed Johannes, episcopus Tusculanus, cui ejusdem examinatio commissa fuit, non invenit eam, licet canonice celebrata fuerit, infra tempus legitimum præsentatam. Postmodum vero Robertus, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyter, et Lucas, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinales, quibus commissum fuerat, ut, personam ipsius examinantes, si eam invenirent idoneam, electionem confirmarent et supplerent defectum, eum in abbatem confirmaverunt. Ratificatur quod a dictis cardinalibus factum est.

Dat. Laterani, II kal. maii, anno nono.

5249 (CXXXI) Anagni, 4 juillet 1303.

« Super administrandis fructibus beneficiorum suorum Henrico, preposito ecclesie Tostensis, Othoniensis diocesis. » (fol. 335 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Ripensi et dilectis filiis . . priori Sancti Kanuti Othoniensis ac Petro Philomene, canonico Roskildensi. Dilectus filius Henricus, prepositus ecclesie Tofrensis, Othoniensis diocesis, in nostra proposuit presentia constitutus, quod ipse studio divini juris, theologice videlicet facultatis, quod de mandato nostro apud Sedem Apostolicam regitur, immoratur. Cum autem felicis recordationis Honorius papa III, predecessor noster, duxerit statuendum, ut studentes in facultate predicta per annos quinque percipiant, de licentia dicte Sedis, proventus beneficiorum suorum, non obstante aliqua consuetudine vel statuto, et postmodum pie memorie Innocentius papa IIII, predecessor noster, statuerit, ut in dicta facultate studentes penes Sedem eandem talibus omnino privilegiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus gaudent studentes in scolis, ubi generale regitur studium, ac percipiant integre proventus suos ecclesiasticos sicut illi —.

Mandatur suprascriptis, ut, secundum dictarum constitutionum tenorem, dicto præposito, apud Sedem prædictam dicto studio insistenti, fructus præpositturæ suæ per idem quinquennium ministrari faciant, proviso quod præpositturæ suæ per idoneum vicarium faciat deserviri.

Dat. Anagnie, IIII non. julii, anno nono.

5250 (CXXXII) Latran, 9 mars 1303.

« Super inquisitione facienda in monasterio Sancti Petri Matisconensi. » (fol. 335 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo, et dilecto filio . . decano Lugdunensi. Licet grave geramus —. Nuper siquidem ad audientiam nostram pervenit, quod Gaufredus de Caroloco, qui se gerit pro priore monasterii Sancti Petri Matisconensis, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, olim, cum nondum legitime erat etatis et alias per institutionem minus canonicam ad prioratum ipsum habuit ingressum, et subsequenter bona ejusdem monasterii alienavit et alias dissipavit enormiter et consumpsit, ac alia multa scelera et mala exercuit et exercet, ac vitam gessit et gerit multipliciter dissolutam. Quidam insuper ejusdem monasterii canonici et persone fuerunt et sunt male conversationis et vite, quamplura mala et enormia committentes in sue salutis et fame dispendium et ejusdem monasterii grave dampnum, prejudicium et jacturam et scandalum plurimorum.

Mandatur suprascriptis, ut, ad dictum monasterium personaliter se conferentes, super præmissis et de statu ejusdem monasterii inquirant, et, si dictum Gaufredum invenerint culpabilem, ipsum citare curent, infra duos menses comparriturum.

Dat. Laterani, VII id. marcii, anno nono.

5251 (CXXXIII) Latran, 23 avril 1303.

« Super unione facienda de monasterio de Cripta, ordinis sancti Benedicti, Beneventane diocesis, cum monasterio Sancte Marie de Gualdo, ejusdem ordinis, predicte diocesis. » (fol. 336.)

Venerabili fratri . . episcopo Arianensi. Inter cetera sollicitudinum —. Sane petitio dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii Sancte Marie de Cripta, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Beneventane diocesis, nobis exhibita

continebat, quod ipsi, verisimiliter metuentes ne monasterium ipsum, in quo idem abbas et quinque monachi tantum existunt, propter paupertatem nimiam, qua gravatur, irreparabile possit in spiritualibus et temporalibus incurrere detrimentum, et sperantes firmiter quod, si uniatur monasterio Sancte Marie de Gualdo, ejusdem ordinis, predicte diocesis, ad dictam Romanam Ecclesiam nullo medio pertinenti, ac in facultatibus opulento, et in quo viget observantia regularis, salubre poterit — suscipere incrementum, affectant se — prefato monasterio de Gualdo incorporari.

Mandatur suprascripto, ut, consideratis diligenter circumstantiis universis, prædictæ unioni præsideat.

Dat. Laterani, VIIII kal. maii, anno nono.

5252 (CXXXIIII) Anagni, 13 juin 1303.

« Super inquisitione facienda in monasterio Sancti Vincentii de Vulturno, ordinis sancti Benedicti, Triventine diocesis. » (fol. 336.)

Venerabili fratri . . episcopo Casertano. Ad ecclesiarum monasteriorum —. Accedentes siquidem ad presentiam nostram dilecti filii Franciscus de Mala Cloclaria et Archangelus de Popero, monachi monasterii Sancti Vincentii de Vulturno, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Triventine diocesis, nobis exponere curaverunt, quod, cum Johannes de Cerro, qui pro ipsius monasterii abbate se gerit, incontinentie laborans vitio ac pravitate symoniaca labefactus, homicidii et aliis criminibus irretitus, bona dicti monasterii ac hospitalis ipsius cum personis inhonestis et male conversationis dilapidat et consumit, qui, et nullam preterea curam habens de divinis officiis et regularibus institutis, vitam ducit penitus dissolutam suorumque nequaquam compatitur necessitatibus monachorum, sub cujus umbra jura monasterii predicti depereunt, gravibus propter hoc monasterium ipsum subjacet detrimentis.

Mandatur suprascripto, ut, ad dictum monasterium se personaliter conferens, inquirat super præmissis et aliis, quæ continebuntur in articulis ei exibendis, tam pro parte dictorum monachorum contra dictum Johannem, quam ipsius Johannis contra eos, quæcumque invenerit in scriptis redacta transmissurus, præfixo partibus termino peremptorio competenti ad comparendum.

Dat. Anagnie, id. junii, anno nono.

5253 (CXXXV) Anagni, 11 juillet 1303.

« Super inquisitione contra Monaldum, archiepiscopum Beneventanum. » (fol. 336 v°.)

Dilecto filio Uguitioni de Vercellis, canonico Brugensi, Tornacensis diocesis, capellano nostro. Grave gerimus —. Accedentes siquidem ad presentiam nostram dilecti filii Leo de Montecaveoso, Cristoforus dictus Capudferri et Bonifatius de Benevento, canonici Beneventani, multa de venerabili fratre nostro Monaldo, archiepisco Beneventano, in nostra presentia retulerunt, que a pontificali modestia et honestate plurimum dissonant.

Mandatur suprascripto, ut, ad Beneventum personaliter se conferens, tam super articulis dictorum canonicorum contra dictum archiepiscopum, quam ipsius contra eos, inquirat per testes producendos infra duorum mensium spatium. Si vero aliqua partium testes alterius voluerit reprobare, testes super hujusmodi reprobatione infra unius mensis, hos duos menses sequentis spatium recipiat, omnia domino papæ in scriptis transmissurus, præfixo partibus termino peremptio quindecim dierum prædictos tres menses sequentium.

Dat. Anagnie, v id. julii, anno nono.

5254 (CXXXVI) Anagni, 15 juillet 1303.

« Archiepiscopo Toletano. Super absolutione regis Castelle. » (fol. 336 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Toletano. Ad instar —. Dudum siquidem ad audientiam Apostolatus nostri deducto, quod carissimus in Christo filius noster Fernandus, rex Castelle ac Legionis illustris, per se ac alios bona ecclesiarum cathedralium de regnis Castelle ac Legionis vacantium, pretextu custodie, quam progenitores suos ab olim in illis exercuisse dicebat seu potius usurpasse, quamdiu vacabant, accipiebat et detinebat ac ipsorum bonorum fructus, redditus et proventus percipiebat, illicite eos in usus proprios convertendo, nos, volentes regis ejusdem saluti consulere ac predictarum ecclesiarum indempnitatibus imposterum precavere, inter cetera statuendum duximus per litteras nostras et districtius inhibendum, ne idem rex ulterius ad hujusmodi bona et fructus cathedralium ecclesiarum vacantium regnorum eorundem, hujusmodi pretextu custodie vel alias, illicite extenderet quomodolibet manus suas vel per suos extendi faceret seu permitteret ; set ipsa

bona et fructus per capitula earumdem ecclesiarum, quamdiu vacarent, teneri et percipi absque difficultate permitteret, futuris ecclesiarum ipsarum pastoribus reservanda. Alioquin ipsum et predictos suos, qui contra statutum et inhibitionem nostram hujusmodi temere attemptarent vel ea non servarent, excommunicationis sententiam, quam extunc protulimus, decrevimus incursuros. Civitates quoque, castra, villas aliaque loca ipsorum regnorum, in quibus idem rex vel alii predicti aut eorum aliqui morarentur, et ad que pervenirent, quamdiu sic ligati starent in ipsis, ecclesiastico subjecimus interdicto. Postmodum autem, episcopatu Zamorensi vacante per obitum bone memorie Petri, episcopi Zamorensis, idem rex, sicut ipse nobis per ejus nuntium et procuratorem ac litteras intimavit, quorundam consiliariorum suorum et aliorum consilio pravo ductus, bona ipsius ecclesie Zamorensis, hujusmodi pretextu custodie, propria auctoritate, per suos familiares et nuntios accepit et aliquandiu tenuit, et aliquos fructus, proventus et redditus percepit seu fecit vel permisit percipi ex eisdem; set demum, super premissis ad cor penitudinis rediens, bona et fructus eadem decano et capitulo et ecclesie Zamorensi[bus] restituit seu fecit restitui cum effectu. Cum igitur prefatus rex super hiis ad nostra et Ecclesie Romane mandata per hujusmodi suos nuntium, procuratorem et litteras humiliter redire curavit, mansuetudinem et misericordiam a nobis super illis [1] reverenter implorans, nos, de hujusmodi ejusdem regis conversione letati, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, si restitutio predictorum bonorum, fructuum et reddituum, ut premittitur, secuta sit vel sequatur, predicto regi et aliis, qui fuerunt culpabiles in premissis, cum ab eis super hoc fueris humiliter requisitus, per te vel alium seu alios, auctoritate nostra, juxta formam Ecclesie, ab excommunicatione, quam propterea incurrerunt, beneficium absolutionis impendas, injuncta eis nichilominus pro predictis, prout animarum suarum saluti expedire videris, penitentia salutari. Dat. Anagnie, id. julii, anno nono.

5255 (CXXXVII) Anagni, 6 juin 1303.

« Protectores super studio Romano. » (fol. 337.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Laurentii extra muros et . . priori basilice ad Sancta Sanctorum ac archipresbitero ecclesie sancti Eustachii de Urbe. In supreme preeminentia dignitatis, Divini dispositione Consilii constituti, ad universas fidelium regiones, nostre vigilantie creditas, tanquam pastor dominici gregis, aciem Apostolice considerationis extendimus, ad earum profectum, quantum nobis ex alto permittitur, intendentes, set ad urbium Urbem, Romanam videlicet civitatem, quam divina clementia statuit capud orbis eo attentioris meditationis intuitum retorquemus, quo principalius in eadem nostri sedem Apostolatus celestis dispositio stabilivit et firmavit Ecclesie fundamenta. Hanc profecto nimirum inter ceteras urbes sub Christiane religione fidei militantes, uberioris affectionis prerogativa prosequimur, studiosius Apostolici muniminis presidiis et condignis libentius gratiis honoramus. Ideoque ferventi non immerito desiderio ducimur quod eadem Urbs, quam divina bonitas tot gratiarum dotibus insignivit, scientiarum etiam fiat fecunda muneribus, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus ac diversarum facultatum dignitatibus eruditos, sitque ibi fons scientiarum irriguus, de cujus plenitudine auriant universi litteralibus cupientes imbui documentis. Ad hunc igitur universalem profectum non solum incolarum Urbis ipsius et circumposite regionis, set et aliorum, qui propter hoc quasi continuo de diversis mundi partibus confluunt ad eandem, studio paterne sollicitudinis intendentes, diligenti super hoc cum fratribus nostris deliberatione prehabita, de ipsorum consilio, auctoritate Apostolica, duximus statuendum, quod in Urbe predicta perpetuis futuris temporibus generale vigeret studium in qualibet facultate, ac docentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis doctoribus et scolaribus in studiis generalibus commorantibus gaudeant et utantur. Et ne hujusmodi et ipsorum studium, quod de bono semper in melius dirigi cupimus, perturbari contingeret, auctoritate predicta, decrevimus, ut doctores vel scolares in hujusmodi Romano studio commorantes non possent inviti in curia Capitolii, occasione qualibet, civiliter vel criminaliter conveniri, nisi forsan, quod absit, homicidium per aliquem vel aliquos de eodem studio Romano perpetrari contingeret, quo casu vicarius Romani Pontificis, contra clericos, senator vero vel senatores, qui pro tempore fuerint in Urbe predicta, contra laicos, procedant et faciant quod justitia suadebit, nec ad aliquas contributiones in talliis aut collectis, que imponerentur pro tempore habitatoribus dicte Urbis, seu aliqua obsequia communi Urbis ipsius prestanda, pretextu more quam in eadem Urbe contraherent, vel aliqua pedagia, ratione rerum suarum, quas ad dictum Romanum studium deferri vel exindè reportari facerent, doctores aut scola-

1. *Ms* : hillis.

res ejusdem Romani studii teneantur; quodque pensiones domorum, quas doctores vel scolares in eadem Urbe studiorum causa morantes inhabitarent, taxari deberent per duos taxatores, quorum unum ipsi doctores et scolares, et alterum commune ipsius Urbis eligant, et, si hii duo concordare nequirent, stetur taxationi tertii taxatoris ab eisdem doctoribus et scolaribus eligendi, ac ultra taxationem hujusmodi nichil ab eis possit exigi nomine pensionis pro domibus antedictis. Et, licet Roma communis sit patria, si tamen quispiam litem contra scolares, peregrinantes causa studiorum in illam, super aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione data scolaribus ipsis, eos coram domino aut magistro suo vel predicto vicario conveniat, juxta legitimam super hoc editam sanctionem, et qui contra fecerint, penam dicte sanctionis incurrant. Rectores quoque, quos doctores et scolares ejusdem Romani studii pro tempore duxerint eligendos, in ipsos doctores et scolares ac familiares ipsorum, tam circa cognitionem et decisionem causarum civilium et criminalium civiliter motarum, et etiam criminaliter in criminibus levioribus, quam ipsorum corrigendos excessus leves ordinariam obtineant potestatem. Ut autem doctores et scolares predicti eo liberius intendere studio valeant ac proficere in eodem, quo majoris fuerint gratie favore muniti, ipsis, auctoritate predicta, concessimus, ut, dum hujusmodi studio docendo vel audiendo insisterent, fructus, redditus et proventus omnium beneficiorum suorum, cum cura vel sine cura, etiamsi eorum aliqua personatus vel dignitates existerent, cum ea possint integritate percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis, in quibus illa obtinent, personaliter residerent, et ad residendum in eis interim minime tenerentur, neque ad id a quoquam valeant coartari : non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis dictarum ecclesiarum —. Verum quia non sufficit privilegiorum et indulgentiarum aliquibus dare presidia, nisi sint qui super hiis eos manuteneant et defendant, cum parum sit in civitate jus esse nisi qui illud tueatur existat, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eisdem doctoribus et scolaribus, qui ejusdem Romani studii pro tempore fuerint, efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eos vel eorum aliquos contra hujusmodi statuti, constitutionis et concessionis nostrorum tenores ab aliquibus molestari : molestatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles — compescendo, non obstantibus —. Volumus autem quod quilibet vestrum etiam super negotio per collegam suum in hac parte primitus inchoato se intromittere valeat ac procedere in eodem, prout et quotiens fuerit oportunum. Dat. Anagnie, VIII id, junii, anno nono.

Potthast, 25259.

5256 (CXXXVIII) Anagni, 1er juillet 1303.

« Ad perpetuam rei memoriam. Conceditur studium civitati Avinionensi. » (fol. 337 vo.)

Ad perpetuam rei memoriam. Conditoris omnium immensa benignitas rudem hominem, quem, post perceptionem mortiferi gustus, ad perfectionem discretionis vix efferre naturalis ratio poterat, scientiarum artiumque decrevit dogmatibus erudiri, sicque, dono dato divinitus, plurium ydiomata nationum, sub diversarum linguarum varietate diffusa, in unum conveniunt loquendi commercium latinitatis ordine litteralis. Sic gesta patrum et principum redacta sunt et rediguntur in munimenta librorum. Sic veri et falsi certamina certis rationibus et argumentis probabilibus dirimuntur, sicque generationis et corruptionis corporum universorum implicitas elementorum qualitate discernitur, sic etiam vocum sonoritas pari concordia prodit in jubilum, et e documento colligitur qualiter in divinis obsequiis modulatione musica Domino serviatur. Sic terminorum extrema scolastica doctrina metitur, quaslibet longitudinis et latitudinis, sublimitatis et profundi distantias punctorum seu mensurarum connumeratione distinguens, sic de supernorum essentia corporum, prout moventur et consistunt in ordine, philosophie perscrutatio arte nititur habere notitiam, licet sit res intellectu difficilis et aciem rationis humane trascendat. Sic datur juris utriusque cognitio, querela jurgiosa dirimitur et quod suum est redditur unicuique. Sic quoque ad sacrarum accedit altitudinem scripturarum et elicitur vivificans spiritus de littere visceribus occidentis. Expedit igitur singulis regionibus orthodoxis ut in eis viri habeantur industres, litterarum decore, scientiis et virtutibus presigniti, ut singula sic ipsorum consiliis providis et consulta providentia dirigantur, quod earum incole sub rectitudinis observantia gloriosi vivant et regnent, et quietis beatitudine gratulentur. Tales siquidem viros, infusa eis celitus gratia, litterale studium efficit, parvulos suavitatis lactans dulcedine, cibans adultos uberius et provectos majoris ubertatis delectatione fecundans, dum circa ipsum studiosa sedulitate versantur. De hiis profecto non indigne accipitur quod refulsit sol in clippeos aureos, quia sunt justitie defensores, facta causarum ambigua dirimentes.

Qui sue defensionis viribus in rebus publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, nec minus humano generi per scientiarum cooperationem provident, quam si preliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent, ac Justiniana sanctio non solum illos imperio militare decrevit qui gladiis, clippeis et thoracibus muniuntur, sed alios, qui presidio gloriosi muniminis laborantium spem, vitam posterosque defendant, ne potentiorum manus validior afficiat humiliores injuriis prematque jacturis, clippeo justitie non adjutos. Tales utique clippeos aureo titulo merito presignivit auctoritas, cum per aurum virtutum nobilitas et per scutum fortitudo fidei designentur. Habet enim scientia incomparabiles thesauros deliciarum omniumque bonorum gratiam largitur ad plenum. Nos itaque, profectibus publicis ex debito pastoralis officii, cui dante Domino presidemus, efficacibus studiis intendentes, ingenti utique desiderio ducimur et cura propensioris sollicitudinis excitamur, ut studia litterarum, per que scientiarum thesaurus acquiritur ac ad spiritualis et temporalis gaudii gloriam pervenitur, laudabilibus incrementis dirigantur ubilibet, ac propensius invalescant, et in illis potissime locis et partibus, que ydonea et accomoda fore noscuntur ad multiplicanda doctrine semina et germina salutaria producenda. Cum itaque Avinionensis civitas, ob ipsius comoditates et conditiones quamplurimas, habilis et apta non modicum hujusmodi studio censeatur, nos, pro utilitate publica credentes multipliciter expedire, ut in civitate predicta cultores sapientie inserantur, fructum uberem, largiente Domino, in tempore producturi, presentium auctoritate, concedimus, ut in civitate prefata sit et habeatur de cetero litterarum studium generale, in quo magistri doceant et scolares libere studeant et audiant in quavis licita facultate, ac, si qui processu temporis in eodem studio fuerint, qui, scientie bravium assecuti, sibi docendi licentiam, ut alios licenter erudire valeant, petierint exhiberi, sancimus, ut in jure canonico et civili ac in medicina [1] et liberalibus artibus examinari possint ibidem, et in facultatibus ipsis dumtaxat magisterii titulo decorari, statuentes ut, quotiens ad id aliqui fuerint promovendi, presententur Avinionensi episcopo, pro tempore existenti, qui, magistris facultatis illius, in qua examinatio fuerit facienda, in eodem studio presentibus, convocatis, eos, gratis et difficultate sublata qualibet, de scientia, facundia, modo legendi et aliis, que in promovendis ad doctoratus seu magisteriatus officium requiruntur, examinare studeat diligenter, et illos, quos ydoneos repererit, petito secrete magistrorum eorumdem consilio, quod utique consilium in ipsorum consulentium dispendium vel jacturam revelari quomodolibet sub divine maledictionis interminatione districtius prohibemus, approbet et admittat, eisque petitam licentiam largiatur, alios minus ydoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio vel timore. Ceterum, ne, vacante sede Avinionensi, contingat volentes promoveri ad magisterium impediri, volumus, ut promovendi hujusmodi vacationis tempore . . preposito Avenionensis ecclesie presententur, qui eos examinet et examinatos approbet vel reprobet secundum modum in episcopo pretaxatum. Illi autem qui in civitate predicta examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, extunc absque examinatione alia regendi et docendi ubique in facultate illa, in qua fuerint approbati, plenam et liberam habeant facultatem nec a quoquam valeant prohiberi. Sane, ut rite in jam dictis examinationibus procedatur, precipimus, ut magistri, regere in eodem studio cupientes, antequam incipiant, prestent publice juramentum, quod ipsi vocati ad examinationes easdem personaliter venient, nisi fuerint legitimo impedimento detenti, et gratis, sine difficultate, odio et amore postpositis, dabunt examinatori fidele consilium, ut de examinatis digni approbari debeant et indigni merito reprobari. Qui vero juramentum hujusmodi prestare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem, nec etiam ad aliqua universitatis ipsius studii comoda vel beneficia nullatenus admittantur. Ut autem doctores et scolares predicti eo libentius valeant intendere studio ac proficere in eodem, quo se munitos agnoverint gratia et favore, eis, auctoritate predicta, concedimus, ut, dum hujusmodi studio docendo vel audiendo duxerint insistendum, omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus, concessis doctoribus et scolaribus in studiis generalibus commorantibus, gaudeant et utantur. Nulli ergo etc. Si quis etc. Dat. Anagnie, kal. julii, anno nono.

Potthast, 25269.

1. *Ms* : medicine.

5257 (cxxxviii) Anagni, 19 juillet 1303.

« Petro, episcopo Theatino. Transfertur de ecclesia Mothonensi ad Theatinam. » (fol. 338 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Theatino. Romani Pontificis —.

Suprascriptus de Mothonensi ad Theatinam transfertur ecclesiam, per obitum quondam Mathiæ, electi Theatini, qui apud

Sedem Apostolicam diem clausit extremam, vacantem et Apostolicæ dispositioni reservatam.

Dat. Anagnie, xiiii kal. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis capitulo Theatino — clero — populo — universis vassallis — Carolo, regi Sicilie illustri.*

5258 (cxl) Anagni, 6 juin 1303.

« Petro Petri Alberti, civi Romano. Conceditur sibi officium tabellionatus. » (fol. 338 v°.)

Dilecto filio Petro Petri Alberti de Concordia, notario, civi Romano. Ne contractuum —.

Suprascripto, quem clerus civitatis Romanæ « ad contractus eorum ac doctorum et scolarium, qui erunt pro tempore, in studio, quod in civitate predicta nuper statuimus, redigendos » duxerunt eligendum, conceditur tabellionatus officium.

Dat. Anagnie, viii id. junii, anno nono.

5259 (cxli) Anagni, 15 juillet 1303.

« Johanni, abbati monasterii Beate Marie de Columbis, Carnotensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 339.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Beate Marie de Columbis, Carnotensis diocesis. Dum attente considerationis —. Sane monasterio Beate Marie — per obitum quondam Manassei abbatis — pastoris regimine destitituto — due electiones, una videlicet de Fratre de Hodento, reliqua vero de fratre Johanne de Villamodio, prioratuum prioribus, ejusdem diocesis, prefati monasterii monachis, fuerunt in discordia celebrate, ac idem Frater Petrus, ad suorum electorum instantiam, electioni hujusmodi de se facte consensit, prefatus vero Frater Johannes electioni hujusmodi celebrate de ipso noluit consentire.

Cum decretum electionis episcopo Carnotensi pro confirmatione præsentatum fuisset, Frater Oddo subprior, nomine suo et sibi adhærentium, prædicti Fratris Petri electioni se opposuit, nonnulla contra ejus personam proponendo et demum a quadam interlocutoria, super hoc per eumdem episcopum seu ejus officialem prolata, fuit pro parte dicti Oddonis et adhærentium ad Sedem Apostolicam appellatum, ubi hoc negotium Roberto, tituli Sanctæ Pudentianæ presbytero cardinali, commissum fuit. Deinde vero præfatus Petrus resignavit et dominus papa, hanc resignationem accipiens, suprascriptum, tunc priorem prioratus de Vitriaco Castro et monachum Sancti Petri ad Montes Cathalaunensis, ejusdem ordinis, ac ipsius cardinalis capellanum, preficit in abbatem.

Dat. Anagnie, id. julii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui monasterii Beate Marie de Columbis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis — universis vassallis — venerabili fratri .. episcopo Carnotensi.*

5260 (cxlii) Anagni, 8 juillet 1303.

« Petro, electo Signino. Preficitur in episcopum Signinum. » (fol. 339 v°.)

Dilecto filio Petro, electo Signino. Paterna nos excitat —.

Suprascriptus, capellanus episcopi Albanensis, præficitur in episcopum Signinum.

Dat. Anagnie, viii id. julii, anno nono.

Potthast, 25271.

5261 (cxliii) Anagni, 8 juillet 1303.

« Sibotoni, electo Spirensi. Preficitur in episcopum Spirensem. » (fol. 340.)

Dilecto filio Sibotoni, electo Spirensi. Recte tunc ecclesiarum —. Sane dudum ecclesia Spirensi per obitum bone memorie Friderici — pastoris regimine destituta — duas in ea electiones, unam videlicet de te, scolastico, a majore et saniori parte ipsorum capituli, aliam vero de Philippo, cantore ipsius ecclesie, a reliquis dictorum capituli contigit in discordia celebrari, ac hujusmodi occasione fuit pro parte dicti Philippi ad Sedem Apostolicam appellatum. Eodem autem Philippo, qui ad dictam Sedem accesserat pro appellatione hujusmodi prosequenda, et Erphone de Ingeinheim, canonico Spirensi, procuratore tuo, a te specialiter destinato, comparentibus coram nobis, quia per ipsorum Philippi et procuratoris confessionem invenimus, quod tam tu quam idem Philippus nonnulla beneficia ecclesiastica, quibus animarum cura imminet, absque dispensatione Apostolica, vestrarum electionum tempore, habebatis, easdem electiones cassavimus —. Postmodum vero memorati decanus et capitulum per eorum litteras suppliciter petierunt per nos de te dicte Spirensi ecclesie provideri. Venera-

bilis quoque frater noster . . Maguntinus archiepiscopus, loci metropolitanus, ac nobiles viri comites et barones ceterique vassalli ejusdem ecclesie te nobis de nobilitate generis et multiplicum donis virtutum comprobarunt —.

Præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, VIII id. julii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito, decano et capitulo ecclesie Spirensis — clero — nobilibus viris comitibus et baronibus ceterisque vassallis.*

In e. m. *dilectis filiis consulibus et universitati civitatis Spirensis.*

5262 (CXLIIII) Anagni, 8 juillet 1303.

« Thome, electo Virdunensi. Preficitur in episcopum Virdunensem. » (fol. 340 v°.)

Thome, electo Virdunensi. Superne dispositione —. Dudum siquidem Virdunensi ecclesia per obitum bone memorie Johannis — solatio destituta pastoris, tu, primicerius et canonicus, ac dilecti filii . . decanus et capitulum — in hujusmodi electionis negotio per viam scrutinii procedere elegistis. Et tandem — due electiones, una videlicet de te, reliqua vero de Waltero de Tremorevilla, ecclesie prefate canonico, fuerunt — in discordia celebrate, tu vero, presentata tibi electione hujusmodi de te facta, consensum tuum et omne jus, si quod sibi quesitum fuerat seu queri poterat ex eadem, per tuas patentes litteras et dilectos filios magistros Johannem de Escantia et Raynerium de Vallevillari, ecclesie prefate canonicos, propter hoc ad nos specialiter destinatos, in voluntate ac dispositione nostra totaliter ponere curavisti. Cumque hujusmodi electionum negotium fuisset per appellationem ad Sedem Apostolicam legitime devolutum, et idem Walterus propter hoc ad Sedem ipsam personaliter accessisset, et apud eam aliquandiu processum fuisset in negotio memorato, demum prefatus Walterus, in nostra presentia constitutus, omne jus — resignavit —.

Suprascriptus præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, VIII id. julii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Virdunensis — clero — universis ecclesie Virdunensis vassallis — populo — venerabili fratri . . archiepiscopo Treverensi — Alberto, regi Romanorum illustri.*

5263 (CXLV) Anagni, 7 juillet 1303.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Albensi. » (fol. 341.)

Dilecto filio nobili viro Aymerico de Cena et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarite, filie nobilis viri Corradi de Carreto, Albensis diocesis. Sedis Apostolice —.

Indulgetur suprascriptis ad pacem inter progenitores roborandam, ut matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Anagnie, non. julii, anno nono.

5264 (CXLVI) Anagni, 13 juin 1303.

« Johanni clerico, nato Hugolini de Lafontana. Dispensatur cum eo super defectu. » (fol. 341.)

Johanni clerico, nato dilecti filii Hugolini de Lafontana, civis Parmensis, legum doctoris. Etsi geniti ex copula —.

Dispensatur cum suprascripto, ut, non obstante defectu, quem patitur de conjugato genitus et soluta, ad ordines promoveri et ecclesiastica beneficia simplicia, non curata, obtinere valeat.

Dat. Anagnie, id. junii, anno nono.

5265 (CXLVII) Anagni, 1er août 1303.

« Dispensatur cum Petro Fuscarino, canonico Castellano, super plebanatu ecclesie Sancti Pauli de Venetiis. » (fol. 341.)

Petro Fuscarino, canonico Castellano. Illis Apostolica Sedes —.

N[icolai], episcopi Ostiensis, obtentu, pro eo capellano suo supplicantis, dispensatur cum suprascripto, ut, non obstante defectu, quem patitur in ætate, cum in vicesimo ætatis suæ anno sit constitutus, plebanatum ecclesiæ Sancti Pauli de Venetiis, cujus capitulum eum postulavit, recipere valeat.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno nono.

5266 (CXLVIII) Anagni, 17 juin 1303.

« Littera de cautela pro societate Spinorum. » (fol. 341 v°.)

Dilectis filiis Rogerio et Spine de Spinis ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatoribus. Cum dudum, de beneplacito nostro, pro nobis et Ecclesia Romana particulariter inter diversas vices octuaginta quatuor milia florenorum et quadringentos florenos auri et quatuor turonenses grossos de argento de pecunia vestra dilecto filio nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi, regis Francorum, comiti Andegavensi, partem eorum videlicet apud Sedem Apostolicam, reliquum vero in Tuscie partibus, pro subsidio expensarum et necessariorum suorum duxeritis persolvenda, sicut per patentes litteras, ipsius comitis sigillo munitas, evidenter apparet, et postmodum alios mille quadringentos septuaginta tres et dimidium florenos auri, pro expensis factis per venerabilem fratrem nostrum Ubertum, episcopum, tunc electum Bononiensem, et dilectos filios G[uillelmum], electum Salernitanum, ac Jacobum de Pisis, militem, familiarem nostrum, pridem cum ipsi ad partes Sicilie de mandato nostro pro certis Ecclesie predicte negotiis accesserunt, similiter de beneplacito nostro : que omnes pecuniarum quantitates, in unam redacte summam, octuaginta quinque milia octingenti septuaginta tres et dimidius floreni auri et quatuor turonenses grossi de argento fore noscuntur.

Indulgetur ut de pecunia decimæ ecclesiasticorum reddituum nuper impositæ ad triennium in Lugdunensi, Viennensi, Bisuntina, Tarantasiensi, Ebredunensi, Aquensi et Arelatensi provinciis ac Cameracensi diocesi, predictarum partibus quæ sunt in regno Franciæ constitutæ dumtaxat exceptis, et de pecunia proventuum provinciæ Romaniolæ, Marchiæ Anconitanæ et Ducatus Spoletani, Ecclesiæ Romanæ debitorum, eis de mandato domini papæ assignandis, retinere valeant usque ad prædictam summam.

Dat. Anagnie, xv kal. julii, anno nono.

5267 (CXLVIIII) Anagni, 30 juillet 1303.

« Confertur magistro Arnaldo de Caviaco cameraria et canonicatus ecclesie Terraconensis. » (fol. 341 v°.)

Dilecto filio magistro Arnaldo de Caviaco, doctori theologie facultatis, camerario et canonico ecclesie Terraconensis, ordinis sancti Augustini. Dum ad personam —.

Camerariam et canonicatum in dicta ecclesia, per obitum Guillelmi de Riquesen, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantes confert suprascripto dominus papa, non obstante quod in monasterio Sancti Saturnini Tholosano canonicatum ac prioratum de Calvomonte, Appamiensis diocesis, ad præfatum monasterium spectantem, noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, III kal. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis magistro Berengario de Argilagueriis, Barchinonensis, et Fernando Velasci, Salamantine, ac Fernando Johannis, Oscensis canonicis ecclesiarum.*

5268 (CL) Anagni, 2 août 1303.

« Dispensatio super matrimonio in diocesibus Eduensi et Lingonensi. » (fol. 342.)

Dilecto filio Guillelmo de Castronovo, domicello, et dilecte in Christo filie Margarite de Pareyo, domicelle, uxori ejus, Eduensis et Lingonensis diocesium. Intenta salutis operibus —.

Suprascriptis, qui, ignorantes se quarto consanguinitatis gradu attinere, matrimonium contraxerunt, indulgetur ut in eo remanere valeant.

Dat. Anagnie, IIII non. augusti, anno nono.

5269 (CLI) Anagni, 5 juin 1303.

« Episcopo Eduensi. Super inquisitione facienda in monasterio Dolensi. » (fol. 342.)

Venerabili fratri . . episcopo Eduensi. Cupientes ut loca —. Nuper siquidem ex parte dilecti filii J[ ], abbatis monasterii Dolensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, fuit expositum coram nobis, quod Guillelmus de Sereyo, camerarius, ac nonnulli monachi ejusdem monasterii, ac Johannes Gerardini, olim archipresbiter de Castro Radulfi, Bituricensis diocesis, qui quondam Henrardi, abbatis dicti monasterii, predecessoris ejusdem J[ ], aliquandiu obsequiis institit, quosdam prioratus, monasterio predicto subjectos, dum idem predecessor ageret in extremis, temere occupantes, illos multis bonis mobilibus et immobilibus spoliarunt, bona eadem dilapidando et enormiter devastando, et tam ipse quam plures alii ex ejusdem monasterii monachis, vitam ducentes penitus dissolutam, adjunctis sibi quibusdam eorum complicibus, apostatis diversorum ordinum, et

aliis sceleratis, multa de bonis dicti monasterii ac prioratuum et membrorum ei subjectorum invadere, rapere, usurpare, asportare, consumere, dissipare, in monachos et personas monasterii et membrorum predictorum ausu sacrilego manus presumpserunt extendere violentas, quidam etiam ex ipsis nonnullos prioratus, ad mensam dicti abbatis spectantes, per violentiam detinere presumunt, eorumque bona dilapidant enormiter et consumunt, alias abbati et monachis, personis, monasterii membris et prioratibus antedictis graves injurias, offensas et violentias multipliciter inferendo, ac satagendo per se et alios — eundem J[ ], abbatem, et obedientes eidem offendere, ac monasterium, prioratus et membra predicta seculari — subicere servituti, ex quibus quidem monachis et complicibus plures sunt majori excommunicatione ligati, incontinentes, statutorum regularium transgressores, conspirantes et abusores litterarum Apostolicarum, nonnulli etiam sacrilegii, homicidii, furti et aliis diversis criminibus irretiti. E contra vero pro parte camerarii et quorundam monachorum dicti monasterii, sibi adherentium in hac parte, fuit nobis expositum, quod idem abbas [est] ab officio beneficioque suspensus, pravitate symoniaca labefactus, irregularitatis nota respersus ac perjurii et aliis diversis criminibus irretitus. Nos autem premissis et aliis, que fuerunt coram nobis hinc inde proposita, diligenter auditis, volentes ad ipsius monasterii reformationem, ne gravius collabatur, intendere diligenter, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, ad monasterium ipsum personaliter accedens et habens pre oculis solum Deum, sententiis, quas in eundem camerarium vel aliquos de dictis monachis post eorum appellationes inveneris fore latas, prius ad cautelam, ne illarum pretextu possit hujus negotii prosecutio impediri, servata in hoc forma debita, relaxatis, visites, inquiras, corrigas et reformes ibidem in spiritualibus et temporalibus, tam in capite quam in membris, super hiis et aliis, que in articulis tibi a partibus exhibendis videris contineri, quecunque visitationis, correctionis et reformationis officio noveris indigere. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita — compescendo. Non obstante —. Dat. Anagnie, non. junii, anno nono.

5270 (CLII) Anagni, 1er août 1303.

« Conceditur Guillelmo, episcopo Ambianensi, quod usque ad triennium possit per alium facere visitare personas suarum civitatis et diocesis. » (fol. 342 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Ambianensi. Sincere tue devotionis —. Dat. Anagnie, kal. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Visignolio et . . Beate Marie de Nigella supra Mare, ac . . Sancti Mathei Foilliacensis, Ambianensis diocesis, ecclesiarum decanis.*

5271 (CLIII) Anagni, 9 juin 1303.

« Eidem. Quod possit facere recipi duas personas in ecclesia Ambianensi. » (fol. 242 v°.)

Eidem. Personam tuam —. Dat. Anagnie, v id. junii, anno nono.

5272 (CLIIII) Anagni, 9 juin 1303.

« Eidem. Quod possit conferre prepossituram, quam Guillelmus, natus quondam Petri Flotte, in ecclesia Ambianensi obtinebat. » (fol. 343)

Eidem. Devotionis magne —.

Præposituram ecclesiæ Ambianensis, qua nuper Guillelmus, natus quondam Petri Flotte, privatus fuit, canonicis tantum dictæ ecclesiæ assignari consuetam, apud Sedem Apostolicam vacantem, conferendi ea vice auctoritate Apostolica suprascripto conceditur facultas.

Dat. Anagnie, v id. junii, anno nono.

5273 (CLV) Anagni, 9 juin 1303.

Eidem. Quod possit reconciliare cimiteria et ecclesias.

Eidem. Sicut ex parte tua —. Dat. Anagnie, v id. junii, anno nono.

5274 (CLVI) Anagni, 22 juin 1303.

« Johanni, abbati monasterii Sancti Benedicti de Baro. Confirmatur electio sua. » (fol. 343.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Benedicti

de Buro, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis ejusdem sancti. Licet ea que de mandato —.

Confirmationem electionis supradicti, monachi monasterii Cavensis, dicti ordinis, Salernitanæ diocesis, post obitum Fratris Mathæi in abbatem suprascripti monasterii per viam scrutinii electi, a G[entili], tituli Sancti Martini in Montibus presbytero, ac L[andulfo], Sancti Angeli diacono cardinalibus, factam, ratificat dominus papa, tenore eorum litterarum inserto incipientium : « Reverenter tenemur » sub data : « Dat. Anagnie, anno Domini millesimo trecentesimo tertio, indictione prima, XVIII kal. julii, pontificatus domini Bonifacii pape VIII anno nono. »

Dat. Anagnie, x kal. julii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Benedicti de Baro.*

5275 (CLVII) Anagni, 19 juin 1303.

« Consilio, archiepiscopo Consano. Quod inquirat et visitet in monasterio Sancti Salvatoris de Guilleto, Sancti Angeli diocesis. » (fol. 343 v°.)

Venerabili fratri Consilio, archiepiscopo Consano. Cupientes ut loca —. Pervenit siquidem nuper ad audientiam nostram, quod monasterium Sancti Salvatoris de Guilleto, ordinis sancti Benedicti, Sancti Angeli diocesis, tue provincie, in quo conventus honorabilis circa numerum centum et quadraginta monialium fore asseritur, propter insolentiam et juventutem [1] quarumdam ex ipsis monialibus et conversorum habitantium in eodem, nec non aliquorum nobilium illarum partium tyrannidem et rapacitatem, et pro eo quod constitutio nostra, super monialibus includendis edita, inibi non servatur, non modicum est collapsum, ex quo dicto monasterio, cum ad reformationem ipsius et correctionem dictarum monialium et conversorum ac resistentiam dictorum nobilium [tyrannidi] dilecta in Christo filia Guillelma, ejusdem monasterii abbatissa, non possit sufficere per se ipsam, nec sit qui circa premissa ei prebeat auxilium oportunum, magnum imminet detrimentum.

Mandatur suprascripto ut ad dicti monasterii reformationem et defensionem intendat, faciens inibi constitutionem de clausura observari.

Dat. Anagnie, XIII kal. julii, anno nono.

1. *Ms* : juventatem.

5276 (CLVIII) Anagni, 30 mai 1303.

« Stephano, archiepiscopo Colocensi. Super quadam inquisitione in sua et Strigoniensi provinciis. » (fol. 344.)

Venerabili fratri Stephano, archiepiscopo Colocensi. Ad audientiam nostram —.

Mandatur suprascripto, ut quosdam Fratres Prædicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini ordinum, canonica pœna compescat, qui interdictum et ecclesiasticas censuras observare contempserant.

Dat. Anagnie, III kal. junii, anno nono.

POTTHAST, 25247.

5277 (CLVIII *bis*) Même date.

Eidem conceditur ut omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad ecclesias suarum civitatis et diocesis præcipuis anni et aliis ipsarum ecclesiarum festivitatibus accesserint, indulgentiam quadraginta dierum elargiri possit.

Eidem. Ut fideles Christi —. Dat. ut supra.

POTTHAST, 25250.

5278 (CLVIIII) Anagni, 27 mai 1303.

« Conceditur . . potestati, consilio et communi Firmanis quod possint habere in ecclesia Firmana unum cippum ad reponendas elemosinas. » (fol. 344.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et comuni civitatis Firmane. Vos et civitatem —. Porrecta siquidem nobis, ex parte vestra, petitio continebat, quod ipsius incole civitatis et quandoque etiam alienigene, pie devotionis obtentu, quam exhibent ad dominam nostram Beatam Mariam Virginem Gloriosam, cujus Firmana ecclesia est vocabulo insignita, largas frequenter elemosinas erogant et legata relinquunt ipsi ecclesie, pro edificiis et operibus honorabilibus inibi construendis, sed mansionarii, qui sunt pro tempore, dicte ecclesie, ad quos elemosine ac legata predicta perveniunt, ea quandoque non in edificia et opera supradicta, sed in alios usus convertere et consumere non verentur, in animarum suarum periculum dicteque ecclesie detrimentum. Nos autem, super hoc de oportuno providere remedio intendentes, vestris supplicationibus inclinati, Apostolica auctoritate statuimus, quod in ecclesia vestra unum cippum seu truncum,

ubi elemosine et legata hujusmodi reserventur, duabus firmatum clavibus, quarum unam dilectus filius Rizardus, prior Sancti Salvatoris, Firmane diocesis, et alteram dilectus filius Jacobus magistri Stephani [1] de contrata Castelli, civis Firmanus, nunc primo teneant, eisque decedentibus vel alias hujusmodi officium dimittentibus, duo alii, unus videlicet clericus et alter laïcus, fidedigni, de civitate vel diocesi predicta, per vos in eodem officio, quando et quotiens expedierit, subrogandi, perpetuis futuris temporibus habeantur, nec possint iidem mansionarii de elemosinis et legatis eisdem disponere, sed per eosdem detentores ipsarum clavium in edificia et opera supradicta, ad que deputata existunt, totaliter convertantur. Nulli ergo — nostri statuti et constitutionis —. Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno nono.

5279 (CLX) Anagni, 27 mai 1303.

« Quod inquirat super excessu commisso per castrum Sancti Genesii, Camerinensis diocesis. »

Venerabili fratri . . episcopo Fesulano, rectori Marchie Anconitane. Cum quietem et pacem —. Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno nono.

POTTHAST, 25246.

5280 (CLXI) Anagni, 29 juillet 1303.

« Dispensatur cum Lanfranco de Pistorio, monacho monasterii Sancti Bartholomei Pistoriensis. » (fol. 344 v°.)

Dilecto filio Lanfranco de Pistorio, monacho Sancti Bartholomei Pistoriensis, ordinis sancti Benedicti. Illis Apostolice Sedis —.

Suprascripto, qui quondam de ordine Fratrum Prædicatorum, quem professus fuerat, ad ordinem sancti Benedicti, de superioris sui licentia, convolavit, indulgetur, consideratione G[uillelmi], Sancti Nicolai in Carcere diaconi cardinalis, pro eo, capellano suo, supplicantis, ut, non obstante constitutione Nicolai papæ IV, abbatiam monasterii Sancti Januarii foris Neapolim, dicti ordinis sancti Benedicti, de qua, post resignationem Nicolai, J[acobus], archiepiscopus Neapolitanus, in quem conventus compromiserat, ei providit, accipere valeat.

Dat. Anagnie, IIII kal. augusti, anno nono.

1. *Ms* : Spthi.

5281 (CLXII) Anagni, 30 mai 1303.

« Stephano, archiepiscopo Colocensi. Quod possit revocare quicquid fuit contra prelatos Ungarie attemptatum postquam, etc. » (fol. 345.)

Venerabili fratri Stephano, archiepiscopo Colocensi. Tuis et venerabilium —.

Ut quicquid invenerit per nobiles, comites et barones ac alias sæculares personas in suum, suffraganeorum suorum, præpositorum Strigoniensis, Waciensis et de Castro Ferreo, ac Stephani, archidiaconi Transilvanæ ecclesiarum præjudicium temere attemptatum in statum pristinum revocet.

Dat. Anagnie, III kal. junii, anno nono.

POTTHAST, 25248.

5282 (CLXII *bis*) Même date.

Eidem conceditur facultas contra hæreticos et patarenos in bannatu Boznensi et aliis partibus Colocensis provinciæ procedendi. (fol. 345.)

Eidem. Ad exstirpandam ubilibet —. Dat. ut supra.

POTTHAST, 25249.

5283 (CLXIII) Anagni, 3 juillet 1303.

« Priori et Fratribus ordinis sancti Guillelmi. Conceditur eis ecclesia Sancti Francisci Anagnina. » (fol. 345.)

. . Priori et Fratribus ordinis sancti Guillelmi. Licet personas sub jugo religionis — militantes — prosequamur speciali dilectionis affectu, ordinem tamen sancti Guillelmi eo ferventius continemus infra viscera caritatis, quo specialius ejusdem ordinis, auctoritate Apostolica, curam gessimus, dum adhuc essemus in minori officio constituti —.

Conferuntur suprascriptis ecclesia Sancti Francisci aliaque bona Fratrum ordinis Minorum de Anagnia.

Dat. Anagnie, V non. julii, anno nono.

POTTHAST, 25270.

5284 (CLXIIII) Anagni, 15 juillet 1303.

« Mandatur provideri ecclesie Scalotensi de pastore. » (fol. 345.)

Venerabilibus fratribus . . Borgensi, . . Asloensi et . . Hamarensi episcopis. Inter sollicitudines —. Nuper siquidem, dilectis filiis capitulo Nidrosiensis, et Johanne, rectore Sancti Laurentii Scalotensis ecclesiarum, intimantibus nobis, accepimus quod ecclesia Scalotensis, que non habet capitulum cujusque provisio, cum eam vacare contingit, alias ad venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Nidrosiensem, loci metropolitanum, et dictos capitulum comuniter, de antiqua, approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, pertinet, per quinquennium et amplius jam vacavit.

Cum igitur provisio dictæ ecclesiæ sit Apostolicæ Sedi devoluta, mandatur suprascriptis ut illi de persona idonea provideant in episcopum.

Dat. Anagnie, id. julii, anno nono.

5285 (CLXV) Anagni, 25 juillet 1303.

« Confertur prebenda Verulana Assalato, nato Petri de Cazantis. » (fol. 345 v°.)

Dilecto filio Assalto, nato dilecti filii nobilis viri Petri de Cazantis, canonico Verulano. Ut tua et tuorum —.

Suprascripto canonicatus et beneficium in dicta ecclesia conferuntur, si qua vacant, vel quam proximo vacatura reservantur, non obstante quod in pubertatis annis est tantum constitutus.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Pauli, et . . Sancti Leutii, ac . . Sancti Stephani secularium ecclesiarum Verulanarum abbatibus.*

5286 (CLXVI) Anagni, 23 mai 1303.

« Littera quitationis pro societate Spinorum. » (fol. 346.)

Dilectis filiis Rogerio et Spine de Spinis ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatoribus. Dudum venerabilis frater noster Petrus, episcopus Nimotiensis, tunc archidiaconus Famagustanus, capellanus noster, ad recipiendas oblationes provenientes ad altaria et ecclesiam monasterii Sancti Pauli prope Urbem, ordinis sancti Benedicti, a nobis specialiter deputatus, de pecunia oblationum ipsarum penes Monticelum Corbizi, concivem et socium vestrum, mercatorem de societate predicta in Curia nostra morantem, recipientem nomine suo et vestro dicteque societatis, octomilia ducentos et quinquaginta florenos auri ac noningentas quatuor libras et duos denarios Provisinorum, nomine nostro et Ecclesie Romane, deposuit, sicut in instrumento publico manu Petri Angeli de Amelia, notarii publici, inde confecto plenius continetur, quamvis non exprimatur in ipso quod predicta pecunia fuerit de oblationibus supradictis. Et insuper dilecti filii Frater Sallimbene de Urbe ac Frater Johannes de Toffia, monachi monasterii prelibati, certas alias pecuniarum summas de oblationibus prelibatis, diversis temporibus, penes vestrum aliquos, in Curia predicta morantes, recipientes nomine suo ac societatis ejusdem, duxerunt hactenus de mandato dilecti filii Johannis, camerarii nostri, deponendas.

Cum omnes summas sic depositas, de mandato domini papæ, abbati et conventui supradictis per diversas vices integre persolvisse noscantur, dantur illis litteræ quitationis.

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno nono.

5287 (CLXVII) Latran, 22 avril 1303.

« Confertur Petro Alfonsi thesauraria ecclesie Compostellane. » (fol. 346.)

Dilecto filio Petro Alfonsi, thesaurario ecclesie Compostellane. Merita tue probitatis —.

Thesaurariam in hac ecclesia per obitum quondam Fernandi Fructuosi, qui dudum apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, apud eandem Sedem vacantem, confert suprascripto dominus papa, non obstante quod in eadem Compostellana quoddam præstimonium in Conchis sine cura, et in Tudensi præstimonium de Valderez, cui cura imminet animarum, et in eisdem Compostellana et Tudensi, canonicatus et præbendas ac in Sanctæ Mariæ de Cezar et Sancti Andreæ de Mehirama ac Sancti Juliani de Cabalariis et Sanctæ Eolaliæ de Ysir ecclesiis, Compostellanæ diocesis, quædam perpetua beneficia ecclesiastica sine cura noscitur obtinere.

Dat. Laterani, x kal. maii, anno nono.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Tudensi, et . . Ovetensi episcopis et dilecto filio . . scolastico ecclesie Tudensis.*

5288 (CLXXIII) Anagni, 20 juillet 1303.

« Mandatur citari Willelmus, archiepiscopus Thuamensis. » (fol. 246 v°.)

Venerabilibus fratribus . . Lumbricensi, . . Lacimensi, et . . Furnabarensi episcopis. Ad reformandos in clero —. Dat. Anagnie, XIII kal. augusti, anno nono.

POTTHAST, 25274.

5289 (CLXVIIII) Anagni, 17 juillet 1303.

« Super exigenda quadam summa pecunie, a capitulo Messanensi, apud quemdam civem Messanensem deposita. » (fol. 347.)

Dilecto filio . . guardiano Fratrum ordinis Minorum Messanensium. Ex insinuatione dilecti filii Paschalis Johannis, presbyteri Messanensis, nuper accepimus, quod nonnulli Christi fideles, qui contra inhibitionem Sedis Apostolice in partibus Alexandrie negotiationes exercuerant, pro restitutione facienda — de consilio dicti Paschalis, cui id fuerunt in foro penitentiali confessi, — penes capitulum ecclesie Messanensis quadraginta, et penes Augustinum, civem et mercatorem Messanensem, decem uncias auri deposuerunt —.

Ut assignet viginti ex eis dicto Paschali, pro duabus ejus sororibus maritandis, et reliquas triginta uncias monasterio Sancti Johanni Florensi, Cusentinæ diocesis, pro reparatione dicti monasterii et officinarum ipsius, « que dicuntur olim fuisse per inimicos Romane Ecclesie diruta et incendio devastata. »

. Dat. Anagnie, XVI kal. augusti, anno nono.

POTTHAST, 25273.

5290 (CLXX) Anagni, 12 juin 1303.

« Petro, episcopo Noviomensi. Super permutatione quorumdam beneficiorum. » (fol. 347.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Noviomensi. Cum dilectus filius magister Raynaldus de Setia, canonicus ecclesie Sancti Caprasii Agennensis, canonicatum et prebendam, quos in ipsa ecclesia, et Petrus de Thofaliis, clericus Caturcensis diocesis, quedam beneficia ecclesiastica sine cura, que in diocesi Lectorensi, ac Petrus de Both, clericus dicte Caturcensis diocesis, quedam similia beneficia sine cura, que in partibus regni Sicilie obtinent, affectent, ut asserunt, invicem permutare, nos — fraternitati tue mandamus, quatinus, libera predictorum — resignatione recepta, canonicatum et prebendam eosdem Petro de Thofaliis dictaque beneficia in Lectorensi diocesi consistentia Petro de Both, beneficia vero, que in eisdem partibus regni Sicilie consistunt, magistro Raynaldo prefatis — assignes — non obstantibus — quod prefatus Petrus Both archipresbyteratum ecclesie de Mauros, Lectorensis diocesis, et dictus magister Raynaldus in Capuana, Agrigentina et Sancte Marie de Setia, Terracinensis diocesis, [ecclesiis] canonicatus et prebendas noscuntur obtinere. Dat. Anagnie, II id. junii, anno nono.

5291 (CLXXI) Anagni, 25 juillet 1303.

« Mandatur provideri Phylippo Jacobi Cazante de beneficiis ad valorem L florenorum auri in diocesi Verulana. » (fol. 347 v°)

Dilectis filiis . . abbati secularis ecclesie Sancti Leutii et Nicolao dicto Buccacergna ac Matheo Nicolai, canonicis Verulanis. Dilectus filius —.

Suprascriptis mandatur provideri Philippo, nato Jacobi Cazante, militis, canonico ecclesiæ Sancti Herasmi Verulanæ, de aliquo vel aliquibus beneficiis ecclesiasticis, quorum proventus quinquaginta florenorum auri valorem annuum non excedunt, si quæ in diocesi Verulana vacant ad præsens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, non obstante quod dictus Philippus in minoribus tantum ordinibus et in tertio decimo ætatis suæ anno est constitutus.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno nono.

5292 (CLXXII) Latran, 19 avril 1303.

« Ut usque ad quinquennium ad suscipiendum aliquem sacrum ordinem, ratione archidiaconatus quem in ecclesia Suessionensi obtinet, non teneatur. » (fol. 348.)

Dilecto filio Stephano, nato dilecti filii nobilis viri Petri de Pileo, archidiacono Suessionensi. Exigentibus tue devotionis —. Dat. Laterani, XIII kal. maii, anno nono.

5293 (CLXXIII) Anagni, 16 juin 1303.

« Mandatur dispensari super defectu natalium cum Friderico, nato quondam Raynerii de Fagiola. » (fol. 348.)

Venerabili fratri .. episcopo Aretino. Accedens ad presentiam nostram —.

Mandatur dispensari cum Frederico, nato quondam Raynerii de Fagiola, scolari Feretranæ diocesis, super defectu natalium, quem patitur de prædicto Raynerio conjugato genitus et de quadam muliere alii conjugata.

Dat. Anagnie, XVI kal. julii, anno nono.

5294 (CLXXIIII) Anagni, 4 août 1303.

« Dispensatio super matrimonio in diocesi Nicosiensi. » (fol. 348.)

Dilecto filio nobili viro Hugoni de Ibelino, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Alisie [1], *relicte quondam Petri Chappe vidue, Nicosiensis diocesis.* Etsi conjunctio copule —.

Quia nobiles de insula Cipri, de qua uterque existunt, raro pares sibi inveniuntur, indulgetur suprascriptis, ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Anagnie, II non. augusti, anno nono.

5295 (CLXXV) Anagni, 15 juillet 1303.

« Quod possit usque ad biennium suam civitatem et diocesim per alios visitare. » (fol. 348.)

Venerabili fratri I[voni], episcopo Redonensi. Sincere devotionis —.

Suprascripto, qui, tum propter absentiam suam, cum ad præsens apud Sedem Apostolicam moram trahat, tum ex aliis occasionibus impeditus, nequit commode personaliter suam civitatem et diocesim visitare, indulgetur, ut usque ad biennium per personam idoneam hoc officium impendere possit.

Dat. Anagnie, id. julii, anno nono.

In e. m. *dilecto filio .. officiali Dolensi.*

1. *Ms* : Alifie.

5296 (CLXXVI) Anagni, 27 juillet 1303.

« Venerabili fratri .. episcopo, et dilecto filio .. decano Aniciensi. Remittitur eis conferenda quedam prebenda sacerdotalis in ecclesia Aniciensi. » (fol. 345 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo, et dilecto filio .. decano Aniciensi. Ecclesiarum comodis —. Cum igitur, sicut dilecti filii Guillelmus de Sayssac, canonicus, et Pontius Vialata, clericus chori ecclesie vestre Aniciensis, exposuerunt nuperrime coram nobis, canonicatus et prebenda sacerdotalis, quos Hugo Vigerii, quondam canonicus Aniciensis, in dicta ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius obitum, qui in illis partibus diem clausit extremum, vacavisse noscuntur, tantoque tempore jam vacant, quod ipsorum collatio est ad Sedem Apostolicam — legitime devoluta, nos, attendentes quod presertim ad sacerdotales prebendas sunt persone ydonee deputande, — discretioni vestre conferendi hac vice, auctoritate nostra, predictos canonicatum et prebendam sic vacantes persone ydonee — concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Dat. Anagnie, VI kal. augusti, anno nono.

5297 (CLXXVII) Anagni, 1er août 1303.

« Confertur prebenda Pisana Albertino, nato Rubei Bonacursi, etiamsi vacet apud Sedem Apostolicam. » (fol. 348 v°.)

Dilecto filio Albertino, nato dilecti filii Rubei Bonaccursi, canonico Pisano. Ut tua et tuorum —.

Suprascripto, consideratione Francisci, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, cujus Rubeus, pater ejus, domicellus et familiaris existit, canonicatum in ipsa ecclesia et præbendam, si qua vacat etiam apud Sedem Apostolicam ad præsens, confert, dominus papa vel, cum vacaverit, reservat, non obstante quod ab abbate monasterii Farfensis, ordinis sancti Benedicti, Sabinensis diocesis, pensionem triginta librarum Paparinorum percipit annuatim.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Savini de Montione et .. priori Sancti Augustini de Rechano, Pisane diocesis, ac T. archidiacono Atrebatensi, camere nostre clerico.*

5298 (CLXXVIII) Anagni, 6 juillet 1303.

« Petro, episcopo Noviomensi. Quod ad requisitionem C[aroli], regis Sicilie, conferat beneficia quondam Roberti Britonis. » (fol. 349.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Noviomensi. Cum sicut ex parte —.

Ad preces Caroli, regis Siciliæ, conceditur suprascripto facultas conferendi, ad requisitionem dicti regis, personis idoneis, quas duxerit nominandas ipse rex, beneficia ecclesiastica, quæ quondam Robertus Brito, clericus et familiaris ipsius regis, Aquensis et Tholonensis canonicus, qui nuper in civitate Neapolitana decessit, obtinebat tempore obitus sui et quæ Apostolicæ dispositioni fuerant reservata.

Dat. Anagnie, II non. julii, anno nono.

5299 (CLXXXIIII) Anagni, 30 mai 1303.

« Stephano, archiepiscopo Colocensi. Quod possit conferre tabellionatus officium uni persone ydonee. » (fol. 349.)

Venerabili fratri Stephano, archiepiscopo Colocensi. Habet in nobis —. Dat. Anagnie, III kal. junii, anno nono.

POTTHAST, 24241.

5300 (CLXXX) Anagni, 6 septembre 1303.

« Conceditur Hugoni Judicis Nicolai de Theano, civi Beneventano, officium tabellionatus, etc. » (fol. 349 v°.)

Hugoni, nato quondam Judicis Nicolai de Theano, civi Beneventano. Quoniam si jus —.

Suprascripto, qui ad hoc, per Papinianum, episcopum Parmensem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarium, examinatus, repertus fuit idoneus, conceditur tabellionatus officium cum potestate dandi tutores et curatores, decretum interponendi, alimenta decernendi, testes recipiendi, instrumenta exemplandi nec non auctoritatem præstandi emancipare, manumittere et adoptare volentibus.

Dat. Anagnie, VIII id. septembris, anno nono.

5301 (CLXXXI) Anagni, 20 juillet 1303.

« Mandatur provideri in monasterio de Castriciis, Cathalaunensis diocesis, de abbate. » (fol. 349 v°.)

Venerabili fratri J[ohanni], episcopo Cathalaunensi, et dilecto filio T[heobaldo], abbati monasterii Sancti Petri ad Montes, Cathalaunensis, ordinis sancti Benedicti. Inter sollicitudines alias —.

Suprascriptis mandatur ut de persona idonea provideant monasterio de Castriciis, ordinis sancti Augustini, Cathalaunensis diocesis, per obitum quondam Johannis, abbatis ipsius, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, pastoris regimine destituto.

Dat. Anagnie, XIII kal. augusti, anno nono.

5302 (CLXXXII) Anagni, 16 juin 1303.

« Quod possit dispensare cum duobus nepotibus suis in ordinibus. » (fol. 349 v°.)

Venerabili fratri Waltero, Conventrensi et Lichefeldensi episcopo. Personam tuam speciali —.

Ut cum Waltero et Roberto, filiis Roberti de Clipstono, Lincolniensis diocesis, nepotibus suis, in ordinibus defectum patientibus et ætate, cum ambo in minoribus tantum ordinibus, et Walterus in duodecimo, Robertus vero in decimo ætatis suæ anno constituti esse noscantur, ut eorum cuilibet unicum ecclesiasticum beneficium cum cura recipere ac retinere valeat.

Dat. Anagnie, XVI kal. julii, anno nono.

5303 (CLXXXIII) Anagni, 9 juin 1303.

« Mandantur citari quidam de diocesibus Xanctonensi et Pictavensi. » (fol. 349 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilecto filio . . decano Xanctonensi. Ad malignantium corrigendos excessus manum nos decet Apostolice correctionis apponere, ne, si quod absit, remaneant impuniti, in exempli pernitiem transeant aliorum. Accedens siquidem ad presentiam nostram, dilectus filius Petrus Lupi, prior prioratus castri de Compuyaco, ordinis sancti Benedicti, Xanctonensis diocesis, gravi nobis conquestione monstravit, quod Petrus Vigerii, subdiaconus, tunc castellanus dicti castri, Johannes Munaudi, et Guillelmus Talhandarii, Guillelmus et Elyas de Barreto fratres, Johannes de

Ulmo, clerici, Gaufridus de Perniaco, Symonetus et Michael Anglici, Guillelmus Gascherelli, Petrus Guineberti, Petrus de Camera, Aymericus Perrerii, Arnaudus Balandi, Johannes Arnulphi, Johannes de Mahentia, Laurentius de Bocketo, et Iterius Aysse, Petrus Odoberti senior, Petrus Pererii et Aymericus Leucardi, Elyas de Metulo, Rampnulphus Natalis, Robertus Mercerii, Guillelmus Clementis et Johannes Mineti, laici, dicte ac Pictavensis diocesium, ad prioratum predictum cum multitudine armatorum hostiliter accedentes, ac domos dicti prioratus, fractis illarum ostiis, violenter intrantes, Petrum de Termis et quondam Hugonem de Gardemonga, monachos dicti prioratus, ac quondam Petrum de Biliaco, clericum, familiarem dicti prioris, tunc ante altare Sancte Marie in ipsius prioratus ecclesia existentem, manibus injectis in eos, Dei timore postposito, temere violentis, ausu sacrilego capere, ipsosque captos, collo dicti clerici fune ligato, ad dictum castrum ducere, eos inhumaniter verberando, spiritu ducti diabolico, presumpserunt, ibique rasis eorum capitibus, ne signa clericalis caracteris apparerent, dictoque clerico, qui clericale privilegium et immunitatem ecclesiasticam allegabat, suspendio tradito, prefatos monachos monachali habitu exuerunt. Quos deinde, laicalibus indumentis indutos, eorum manibus et pedibus adeo stricte ligatis, quod sanguis inde fluebat, ad castrum de Bocavilla, primo, et postmodum ad castrum de Villabois, predicte Xanctonensis et Petragoricensis diocesium, captivos ducentes, illos demum in dicto castro de Villebois (*sic*), diro carceri manciparunt, et tam duris tormentis et angustiis afflixerunt eosdem, quod idem Hugo ex tormentorum duritia post modicum temporis expiravit, propter que castra predicta juxta quandam constitutionem concilii [1] Burdegalensis, per archiepiscopum Burdegalensem, loci metropolitanum, et ejus suffraganeos editam, ecclesiastico interdicto subjacere dicuntur, iidem quoque subdiaconus, clerici et laici, quosdam equos dicti prioris ab eodem prioratu abducentes, pannos laneos et lineos, lectos et alia quedam ex bonis dicti prioratus apud prioratum eundem existentia destruxerunt, et alia ex ipsis bonis fecerunt exinde nequiter asportari, alias ipsis priori et prioratui dampna gravia, injurias et violentias multipliciter irrogando. Quare dictus prior nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse contra dictos sacrilegos, propter eorum potentiam et malitiam, non confidat posse in illis partibus super hiis justitie consequi complementum, providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Cum autem premissa, si veritate nitantur, in gravem divine majestatis offensam, clericalis ordinis et religionis contemptum, ac conculcationem ecclesiastice libertatis redundare noscantur, nos, ea nolentes, prout etiam nec debemus, silentio preterire, ne illorum impunitas aliis prebeat audatiam delinquendi, discretioni vestre, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, prenominatos subdiaconum, clericos et laicos, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut infra XL dierum spatium post citationem hujusmodi compareant personaliter coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie orituri, ac alias facturi et recepturi super hiis quod justitia suadebit. Diem vero citationis hujusmodi et formam et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis, ac nichilominus hujusmodi interdictum, si de illo vobis constiterit, faciatis in eisdem castris usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Dat. Anagnie, v id. junii, anno nono.

1. *Ms* : consilii.

5304 (CLXXXIIII) Anagni, 29 juillet 1303.

« Bernardo, abbati monasterii Sancti Guillelmi de Desertis, Lodovensis diocesis. Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol 350.)

Bernardo, abbati monasterii Sancti Guillelmi de Desertis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Lodovensis diocesis. Debitum officii nostri —. Olim siquidem monasterio Sancti Guillelmi de Desertis — per mortem quondam Guillelmi — pastoris regimine destituto, dilecti filii . . prior et conventus — deliberantes — per viam procedere compromissi dilectis filiis Raynerio de Mostueiulis, doctori decretorum, de Lundris, Guillelmo Dalmatii, Sancti Paragorii, Gaucelmo de Duabus Virginibus, de Cornucio, Johanni de Castaneto, de Cauxio, Berengario de Cantobrio, de Gremiane, Petro de Superatio, de Creysello, Adhemario de Livrano, de Bertio, Raymundo Gaucelini, de Buxia, Raymundo Guillelmi de Duabus Virginibus, de Guarriga, Pontio de Rupefurcata, Sancti Caprasii, Petro de Duabus Virginibus, Sancti Bartholomei, Petro de Creysello, de Mauriacho, Bernardo de Moresio, de Esperone, Bertrando de Subertio, de Cambono, Jacobo de Montepavone, Sancti Johannis prioratuum, spectantium ad monasterium predictum, prioribus, Johanni Clauberti, camerario, Pontio Bedoci, infirmario, Guillelmo de Campaneis, sacriste, Rostagno de Montepetroso, Guillelmo de Sancto Mauritio, Bernardo de Salve, Ottoni de Sancto Johanne, mo-

nachis ejusdem monasterii, providendi concorditer de abbate ipsius monasterii de se ipsis vel alia persona, de gremio monasterii dumtaxat ejusdem assumenda, unanimiter concesserunt — potestatem —.

Suprascriptum, tunc monachum ipsius monasterii et priorem prioratus Sancti Martini de Montepetroso, qui a dictis compromissariis electus fuit, et ad Sedem Apostolicam accessit, confirmat in abbatem dominus papa.

Dat. Anagnie, IIII kal. augusti, anno nono.

In e. m. . . *priori et conventui monasterii Sancti Guillelmi de Desertis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Lodovensis diocesis.*

5305 (CLXXXV) Anagni, 7 août 1303.

« Bartholomeo, electo Aquilensi. Confirmatur electio sua. »

Bartholomeo, electo Aquilensi. Dum sollicite considerationis indagine —.

Confirmatur electio in episcopum Aquilensem, post obitum Nicolai, de persona suprascripti, per magistros Gentilem de Pizulo et Paulum de Balneo, ejusdem ecclesie canonicos, ab archipresbytero et capitulo dicte ecclesie in compromissarios electos, facta.

Dat. Anagnie, VII id. augusti, anno VIIII°.

In e. m. *dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo ecclesie Aquilensis — clero — populo.*

5306 (CLXXXV *bis*) Anagni, 11 août 1303.

Eidem, qui in sacerdotio est constitutus, indulgetur ut a quocumque maluerit antistite consecrationis munus apud Aquilensem ecclesiam recipere valeat. (fol. 351.)

Eidem electo. Cum nuper electionem —. Dat. Anagnie, III id. augusti, anno nono.

5307 (CLXXXVI) Anagni, 12 mai 1303.

« Indulgentia de fructibus percipiendis — ad quinquennium — pro Paulo de Comite, canonico Carnotensi. » (fol. 351.)

Paulo, nato quondam Adenulphi de Comite, civis Romani, capellano nostro, canonico Carnotensi. Meritis tue probitatis —. Dat. Anagnie, IIII id. maii, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis Fredolo, preposito Massiliensis, ac Marino Filmarini de Neapoli, Capuane, ac Sabe Bobonis de Urbe, Parisiensis canonicis ecclesiarum.*

5308 (CLXXXVII) Anagni, 30 août 1303.

« Friderico, electo Ariminensi. Preficitur in episcopum Ariminensem. » (fol. 351 v°.)

Frederico, electo Ariminensi. In suppreme dignitatis —.

Suprascriptus, tunc archipresbyter ecclesie Sancti Michaelis Archangeli, Ariminensis diocesis, huic ecclesiæ, per obitum Laurentii vacanti et Apostolicæ dispositioni reservatæ, præficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, III kal. septembris, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito et capitulo ecclesie Ariminensis — clero — populo.*

5309 (CLXXXVIII) Anagni, 15 août 1303.

« Committitur P[etro], episcopo Nimociensi, et Henrico de Biblio, archidiacono Nicosiensi, administratio archiepiscopatus Nicosiensis. » (fol. 352.)

Venerabili fratri [Petro], episcopo Nimociensi, et Henrico de Biblio, archidiacono Nicosiensi, capellano nostro. Cum nos certis ex causis —.

Suprascriptis committit dominus papa, usque ad beneplacitum suum et Apostolicæ Sedis, administrationem ecclesiæ Nicosiensis, a qua Gerardus, archiepiscopus Nicosiensis, « si sic dici meruit », fuit suspensus.

Dat. Anagnie, XVIII kal. septembris, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis ecclesie Nicosiensis ac clero Nicosiensis civitatis et diocesis — populo — universis vassallis — Henrico, regi Cipri illustri.*

5310 (CLXXXVIIII) Anagni, 4 août 1303.

Indulgentia centum dierum pro reædificatione monasterii Sancti Johannis Florensis, Cusentine diocesis. (fol. 352.)

Universis Christi fidelibus per Cusentinam, Rosanensem et Sancte Severine civitates et dioceses constitutis. Quoniam, ut ait Apostolus —. Dat. Anagnie, II non. augusti, anno nono.

5311 (CLXXXX) Anagni, 9 août 1303.

« Ordinatio et declaratio inter clerum Urbis, ex parte una, et Fratres Predicatorum et Minorum de Urbe, ex altera. » (fol. 352.)

Ad perpetuam rei memoriam. Inter dilectos filios —.

Orta inter rectores Romanæ fraternitatis et clerum Urbis, ex parte una, et Fratres Prædicatorum et Minorum ordinum de eadem Urbe, ex altera, turbationis materia super mortuis sepeliendis et excipiendis confessionibus, hoc negotium ad audientiam suam duxit reducendum dominus papa. Procuratoribus earum partium comparentibus et auditis propositis, ordinat et statuit, « quod, quandocumque clerici ecclesiarum parochialium vel aliarum ecclesiarum secularium aut Fratres ecclesiarum Sancte Marie de Minerva et de Capitolio seu Ara Celi, Sancte Sabine et Sancti Francisci de Trans Tiberim eorundem ordinum sive quorumcumque monasteriorum, locorum et ecclesiarum regularium religiosi de civitate Romana, de voluntate executorum vel consanguineorum alicujus defuncti vel defuncte, vocandi vel invitandi fuerint ad jaconiam ejusdem defuncti vel defuncte, pro ejus faciendis exequiis, vocatio vel invitatio fiat per ministros presbyterorum seu clericorum ecclesiarum, de cujus parochia erat defunctus vel defuncta, — et quod per eosdem presbyteros seu clericos, mortis tempore, sacramenta eucharistie et extreme unctionis ministrentur, et anime recommendatio fiat et vigilie mortuorum dicantur, nec religiosi ad ministranda hujusmodi sacramenta et recommendationem anime faciendam et dicendas vigilias, sine licentia presbyterorum et clericorum hujusmodi, aliquatenus admittantur. »

Vivis autem, sanis et infirmis, Fratres in suis ecclesiis vel aliis sacramentum eucharistie administrent. Quando vero defunctorum corpora portanda erunt ad sepulturam quam defunctus vel defuncta elegerit in ecclesiis seu cemeteriis Fratrum ipsorum vel locis, portandi ipsa processionaliter cum cruce, cantando vel legendo officium mortuorum vel psalmos, cum turribulo, incenso et aqua benedicta, liberam habeant facultatem, absque clericorum parochialium requisitione vel invitatione, defuncti corpore non portato ad parochialem ecclesiam, nec aliquo officio dicto in ea : liceat tamen parochialibus presbyteris et clericis in ea processione, in qua corpora portabuntur per Fratres, crucem ecclesiarum suarum juxta crucem Fratrum, ante vel post eam portare. Illorum tamen corporum dumtaxat declaramus Fratres habere liberam sepulturam, quibus non est a canone vel ab homine interdicta legitime sepultura, vel quia hujusmodi defuncti, mortis tempore, erant excommunicationis vel interdicti sententia innodati, vel publici usurarii aut ex alia justa causa et rationabili non erant sepulture capaces, fraude in iis et dolo prorsus exclusis, proviso quod, tali tempore, fiat denuntiatio Fratribus, quod tales ad sepulturam per eos admitti non debeant, atque proviso quod, dum de talibus disceptatur, corpora non remaneant congruo tempore insepulta. Quod si clerici non denuntiaverint vel probaverint quod proponunt tempore competenti, liceat nichilominus Fratribus corpora talium sepelire. Quod si Fratres sepeliverint illorum corpora, quibus sepultura est, ut premittitur, interdicta, erunt talium corpora exhumanda et ea ex nunc precipimus exhumari, postquam constiterit quod talia corpora capacia digne non fuerint sepulture —. Teneantur tamen parochialium ecclesiarum presbyteri seu clerici ministrare sacramenta eucharistie et unctionis extreme et facere recommendationem animarum illis, qui confessi fuerint Fratribus supradictis et receperint penitentiam ab eis, nisi parochiales presbyteri seu clerici aliquid rationabile proposuerint et ostenderint, quare hujusmodi administratio eucharistie et unctionis extreme ac recommendatio animarum non fuerint faciende. Similiter puniri volumus presbyteros et clericos supradictos, si hujusmodi invitationem non fecerint aut fuerint in mora vel culpa invitandi ecclesias seculares et religiosas et specialiter ipsorum Fratrum et ipsos Fratres ad jaconiam et exequias secundum beneplacitum executorum, consanguineorum et amicorum defuncti, districtius inhibentes, ut per dictos rectores et clerum vel eorum aliquem non impediantur Fratres euntes, morantes et redeuntes pro elemosynarum subsidio conquirendo et etiam exercendo predicationis et audiendi confessiones et imponendi penitentias salutares officio, in casibus in quibus a nobis hec ipsis Fratribus sunt concessa. Demum — providemus quod qui est vel erit noster in Urbe predicta vicarius vel, eo non existente, dilecti filii . . Sancti Gregorii et . . Sancti Sabe de Urbe monasteriorum abbates vel alter eorum, de plano, sine strepitu et figura judicii, cognoscat de inobedentiis, excessibus sive culpis predictorum rectorum et cleri — presbyterorum et clericorum parochialium et Fratrum in premissis — commissis —. Portato autem corpore defuncti ad ecclesiam vel cimiterium Fratrum, in quo sepeliendum erit corpus, officium defunctorum more solito fiet per seculares clericos Urbis cum cantu Romano, et Fratribus ipsis licebit facere officium pro defuncto, legendo vel cantando secundum morem proprium, prout valent, non in navi nec circa corpus, dum seculares clerici cantant. Parochiali vero ecclesie dabitur quarta — secundum constitutionem nostram que incipit : Super cathedram —. Ceterum illi Fratres qui ad audiendas confessiones et ministrandum penitentie sacramentum sunt assumpti vel assumentur in posterum secundum tenorem constitutionis ejusdem

confessiones non audiant — in monasteriis vel ecclesiis aliorum sine licentia clericorum vel personarum ipsarum. In ecclesiis tamen, cemeteriis seu locis suis, vel que inhabitant, et in quibuscumque aliis locis possint hujusmodi confessiones audire —. Nomina autem Fratrum assumptorum vel assumendorum ad confessiones audiendas — in civitate Romana assignari volumus vicario — et fieri inde per vicarium ipsum copiam rectoribus dicte fraternitatis. Nulli ergo — nostre provisionis, ordinationis, statuti, declarationis, precepti et inhibitionis —. Dat. Anagnie, v id. augusti, anno nono.

Potthast, 25275.

5312 (CLXXXXI) Anagni, 13 mai 1303.

« Quedam ordinatio seu divisio terrarum seu castrorum inter natos Riccardi quondam Mathie de Anibaldensibus de Urbe. » (fol. 352 v°.)

Dilecto filio nobili viro Anibaldo, nato dilecti filii nobilis viri Riccardi quondam Mathie, filii de Anibaldensibus de Urbe. Petitio tua nobis —.

Ad petitionem suprascripti confirmatur auctoritate Apostolica instrumentum divisionis quam de bonis suis immobilibus fecit nobilis vir Riccardus quondam Mathiæ de Anibaldensibus de Urbe inter suprascriptum et Johannem, fratrem ejus, filios suos.

Tenor autem ipsius instrumenti quem ipsius instrumenti vim obtinere decernimus talis est : « In nomine Domini, Amen. Anno Domini M°CCC° primo, indictione XIIII°, pontificatus domini Bonifacii Pape VIII anno septimo, die XXVII mense junii. Constitutus in presentia reverendorum patrum dominorum Francisci, Sancte Marie in Cosmedin et Petri, Sancte Marie Nove diaconorum cardinalium, et coram me Nicolao, notario infrascripto, et Paulo Laurentii de Urbe, publico Sancte Romane Ecclesie notario et nunc scriba Senatus, magnificus vir dominus Riccardus Mathie de Anibalden[sibus] de Urbe, volens providere filiis suis, scilicet Anibaldo et Johanni, ne imposterum inter eos aliqua scandala possint oriri ratione communionis, que consuevit inter fratres scandala generare, bona sua immobilia, faciendo de eis duas partes hoc modo divisit et dividere procuravit. Anibaldo enim majori filio suo assignavit et attribuit pro parte divisa bonorum suorum castrum quod dicitur Monsfornelli, cum palatiis et vassalis et juribus que habet in ipsos, cum toto suo tenimento seu territorio inter hos fines : ab uno latere est tenimentum Cripteferrate, ab alio est tenimentum castri Marini via mediante, et ab alio est tenimentum casalis quod dicitur Jerusalem. Item casale quod dicitur Jerusalem cum turri, palatiis et toto suo territorio seu tenimento inter hos fines : ab uno latere est tenimentum castri Monstisfornelli, et ab alio est tenimentum Cripteferrate, et ab alio est tenimentum castri Frascati. Item casale quod dicitur Cripta de Mardonibus, cum domibus seu criptis et toto suo territorio inter hos fines : ab uno latere est tenimentum Turris Baroncin[orum], ab alio heredes domini Petri Comitis, ab alio ecclesia Sanctorum Quatuor, ab alio heredes quondam domini Petri Jacobi, ab alio ecclesia Sancti Petri de Vinculis [1], et ab alio ecclesia Sancti Johannis et Pauli. Item jus et proprietatem, quod et quam ipse dominus Riccardus tenuit et tenet et habet vel habere debet in Algido et in toto tenimento Algidi sicut suis finibus terminatur, vel si qui alii ad predicta omnia sunt veriores confines. Preterea omnia dictus dominus Riccardus dedit et assignavit Anibaldo predicto, prout predicitur, preter castrum Molarie cum suo tenimento, quod ipse dominus Riccardus, de voluntate dicti Anibaldi, donavit, dedit et concessit Nicolao, filio ipsius Anibaldi, ut patet publico instrumento confecto per me, eundem notarium, quod quidem castrum Molarie voluit idem dominus Riccardus computare et ascribi ipsi Anibaldo pro parte sua et in partem suam, cum sit datum dicto filio suo de voluntate ipsius Anibaldi, et ex aliquibus eventibus redeat et redire possit dictum castrorum cum suo tenimento ad dictum Anibaldum et alios filios suos. Quam quidem partem dictus dominus Riccardus dedit et assignavit dicto Anibaldo sub modis et conditionibus, per ipsum Anibaldum acceptatis, ut infra dicitur. Johanni autem filio suo minori dedit et assignavit in partem et pro parte sua castrum quod dicitur Mons de Compatris, cum vassallis et juribus vassallorum, cum rocca, turri et palatiis, et cum toto suo territorio seu tenimento, quod quidem positum est in diocesi Tusculana inter hos fines : ab uno latere est tenimentum castri Molarie, ab alio est tenimentum Rocce de Papa, ab alio est tenimentum Burgi filiorum domini Theobaldi, ab alio est tenimentum Columpne, ab alio est tenimentum castri Montis Porci, ab alio est tenimentum Rocce Priure. Item et castrum quod dicitur Bonumaffictum, positum in diocesi Albanensi, scilicet cum rocca et domibus et vassalis et juribus vassallorum et cum toto tenimento seu territorio inter hos fines : ab uno latere est tenimentum castri Aricie [2] ab alio est

1. *Ms* : Vincula.
2. *Ms* : Arcie.

tenimentum castri Albani, ab alio est tenimentum castri Rocce de Papa, ab alio est tenimentum castri Genezani, vel si qui alii ad predicta sunt veriores confines. Item omnes domos, casalina, ortos et quecunque vacantia, canapinas, vineas, vineales silvas, castanneta, stirparia, molendina, terras et possessiones omnes, quas idem dominus Riccardus habet, tenet et possidet, quocumque modo, jure vel causa in castro Aricie [1] et ejus territorio seu tenimento, que seriosius continentur in publico instrumento donationis, facte per ipsum dominum Riccardum dudum Riccardo, filio dicti Anibaldi, scripto per Petrum Piperis notarium. Que quidem castra proximo nominata et possessiones Aricie, quamquam idem dominus Riccardus alias donaverit Riccardo, filio dicti Anibaldi, ut patet publico intrumento, scripto per Petrum Piperis notarium, tamen nunc expresse mandavit dictus dominus Riccardus eidem Anibaldo, presenti et intelligenti et sponte promittenti — mandatum adimplere, quod dictus Anibaldus curet et faciat, quod dictus Riccardus, filius ejus, dicte divisioni et assignationi facte per eundem dominum Riccardum ipsi Johanni de castris proximo dictis et de rebus et possessionibus Aricie [2] consentiat expresse, et renuntiet ipsi Johanni omnibus juribus, que ex virtute dicte donationis vel alio quocumque modo in dictis castris proximo dictis et in rebus et possessionibus Aricie [3] idem Riccardus habet vel habere potest nunc et in futurum. Item assignavit et dedit idem dominus Riccardus eidem Johanni pro sua parte, scilicet turrim, que dicitur Magistri Stephani, cum turri, accasamentis et toto suo territorio seu tenimento et terris, qualitercumque et quocumque tempore per ipsum dominum Riccardum acquisitis, jam ascriptis tenimento ipsius turris inter hos fines : ab uno latere tenimentum heredum Albestucii Johannis Bobonis, ab alio heredes domini Jacobi Ilperini et Jordanes Ilperini, ab alio ecclesia Sancte Pudentiane et ab alio judex Gandulfus : item et casale quod dicitur Sanctus Maurus, cum tercia parte turris casalis, quod dicitur de Quatrale, cum tercia parte sui territorii juncti pro diviso ab aliis partibus quondam domini Johannis Archionis et Petri Capucci consortum inter hos fines : ab uno latere tenet ecclesia Sancti Johannis de Laterano, ab alio ecclesia Sancti Adriani, ab alio heredes domini Johannis Archionis et Petrus Capucci, et ab alio strata publica, vel si qui ad predicta omnia sunt veriores confines. Que omnia idem dominus Riccardus dedit et assignavit cuilibet filiorum suorum predictorum, eo modo, ut predicitur, scilicet : singula singulis, reservato sibi semper usu et usufructu, donatione plena et plenaria, in castris omnibus et singulis rebus predictis, toto tempore vite sue, absque aliqua diminutione et absque aliquo impedimento, sibi per aliquem dictorum filiorum faciendo, occasione dicte divisionis in rebus predictis. Voluit quoque idem dominus Riccardus hunc modum et conditionem esse, ipso jure, insertos in divisione predicta, scilicet : quod, si contingat Anibaldum predictum et filios ipsius Anibaldi premori dicto Johanni, absque filiis masculis legitimis, ita quod nulla proles masculina ex ipso Anibaldo vel filiis supersit, tunc omnia bona predicta, que predicto Anibaldo venerunt in partem, redeant et recidant ipso jure ad dictum Johannem et filios suos masculos legitimos, si vivant. Et e contra, si contingat dictum Johannem aut ejus filios masculos legitimos decedere sine filiis masculis naturalibus et legitimis, ita quod non sit ex eo aliqua proles masculina legitima, tunc omnia et singula predicta bona, data per eundem dominum Riccardum ipsi Johanni in partem, recidant et redeant ipso jure, absque aliqua diminutione, ad dictum Anibaldum et filios suos masculos legitimos. Mandavit quoque idem dominus Riccardus et voluit servari inter predictos filios et nepotes testamentum quondam bone memorie domini Riccardi, Sancti Angeli diaconi cardinalis, in quo omnem prolem femininam a sua hereditate repulit et exclusit, et, in dictis eventibus, tam dictus Anibaldus et filii, quam dictus Johannes et filii legitimi, auctoritate propria, possint ipsa bona illius, cujus proles masculina defecerit, capere, intrare, possidere et de eis facere sicuti veri domini rerum suarum : quibus omnibus, ut superius est expressum, per predictos Anibaldum et Johannem auditis et seriosius intellectis, ea omnia et singula inter seipsos, pro se et eorum filiis, natis et nascituris, legitimis et quibuscunque aliis heredibus, acceptaverunt, et approbaverunt, et ea perpetuo rata et firma habere promiserunt. Et ideo Anibaldus predictus, dictam divisionem, ut predicitur, acceptans, dedit et concessit, renuntiavit et refutavit eidem Johanni, pro sua parte, predicta castra Montis de Compatris et Boniaffiicti, cum eorum tenimentis, et predicta bona, domos et possessionem Aricie [1], et predicta casalia turris casalis, quod dicitur Magistri Stephani et Sancti Mauri, sicut superius exprimitur, promittens eidem Johanni se facturum et curaturum, quod Riccardus, filius ejus, dicte divisioni consentiet, et renuntiabit eidem omnibus juribus, que sibi, quocunque modo, quesita essent, occasione cujusque donationis sibi

1. *Ms* : Arcie.
2. *Ms* : Arcie.
3. *Ms* : Arcie.

1. *Ms* : Arcie.

Riccardo facte de rebus predictis, sicut sapiens ejusdem Johannis expedire crediderit, que de jure sufficiat —, obligans se dictus Anibaldus dicto Johanni firmiter ad predicta, absque alicujus exceptionis obstaculo, et ad penam infrascriptam, si predicta omnia et singula non faceret vel fieri faceret. Et e contra dictus Johannes, dictam divisionem, ut predicitur, acceptans, dedit et cessit, renuntiavit et refutavit eidem Anibaldo, pro sua parte, castrum Molarie, datum per eundem dominum Riccardum, de voluntate dominorum Anibaldi et Johannis, dicto Nicolao, filio dicti Anibaldi, castrum Montisfornelli, cum eorumdem tenimentis, casale quod dicitur Jerusalem, cum suo tenimento, casale quod dicitur de Mardonibus, cum suo tenimento, et jus quod habet in Algido. Que omnia et singula tam dictus Anibaldus, pro se et suis filiis et heredibus quibuscunque, quam dictus Johannes, pro se et suis filiis et heredibus qui buscunque, perpetuo invicem et inter se rata et firma habere promiserunt, et contra ea nullo modo venire, sub obligatione omnium bonorum suorum et sub pena mille marcharum argenti, firmantes omnia et singula que supradicta sunt corporali sacramento, tactis per eos sacrosanctis scripturis, in quo sacramento dictus Johannes, cum minor sit vigintiquinque annis, dixit et firmavit se non venturum contra predicta vel aliquod predictorum, ratione minoris etatis vel qualibet alia ratione, de quibus omnibus tam prefatus dictus dominus Riccardus quam predicti Anibaldus et Johannes rogaverunt et voluerunt per me Nicolaum, notarium supradictum, et per prefatum Paulum Laurentii, scribam Senatus, fieri publicum instrumentum. Actum Anagnie in hospitio dicti domini Francisci cardinalis, coram supradictis dominis cardinalibus, et presentibus domino Jacobo, episcopo Reatino, domino Ventura, episcopo Eugubino, domino Guittone domini Guidonis de Urbeveteri, magistro Petro Berardi —, domino Nicolao de Comite, domino Laurentio de Sancto Alberto et Nicolao Sclerici de Urbe, testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico, Apostolica et imperiali auctoritate notarius publicus, predictis interfui, et ea omnia, ut supra legitur, rogatus publicavi et subscripsi et meo signo consueto signavi. » Nulli ergo etc. nostre confirmationis, suppletionis, voluntatis et constitutionis etc. Si quis autem etc. Dat. Anagnie, iii id. maii, anno nono.

5313 (CLXXXXII) Anagni, 12 mai 1303.

« Super eodem. » (fol. 354.)

Dilecto filio nobili viro Nicolao, nato nobilis viri Anibaldi filii nobilis viri Riccardi quondam Mathie de Anibaldensibus de Urbe. Exhibita nobis tua —.

Cum nobilis vir Riccardus quondam Matthiæ de Anibaldensibus de Urbe, supraperipto, nepoti suo, nato Anibaldi filii ipsius Riccardi, jam ab ipso Riccardo emancipato, titulo donationis inter vivos castrum Molariæ, positum in diocesi Tusculana, donaverit, dictam donationem confirmat dominus papa, tenorem instrumenti inserens incipientis : « In nomine Domini, Amen. Anno Domini MoCCCoIo, indictione xiiii, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno septimo, die xxvii mensis junii. Constitutus in presentia. »

Dat. Anagnie, iiii id. maii, anno nono.

5314 (CLXXXXIII) Anagni, 12 mai 1303.

« Super eodem. » (fol. 355 vo.)

Dilecto filio nobili viro Nicolao, nato nobilis viri Anibaldi, filii nobilis viri Riccardi quondam Mathie de Anibaldensibus de Urbe. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod dilectus filius nobilis vir Riccardus quondam Mathie de Anibaldensibus de Urbe, avus tuus, volens te, nepotem suum, natum ex Anibaldo, ejus filio, ab avita et patria potestate ac ejus nexibus liberare, constitutus coram dilecto filio Paulo Fusconis de Berra de Urbe, tunc judice palatino, et Nicolao dicto Novello de Vico, familiari nostro, notario publico, habente potestatem ab Apostolica Sede emancipandi et decretum interponendi, te, presentem, volentem, et petentem ex tunc emancipavit —.

Confirmatur dicta emancipatio, tenore ipsius instrumenti inserto incipientis : « In nomine Domini, Amen. Anno Domini MoCCCoXo, indictone XIIIIo, mensis junii die vicesima septima, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno septimo. In prerentia reverendorum patrum dominorum, Dei gratia, Francisci, Sancte Marie in Cosmedin, et Petri, Sancte Marie Nove diaconorum cardinalium, et mei Nicolai dicti Novelli de Vico — », finientis : « Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico — meo signo consueto signavi. »

Dat. Anagnie, iiii id. maii, anno nono.

5315 (CLXXXXIIII) Anagni, 23 août 1303.

« Conceditur palleum archiepiscopo Lundensi, Suetiæ prismati » (fol. 356.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Lundensi, Suetie primati. Pridem te tunc —.

Testatur dominus papa suprascriptum, apud Sedem Apostolicam per Mathæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmediu, Riccardum, Sancti Eustachii, et Lucam, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconos cardinales palleum recepisse.

Dat. Anagnie, x kal. septembris, anno nono.

5316 (CLXXXXV) Anagni, 23 août 1303.

« Impenditur munus consecrationis Umberto, episcopo Bononiensi. » (fol. 356.)

Venerabili fratri Uberto, episcopo Bononiensi. Cum olim Bononiensi —.

Testatur dominus papa suprascriptum per Johannem, episcopum Portuensem, consecrationis munus recepisse.

Dat. Anagnie, x kal. septembris, anno nono.

5317 (CXXXXXVI) Anagni, 31 juillet 1303.

« Mandatur provideri de abbate monasterio Sancti Isidori Legionensis. » (fol. 356.)

Venerabili fratri . . episcopo Astoricensi. Licet continuata supervenientium —. Sane pro parte dilectorum filiorum prioris claustralis et conventus monasterii Sancti Isidori Legionensis, ad Romanum Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, fuit expositum coram nobis, quod dudum, monasterio ipso per obitum quondam Petri, ejusdem monasterii abbatis, vacante, iidem prior et conventus, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die statuta ad tractandum de futuri substitutione abbatis convenientes in unum, ac deliberantes super hoc per viam procedere compromissi, quinque ex se ipsis, videlicet ipsi priori, Johanni Roderici, camerario, Isidoro Martini, Andree Alfonsi et Marco Johannis, canonicis ejusdem monasterii, providendi ea vice de gremio ipsius monasterii vice sua et dictorum conventus prefato monasterio de abbate concesserunt sine prefinitione temporis plenam et liberam potestatem, promittendo illum in eorum et dicti monasterii abbatem recipere, de quo iidem compromissarii vel major eorum pars eidem monasterio providerent. Cumque iidem compromissarii, hujusmodi potestate recepta, secessissent in partem, ac deliberationem inter se habuissent in hujusmodi negotio diligentem, demum ipsi omnes, prefato Marco dumtaxat excepto, in dilectum filium Alfonsum Isidori dictum Sirgo, eorum concanonicum, virum utique, sicut asseritur, providum, honestum, scientia, vita et moribus merito commendandum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in presbiteratus ordine et etate legitima constitutum et de legitimo matrimonio procreatum, direxerunt unanimiter et concorditer vota sua, dictusque Andreas, ex mandato et commissione reliquorum trium collegarum suorum, qui in dictum Alfonsum consenserant, vice sua et ipsorum ac omnium de ipsis conventu, eis omnibus presentibus in capitulo monasterii memorati, eundem Alfonsum in ejusdem monasterii abbatem et pastorem elegit, ac omnes et singuli de ipsis conventu, predicto Marco, ut prefertur, excepto, electionem hujusmodi unanimiter et concorditer acceptantes, eam multis de clero et populo presentibus per predictum Isidorum Martini, ipsorum concanonicum, fecerunt solemniter publicari, quam eciam prefatus Marcus, post paucos dies, omni pravitate cessante, ratam habuit, et consensit eidem, dictusque Alfonsus postmodum, ad magnam dictorum conventus instantiam, infra tempus legitimum, eidem electioni consensit. Demum vero prior et conventus predicti, per procuratores ipsorum, quos propter hoc ad nostram destinarunt presentiam, nobis humiliter supplicarunt, ut, cum idem Alfonsus, ex infirmitate superveniente gravatus, personaliter venire nequiverit absque proprie persone periculo infra tempus contentum in constitutionis felicis recordationis N[icolai] pape III, predecessoris nostri, ad Sedem Apostolicam pro confirmationis dicte electionis ac sue benedictionis munere obtinendo, nos hujusmodi excusationem admittere, dictoque Alfonso exhiberi hujusmodi confirmationis et benedictionis munus in illis partibus, parcendo in hoc ipsorum laboribus et expensis, de benignitate Apostolica mandaremus. Nos igitur, eisdem conventui, electo et monasterio super hiis benigno compatientes affectu, et volentes eos a laborum et expensarum oneribus relevare, fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatinus, lapsu temporis in constitutione ipsa contenti nequaquam obstante, si tibi constiterit prefatum monasterium ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, et inquisita de modo electionis prefate, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, electionem ipsam inveneris de persona ydonea canonice et concorditer, ut premittitur, celebratam, et quod dictus electus impeditus fuerit ut prefertur, auctoritate nostra, electionem confirmes eandem, preficiendo eum in abbatem monasterii memorati.

Alioquin, electione ipsa rite cassata, provideas ipsi monasterio de persona ydonea, assumenda de gremio dicti monasterii sive etiam aliunde, — sibique munus benedictionis impendas, recepturus — postmodum, nostro et Ecclesie prefate nomine, fidelitatis solitum juramentum, juxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas, nobis per proprium nuntium quamtotius destinare procures. Anagnie, II kal. augusti, anno nono.

5318 (CLXXXXVII) Anagni, 7 août 1303.

« Fernando, electo Ispalensi. Preficitur in episcopum Ispalensem. » (fol 356 v°.)

Dilecto filio Fernando, electo Ispalensi. Apostolatus officium quanquam —.

Dudum suprascripta ecclesia per obitum bonæ memoriæ Almoravii, archiepiscopi, vacante ac decano et capitulo pro futuri substitutione pastoris per viam scrutinii procedentibus, major pars eorum suprascriptum, scolasticum ejusdem ecclesiæ, tunc in remotis agentem, in archiepiscopum elegit, reliqua parte Petrum, magistrum scolarum ecclesie Compostellanæ, nunc Burgensem electum, eligente. Cum vero ambo electi apud Sedem Apostolicam, cum capituli nunciis comparentes, resignavissent, suprascriptus ecccclesiæ Ispalensi præficitur in archiepiscopum.

Dat. Anagnie, VII id. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Ispalensis — clero — populo — carissimo in Christo filio Fernando, regi Castelle et Legionis illustri —.*

5319 (CLXXXXVIII) Anagni, 7 août 1303.

« Petro, electo Burgensi. Preficitur in episcopum Burgensem. » (fol. 357.)

Dilecto filio Petro, electo Burgensi. Onera pastoralis officii —.

Suprascriptæ ecclesiæ, Romanæ Sedi immediate subjectæ, quam, per translationem Petri ad Sabinensem vacantem et Apostolicæ dispositioni reservatam, primo eidem episcopo Sabinensi usque ad unius anni spatium administrandam commiserat, suprascriptum, magistrum scolarum ecclesiæ Compostellanæ et in subdiaconatus ordine constitutum, præficit dominus papa in episcopum, de ipsius Sabinensis episcopi et aliorum fratrum suorum consilio.

Dat. Anagnie, VII id. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Burgensis — clero — populo — vassallis — carissimo in Christo filio . . regi Castelle et Legionis illustri —.*

5320 (CLXXXXVIIII) Anagni, 23 août 1303.

« Confertur munus benedictionis Bernardo, abbati monasterii Sancti Guillelmi de Desertis, Lodovensis diocesis. » (fol. 357 v°.)

Dilecto filio Bernardo, abbati monasterii Sancti Guillelmi de Desertis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Lodovensis diocesis. Olim monasterio —.

Ut suprascriptus, cujus electionem concorditer et canonice celebratam confirmavit dominus papa et cui per Johannem, episcopum Portuensem, munus benedictionis impendi fecit, ad monasterium ipsum accedat.

Dat. Anagnie, x kal. septembris, anno nono.

5321 (CC) Anagni, 9 août 1303.

« Rainerio, electo Vercellensi. Preficitur in episcopum Vercellensem. » (fol. 358.)

Dilecto filio Rainerio, electo Vercellensi. Militanti ecclesie —. Olim siquidem cupientes [1] ecclesie Vercellensi, cujus tunc bone memorie Aymo, episcopus Vercellensis, regimini presidebat, cum eam vacare contingeret, de persona providere ydonea — provisionem ipsius certis ex causis — ea vice dispositioni nostre ac Apostolice Sedis duximus reservandam —. Postmodum vero, dicta ecclesia per obitum memorati episcopi vacante, dilecti filii . . archipresbyter et capitulum dicte ecclesie, hujusmodi, sicut asseritur, reservationis et constitutionis ignari, te, ipsius ecclesie archidiaconum, in episcopum Vercellensem per viam scrutinii concordi-

1. *Ms* : quod.

ter, quamvis de facto, reservatione et constitutione predictis obstantibus, elegerunt, tuque, similiter earumdem reservationis et constitutionis ignarus, hujusmodi electioni ad eorum instantiam consensisti.

Archiepiscopo Mediolanensi dictam electionem confirmare nolente, iidem archipresbyter et capitulum nuntios suos ad Apostolicam Sedem destinarunt. Dictam electionem, prout post et contra reservationem et constitutionem suas attemptatam, irritam nuntiat dominus papa et suprascriptum, in quem « ipsorum archipresbyteri et capituli vota tam concorditer, ut premittitur, concurrerunt », præficit ecclesiæ Vercellensi in episcopum.

Dat. Anagnie, v id. augusti, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo ecclesie Vercellensis — clero — populo — archiepiscopo Mediolanensi — universis vassallis —.*

5322 (CCI) Anagni, 18 juillet 1303.

« Avantio canonico Tervisino. Confirmatur sibi prebenda Tervisina. » (fol. 358 v°.)

Dilecto filio Avantio de Tervisio, canonico Tervisino. Licet ea que —.

Præbendam, quam P[etrus], episcopus Paduanus, in Tervisina ecclesia, tempore promotionis suæ, obtinebat et quæ, apud Sedem Apostolicam vacans, Apostolicæ dispositioni fuerat reservata, Nicolaus, episcopus Ostiensis, suprascripto, capellano et camerario suo, qui jam dudum in ecclesia prædicta receptus fuerat in canonicum per Sedem Apostolicam, quique in Sanctæ Mariæ de Tribus Basilicis, Tervisinæ diocesis, et in Sancti Leonardi Tervisina ecclesiis clericus et beneficiatus existit, cuique Apostolica auctoritate reservatum fuit beneficium in civitate vel diocesi Paduana usque ad valorem c florenorum auri, quod nondum est adeptus, auctoritate Apostolica sibi commissa oraculo vivæ vocis, contulit. Dictam collationem confirmat dominus papa inserens litteras dicti cardinalis incipientes : « Exigunt probitatis tue » sub : « Dat. Anagnie, VIII kal. junii, pontificatus predicti Bonifatii pape VIII anno nono ». et « Venerabili in Christo patri domino . . Dei gratia episcopo Tervisino ac discretis viris . . archipresbytero, et Pandulpho de Lucia, canonico ecclesie Paduane. Exigunt probitatis » sub : « Dat. ut supra ».

Dat. Anagnie, xv kal. augusti, anno nono.

5323 (CCII) Anagni, 19 juillet 1303.

« Fernando Roderici de Toleto, canonico Astoricensi. Dispensatur cum eo. » (fol. 359.)

Dilecto filio Fernando Roderici de Toleto, canonico Astoricensi. Illegitime genitos —.

Suprascripto, cum quo nuperrime apud Sedem Apostolicam constituto jam fuit dispensatum super defectu natalium ad obtinendum hunc canonicatum, indulgetur, ut, non obstante dicto defectu, duo alia ecclesiastica beneficia recipere valeat, si ei canonice offerantur.

Dat. Anagnie, XIIII kal. augusti, anno nono.

5324 (CCIII) Anagni, 6 septembre 1303.

« Ad perpetuam rei memoriam. Super ordinatione et statutis factis in Marchia Anconitana. » (fol. 359.)

Ad perpetuam rei memoriam. Celestis Patrisfamilias —.

Promulgatur constitutio super ordinatione et statutis factis in Marchia Anconitana.

Dat. Anagnie, VIII id. septembris, anno nono.

POTTHAST, 25282

5325 (CCIIII) Anagni, 3 août 1303.

« Conceditur monasterium de Ferentillo, Spoletane diocesis, ecclesie Lateranensi. » (fol. 361.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Lateranensis. Inter ceteras sollicitudines —. Sane monasterium de Ferentillo, ad prefatam Romanam Ecclesiam nullo pertinens mediante, ordinis sancti Benedicti, Spoletane diocesis, in quo antiquis temporibus vigere consuevit observantia regularis, propter malitiam quorundam abbatum et monachorum ipsius monasterii, qui fuerunt pro tempore, ac eciam infidelitates et rebelliones vassallorum ejusdem monasterii, atque diversas discordias, quas interdum dictum monasterium cum nonnullis ex vassallis ipsis, et quinque iidem abbates et monachi inter se aliquando, dicti vassalli ad invicem habuisse noscuntur, quarum quidem discordiarum occasione duo ex abbatibus monasterii ejusdem interfecti fuerunt, in spiritualibus et temporalibus enormiter est collapsum. Et, licet olim circa reformationem ipsius monasterii tam per Sedem Apos-

tolicam quam per ipsius legatos vel nuncios, nonnulla precepta, prohibiciones et statuta facta fuerint, eorum aliquibus certis penis adjectis, nichilominus tamen adhuc monasterium ipsum existit spiritualiter et temporaliter adeo deformatum, quod, nisi ei per dicte Sedis auxilium celeriter succurratur, vix adicere poterit ut resurgat. Nos autem, plenis desideriis affectantes opportuna remedia invenire, per que utilis et salubris reformatio dicto monasterio et membris ejus valeat provenire, post vigilem curam, quam super hoc adhibuimus diligenter, occurrit nostris prospectibus, quod circa reformationem hujusmodi faciendam, est vestri favoris et auxilii presidium plurimum oportunum, cum per vestre prudentie et potentie studium possit manuteneri multipliciter in suis bonis ac juribus et defendi. Ideoque ad monasterium ipsum, cui ab intimis ex hujusmodi deformatione compatimur, ut reformationis oportune remedium assequatur, ac ad vestram ecclesiam, ad quam pro reverentia Salvatoris nostri, in cujus honore ipsa ecclesia, toti orbi terrarum venerabilis, est constructa, devotionem gerimus specialem, ut ei in hujusmodi nostra reformatione honoris et comodi proveniat incrementum, paterne considerationis intuitum dirigentes, ac intendentes tam vestre ecclesie quam monasterii predictorum in hac parte comoda promovere, reformationem eandem secundum modum subscriptum providimus faciendum. In primis siquidem auctoritate Apostolica ordinamus, quod monasterium ipsum per abbatem et conventum supradicti ordinis perpetuis futuris temporibus gubernetur, idemque monasterium in quo decem vel plures monachi ad presens instituti esse dicuntur, senario monachorum numero, non computato abbate, per quos divinis obsequiis in eodem monasterio insistatur, de cetero in capite sit contentum, nullusque in monachum in eo, donec aliquis de numero ipso defuerit, admittatur, reliqui vero, qui comode poterunt, in ecclesiis dicti monasterii, consuetis per ipsius monachos gubernari, et alii, in aliis monasteriis ejusdem ordinis collocentur. Sepeliantur attamen in eodem monasterio decedentes, qui ad hoc astricti fuerint de consuetudine vel de jure, et illi eciam qui secundum jura ibidem elegerint sepulturam. Quotiens vero dictum monasterium abbate vacare contigerit, ejus monachi qui tunc erunt, possint per canonicam electionem seu postulationem legitimam de abbate ipsi monasterio providere, et tam hujusmodi electionis confirmatio quam postulationis admissio a Sede postulentur eadem, ac tam dictum monasterium quam abbas et monachi ipsius Sedi predicte immediate, prout fuerunt antea, sint subjecti. Ut autem vos eo faciliores et promptiores in manutenendis et defendendis bonis et juribus, [quo] potiorem gratiam ex nostra providentia fueritis consecuti, ecclesias et capellas seculares, castra, villas, terras, vassallos, molendina, aquas, aquarum decursus, certas possessiones cultas et incultas, silvas, bona stabilia et mobilia, jura, actiones, prestationes et omne merum et mixtum imperium et jurisdictionem in castris, vassallis, terris, villis predictis ac territorio seu districtu monasterii supradicti, eidem monasterio competentia, ubilibet consistentia, vobis et eidem ecclesie vestre, auctoritate Apostolica, conferimus et donamus, et ea in vos et ecclesiam ipsam transferimus de Apostolice plenitudine potestatis : salvis reliquiis, crucibus, paramentis, ornamentis, libris, vasis argenteis seu aureis et aliis pertinentibus ad divinum cultum et ejus ornatum, ac reservatis eisdem abbati et monachis hortis apud ipsum monasterium existentibus, pro oleribus eorundem, que volumus ad dictos monasterium, abbatem et monachos pertinere, nec in hujusmodi collatione, donatione et translatione venire, vobis ingrediendi et apprehendendi, auctoritate propria, pro vobis et dicta ecclesia vestra possessionem vel quasi omnium predictorum, alicujus assensu minime requisito, liberam licentiam concedentes. Ille vero ecclesie et capelle dicti monasterii, in quibus per ipsius monachos deserviri hactenus consuevit, monasterio predicto remaneant et illi sicut antea sint subjecte. Statuimus insuper, quod perpetuis futuris temporibus per vos abbati, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, pro se et tribus famulis suis xxxvi, singulis vero monachis ejusdem monasterii presentibus et futuris xii rubia de meliori frumento, quod ex terris et redditibus dicti monasterii colligetur, pro ipsorum abbatis, famulorum ac monachorum pane ac vestimentis, tribus quoque servitoribus dictorum monachorum, qui eis serviant in ecclesia, coquina et claustro et extra, xviii rubia de eodem frumento, annis singulis, ministrentur, et molatum [sit] frumentum pro victu eorundem abbatis et monachorum suorumque familiarium, absque mercede vel detractione aliqua, in dictis molendinis, que ipsius monasterii hactenus extiterunt. De vino vero dicti monasterii abbas ipse, pro se et ejus servitoribus antedictis, xii caballatas cum tribus barilibus et tribus petitis, ac singuli dictorum monachorum iiii caballatas cum uno barili et v petitis a vobis recipient annuatim, et, quia illud datur vindemiarum tempore turbidum, quod tam abbati quam monachis predictis pro singulis octo mensuris, quas debent recipere, dentur in musto novem. Ad hec pro ovis, caseo, piscibus et similibus abbas predictus diebus singulis xviii, et quilibet dictorum monachorum vi, et predicti tres servitores dictorum mona-

chorum, novem denarios cortonensium habeant, ad duplum diebus illis, quibus, secundum consuetudinem Romane Ecclesie, fuerit festum duplex. Tertiam autem partem de oblationibus et mortuariis abbas et monachi memorati ejusdem monasterii percipiant pro eorum medicinis et minutionibus oportunis. Nos enim residuas duas partes oblationum et mortuariorum predictorum ad reparationem et edificium ecclesie dicti monasterii ac pro paramentis, libris et aliis ad cultum divinum necessariis. Quod si eedem due partes non sufficerent forsitan ad predicta, per vos defectus hujusmodi plenarie suppleatur. Porro de piscibus, qui debentur dicto monasterio ab ecclesia Sancti Juvenalis de Insula, Reatine diocesis, annis singulis in vigilia sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, medietatem pro pitantia ejusdem vigilie, nec non de pane, pullis, persutiis, caseis et aliis hujusmodi esculendis, exenniis et servitiis, prestari hactenus consuetis eidem monasterio, duas partes ipsis abbati et monachis dari jubemus. Habeant preterea dicti abbas et monachi, singulis diebus jejuniorum, duo pulmenta, et aliis diebus, unum in prandio et unum in cena; pro quibus quidem pulmentis dentur eisdem tria rubia fabarum, duo cicerum, et quatuordecim cognicelle olei, ac centum viginti libre sagiminis annuatim. Pro toballiis etiam et manutergiis, parascidibus, incisoriis et ceteris supellectilibus, sale, pipere, croco et aliis hujusmodi necessariis, quatuor floreni auri, et duo pro lampadibus, cereis et aliis luminaribus ecclesie dicti monasterii, dictis abbati et monachis per vos dentur. Ceterum de predictis, que ipsis abbati et monachis communiter exhibentur, percipiant abbas tertiam, et monachi duas partes. Et fiat exhibitio frumenti et leguminum predictorum, singulis annis, infra octavam Assumptionis Beate Marie Virginis, vini, tempore vindemiarum, ac denariorum et aliorum predictorum, pro medietate, infra octavas Ascensionis Domini, et, pro reliqua medietate, infra octavas dictorum Apostolorum. Verum pro anno presenti, a data presentium inchoando, solvetis ipsis abbati et monachis medietatem hujusmodi frumenti et leguminum in festo Omnium Sanctorum et residuam in festo Natalis Domini proximo futuris, de denariis vero et aliis predictis, portionem eos contingentem, pro rata temporis computandi ab eadem data usque ad festum Ascensionis Domini proximo sequentis, dabitis in eodem festo Natalis, et postmodum in festo predicto Ascensionis residuum pro rata temporis sequentis extunc usque ad festum dictorum Apostolorum proximo secuturum, que omnia dari et solvi mandamus per vos, terminis antedictis, abbati et priori, qui pro tempore fuerint, dicti monasterii seu illi vel illis, quem vel quos ipsi abbas et monachi ad hoc duxerint deputandos, ut distribuantur secundum modum premissum inter abbatem et monachos inibi servientes ac in communi comedentes in refectorio, si sint sani : ita quod hec omnia infra ambitum dicti monasterii et non alibi consumantur. Et ad hec omnia ipsis abbati et monachis, eisdem terminis integre ministranda decernimus vos teneri sub pena dupli, quam illi ex vobis ipso facto incurrant, qui super hiis se duxerint opponendos, vel quantum in eis erit illa contempserint adimplere. Et, ne in dubium revocari possit, quod prefatum monasterium, necnon ecclesie, capelle, castra et ville et alia predicta a jurisdictione cujuslibet ordinarii sint exempta et predicte Sedi Apostolice immediate subjecta, decernimus ut venerabilis frater noster . . episcopus Spoletanus seu quivis ordinarius vel jurisdictionem habens, ecclesiasticus vel secularis, qui nunc sunt, [et] eorum successores, qui pro tempore fuerint, nichil juris in monasterio, abbate, monachis, ecclesiis, capellis, solitis per regulares vel seculares gubernari personas, castris, villis, vassallis, terris, territorio seu districtu, mero et mixto imperio et jurisdictione premissis, seu aliquo premissorum sibi valeant vendicare. Non obstantibus quibuslibet privilegiis —. Nulli ergo —. Si quis autem —. Dat. Anagnie, III non. augusti anno nono.

In e. m. *venerabili fratri Theodorico, episcopo Civitatis Papalis.*

5326 (CCV) Anagni, 3 août 1303.

« Super eodem. » (fol. 362.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Lateranensis. Circa reformationem monasterii de Ferentillo —.

Concessionem monasterii de Ferentillo, Spoletanæ diocesis, capitulo ecclesiæ Lateranensis factam memorat dominus papa et prosequitur :

Cum autem civitas Spoletana, que inter alias civitates Ecclesie Romane subjectas nobilis est et potens, nobisque ac eidem Romane Ecclesie exhibuit se devotam, dicto monasterio et ejus territorio sit vicina, et, per hoc, ejus temporale auxilium in acquirendis, manutenendis et defendendis prefatis bonis et juribus, presertim circa jurisdictionem in illis temporaliter exercendam, utile vobis esse possit ac etiam oportunum, volumus et presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus, quolibet

anno usque ad Apostolice Sedis beneplacitum et mandatum, unum ex civibus Spoletanis, catholicum et de catholica progenie procreatum et eidem Ecclesie Romane devotum, eligere ac assumere studeatis ad potestarie officium in dictis castris, terris, villis et territorio prudentor et fideliter exercendum : qui in primo suo adventu, in loco solito, populo inibi congregato, prestabit corporaliter juramentum de predicte potestarie officio fideliter exercendo secundum jura et bonas terre consuetudines ac statuta seu ordinationes, que vos pro bono et pacifico statu ecclesie vestre ac monasterii et vasallorum predictorum, quotiens expedire videritis, duxeritis facienda. Idemque potestas et ejus officiales omnes redditus, fructus, proventus et obventiones, qui ex bannis, mulctis, penis et condempnationibus ratione sui officii, infra dimidium annum sui regiminis, provenerint, in medietate[1] ipsius anni, et que postmodum, in fine dicti regiminis, vobis assignare integraliter teneantur, vosque de illis, postquam, ut premittitur, vobis integraliter assignati fuerint, medietatem ipsi potestati, pro suo et officialium suorum salario, teneamini exhibere. Ab ipsorum autem potestatis et officialium processibus et sententiis, in civilibus et criminalibus causis, tam ad predictam Sedem quam ad vos possit licite appellari. Post annum vero regiminis ejusdem potestatis finitum, potestas ipse in aliqua ex predictis terris, in quibus dictum regimen oxercuerit, per octo dierum spacium remanere, ibique coram personis ydoneis, quas ad hoc duxeritis deputandas, quasque in hoc summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, procedere volumus, respondere de jure, pro se ac suis officialibus antedictis, omnibus qui se indebite ab ipsis potestate vel officialibus aut eorum aliquo, ratione dicti eorundem officii, gravatos proponerent. Ceterum liceat vobis potestatem ipsum ejusque officiales ab eorum officiis amovere, ac eis potestatem et officiales alios subrogare, si male vel minus fideliter sua officia exercuerint, presertim quando per potestatem aut officiales eosdem vel commune ac officiales et cives civitatis predicte, qui nunc sunt et qui erunt pro tempore, castra, terre, ville, homines aut vassalli vestra seu dicte ecclesie indebite gravarentur : proviso quod primitus restituantur ad plenum vobis et predicte ecclesie vestre quevis castra, terre et ville et alia bona immobilia sive jura, que per dictos commune vel speciales personas ejusdem civitatis, occupata minus debite detinentur, et sufficienter caveatur ab ipsis commune, ne aliqua de predictis bonis seu juribus per eos aut quosvis cives dicte civitatis imposterum occupentur, et quod universitates castrorum et terrarum predictorum seu quivis ex hominibus vel vassallis prefatis ad faciendum exercitum seu cavalcatam pro eisdem commune, vel ad prestationem militaris vel pedestris auxilii seu dationem pallii sive cujuslibet collecte solutionem nullatenus compellantur. Predictorum autem omnium et singulorum declarationem, interpretationem et correctionem dicte Sedi, per se [vel] alium vel alios quandocunque et quotienscunque faciendas, plenarie reservamus. Dat. Anagnie, III non. augusti, anno nono.

1. *Ms* : immediate.

5327 (CCVI) Anagni, 3 août 1303.

« Super eodem. » (fol. 362 v°.)

Venerabili fratri Theodorico, episcopo Civitatis Papalis. Nuper ad statum monasterii de Ferentillo, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Spoletane diocesis, paterne considerationis oculum dirigentes, ac cupientes illi, quod erat certis ex causis multipliciter deformatum, de oportune reformationis remedio subvenire, quedam circa reformationem hujusmodi statuta et ordinationes edidimus, in quibus, inter alia, continetur, quod monasterium ipsum, in quo decem vel plures monachi tunc instituti fore dicebantur senario monachorum numero, non computato abbate, per quos divinis obsequiis insistatur in illo, de cetero in capite sit contentum, nullusque admittatur in ipso donec erit aliquis de numero supradicto, reliqui vero, qui commode poterunt, in ecclesiis dicti monasterii, consuetis per ipsius monachos gubernari, et alii in aliis monasteriis ejusdem ordinis debeant collocari, prout in nostris super hoc confectis litteris, plenius et seriosius continetur. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus, sex ex eisdem monachis, de quibus tibi videbitur, in eodem monasterio pro celebrandis inibi divinis obsequiis reservatis, reliquos, quos comode poteris, in dictis ecclesiis, consuetis per ipsius monasterii monachos gubernari, et alios in aliis monasteriis dicti ordinis juxta hujusmodi nostram ordinationem, per te vel alium seu alios, studeas collocare. Non obstantibus de certo monachorum numero, et aliis quibuscunque contrariis, statutis —. Contradictores —. Dat. Anagnie, III non. augusti, anno nono.

5328 (CCVII) Anagni, 6 septembre 1303.

« Committitur administratio Acherontine ecclesie Fratri Guidoni, abbati monasterii Belliloci in Argonia, Cluniacensis ordinis, Virdunensis diocesis. » (fol. 362 v°.)

Dilecto filio Fratri Guidoni, abbati monasterii Belliloci in Argonia, Cluniacensis ordinis, Virdunensis diocesis, doctori et ad presens regenti in Romana Curia in theologica facultate, administratori ecclesie Acherontine. Dum ad universas —

Administrationem ecclesiæ Acheruntinæ, per obitum sui archiepiscopi vacantis, quondam Fratri Gentili, tunc electo Cataniensi, commissam, per obitum dicti electi vacantem, suprascripto, « qui proventibus tam monasterii Belliloci in Argonia quam prioratus Montisdesiderii, Cluniacensis ordinis, Virdunensis et Ambianensis diocesium, quibus ex dispensatione Apostolica presidere dinosceris, per quosdam iniquitatis filios [1], qui predicta monasterium et prioratum detinent occupata, » est totaliter destitutus, committit dominus papa, quamdiu apud Apostolicam Sedem moram traxerit per vicarium exercendæ.

Dat. Anagnie, VIII id. septembris, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis capitulo Acherontino — clero — populo — vassallis — suffraganeis — carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri —.*

1. *Ms* : felicis.

INCIPIT REGESTUM LITTERARUM CURIE
ANNI NONI
DOMINI BONIFATII PAPE VIII

5329 (I) Latran, 22 février 1302.

Citantur decanus et archidiaconus Laudunenses ad comparendum personaliter coram domino papa. (fol. 369.)

Bonifatius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri . . episcopo, et dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Johannis Laudunensi, ordinis sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem. Personam Hugonis, decani, et Ade, archidiaconi Laudunensium, ex certis et rationabilibus causis, penes nos habere volentes adpresens, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum — eosdem decanum et archidiaconum, sub pena privationis omnium beneficiorum suorum que obtinent, quam eos, si non paruerint, incurrere volumus ipso facto, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut, infra duos menses post citationem vestram — compareant personaliter coram nobis —. Dat. Laterani, VIII kal. martii, pontificatus nostri, anno octavo.

5330 (II) Latran, 4 mars 1303.

Ut circa quosdam clericos irregulares providere valeat. (fol. 369.)

Dilecto filio Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali. Significasti nobis quod quamplures clerici in partibus regni Francie, ad quas a nobis pro magnis et arduis Ecclesie Romane negotiis nosceris destinatus, non promoti ad aliquem sacrum ordinem, induti tunicella et manipulo, per simplicitatem, in missarum solemniis epistolam cantaverunt et patenam in manibus tenuerunt.

Ut circa tales super hoc, auctoritate Apostolica, provideat.

Dat. Laterani, IIII non. martii, anno nono.

5331 (III) Latran, 17 mars 1303.

De quibusdam pecuniæ summis, ad mercatores societatis Ammanatorum, Ecclesiæ Romanæ debitores, pertinentibus, domino papæ destinandis. (fol. 369.)

Venerabili fratri . . episcopo Ulixbonensi. Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod . . magister, . . prior et fratres ordinis Militie Templi Jerosolimitani deposuerunt dudum penes te quasdam pecuniarum summas, ad mercatores de societate Amannatorum de Pistorio pertinentes, que apud te fore noscuntur.

Cum mercatores prædicti sint Ecclesiæ Romanæ in maximis pecuniarum quantitatibus debitores, mandatur suprascripto, ut eas summas domino papæ, « per aliquos fideles mercatores vel alios idoneos nuntios », integraliter destinare procuret.

Dat. Laterani, XVI kal. aprilis, anno nono.

5332 (IIII) Même date.

De bonis bonæ memoriæ Petri, patriarchæ Aquilegensis, domino papæ transmittendis. (fol. 369.)

. . priori et conventui ordinis Fratrum Predicatorum Castellanis. Cum, sicut accepimus, bone memorie Petrus, patriarcha Aquilegensis, olim dum vixerit, pecuniam, libros, pannos et alia bona mobilia diversis vicibus et temporibus penes vos duxerit deponenda, que adhuc penes vos fore dicuntur.

Mandatur ut ea transmittant.

Dat. ut supra.

5333 (v) Latran, 9 mars 1303.

Privatur Margarita, filia quondam Ildebrandini comitis in Tuscia palatini, feudis, quæ tenebat ab Ecclesia Romana et a monasterio Sancti Anastasii ad Aquam Salviam. (fol. 369.)

Ad perpetuam rei memoriam. Officii debitum —. Dudum siquidem ad audientiam nostri apostolatus fuit tam ex famosa insinuatione quam ex plurium testimonio fidedignorum deductum, quod, licet Margarita, filia quondam Ildebrandini comitis in Tuscia palatini, olim nostra et Ecclesie Romane vassalla, Suanensem, Rosellensem, et Grossetanam civitates et comitatus ipsarum, cum pluribus castris, villis, terris, possessionibus, bonis immobilibus et eorum pertinentiis, in feudum ab eadem Ecclesia, nec non civitatem Ansidoniam, cum quibusdam portibus maris, castris, terris et bonis aliis, a monasterio Sancti Anastasii ad Aquam Salviam prope Urbem, Cisterciensis ordinis, Ecclesie predicte immediate subjecto, jure locationis in emphitheosim teneret ac tenuissent progenitores ipsius temporibus retroactis, ipsa tamen Margarita, contra dictam Ecclesiam, quam potius tenebatur prompte devotionis studio revereri, calcaneum presumens erigere, graves adversus eam commiserat fellonias et excessus enormes, pluraque ex bonis hujusmodi, ad Ecclesiam et monasterium predicta spectantibus, vendere, donare, alienare, distrahere et diversis modis transferre in alios temere attemptarat, Apostolica Sede et . . abbate et conventu dicti monasterii penitus inconsultis. Et quamvis fellonie, excessus, venditiones donationes, alienationes, distractiones et translationes hujusmodi forent adeo publici et notorii, presertim in illis partibus, quod nulla poterant tergiversatione celari, nec examinatione aliqua indigebant, nos tamen, intendentes in hiis cum debita maturitate procedere, vestigia sequendo Illius, cujus vices in terra gerimus, dicentis : « Descendam et videbo utrum clamorem qui ad me pervenit opere compleverint », cum nollemus, prout nec etiam debebamus, talia sub dissimulatione transire, ne videremur excessus hujusmodi relinquere dampnabiliter incorreptos et ejusdem Ecclesie jura deserere, qui juxta pastoralis officii debitum aliorum justitiam defensamus, ex superhabundanti, non recedendo per hoc a via notorii, venerabili fratri nostri T[heoderico], episcopo Civitatis Papalis, per litteras nostras commisimus, ut ipse super hiis et aliis excessibus, qui de Margarita prefata nobis fuerant taliter nuntiati, summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, veritatem diligenter inquireret et quod super hiis inveniret nobis referre fideliter procuraret. Idem vero episcopus, ad partes illas se personaliter conferens, tam per confessionem ipsius Margarite, quam instrumenta publica et alia documenta, ac inquisitionem, quam fecit super premissis juxta formam sibi traditam diligentem, invenit, quod, cum dudum bone memorie R[olandus], episcopus Spoletanus, a felicis recordationis Martino papa IIII, predecessore nostro, ad eandem Margaritam transmissus, ostendisset eidem exemplaria, sumpta de regestris et libro censuali dicte Ecclesie, instrumentorum et litterarum de infeudationibus factis progenitoribus ejusdem Margarite per Romanos Pontifices de civitatibus, comitatibus, castris, terris et bonis predictis, eisdem concessis in feudum, in quibus etiam iidem progenitores expresse rocognoverant se pro predictis fuisse vassallos et fideles Ecclesie prelibate, Margarita prefata, in ipsius episcopi Spoletani presentia, dictorum progenitorum sequens vestigia, recognovit civitates et comitatus predictos, cum eisdem castris, villis, districtu, placito, jurisdictione, redditibus et pertinentiis eorundem, et nominatim de Cassano, de Plano Castagnarii, Aspretuli, Marini et Penne castra ad eandem Ecclesiam pertinere, eaque dictum patrem et progenitores ipsius in feudum ab eadem Ecclesia tenuisse, et dictus episcopus Spoletanus, ejusdem Ecclesie nomine, prout sibi fuerat per eundem predecessorem injunctum, eandem Margaritam de civitatibus, comitatibus, castris, villis et aliis supradictis, que dicti progenitores taliter ab Ecclesia memorata tenuerant, per cuppam argenteam investivit, ipsaque sibi recipienti, nomine ipsius Romane Ecclesie, pro hiis fidelitatis prestitit juramentum. Invenit quoque prefatus episcopus Civitatis Papalis, quod abbas et conventus, qui tunc erant dicti monasterii, prefato Ildebrandino, recipienti pro se suisque filiis masculis et nepotibus, ex eisdem filiis de legitimo matrimonio genitis, ita quod, si non haberet filios masculos vel nepotes, prorogaretur hujusmodi contractus ad dictam Margaretam et ejus filios masculos, dictam civitatem Ansidoniam cum portu, qui nominatur Phenilia, et portu, qui dicitur Herculis juxta montem Argentarium, nec non montem totum qui dicitur Lilium, castrumque in ipso existens, insulam vocatam Genutini, et montem predictum, qui appellatur Argentarius, cum castro in ipso monte Argentario posito, castra insuper Urbetelli, cum stangno circumposito, Massiliense, Altricoste, Capalbi, Montisacuti, Henci et Serpene, cum hominibus, jure vassallorum, bannis, forfacturis et pertinentiis suis, locationis seu emphitheosis titulo, concesserant, pro quibus

idem Ildebrandinus, primo, et, eo postmodum viam universe carnis ingresso, eadem Margarita syndico prefati monasterii, pro eodem monasterio recipienti, fidelitatis prestiterat juramentum. Repperiit insuper episcopus Civitatis Papalis jam dictus, quod, quamvis eadem Margarita super excessibus ab ea commissis jurasset parere alte et basse mandatis nostris, ipsa tamen, hujusmodi et predicto alio fidelitatis, in manibus dicti episcopi Spoletani prestito, ut premittitur, juramentis dampnabiliter vilipensis, tanquam proprie salutis oblita, adversus eandem Ecclesiam rebellarat, adherendo quondam, Guidoni de Sancta Flora, ejusdem Ecclesie publico inimico, cum eo copulando amicitias et confederationes faciendo, seque cum ipso in castro Pitilliani, per exercitum nostrum obsesso, incastellando et recludendo, ac tradendo eidem terras et arces ad gubernandum et defendendum ipsa contra nos et omnes, qui ea vellent nostro et dicte Ecclesie nomine impugnare, quodque preterea Margarita predicta multa de castris, terris et aliis predictis, que ab Ecclesia et monasterio predictis, ut premittitur, tenebat, alienarat et distraxerat, Sede predicta ac ipsis abbate et conventu irrequisitis et penitus inconsultis, omnia namque castra et terras, habitatas et inhabitatas, comitatuum predictorum, et omnia jura sibi competentia in eisdem, memorato Guidoni, propter illicitas nuptias, quas cum eo, cui erat tercio consanguinitatis gradu conjuncta, de facto contraxerat, committendo ante et post hujusmodi nuptias crimen incestus publice cum eodem, in dotem duxerat concedenda, dictam vero civitatem Suanensem nec non Saterni et de Montebono, Henrico dicti loci de Sancta Flora, ac Plani Castagnarii et Penne predicta ac Montoiani castra, cum eorum juribus et pertinentiis, Bonifatio ejusdem loci de Sancta Flora comitibus, vendiderat, dederat et tradiderat pro certa pecunie quantitate, prout hec omnia ex relatione dicti episcopi Civitatis Papalis, facta nobis fideliter, ac per acta ipsius, super hiis habita, collegimus evidenter. Cum itaque Margarita predicta per eundem episcopum Civitatis Papalis fuerit, de mandato nostro, citata, ut per procuratorem ydoneum compareret legitime coram nobis, cum omnibus actis, juribus et munimentis ac defensionibus suis, hujusmodi negotium contingentibus, ad ostendendum et docendum de jure suo, si quod in civitatibus, comitatibus et aliis predictis, que ab eisdem Ecclesia et monasterio, ut premittitur, tenuerat, crederet se habere, seque defendendum et respondendum super predictis felloniis et excessibus, perpetratis per eam, et faciendum et recipiendum in hiis omnibus quod justitia suaderet, nec non ad nostram super premissis sententiam audiendam, et, pro ea, Bartholus Stephanutii de castro Sancti Laurentii, Urbevetane diocesis, procurator ipsius cum advocato suo ad presentiam nostram accesserit, et nichil rationabile proposuerit vel etiam allegarit in excusationem ipsius, nos, predictis omnibus debita meditatione pensatis, volentes tam Ecclesie quam monachorum predictorum jura servare, dictamque Margaritam juxta hujusmodi suorum excessuum qualitatem punire, Margaritam eandem ac omnem posteritatem ipsius, dicto ejus procuratore presente, ex premissis et aliis causis legitimis, que ad id animum nostrum movent, hujusmodi feudo, civitatibus, comitatibus, castris, villis, portibus, bonis, juribus, jurisdictionibus et aliis predictis, que Margarita et ejus progenitores predicti tenuerunt hactenus ab Ecclesia et monasterio antedictis, omnique jure competente Margarite et posteritati predictis quomodolibet in eisdem, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate, privamus seu privatam fore decernimus et sententialiter declaramus, pronuntiantes ad eandem Ecclesiam, que ab ipsa, et ad prefatum monasterium, que ab illo taliter tenebantur, fore legitime devoluta, et nichilominus ea omnia, que ad Ecclesiam pertinent supradictam, ad jus et proprietatem ejusdem Ecclesie, spectantia vero ad dictum monasterium, ad jus et proprietatem dicti monasterii, exigente justitia, revocamus, super hiis omnibus Margarite et ejus posteritati predictis perpetuum silentium imponendo. Nulli ergo, et cetera, nostre privationis, constitutionis, declarationis, pronuntiationis, revocationis et impositionis, et cetera. Dat. Laterani, VII id. martii, anno nono.

5334 (VI) Latran, 13 mars 1303.

Confertur Benedicto Gaytani feudum de Margarita, filia quondam Ildebrandini comitis in Tuscia palatini, confiscatum. (fol. 370.)

Dilecto filio nobili viro Benedicto Gaytani, nepoti nostro, comiti in Tuscia palatino. Celestis dispositione consilii —.

Feudum, de Margharita, filia palatini quondam Ildebrandini comitis in Tuscia, confiscatum, confert suprascripto dominus papa et eundem investit de eo « per cuppam auream et vexillum dictorum comitatuum. »

Dat. Laterani, III id. martii, anno nono.

5335 (VII) Latran, 14 mars 1303.

De homagio ligio a Benedicto Gaytani præstito. (fol. 370 v°.)

Eidem. Nuper Margaritam filiam —.

Testatur dominus papa suprascriptum præstitisse fidelitatis juramentum ac homagium ligium fecisse ratione feudi, de quo Margarita, filia comitis Ildebrandini, privata fuit.

Dat. Laterani, II id. martii, anno nono.

5336 (VIII) Latran, 8 avril 1303.

Confirmatur concessio Ansidoniæ in emphyteusim a monasterio Sancti Anastasii ad Aquam Salviam Benedicto Gaytani facta. (fol. 370 v°.)

Eidem. Spes nobis —.

Confirmat dominus papa concessionem in emphyteusim, quam Bernardus, abbas, et Nicolaus Mileti, yconomus monasterii Sancti Anastasii ad Aquam Salviam prope Urbem, Cisterciensis ordinis, fecerunt suprascripto et ejus descendentibus per masculinam lineam, vel, eis deficientibus, nobili viro Petro Gaytani, nepoti domini papæ et patri supradicti, de Ansidonie, quod olim fuerat civitas, et quibusdam aliis castris, terris, possessionibus, tenimentis, portibus maris et aliis bonis, quæ olim in emphyteusim possessa a Margarita, filia quondam Ildebrandini comitis Tusciæ palatini, post privationem ejusdem, ad dictum monasterium legitime devoluta fuerant. Inseritur tenor instrumenti concessionis incipientis : « Cum nuper » sub data : « Anno Domini M.CCC.II°, indictione prima, pontificatus domini Bonifacii pape VIII anno nono, die XII mensis martii ».

Dat. Laterani, VI id. aprilis, anno nono

5337 (VIIII) Latran, 10 avril 1303.

Committitur Benedicto Gaytani rectoria Patrimonii Beati Petri in Tuscia usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum. (fol. 372.)

Nobili viro Benedicto Gaytani, nepoti nostro, comiti in Tuscia palatino, Patrimonii Beati Petri in Tuscia ipsa rectori. Etsi exigente pastoralis —. Dat. Laterani, IIII id. aprilis, anno nono.

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus capitaneis seu rectoribus, comitatibus et universitatibus ceterisque personis secularibus civitatum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum per Patrimonium Beati Petri in Tuscia constitutis.*

5338 (X) Latran, 10 février 1303.

Confirmantur acquisitiones a Petro Gaytani de conssensu domini papæ in Campaniæ et Maritimæ partibus factæ. (fol. 372.)

Dilecto filio nobili viro Petro Gaytani, nepoti nostro, comiti Casertano, domino Militiarum Urbis. Circumspecta Sedis Apostolice —.

« Cum tu — in — Campanie ac Maritime partibus castra Trebarum, Fellettini et Vallispetri, Gabiniani, Sculcule, Turris, Tribiliani, Pofarum, Carpini, Falvaterre, Collismedii, Carpineti, Sermineti, Bassani, Sancti Donati, Normarum, Nimphe, Sancti Felicis et Asture — ac alia quamplurima bona, possessiones, dominia — in nonnullis civitatibus — de nostra conscientia acquisivisse noscaris », has acquisitiones confirmat dominus papa.

Dat. Laterani, IIII id. februarii, anno nono.

POTTHAST, 25215.

5339 (XI) Même date.

Confirmantur bona immobilia a Francisco, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, in Campaniæ et Maritimæ partibus acquisita. (fol. 372 v°.)

Dilecto filio Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali. Circumspecta Sedis Apostolice —.

Cum supradictus, post inhibitiones factas de bonis immobilibus in Campaniæ et Maritimæ provinciis nobilibus de Urbe non alienandis, « quamplura castra, terras et villas, in totum vel in parte, ac in nonnullis civitatibus, castris et terris jura, jurisdictiones, dominia, possessiones et alia bona stabilia in eisdem Campanie ac Maritime partibus » acquisiverit, dictas acquisitiones confirmat et similes in futurum faciendi concedit facultatem dominus papa.

Dat. ut supra.

5340 (XII) Latran, 24 février 1303.

Dispensatur super pluralitate cum Francisco, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali. (fol. 373.)

Eidem. Exhibita nobis tua petitio continebat, quod dudum archidiaconatum Richemundie in ecclesia Eboracensi et thesaurariam ecclesie Laudunensis ac Sancte Marie de Silva Molli et Sancti Petri de Scletis et Sancte

Marie de Franconibus, Ferentinatis et Verulane diocesium, ac Sancti Stephani Alatrine ecclesiarum secularium abbatias et ecclesiam sive domum Sancti Nicolai de Ursaria, Trojane diocesis, et ecclesiam Sancte Marie in Cosmedin de Urbe, cujus diaconus cardinalis existis, curam animarum habentes, canonice tibi collatas, recepisti et ipsas retinuisti insimul et adhuc retines, abbatia predicte ecclesie Sancte Marie de Franconibus, quam dimisisti, excepta, percipiens fructus et redditus ex eisdem, obtenta super harum aliquibus dispensatione a Sede Apostolica et super reliquis non obtenta.

Dispensatur cum eo.

Dat. Laterani, vi kal. martii, anno nono.

5341 (xiii) Latran, 13 avril 1303.

De responsione regis Franciæ ad articulos ei a Johanne, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali præsentatos. (fol. 373) [1].

Dilecto filio Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri [presbitero cardinali.] Litteras tuas nuper accepimus inter cetera continentes responsiones regias et articulos super quibus te ad regnum Francie pridem duximus destinandum, quos, ex parte nostra, ejusdem regni regi [2] in presentia consiliariorum suorum, ut scripsisti, tua discretio presentavit. Sed utinam responsiones hujusmodi dicti regis caritate, devotione ac gratitudine plene forent et vacue amaritudine ac dolore, et constantiam fidei, bonorum operum habundantiam et imitanda exempla laudabilia predecessorum suorum regum Francie redolerent et darent suavitatem odoris. Si enim rex ipse ad memoriam revocaret innumera beneficia et immensas gratias, que ab Apostolica Sede et a nobis specialiter noscitur percepisse et qualiter eum in beneficiis copiosis nos et Sedes ipsa munifice et large prevenimus, inveniret profecto unde spirituali patri teneretur, nec malum in bono presumeret nec odium in dilectione notaret, sed aperte cognosceret quam paternis et maternis affectibus et salubribus monitis nos et Sedes eadem ipsum prosequimur et fuimus hactenus prosecuti; nec adhuc et a cepto desistimus quin noctes ducamus insompnes, labores voluntarios apponentes, ut ipsum a tanto devio retrahamus et reducamus ad veritatis semitam et salutis et statum prosperum regni sui, et a divinis et ecclesiasticarum personarum cessetur injuriis et oneribus [1] subjectorum. Sane dictarum responsionum seriem diligenter attendimus, ipsisque attentius perscrutatis et cum fra tribus nostris consilio maturo discussis, non invenimus quod responsionibus ipsis merito debeamus esse contenti. Ipsarum enim alique veritati non consonant nec congruunt equitati, quin immo contradicunt certe et indubitate veritati, examinate et discusse per magnos prelatos et doctores in theologia et in jure canonico et civili, in nostra presentia congregatos : alique vero, sub verborum foliis involute, defective, dubie, incerte nec clare noscuntur, quibus initi solide nec possumus nec debemus : sunt et alie que dilationem sapiunt et nostrum animum in suspenso detinent sine fructu. Hec non [2] sunt ea que venerabilis frater [3] noster P[etrus] [4], Autisiodorensis episcopus, et dilectus filius nobilis vir Karolus, Alenzoni et Carnoti comes, germanus regis ejusdem, intelligere dabant nobis, sperantes quod rex ipse super articulis ipsis sic acquiesceret votis nostris, quod possemus merito contentari. Ad hoc, ut puritas nostra plenius elucescat et pateat quod non ambulamus in tenebris sed in luce [5], et ut etiam ab ipsis, qui foris sunt, testimonium habeamus, magnatibus videlicet dicti regni, et presertim dilectorum filiorum nobilium ducum Burgundie et Britanie, nostrorum et ejusdem Ecclesie devotorum, fidelium dicti regis, libenter ipsorum requireremus consilium et haberemus collationem cum eis super articulis antedictis, ipsorum sano et salubri consilio uteremur, prout cum honore dicte Sedis et nostro uti possemus. Non enim erubescimus ea in lucem [6] deducere, pro quibus, si opus esset, martirium subiremus; gratum quidem nobis esset plurimum et acceptum, ac ipsis ducibus magni meriti apud Deum, ut [7] nostro se conspectui personaliter presentarent, audituri et intellecturi per collationes mutuas nostra motiva et nos motiva intelligeremus eorum, quibus, ut premisimus, li-

1. Hæc epistola omnino erasa est in regesto jussu papæ Clementis V, prout mandatum fuit in inscriptione, quæ legitur in margine ad vicesimam sextam lineam : « *Tolatur omnino* » et prout constat ex protocollo, ab Oddone de Sermineto notario confecto, quod legitur in regesto fol. 390. Littera, qua incipit epistola, adhuc discerni potest. Rubrica erasa in regesto legitur adhuc, atramento nigro scripta, in margine superiori : « *Dilecto filio Johanni tituli Sanctorum Marcellini et Petri.* » Epistolam edimus ex textu, qui legitur in libro processum adversus Bonifacium VIII continente, in Parisiensi tabulario asservato, J. 493, fol. 156, collato cum exemplari ejusdem processus in tabulario Vaticano adhuc existente, X, 193, p. 315.

2. *Ms. Par.* regis *Ms. Vat.* regi.

1. *Ms. Par.* : honoribus, *Ms. Vat.* : oneribus.
2. *Ms. Par.* : vero, *Ms. Vat.* non.
3. *Ms. Par.* : pater, *Ms. Vat.* : frater.
4. *Ms. Vat.* : P.
5. *Ms. Vat.* : lucem.
6. *Ms. Vat.* : luce.
7. *Ms. Vat.* : et.

benter prestaremus assensum. Demum super articulis contingentibus ecclesiam Lugdunensem, ea que sententialiter diffinimus et Apostolica auctoritate decernimus fore servanda ac per te significavimus [1] ipsi regi, volumus esse firma et illibata servari, nec super eis aliquid immutamus. Ceterum presentium litterarum nostrarum tenorem ad regiam deducas noticiam, suo, si poteris, presente consilio, festinanter, et insistas prudenter, ut responsiones suas sic corrigat, sic clarificet et emendet, more dispendio prorsus excluso, quod exinde merito contentemur, alioquin sibi ex parte nostra denuncies [2], quod, cum non debeamus deferre homini plus quam Deo, contra ipsum spiritualiter et temporaliter procedemus, prout viderimus expedire, et nichilominus ad nos celeriter redire procures, relaturus quicquid feceris in premissis. Dat. Laterani, id. aprilis, anno nono.

Potthast, 25228.

5342 (xiv) Latran, 13 avril 1303.

De Philippo, regi Franciæ, excommunicationis sententia ligato. (fol. 373 v°.)

Eidem [4]. Per processus nostros, diversis preteritis diebus solennibus secundum morem laudabilem Sancte Romane Ecclesie publice factos et presente copiosa fidelium multitudine solenniter publicatos, inter alia anathematis et excommunicationis sententias continentes, qui archivis ejusdem Ecclesie conservantur, non in revocamus in dubium, sicut non potest nec debet aliquatenus revocari, quin magnificus princeps Philippus, Francorum rex, dictis anathematis et excommunicationis sententiis sit ligatus, quantumcumque regali prefulgeat dignitate, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis et sub quavis forma vel tenore concessis quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit, que omnia duximus revocanda ad hoc, quod contra hujusmodi nostras sententias et processus per ea nequeat se tueri, quominus includatur in eis, ex eo quod ad Sedem Apostolicam venientes et redeuntes ab ea fecit, mandavit, ordinavit et statuit multipliciter impediri; et specialiter nonnullos ecclesiarum prelatos et personas ecclesiasticas regni sui ad nostram presentiam venire prohibuit sub gravibus penis et bannis, quos pro reformatione dicti regni, utilitate publica, augmento catholice fidei, conservatione ecclesiastice libertatis, correctione preteritorum excessuum, subsidio Terre Sancte, et ex aliis rationabilibus causis moti, feceramus ad nostram presentiam evocari, sicut pene totus orbis ad eandem Sedem et beatorum Petri et Pauli Apostolorum limina confluens affirmavit, et nonnulli archiepiscopi et episcopi regni prefati hec et hiis similia per suas nobis litteras intimarunt, et per procuratores suos ad eorum excusationem proponi fecerunt, quasi ex hoc legitimum impedimentum haberent non comparendi in prefixo eis termino coram nobis, quamvis nonnulli archiepiscopi, et episcopi et alie persone ecclesiastice, propter hoc, comparere non omiserint coram nobis, quasi obedientie filii et zelo devotionis accensi ad nos et dictam Ecclesiam matrem suam : quas quidem excusationes, per procuratores ipsos propositas, tanquam frivolas non admisimus, sed repulimus publice ac repellimus ut debemus. Unde ipsum regem, sic ligatum, a communione fidelium, et sacramentorum perceptione nunciamus exclusum et per te vel alium seu alios precipimus nunciari. Nam cui Romanus pontifex, vicarius Jesu Christi Petrique successor non communicat, nullus communicare debet aut ei sacramenta ecclesiastica ministrare. Eos vero, cujuscumque fuerint preeminentie, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiam si archiepiscopali vel episcopali dignitate prefulgeant, qui hujusmodi sacramenta vel ipsorum aliqua dicto regi, ligato taliter, ministrare presumpserint aut coram eo missam celebrare publice vel private, excommunicationis sententia innodamus ipsisque interdicimus predicationis, lectionis, administrationis sacramentorum et audiendi confessiones officium, predicentes aperte nos gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, processuros, presertim cum rex ipse oblatum, per te impendendum sibi, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesie auctoritate nostra recipere contempserit : ex quo videtur, quod dolentes referimus, in sua malitia induratus. Quare sibi, eadem auctoritate, precipias et injungas, ut quicquid fecit, mandavit, ordinavit ac statuit, ad impedimentum adeuntium ad dictam Sedem vel redeuntium ab eadem, revocare procuret et efficaciter corrigat et emendet. Presentium autem litterarum nostrarum tenorem deducas ad prefati regis notitiam et in locis seu provinciis, de quibus expedire videris, facias

1. *Ms. Vat.* : significamus.
2. *Ms. Vat.* : more.
3. *Ms. Vat.* : denunties.
4. Hæc epistola erasa est in regesto, jussu papæ Clementis V prout mandatum fuit in inscriptione, quæ legitur in margine ad vicesimam secundam lineam : « *Tolatur omnino* » et prout constat ex protocollo quod legitur fol. 390. Littera qua incipit epistola non discerni potest, sed rubrica, erasa in regesto, legitur adhuc in margine, atramento nigro scripta : *Eidem*. Epistolam edimus ex bulla clausa originali, in tabulario Parisiensi J. 478 n° 9 asservata.

solenniter publicari, ne quis per ignorantiam de contentis in ipsis litteris se valeat excusare, quod ad ejus notitiam non pervenerit quod tam solemniter fuerit publicatum. Ceterum Fratri Nicolao, ordinis Predicatorum, olim confessori regis ejusdem, ex parte nostra districte precipias, ut infra trium mensium spatium hujusmodi preceptum imediate sequentium, quod sibi pro peremptorio termino assignari studeas, personaliter nostro se conspectui representet, recepturus pro meritis, aut suam si poterit innocentiam ostenturus, ac pariturus nostris beneplacitis ac mandatis. Alioquin contra eum spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus. Dat. Laterani, id. aprilis, pontificatus nostri anno nono.

POTTHAST, 25230.

5343 (xv) Latran, 13 avril 1303.

Ut personas ecclesiasticas, quæ Romam evocatæ non venerunt, citet infra trium mensium spatium comparituras. (fol. 374.)

Eidem [1]. Venerabiles fratres nostros archiepiscopos, et episcopos, ac dilectos filios electos et abbates Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, nec non Sancti Dionisii in Francia, Parisiensis diocesis, et Majoris Turonensis monasteriorum, sancti Benedicti ordinum, capitula ecclesiarum cathedralium regni Francie, magistros quoque in theologia et in jure canonico et civili et nonnullas alias personas ecclesiasticas, oriundas de regno predicto, ad emendationem multorum gravaminum et excessuum, regiamque directionem, quietem ac salutem et bonum statum regiminis dicti regni, et pro subsidio Terre Sancte, ac ex aliis rationabilibus causis, hactenus, sicut nosti, fecimus ad nostram presentiam evocari. Et, licet nonnulli ex archiepiscopis et episcopis, abbatibus, magistris et aliis sic vocatis, sicut obedientie filii, nostro se conspectui humiliter duxerint presentandos, personas suas exponendo periculis, bonisque suis ecclesiasticis et secularibus relictis in predam, et eis occupatis et saisitis per secularis potestatis abusum, reliqui tamen tamquam inobedientie filii et rebelles, deferentes homini plus quam Deo, nostro conspectui in termino eis prefixo vel post terminum ipsum se minime presentarunt. Nos igitur, attendentes quod obedientia parum prodesset humilibus, si contemptus contumacibus non obesset, quamvis, propter multitudinem non venientium, quoad nonnullos rigorem mansuetudine temperemus, volumus tamen et per Apostolica tibi scripta mandamus, quatinus, per te vel alium seu alios, in diversis dicti regni provinciis sive partibus, ex parte nostra, proponi facias publice citationis edictum, ut omnes a nobis, ut premittitur, evocati, qui non comparuerunt in termino supradicto nec post terminum etiam, quamvis diutius exspectati, infra trium mensium spatium, quod eis pro peremptorio termino per te aut alium vel alios precipimus assignari, per se vel per procuratores ydoneos, ad hoc ab eis specialiter constitutos, cum sufficienti mandato, compareant coram nobis, recepturi pro meritis aut suam si poterunt innocentiam ostensuri, nostrisqueerituri beneplacitis et mandatis, . . Senonensi autem et . . Narbonensi archiepiscopis ac . . Suessionensi, . . Belvacensi et . . Meldensi episcopis, et . . abbati monasterii Sancti Dionisii in Francia, auctoritate nostra, districte precipias, ut infra dictum spatium personaliter compareant coram nobis, sub pena depositionis et privationis cujuslibet ecclesiastice dignitatis et status, quam ipsos et eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, si infra idem spatium se nostro conspectui non curaverint presentare, recepturi pro meritis aut suam si poterunt ostensuri innocentiam, nostrisque beneplacitis pârituri. Ipsi namque, qui ab Apostolica Sede tot receperunt beneficia et honores, urenti ingratitudinis vento pleni, sunt eo acrius de inobedientia puniendi, quo erant amplius ipsi Sedi ad exhibitionem obedientie ac reverentie debitores. Ceterum venerabiles fratres nostros . . Rothomagensem archiepiscopum ac . . Parisiensem, . . Ambianensem, . . Lingonensem, . . Pictavensem, et . . Baiocensem episcopos, propter senectutem et debilitates corporales ipsorum, necnon et . . Atrebatensem episcopum, propter constantiam legalitatis et fidei, quam ad nos et Sedem gerit eandem, ac etiam . . episcopum et capitulum Laudunenses, qui multa sunt passi gravamina et pressuras, a citatione et comparitione hujusmodi habemus et haberi volumus excusatos. Dies autem hujusmodi citationum et formas, et quicquid super premissis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras et alias per publica documenta fideliter intimare procures. Dat. Laterani, id. aprilis, pontificatus nostri anno nono.

1. Hæc epistola erasa est in regesto jussu papæ Clementis V prout mandatum fuit in inscriptione, quæ legitur in margine ad quintam lineam : « *Tolatur omnino* », et prout constat ex protocollo fol. 390 inserto. Littera *U*, qua incipit epistola, adhuc discerni potest in tertia linea et rubrica, in regesto erasa, legitur in margine superiori. Epistolam edimus ex bulla clausa in tabulario Parisiensi J. 490 n° 754 asservata.

5344 (XVI) Même date.

Significat dominus papa se responsionibus regis Franciæ deceptum fuisse et, nisi emendentur, processurum esse spiritualiter et temporaliter adversus eum.

Dilecto filio nobili viro C[arolo], comiti Alanzonensi. Litteras dilecti filii nostri Joannis, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, nuper accepimus, continentes responsiones, quas magnificus princeps Philippus, Francorrum rex, germanus tuus, ad articulos fecit, quos cardinalis predictus, ex parte nostra, presentavit eidem. Quibus diligenter intellectis et attentius perscrutatis et in maturam deliberationem cum fratribus nostris deductis, mirati fuimus plurimum et valde commoti, quia responsiones eedem certe et examinate veritati contradicunt, nec rationi congruunt, nec consonant equitati, nec sunt tales neque reperimus in eis illa, de quibus debeamus merito contentari, secundum fiduciam, quam venerabilis frater noster Pe[trus], Autisiodorensis episcopus, et tu dedistis nobis, quando recessistis de Romana Curia, in Franciam redituri. Unde ipsi cardinali rescribimus quod responsionibus ipsis, sicut nec debemus, minime contentemur. Ad hoc nolumus te latere, quod, nisi rex ipse responsiones hujusmodi sic corrigat et emendet, quod exinde merito contentemur, cum contra Deum non sit homini deferendum, contra regem eundem spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri episcopo Autisiodorensi, verbis convenienter mutatis.*

Potthast, 25229.

5345 (XVII) Latran, jeudi saint, 4 avril 1303.

Renovatur processus adversus eos, « etiam si imperiali aut regali fulgeant dignitate », qui venientibus ad Sedem Apostolicam impedimentum præstant. (fol. 374.)

Ad perpetuam rei memoriam. Excomunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes vel recedentes ab ea capiunt, spoliant vel detinere presumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quominus ad eandem Sedem libere, cum personis et rebus suis veniant et recedant ab eadem, etiam si imperiali aut regali fulgeant dignitate seu cujuscumque alterius fuerint preeminentie, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, non obstantibus quibuscunque privile-

giis et indulgentiis, eis vel eorum alicui vel aliquibus ab Apostolica Sede sub quavis forma vel tenore concessis, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint, que prorsus tollimus et revocamus omnino ad hoc quod contra hujusmodi nostram sententiam et processus per ea nequeant se tueri, quominus includantur in eis. Declaramus insuper omnes predictos et alios, qui, per se vel suos officiales seu ministros aut alios, incolis imperii, regnorum seu terrarum suorum, vel transeuntibus per ea, undecunque oriundis, ad Sedem venientibus memoratam vel redeuntibus ab eadem, equitaturas limitant, vel subtrahunt que deferunt seu reportant, pro suis oportunitatibus vel expensis, vel quevis alia res et bona, aut aperiunt litteras vel auferunt, seu taxant numerum personarum vel familiarium seu quantitatem expensarum aut evectionum, vel alias, directe vel indirecte, talibus venientibus vel redeuntibus impedimentum vel obstaculum prestare presumunt, impeditores fore ad dictam Sedem venientium et redeuntium ab eadem, et anathematis et excomunicationis sententiam incurrere supradictam, ipsosque sic ligatos a sacramentorum perceptione nuntiamus exclusos, districte precipientes, ut nullus ea ipsis ministrare presumat, nec etiam sacramentum penitentie, nisi in mortis articulo constitutis, sed nec tunc, nisi de stando mandatis Ecclesie satisfactione vel sufficienti cautione premissis. Eos vero, cujuscunque fuerint preeminentie, dignitatis, ordinis aut status, etiam si archiepiscopali vel episcopali dignitate prefulgeant, qui, contra hujusmodi nostrum preceptum, talibus vel eorum alicui sacramenta vel sacramentum aliquod presumpserint ministrare, excomunicationis et anathematis sententia innodamus, eisque interdicimus predicationis, administrationis sacramentorum et audiendi confessiones officium, predicentes aperte impedientibus et contemptoribus supradictis nos gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, processuros. Ut autem hujusmodi noster processus ad comunem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas, processum continentes eundem, in presentis Lateranensis basilice appendi vel affigi ostiis, seu superlimininaribus faciemus, ut in forma usque : publicatur. Actum Laterani, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno nono.

Potthast, 25227.

5346 (XVIII) Latran, jeudi saint, 4 avril 1303.

Renovatur processus adversus Christianos res prohibitas Sarracenis deferentes. (fol. 374 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Contra illos falsos —.

Renovatur processus contra Christianos deferentes res prohibitas Saracenis vel accedentes ad terras quæ per soldanum Babyloniæ vel Egypti tenentur.

Ut autem hujusmodi noster processus, usque in finem.

5347 (xviii) Anagni, 12 mai 1303.

Confertur Francisco Gaytani thesauraria ecclesiæ Eboracensis in Curia Romana vacans. (fol. 374 v°.)

Francisco, nato dilecti filii nobilis viri Petri Gaytani, nepotis nostri, comitis Casertani et domini Militiarum Urbis, thesaurario Eboracensi. Gratum sensibus nostris —.

Confertur suprascripto thesauraria ecclesiæ Eboracensis, quæ per promotionem Theobaldi, episcopi Leodiensis, post ejus consecrationem apud Sedem Apostolicam vacare noscitur, non obstante quod in basilica Principis Apostolorum de Urbe ac in prædicta Eboracensi, nec non Parisiensi, Turonensi, Saresbiriensi et Anagnina ecclesiis canonicatus et præbendas et in eadem Turonensi thesaurariam et capellam sive sacristiam Beatæ Mariæ et Angelorum de Eboraco, cui cura non imminet animarum, et ruralem Sanctæ Mariæ de Carpeneto, et parrochialem Sanctæ Mariæ de Bassiano ecclesias, Anagninæ et Terracinensis diocesium, ex dispensatione Apostolica noscitur obtinere. « Volumus autem ut, postquam prefatam thesaurariam fueris pacifice assecutus, prefatam capellam seu sacristiam Beate Marie et Angelorum omnino dimittere tenearis. »

Dat. Anagnie, iiii id. maii, anno nono.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Theanensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Marie Eboracensis ac . . archidiacono Exoniensi.*

5348 (xx) Anagni, 21 mai 1303.

Confirmatio pacis inter Carolum, Siciliæ, et Fridericum Trinacriæ reges. (fol. 375.)

« *Ad notitiam presentium et memoriam futurorum.* Rex pacificus —. Verum dilecto filio nobili viro Friderico, prefati Petri genito, eandem insulam continuato vitio tam ostinate quam illicite detinente, dum noster dictique regis potens militaris exercitus contra ipsum, et rebelles Siculos processisset inter dilectos filios nobiles viros Carolum, Alenzoni et Valesii comitem, Robertum, prefati regis Sicilie primogenitum, ducem Calabrie, prefectos ejusdem exercitus, ex una parte, ac jam dictum Fridericum, ex altera, tractatus pacis est habitus, mutua inter ipsos, ut potuit, firmitate vallatus, qui presentatus fuit nostro conspectui; et per solemnes nuntios Friderici prefati a nobis extitit cum devotione petitum, ut tractatum ipsum confirmare benignius de Apostolice potestatis presidio dignaremur. Nos vero, pensantes attente quid nostra et Apostolice Sedis exigeret in hac parte decentia, quid utilitas suaderet, quia tractatum ipsum invenimus in multis informem et a censura considerationis rationabilis discrepantem, illum absolute tunc respuimus confirmare; et eligentes viam mediam, omissis extremis, Fridericum prefatum in benedictionibus dulcedinis prevenimus, ut ejus tramites reduceremus ad lineam, et, erroris ac devii fugata caligine, eo libentius atque suavius veritatis semitam valeret ingredi, quo per benignitatis nostre suffragium sentiret secum benignius atque clementius dispensari, mandantes et facientes ipsum ab excommunicationis sententia, qua ligabatur, absolvi certo modo, quem providi consilii cautela suasit; ac interdictum de dicta insula removeri; super matrimonio contrahendo inter ipsum et dilectam in Christo filiam nobilem juvenem Alionoram, natam dicti regis Sicilie, que siquidem in prefato informi tractatu devenerant, de benignitate Apostolica dispensantes. Et prosequendo debitum pastoralis officii, ac caritatem lepidam pii patris, benignas litteras et speciales nuntios nostros ad memoratum Fridericum in insulam prefatam transmisimus, inducentes eundem, ut ipse de devio, in quo eum falsitas erroris abduxerat, ad rectum salutis ingressum se prudenter converteret; et circa reformationem premissi tractatus suum animum rationabiliter inclinaret. Fridericus autem prefatus, duritiem cordis emolliens, et nostris exhortationibus acquiescens, in reverentiam nostram et Sancte Matris Ecclesie, solemnes suos nuntios dilectos filios nobiles viros comitem Hugonem de Empuriis, vicecomitem [de] Baso, marescallum, Fridericum de Incisa, militem, magistrum rationalem, et discretum virum Bartholomeum de Insula, judicem curie Friderici prefati, ad nos cum devotionis spiritu et placabili humilitate transmisit, cum certo procuratorio sufficienter instructos, super reformatione pretacta, distinctis capitulis ejusdem Friderici noto sigillo sigillatis a tergo, que in archivio Ecclesie predicte servari mandavimus, continentibus suppletionem et reformationem pariter multorum, que series jam dicti tractatus pacis omiserat, et que minus provide deducta fuerant in eodem. Ipsius quippe tractatus formam seriosam et

integram in prima sui substantia et figura pro cautela presentibus inseri jussimus et ut illius reformatio evidentius elucescat.[1] Cujus pacis tractatus, series tenoris est per omnia continentie subsequentis : « Fridericus etc., » Notum fieri volumus universis, tam presentibus quam » futuris, quod, olim infra presentem mensem Augusti » apud Castrum Novum inter nos, pro nobis, fidelibus » et subditis nostris, ex parte una, nec non nobiles The- » obaldum de Cepoyo et Aymericum de Sus, milites, » nuntios et ambassatores magnifici domini Karoli, il- » lustris regis Francorum filii, Valesii, Alenzonis, Car- » noti, Andegavieque comitis, karissimi consobrini nos- » tri, nomine et pro parte ipsius domini Karoli, ex altera, » specialiter ordinatos per eundem dominum Carolum, » nomine et ratione illustris regis Caroli, ad tractandum, » ineundum, faciendum et firmandum, nomine et pro » parte dictorum domini regis Caroli et domini Karoli, » nobiscum pacem seu compositionem duraturam, et ab » utraque parte servandam, nostra et eorundem nuntio- » rum grata et spontanea voluntate tractata, inita, facta » et firmata est pax sive compositio duratura et servanda » efficaciter et bona fide per nos, pro nobis, fidelibus et » subditis nostris, et predictos dominum regem Caro- » lum, dominum Karolum et magnificum dominum Ro- » bertum, dicti domini regis Caroli primogenitum et du- » cem Calabrie, carissimum cognatum nostrum, pro se, » fidelibus et subditis eorum, in forma et modo inferius » particulariter et distincte notatis, videlicet : quod nos » in tota vita nostra simus et esse debeamus rex insule » Sicilie, et quod totam insulam ipsam, cum omnibus in- » sulis sibi adjacentibus ac omnibus juribus, jurisdictio- » nibus, rationibus, honoribus et pertinentiis suis, in » tota vita nostra habeamus, teneamus et possideamus » in capite liberam et absolutam : ita quod exinde ad ali- » quod servitium personale seu reale alicui nullatenus » teneamur : item quod ducamus in uxorem nostram le- » gitimam illustrem dominam Elyanoram, filiam predicti » domini regis Caroli : item quod omnes captivi, ab » utraque parte detenti, absque aliqua redemptione seu » solutione pecunie et aliarum rerum, a carcere liberen- » tur et liberi permittantur abire : item quod inter nos » et predictos dominum Karolum et dominum Rober- » tum super complendis premissis viste celebrentur et » fiant a die veneris, vicesimo quarto mensis Augusti » usque per totum diem dominicum vicesimum sextum » mensis ejusdem, inter Calatabilloctam et Saccam, in » loco convenienti per nos et eosdem dominum Rober- » tum communiter eligendo : item quod in vistis ipsis » inter nos et predictos dominum Karolum et dominum » Robertum communiter ordinabitur quo nomine regio » vocemur et intitulemur : item quid et quantum dabi- » mus predicto domino regi Carolo ordinabitur in vistis » eisdem : item quod, celebratis mutuo inter nos et eos » predictis vistis ac predictis omnibus et singulis per nos » et eosdem dominum Karolum et dominum Robertum » invicem concorditer et perfecte completis, dicti domi- » nus Karolus et dominus Robertus, nomine et dro » parte predicti domini regis Caroli, a decem usque ad » quindecim dies ad tardius a die dissolutionis vistarum » ipsarum in antea numerando, restituant seu restitui » faciant nobis aut nuntio seu nuntiis nostris, omnes ci- » vitates, terras, castra, villas, casalia et quecumque alia » fortalitias et loca, que tenentur et possidentur in par- » tibus Sicilie, et insulis sibi adjacentibus et pertinenti- » bus, sive per sacrosanctam Romanam Matrem Eccle- » siam, seu predictum dominum regem Carolum, et » quoslibet alios, nomine et pro parte eorum vel alterius » eorundem, et etiam quoscumque alios de parte eorum » vel alterius ipsorum, cujuscumque conditionis et sta- » tus existant; quibus omnibus in nostris plenis dominio » et posse per nos vel nostros nuntios habitis et recep- » tis, incontinenti liberabimus a carcere et predictis do- » mino Karolo et domino Roberto seu eorum nuntiis res- » tituemus vel restitui faciemus magnificum dominum » Philippum, principem Tarentinum, filium predicti do- » mini regis Caroli, et omnes alios captivos partis eorum, » quos habemus, ac omnes civitates, terras, castra, vil- » las, casalia et queque alia fortilitias et loca, quas et » que tenemus in Calabria, infra mensem unum ad tar- » dius, a die dissolutionis vistarum ipsarum in antea » numerandum : et predicti dominus Carolus et domi- » nus Robertus nobis aut nostro nuntio vel nuntiis sta- » tim liberabunt et assignabunt vel facient assignari » omnes captivos partis nostre, qui per predictos regem » Carolum, dominum Karolum et dominum Robertum » vel alios seu alium eorum aut quoscunque officiales » fideles et subditos suos carceri detinentur : item, ut » utriusque partis gens, valitores et subditi ad celebra- » tionem predictarum vistarum secure possint accedere, » dum rationi consonum et pacis tractatui conveniens » censeatur, donec viste ipse duraverint, instantium guer- » rarum vitare discrimina, inter nos, pro nobis, fidelibus » subditis et valitoribus nostris, et predictos nuntios, no- » mine et pro parte predictorum domini Karoli et do- » mini Roberti, pro se, fidelibus, subditis et valitoribus » eorum, tractate, inite, facte et confirmate sunt treuge » generaliter in Sicilia durature et servande bona fide ab » utraque parte a die martis vicesimo primo dicti men-

1. In margine legitur : Forma primi tractatus pacis.

» sis Augusti usque per totum predictum vicesimum sex-
» tum diem mensis ejusdem, et deinde in antea, donec
» predicte viste duraverint, et, post dissolutionem vista-
» rum ipsarum, usque ad dies sex, ipso sexto die incluso :
» item, quod si forte premissa, que debent compleri, vel
» ipsorum aliquod, non complerentur, ita quod discordi-
» ter per nos et eosdem dominum Karolum et dominum
» Robertum predicte pacis sive compositionis dissolve-
» retur negotium, ex hoc in aliquo non derogetur nec
» derogari debeat fidei videlicet per nos promisse pre-
» dictis nuntiis, pro parte predicti domini Karoli, et quam
» ipsi nuntii, nomine ipsius domini Karoli, nostre celsi-
» tudini promiserunt: item per nos et predictos dominum
» Karolum et dominum Robertum ordinabitur in vistis
» eisdem, quod regnum et terra acquirentur et dabun-
» tur nobis pro filiis et heredibus nostris, ex nobis et
» predicta domina Elyonora, uxore nostra, favente Do-
» mino, proventuris, quam et quod ipsi filii et heredes
» nostri post nostrum obitum teneant, habeant et possi-
» deant, tanquam veri et legitimi successores et heredes
» nostri, eo quod post obitum nostrum predicta insula
» perveniet ad dictum dominum regem Carolum, si tunc
» vixerit, et, si forte non viveret, ad heredes dicti domini
» regis Caroli : item quod predicti dominus Karolus et
» dominus Robertus bona fide promittant, se sic factu-
» ros, tractaturos et curaturos quod sanctissimus pater
» et dominus, dominus Bonifacius, divina providentia
» sacrosancte Romane matris et universalis Ecclesie
» Summus Pontifex, reverendi patres venerabilis cetus
» dominorum cardinalium et dictus dominus rex Caro-
» lus, per patentia scripta, eorum pendentibus sigillis
» munita, predicta omnia et singula acceptent, ratificent,
» confirment, quodque scripta ipsa, quam celerius pote-
» runt, bona fide procurabunt et facient ad nos, absque
» defectu quolibet, destinari, et quod predicta omnia fir-
» mata compleantur, et completa ab utraque parte bona
» fide serventur. Fiant videlicet per nos, pro nobis, fide-
» libus et subditis nostris. et per eosdem dominum Ka-
» rolum et dominum Robertum, pro predictis rege Ca-
» rolo et eis ac fidelibus et subditis eorum, et etiam
» per magnates et barones nostros et eorum et homi-
» nes civitatum sacramenta et homagia, necnon et
» scripta competentia, debitis munitionibus roborata, pro
» quibus omnibus et singulis, per nos nostrosque fideles
» et subditos exequendis, complendis et observandis,
» quatenus supra particulariter describuntur, eisdem
» nuntiis, recipientibus pro parte predicti domini Karoli,
» prestitimus debitum et corporale ad sacra Dei Evange-
» lia juramentum, ac fecimus, manibus et ore, homa-
» gium, et predicti nuntii, in anima ac nomine et pro
» parte dicti domini Karoli, prestiterunt nobis debitum
» et corporale ad sancta Dei Evangelia juramentum, et
» fecerunt, manibus et ore, homagium, et promiserunt
» nobis quod predicti dominus Karolus et dominus Ro-
» bertus nobili Guillelmo Galzerandi, comiti Catanzari,
» dilecto consiliario, familiari et fideli, nuntio nostro, re-
» cipienti nomine et pro parte nostra, prestabunt ad
» sancta Dei Evangelia juramenta, et facient, manibus et
» ore, homagia, ut predicta omnia et singula, sicut su-
» pra distincte notantur, faciant, exequantur et comple-
» ant, ac inviolabiliter observent et faciant observari, et
» de prestatione ipsorum juramentorum et homagiorum
» fieri facient et assignabunt dicto nostro nuntio paten-
» tes litteras, eorum sigillis pendentibus roboratas, que
» nobis sufficiant ad cautelam. In cujus rei testimonium,
» certitudinem et cautelam presens scriptum exinde fieri
» et majestatis nostre sigillo pendenti jussimus commu-
» niri. Datum apud Castrum Novum, anno Dominice In-
» carnationis millesimo trecentesimo secundo, mense Au-
» gusti, nono decimo [die] ejusdem, xv indictionis.
» Deinde vero infra predictum mensem Augusti inter
» Saccam et Calatabillotam, in loco communiter inter eos
» electo cum predictis domino Karolo et duce pro haben-
» dis hujusmodi vistis, in forma prescripta pluribus die-
» bus convenimus et vistas ipsas diversis vicibus habui-
» mus et celebravimus insimul, in quibus per nos et
» eosdem presentialiter acceptatis, ratificatis et confir-
» matis omnibus suprascriptis habitis, tractatis et factis
» pridem in predicta terra Castri Novi inter nos, ex parte
» una, et predictos nuntios predicti domini Karoli, pro
» parte ipsius domini Karoli, ex parte altera, secundum
» quod superius prenotatur, prescriptas tres conditiones
» — sive capitula que per nos et predictos nuntios apud
» predictam terram Castrinovi tractata, facta et deter-
» minata non fuerunt, sed in vistis ipsis tractanda, fa-
» cienda et determinanda remanserant, nos, ex parte
» una, et predictus dominus Karolus, pro parte predicti
» regis Caroli, ex parte altera, nostra et predicti domini
» Karoli bona, gratuita et spontanea voluntate concordi-
» ter tractavimus, ordinavimus, fecimus et determinavi-
» mus, modo et forma subscriptis, videlicet : primum
» capitulum, continens quod in vistis ipsis, sicut pres-
» cribitur, communiter ordinaretur quo nomine regio
» intitulemur, quod in tota vita nostra sit et esse de-
» beat titulus noster, rex Insule Sicilie vel rex Trinacrie,
» secundum quod placuerit predicto regi Carolo, cujus
» hoc arbitrio et beneplacito reservamus, ita tamen quod,
» quamcunque predictarum intitulationum elegerit, ea
» in tota vita nostra, sicut predicitur, intitulabuntur li-
» bere et absolute, nulla conditione aut subtractione vel

» additione vel mutatione in intitulatione ipsa aliquate-
» nus apponenda : item secundum, continens quod,
» quid et quantum daremus predicto regi Carolo, ordi-
» naretur in vistis eisdem; quod nichil predicto regi Ca-
» rolo et heredibus suis seu quibuscunque aliis pro
» causa predicta teneamur nos seu quicunque alii pro
» nobis aliquatenus exhibere, dare vel facere, nec eis
» vel eorum — alteri aliquid pro causa ipsa a nobis seu
» quocunque alio pro nobis petere, requirere et exigere
» liceat quoquo modo : et tertium, continens quod, sicut
» predicitur, ordinaretur in vistis eisdem, quod regnum
» et terra acquirerentur et darentur nobis, pro filiis et
» heredibus nostris ex nobis et dicta domina Elyanora
» uxore nostra, favente Domino, proventuris, sicut pre-
» dictum capitulum, in dicto scripto contentum, plene
» distinguit; quod predictus rex Karolus vel heredes sui
» toto posse eorum procurabunt, facient et tractabunt
» bona fide cum predictis domino Summo Pontifice vel
» ejus successore et dominis cardinalibus et aliis, ad
» quos negotium ipsum rationabiliter pertinebit, quod
» nobis pro filiis et heredibus nostris, ex nobis et pre-
» dicta domina Elyanora uxore nostra, faciente Domino,
» procreandis, concedatur in perpetuum regnum Sardi-
» nie, cum omnibus juribus, rationibus, dignitatibus,
» juridictionibus, proventibus, redditibus et pertinentiis
» suis, vel regnum Cypri, cum omnibus similiter juri-
» bus, rationibus, dignitatibus, jurisdictionibus, proven-
» tibus, redditibus et pertinentiis suis, si de predicto
» regno Sardinie concessionem predicta forma obtinere
» non possent, et, si forte de predicto regno Cypri simi-
» liter predictam concessionem habere non posssent,
» tractabunt, procurabunt et facient concedi nobis, pro
» predictis filiis et heredibus nostris, in predicta forma,
» aliud regnum valoris alterius regnorum ipsorum, se-
» cundum quod quatuor milites eligendi, videlicet duo
» per nos, et reliqui duo per predictum regem Carolum
» vel ejus heredes, concorditer duxerint eligendum, ac-
» quirendum per nos seu alios quoscunque pro nobis,
» ad opus predictorum filiorum et heredum nostrorum,
» ad omnes expensas nostras, ita quod predictus rex Ca-
» rolus vel heredes sui seu quicunque alii pro parte sua
» in acquisitione ipsius regni nos in pecunia, personis et
» rebus eorum juvare minime teneantur, et, si forte de
» aliquo regnorum ipsorum concessionem in predicta
» forma obtinere non possent infra duos annos, a primo
» Septembris proximo futuri prime indictionis in antea
» numerandos, et ipsam concessionem obtentam infra
» terminum ipsum ad nostram notitiam minime deriva-
» rent, quod predicti filii et heredes nostri post obitum
» nostrum habeant et teneant totam insulam Sicilie,
» modo et forma, quibus in tota vita nostra ex predictis
» conventionibus eandem insulam tenere et habere debe-
» mus, et quandocunque post obitum nostrum predictus
» rex Carolus vel ejus heredes dabunt seu dari facient
» predictis filiis et heredibus nostris unciarum auri cen-
» tum milia ponderis generalis, predicti filii nostri, sta-
» tim post ipsius receptionem pecunie, predictam insu-
» lam Sicilie predicto regi Carolo vel ejus heredibus seu
» nuntio suo teneantur et debeant tradere et assignare
» vel facere assignari. Post obitum autem nostrum tota
» predicta insula Sicilie, cum insulis sibi adjacentibus ac
» juribus, jurisdictionibus, rationibus, honoribus et per-
» tinentiis suis omnibus, immediate, integre, libere et
» absolute in predictis forma et modo redeat et perve-
» niat ad potestatem et plenum dominium prefati regis
» Caroli si tunc vixerit, vel heredum suorum, qui suc-
» cessuri sunt eidem regi Carolo in regno Sicilie, nullo
» prejudicio eidem regi Carolo et suis heredibus gene-
» rando in jure, dominio et possessione dictarum insule
» Sicilie, et aliarum insularum sibi adjacentium ex trans-
» cursu et intervallo temporis, quantumcunque cucurre-
» rit nobis in vita nostra, et post obitum nostrum predic-
» tis filiis et heredibus nostris in predictis forma et
» modo, ut predicitur, tenentibus predictam insulam Si-
» cilie et alias insulas, adjacentes et pertinentes eidem,
» salvo tamen tenore predicti capituli continentis quod
» predicti filii et heredes nostri, post nostrum obitum,
» teneant et habeant totam predictam insulam, sicut in
» ipso capitulo continetur, cui capitulo occasione presen-
» tis capituli minime derogetur; si vero predictus rex
» Carolus vel ejus heredes nobis, pro predictis filiis et
» heredibus nostris, exhibere et solvere vellent pro pre-
» dicta causa predicta unciarum centum milia, nos, pro
» predictis filiis et heredibus nostris, a predicto rege Ca-
» rolo et ejus heredibus pro eadem causa recipiemus ip-
» sam pecunie quantitatem, et, post ipsius solutionem et
» exhibitionem pecunie, nobis faciendam in forma pres-
» cripta, predictus rex Carolus et ejus heredes ex tunc
» in antea non teneantur facere, tractare et procurare
» cum predictis domino Summo Pontifice, dominis car-
» dinalibus et aliis, ad quos ipsum negotium rationabi-
» liter pertinebit, quod nobis pro predictis filiis et here-
» dibus nostris predictorum regnorum aliquod conceda-
» tur. Insuper ex sollempni conventione habita inter
» nos, ex parte una, et predictum dominum Carolum,
» pro parte predicti regis Caroli, ex parte altera, nos li-
» beramus et absolvimus predictum regem Carolum et
» ejus heredes ab omni eo, quod secundum promissio-
» nem factam nobis per predictos nuntios, pro parte
» dicti domini Caroli, ratione dicti capituli, contenti in

» scripto predicto, in acquisitione regni et terre, pro » predictis nostris filiis et heredibus acquirendi, nobis » dare deberent, quod in predictis vistis, sicut prescribi- » tur, ordinari debebat, et predictus dominus Carolus, » pro parte predicti regis Caroli et heredum suorum, nos » et heredes nostros liberat et absolvit ab omni eo, quod » juxta promissionem factam per nos predictis nuntiis » ratione alterius precedentis capituli continentie, quid » et quantum, sicut supra plene distinguitur, predicto » regi Carolo vel suis heredibus juxta formam predicti » capituli dare vel facere debemus, quod similiter in pre- » dictis vistis, sicut prescribitur, ordinari debebat, et al- » tera pars ab altera super predictis contentis in eisdem » duobus capitulis vel ipsorum altero nichil petat, requi » rat et exigat, aliqua ratione, occasione, conditione vel » causa et in nullo aliquatenus teneatur, positione pre- » dictorum capitulorum duorum facta in predicto scripto » aliquatenus non obstante. Ceterum, licet contineatur » in predictis conventionibus, dudum infra predictum » mensem Augusti apud predictam terram Castrinovi » tractatis, habitis et firmatis inter nos, ex parte una, et » predictos predicti domini Karoli nuntios pro parte ip- » sius domini Caroli, ex parte altera, quod predicti do- » minus Carolus et dux a decem usque ad quindecim » dies, a die dissolutionis predictarum vistarum in antea » numerandos, teneantur et debeant nobis vel nostris » nuntiis assignare vel facere assignari omnes civitates, » castra, terras. villas, casalia et quascunque alias forti- » licias et loca, que in predictis partibus Sicilie et insulis » adjacentibus sive per predictam Romanam Ecclesiam » seu predictos regem Carolum aut ducem seu quoscun- » que alios de parte eorum tenentur et possidentur, et » quod nos infra mensem unum, a predicto die dissolu- » tionis vistarum in antea numerandum, teneamur pre- » dictis domino Karolo et duci vel eorum nuntiis, pro » parte predicti regis Caroli, assignare vel facere assi- » gnari omnes civitates, terras, castra, villas, casalia et » quascunque alias fortilicias et loca, quas et que tene- » mus in Calabria, prout hoc in predicto scripto plenius » continetur, tamen de grata et spontanea voluntate nos- » tra et dictorum domini Caroli et ducis sint predicti ter- » mini prorogati, videlicet assignationis predictarum ci- » vitatum, terrarum, castrorum, fortilitiarum et aliorum » locorum Sicilie et insularum sibi adjacentium faciende » per predictos dominum Carolum et ducem vel eorum » alterum seu nuntios suos nobis vel nuntiis nostris, si- » cut predictum scriptum continet, infra dies viginti [1] » duos a predicto primo Septembris prime indictionis in

1. *Ms* : vicinti.

» antea numerandos, et assignationis predictarum civi- » tatum, terrarum, castrorum, fortiliciarum et aliorum » locorum Calabrie, per nos vel nostros nuntios eis vel » eorum nuntiis faciende infra mensem unum et dies » quindecim a predicto primo Septembris in antea nu- » merandos, ita quod cetera alia, contenta superius in » capitulo assignationis predictorum omnium, sicut pre- » dictum scriptum continet, in suis viribus et robore per- » severent. Et, si forsan aliqui tenentes videlicet pro no- » bis in predictis partibus Calabrie aliquas civitates, ter- » ras, castra, villas et alias quascunque fortilicias et loca » predictis domino Carolo et duci vel eorum nunciis in- » fra predictos mensem unum et dies quindecim, et in » predictis partibus Sicilie et insulis sibi adjacentibus a » predictis Ecclesia Romana sive rege Carolo, aut dicto » domino — Carolo seu duce aut aliis quibuscunque per- » sonis de parte eorum civitates, terras, castra, villas » et alias quascunque fortilicias et loca infra predictos » dies viginti duos nobis vel nostris nunciis aliqua ra- » tione, occasione, conditione vel causa nollent sive con- » tradicerent vel differrent assignare vel facere assignari » vel modo aliquo non assignarent, gens, fideles, valito- » res et subditi utriusque partis, secundum quod partes » ipse ordinaverint, potenti manu teneantur et debeant » obsidere et coartare predictas civitates, terras, castra » et alias quascunque fortilicias et loca et tandiu tenere » obsessa, secundum quod utrique parti expedire vide- » bitur, donec illa que in predictis partibus Sicilie et » insulis sibi adjacentibus in prescripta forma habere « debemus, nobis vel nostris nuntiis, et alia, que in pre- » dictis partibus Calabrie predicti dominus Karolus et » dux, pro parte dicti regis Caroli, predicto modo habere » debent, predictis domino Karolo et duci vel eorum » nunciis assignentur. Promittimus etiam quod omnibus » ecclesiis et personis ecclesiasticis existentibus in Sici- » lia et in predictis insulis assignabimus vel faciemus » assignari infra mensem unum, a die facte et complete » assignationis predictarum civitatum, terrarum, castro- » rum et villarum, casalium et quarumlibet aliarum for- » tiliciarum et locorum existentium in predictis partibus » Sicilie et insulis sibi adjacentibus, nobis seu nostris » per predictos dominum Carolum et ducem vel eorum » alterum seu alios, pro parte sua vel alterius eorum, si- » cut supra plene distinguitur, faciende, in antea nume- » randum, omnes possessiones, jura et bona existentia in » Sicilia et predictis insulis, que tenuerunt ecclesie et » persone ecclesiastice ibidem tempore bone memorie » regis Caroli, patris dicti regis Caroli, usque ad tem- » pus, quo Siculi contra predictum quondam regem Ca- » rolum rebellarunt, nisi per prelatos ecclesiarum ipsa-

» rum vel alios auctoritatem habentes aliqua ex predictis
» possessionibus, juribus et bonis quibuscunque perso-
» nis concessa, alienata, permutata sive modo alio data
» vel locata legitime existerent, quibus predicta conces-
» sio, alienatio, permutatio, datio seu locatio inviolabili-
» ter observentur et in suo robore perseverent : item
» quod omnibus personis tam Cathanie, Thermarum,
» quam aliarum terrarum Sicilie, que se predicti regis
» Caroli dominio submiserunt, ac aliis, que extra Sici-
» liam in servitiis dicti regis Caroli extiterunt, bona bur-
» gensatica et patrimonialia habentibus in Sicilia et pre-
» dictis insulis, remittimus omnes culpas, defectus,
» excessus et offensas per eos commissos contra domi
» nium serenissimi domini patris nostri domini Petri, il-
» lustris regis Aragonum et Sicilie, clare memorie, nec-
» non illustris domini Jacobi, Aragonum et olim Sicilie
» regis, — fratris nostri, et nostrum, et alias quascunque
» personas de parte nostra, concedentes eis, ex be-
» nignitate regia, quod ipsi vel heredes eorum ha-
» beant, teneant et possideant omnia bona eorum bur-
» gensatica et patrimonialia, que rationabiliter tenent et
» possident vel tenuerunt et possederunt usque ad tem-
» pus, quo esse in servitiis dicti regis Caroli inceperunt,
» quibus, illis videlicet ex eis, qui bona ipsa non tenent
» nec possident, predicta bona eorum burgensatica et
» patrimonialia sub predictis forma et modo mandabit et
» faciet nostra serenitas assignari, exclusis tamen bonis
» nostrorum fidelium, si qua eis per predictos quondam
» regem Carolum vel regem Carolum, filium ejus, seu
» ducem aut quoscunque alios de parte eorum concessa
» fuerunt, que, sicut prescribitur, usque ad predictum
» tempus tenuerunt vel tenent et possident, nisi per eos
» vel aliquos ex eis aut alios auctoritatem habentes ali-
» qua ex predictis possessionibus et bonis quibuscunque
» personis concessa, alienata, permutata, distracta seu
» vendita, sive modo alio data vel locata legitime essent,
» quibus predicta concessio, alienatio, permutatio, dis-
» tractio seu venditio seu datio sive locatio inviolabiliter
» observentur, et in suo robore perseverent : item quod
» omnibus Siculis et aliis predictarum insularum adja-
» centium, et etiam habitatoribus predictarum insula-
» rum predictus dominus Karolus, pro parte predicti re-
» gis Caroli, remittit omnes offensas, culpas, defectus,
» excessus et dampna commissa per nos contra domi-
» nium predicti regis Caroli clare memorie et predicti
» regis Caroli, ejus filii, aut quascumque alias personas
» de parte eorum et pro parte dicti regis Caroli, promit-
» tit eis bona fide, quod, quando ad manus predicti re-
» gis Caroli vel heredum suorum, sicut predicitur, do-
» minium predictarum insularum perveniet, per eundem
» regem Carolum et ejus heredes vel quoscunque alios
» predicti Siculi et alie persone insularum predictarum
» super predictis omnibus et singulis contentis in pre-
» senti capitulo, in personis, rebus et bonis eorum,
» etiamsi res et bona ipsa per predictos quondam re-
» gem Carolum vel regem Carolum, ejus filium, seu
» quoscunque alios de parte eorum personis aliquibus
» concessa sive alienata existerent, non impetantur nec
» aliquatenus molestentur, pro quibus omnibus et sin-
» gulis faciendis, complendis, attendendis et inviolabili-
» ter observandis, nos videlicet, pro nobis, fidelibus et
» subdiditis nostris, prestitimus predictis domino Karolo
» et duci debitum et corporale ad Sancta Dei Evangelia
» juramentum, ac fecimus, manibus et ore, homagium,
» et predictus dominus Karolus, pro se et predicto rege
» Carolo, et dictus dux, pro se, fidelibus et subditis eo-
» rum, prestiterunt nobis debita et corporalia ad Sancta
» Dei Evangelia juramenta, et homagia, manibus et ore,
» fecerunt. Nos etiam predictus Karolus fatemur pre-
» dicta omnia et singula vera ac per predictum regem
» Fridericum et nos, sicut supra particulariter et dis-
» tincte notantur, bona fide et solenniter gesta esse, ac
» nomine et pro parte predicti regis Caroli bona fide
» promittimus predicta omnia et singula facere, atten-
» dere, complere et inviolabiliter observare et facere ob-
» servari, et sic tractare, facere et curare, quod predic-
» tus rex Carolus predicta omnia et singula acceptet,
» ratificet et confirmet, attendat, compleat et observet et
» faciat observari, et toto posse nostro procurabimus
» et tractabimus quod predicti dominus Summus Pon-
» tifex et domini cardinales predicta omnia et singula
» acceptent, ratificent et confirment, attendant, com-
» pleant et observent et faciant observari. Nos quoque
» predictus dux interfuimus et nostra grata et spontanea
» voluntate consensimus predictis omnibus et singulis,
» tractatis, habitis, firmatis et completis in vistis eisdem,
» et ipsa omnia et singula ratificamus, acceptamus, con-
» firmamus et inviolabiliter observabimus et faciemus
» per alios observari, ac procurabimus, tractabimus et
» faciemus toto posse nostro et bona fide, quod predicti
» dominus Summus Pontifex, domini cardinales et do-
» minus rex Carolus, dominus pater noster, predicta om-
» nia singula acceptent, ratificent et confirment, atten-
» dant, compleant et observent et faciant observari. In
» cujus rei testimonium, perpetuam memoriam et utrius-
» que partis cautelam, certitudinem et inviolabilem fir-
» mitatem facta sunt exinde scripta duo, videlicet pre-
» sens penes predictum dominum Karolum et ducem vel
» eorum alterum, pro parte predicti regis Caroli, reman-
» surum, et alterum nobis retinendum, nostro et predic-

» torum regis Friderici et Karoli propriis sigillis, et nos-
» tro predicti ducis secreto sigillo in defectu magni sigilli
» nostri penes nos non existentis ad presens, pendenti-
» bus communita. Datum Calatabilocte, anno Dominice
» Incarnationis M°CCCII°, mense Augusti, ultimo ejus-
» dem [die], XVª Indictione. » Et quia in premisso tractatu continebatur improvide quod Fridericus idem totam ipsam insulam, cum omnibus insulis sibi adjacentibus ac omnibus juribus, jurisdictionibus, honoribus, et pertinentiis suis in tota vita sua haberet, teneret et possideret in capite liberam et absolutam, ita quod exinde ad servitium aliquod reale seu personale alicui nullatenus teneretur : quod procul dubio in grave nostrum et ejusdem Ecclesie prejudicium redundare valebat in posterum et regis Sicilie memorati, ac, ex nunc, redundabat evidenter in diminutionem et subtractionem reverentie et subjectionis pariter pro ipsis insulis debite nobis et eidem Ecclesie, majoris dominii ratione; ut effective ipsa reformatio sequeretur, promiserunt nobis et ipsi Ecclesie jam dicti nuntii pro parte Friderici prefati solemniter et expresse, idque similiter pretacta capitula exponunt evidenter et eidem promissioni consentiunt, quod Fridericus ipse predictam Sicilie insulam, cum insulis ei adjacentibus omnibusque aliis predictis juribus et pertinentiis suis in vita sua tenebit, habebit et possidebit, a nobis et sub nobis ac eadem Ecclesia; et erit vassallus et censuarius ipsius Ecclesie pro illo jure [1], quod idem Fridericus in ipsa insula Sicilie, dicta sua vita durante, noscitur obtinere : et ex nunc, ejus nomine, prefati nuntii promiserunt bona fide tenere sub annuo censu trium milium unciarum auri, ad generale pondus regni Sicilie in festo beati Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, nobis et ipsi Romane Ecclesie per eumdem Fridericum, dum vixerit, annis singulis solvendarum, ac sub servitio centum militum, equis et armis munitorum decenter et bene, quandocumque nos vel successor noster Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit in vita Friderici predicti, asseruerit eis Ecclesiam indigere Romanam : ita quod super indigentia hujusmodi nostro et ipsius successoris simplici verbo stetur. Qui quidem centum milites, quorum quilibet habeat tres equitaturas ad minus, cum expensis Friderici prefati per tres menses integros semel in anno servire nobis et eidem Ecclesie teneantur. Et si nos vel successor noster jam dictus, ipsius Frederici vita durante, voluerimus dictum militare servitium in navale converti, debita proportione ac compensabili taxatione prehabita, idem militare servitium in navale sufficiens ad obsequium nostrum et ejusdem Ecclesie, juxta nostrum et dicti successoris beneplacitum, converteretur. Quod si per Fridericum predictum, dum vixerit, in prefati census trium milium unciarum fuerit, suo termino, solutione cessatum, in illas spirituales et temporales penas Fridericus prefatus incidat, que in conventionibus primo initis inter Romanam Ecclesiam et clare memorie Carolum, regem Sicilie, ac memoratum regem Sicilie, ipsius filium, postea, in capitulo solutionis et cessationis census, servato ordine in eodem expresso capitulo, continentur. Pro quibus utique recognitione et promissione pretactis efficacius roborandis prefati nuntii, ejusdem nomine Friderici, nobis et eidem Ecclesie pro illo jure, quod in ipsa insula Sicilie, cum predictis juribus et pertinentiis suis, idem Fredericus, sicut predicitur, est habiturus ad vitam, ligium fecerunt homagium et fidelitatis prestiterunt solitum juramentum. Promiserunt etiam prefati nuntii, pro parte ac nomine Friderici jam dicti, nobis et Ecclesie Romane prescripte, subtus annexa sequentia, in memorato tractatu pacis omissa, que pretacta nostra reformatio per adjectionem utilem reparavit, videlicet : quod idem Fridericus tenebit et habebit inimicos nostros et Romane Ecclesie pro inimicis suis, et amicos nostros pro amicis habebit, quinimo prefatos inimicos nostros et ejusdem Ecclesie ad nostrum et ipsius mandatum intendit persequi toto posse [1]; quodque Fridericus ipse restituet, et restitui faciet omnes ecclesias predicte insule Sicilie et aliarum insularum circumadjacentium, si forte adhuc restitute non sunt, plenarie et cum effectu ad omnia bona et jura ipsarum, in quorum possessione erant eo tempore, quo insula memorata Sicilie contra dictum quondam regem Carolum rebellavit, per quoscumque prefata bona et jura ablata et occupata fuissent vel sint, ac detinerentur vel detineantur ad presens, nisi forte infra predictum tempus aliqua justa alienatio per personas auctoritatem habentes inde juste et rationabiliter facta esset; et quod omnes predictas ecclesias, et personas ecclesiasticas ecclesiarum ipsarum Fredericus idem libertatibus, privilegiis et immunitatibus, a sacris canonibus eis concessis, et specialiter quod immunes sint a collectis et talliis, gaudere permittet et faciet [2], et quod Romanus populus, cum indigebit, ad requisitionem nostram vel successoris nostri predicti, ejusdem Friderici vita durante, de portibus

1. In margine legitur : Nota ad quid tenetur Fridericus Ecclesie Romane ratione insule usque ibi : quodque et cetera.

1. In margine legitur : Nota quod Fredericus impios (*sic*) Ecclesie debet reputare suos et amicos similiter.

2. In margine legitur : Hic resumuntur aliqua ad que tenetur Fredericus ipse Ecclesie et populo Romano usque ibi : pro parte.

Sicilie possit extrahere victualia, et legumina, deferenda ad Urbem pro ipsorum usibus, cum solutione tamen juris exiture, quod solvi per ejusdem Friderici curiam ordinatur. Nobis vero et dicto successori, ejusdem Friderici vita durante, quando indigeremus nos, aut ipse successor, seu prefata Ecclesia, precipue pro subsidio Terre Sancte, in hujusmodi necessitatum casibus vel aliquo eorumdem, licitum erit et liberum extrahi facere, anno quolibet, pretacta necessitate durante, de predictis Sicilie portibus salmarum frumenti decem millia, libera a jure quolibet exiture et alterius cujuscumque dirictus (*sic*) ferenda quo nos vel ipsa Ecclesia mandaverimus juxta nostre beneplacitum voluntatis. Pro parte quoque Friderici prefati in eorumdem nuntiorem promissione venit, quod si aliqua dubietas vel contentio emergeret in prescripto tractatu pacis vel circa ipsum, nos seu successor noster predictus inde tanquam communis dominus cognoscamus; quodque [1] omnia et singula contenta in pretactis conventionibus, habitis inter Romanam Ecclesiam et prefatum quondam Carolum, regem Sicilie, tam affirmative quam negative, que in faciendo et non faciendo consistunt [2], idem Fridericus plene et integre observabit, prout ipsum contingunt et contingere possunt tempore vite sue. De quibus omnibus et singulis complendis integre et servandis inviolabiliter per Fridericum jam dictum, prefati nuntii, ad hoc plenam potestatem habentes, in ipsius animam prestiterunt ad sancta Dei Evangelia juramentum. Supplicaverunt itaque nobis prefati nuntii, pro parte Friderici jam dicti, cum reverentia debita, et humilitate devota, ut, cum Fridericus ipse in spiritu sinceritatis integre ac devotionis interne ad nostra et ejusdem Ecclesie mandata redierit, ac circa reformationem prefati tractatus pacis obedienter ac prone descenderit, ac obedientius in futurum nostris et ipsius Ecclesie beneplacitis se coaptare disponat; tractatum ipsum, cum reformatione prescripta, confirmare benigne de auctoritate Sedis Apostolice dignaremur. Nos igitur, provisa circumspectione librantes, quid belli calamitas inferat, quid fremens dissidium introducat, quod revera proxima tempora preterite turbationis ostendunt, quid pacis grata lenitas afferat, quid quies populis opportuna producat, quantumque pax ipsa, ut opus justitie, regnantibus expedire noscatur, in cujus opulenta temperie viget ipsa justitia et sine repugnantis obstaculo ostenditur efficaciter virtus ejus; quodque Fridericus ipse, reverenter se ad beneplacita nostra conformans, in primitivis sue conversionis auspiciis signa devoti filii prudenter ostendit : prefati Caroli, Sicilie regis, ad hoc precedente consensu, per nos inde licentia sibi data, de cujus consensus processu per venerabilem fratrem nostrum Petrum, Noviomensem episcopum, cancellarium, et nobilem virum Bartholomeum de Capua, logothetam et protonotarium regni Sicilie, prefati regis procuratores et nuntios, super hoc sufficienter instructos, nobis aperte constitit, premissum tractatum pacis, cum reformatione prescripta, ejusque substantiam et effectum ex certa scientia ratificamus, approbamus et confirmamus, de fratrum nostrorum consilio et assensu, disceptante solummodo dilecto filio nostro Matheo, Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, qui non consuluit nec consensit : ita quidem, quod per tractatum ipsum reformationemque pretactam, et per hujusmodi confirmationem nostram ac dicti regis assensum conventionibus ipsis, initis inter Romanam Ecclesiam et prefatum quondam regem Sicilie, quibus ipsum regnum Sicilie et terra alia citra Farum prohibetur dividi, nullum prejudicium, mutilatio vel diminutio afferatur, quin, prefato Friderico defuncto, jam dicta insula Sicilie, cum insulis ei adjacentibus omnibusque aliis prefatis juribus ac pertinentiis suis, ad unitatem, integritatem et soliditatem alterius partis dicte terre, citra Farum posite, sicut erat concessionis tempore facte per Romanam Ecclesiam prefato quondam Carolo, regi Sicilie, de regno et terra predictis, et tempore mote guerre in insula prelibata Sicilie, ipso jure et sine aliquo facto hominis, juxta dicti tractatus pacis seriem revertatur, sic quod liceat tunc prenominato regi Sicilie et legitimis heredibus suis dictam insulam Sicilie, cum insulis ei adjacentibus aliisque predictis juribus et pertinentiis ejus, ad integritatem et soliditatem predicte terre alterius citra Farum et unitatem totius regni Sicilie, auctoritate propria et sine jussu alicujus presidentis seu judicis alicujus, revocare, prefatis conventionibus inter Ecclesiam

1. In margine legitur : Nota quod Fredericus tenetur omnes conventiones habitas tam affirmativas quam negativas inter Romanam Ecclesiam et regem Carolum observare.

2. In margine legitur : In dictis autem conventionibus habitis inter Romanam Ecclesiam et Carolum quondam Sicilie regem, inter alia sequens clausula continetur : Promitto eciam quod nullam confederationem seu paccionem vel societatem cum aliquo Imperatore vel rege seu principe vel barone, Sarraceno, Christiano vel Greco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo scienter contra Romanam Ecclesiam vel in dampnum Ecclesie faciam, et, si eciam fecero ignoranter, tenear et promitto ad mandatum Ecclesie revocare. Denique omnes premissas condiciones, que in personam meam ponuntur, circa meos in regno ipso heredes et successores volo et intellegi dictas. Post dictam autem clausulam quibusdam aliis interjectis sequitur clausa infrascripta : Ceterum, ut premissa omnia et singula ac insuper ut condiciones — et pacta, que inter Sanctam Romanam Ecclesiam et sepedictum clare memorie avum meum intervenerunt — tempore quo sœpedicta terra — feudum, prout in littera felicis recordationis Clementis pape quarti plenus continetur.

regemque predictos habitis, ac tractatu pacis predicto in sua perpetua permanentibus firmitate. Et, quia in predicto pacis tractatu venit, quod Fridericus ipse in vita sua, qua insulam tenere, habere et possidere debet eamdem, vocari seu intitulari debeat rex insule Sicilie vel Trinacrie, prout prenominatus rex Sicilie duxerit arbitrandum, prefati cancellarius et logotheta, debita circa hoc potestate suffulti, nomine et pro parte dicti regis Sicilie, cujus sunt procuratores et nuntii, de beneplacito et assensu nostro, elegerunt et arbitrati sunt dictum Fridericum in vita sua, juxta formam tractatus ejusdem, debere regem Trinacrie titulari. Quia vero videntur negligi que fiunt notabiliter nisi specialiter exprimantur, declaramus expressius et presentium auctoritate decernimus, de ipsorum fratrum consilio et assensu, quod nec per divisionem ipsam prefate insule Sicilie a terra citra Farum posita, que per memoratam tenutam, quam Fridericus predictus de ipsa insula Sicilie habiturus est in sua vita, contingit; nec per eamdem confirmationem nostram et reformationem pretactam, aut per dicti regis assensum, vel distributionem et receptionem dictorum census et servitii militaris, nec per nominationem dicti Frederici, factam et faciendam de titulo regis Trinacrie, jus sibi aliquod acquiratur ultra vel preter tenutam ipsam, quam habiturus est in vita sua, juxta formam prelibati tractatus de insula Sicilie memorata. Specialiter autem exprimimus, quod per nominationem ipsam regis Trinacrie, honori regalis tituli, qui de toto regno Sicilie ultra Farum et citra apud prefatum Carolum, regem Sicilie, remanet quemque apud eum remanere volumus, nullum in aliquo, etiam quantum ad vulgi labia, prejudicium afferatur; nec ex predictis vel predictorum aliquo eidem regi Sicilie aut heredibus suis, ultra tempus possessionis et tenute prefate, in proprietate, possessione ac jure ipsius insule Sicilie et pertinentiarum ejus, ad quanticumque temporis spatium sepedicti Friderici vita pretenderetur, dispendium seu prejudicium aliquod quomodolibet generetur : cum possessionem prefate insule Sicilie et pertinentiarum ipsius, quam ex premissis recognitione, prestatione homagii et juramenti fidelitatis, factis jam nobis et eidem Ecclesie, pro parte Friderici jam dicti per nuntios sepedictos, solutione census ac prestatione militaris servitii, faciendis in antea, prefati Friderici vita durante, nos et Romana Ecclesia retinemus, predicto regi Sicilie et suis heredibus, tanquam directo et veris feudatariis nostris et ejusdem Ecclesie, specialiter [volumus] afferre presidium, ut dicta nostra possessio prosit eis, et nulla per aliquos contra ipsos ex prefata possessione seu tenuta allegari possit prescriptio vel oppponi. Per jam dictas autem promissionem et prestationem census trium millium unciarum et centum militum, quam idem Fridericus in vita sua est nobis et Ecclesie memorate facturus, nolumus hominibus ipsius insule aliquod afferri prejudicium in futurum, ut scilicet, per hoc, insula ipsa ad predictas unitatem, integritatem et soliditatem immediate post ipsius Friderici obitum, sicut predicitur, revertente, in functionibus publicis aliisque debitis prestationibus gravetur in plus, quam rationabilis et moderata proportio patiatur. Nulli ergo, etc Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno nono.

Potthast, 25245.

5349 (XXI) Latran, 30 avril 1303.

Confirmatur Albertus, in regem Romanorum electus. (fol. 377 v°.)

Carissimo in Christo filio Alberto, regi Romanorum illustri. Ad perpetuam rei memoriam. Patris Eterni Filius Dominus Jhesus Christus, cujus licet immeriti vices in terris gerimus, misericordie benignitatem exercens, ut in Ejus beneplacito feramus jugum Apostolice servitutis, viam nos humilitatis edocuit, nosque suorum doctrinis mandatorum instruxit, ut Ipsius vestigia, qui patiens et humilis est atque misericors, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Nos itaque, Ipsius exemplo dirigi cupientes, quos ad nos fiducia devota reducit, libenter brachiis paterne benignitatis amplectimur, illisque sinum mansuetudinis et misericordie non negamus, dum eis presertim devotionis et humilitatis instantia suffragatur. Profecto, dum fidem et devotionem dive memorie Rudolphi, regis Romanorum, patris tui, quibus ipse, dum viveret, erga Sedem Apostolicam studuit cum sinceritate vigere, ad memoriam nostre considerationis adducimus, dum clara et provida magnificentie tue studia, per que diebus istis gratificari Deo et ipsi Sedi cum summe devotionis et humilitatis promptitudine decrevisti, diligentius intuemur, suggerit nobis horum fervens instantia, ut, erga te mansuetudinem et misericordiam exercentes, statui tuo salubriter ad laudem Divini Nominis, honorem et exaltationem Sancte Matris Ecclesie, sacrique Imperii, ac tranquillitatem et pacem fidelium, auctore Domino, consulamus. Dudum siquidem clare memorie Adulfo, rege Romanorum, de hac luce subtracto, et per ejus obitum Romanorum regno vacante, principes ecclesiastici et seculares, ad quos, translato olim Romanorum imperio de Grecis per Sedem Apostolicam in

persona magnifici Caroli in Germanos, futuri Romanorum regis, in imperatorem postmodum promovendi, electio pertinet, te in Romanorum regem unanimiter et concorditer elegerunt : tuque, hujusmodi electioni de te facte consentiens, fuisti more Romanorum regum apud Aquisgranum in Romanorum regem postmodum coronatus : et deinde fere per quinquennium exercuisti administrationem regiam, sicut predecessores tui legitime ac concorditer in Romanorum reges electi exercere solent hactenus, postquam apud dictum locum Aquisgrani, ubi hoc fieri consuevit, coronati fuerunt. Verum, cum medio tempore nonnulla contra te super hiis ad nostram audientiam deducta fuissent, certis a nobis adversus te processibus propterea subsecutis, tu, devoti et prudentis more filii, de solita patris benignitate confidens, super hiis non judicium sed misericordiam humiliter implorasti, nichilominus offerens te paratum tuam, prout posses, super eis ostensurum innocentiam, et alias nostra et dicte Sedis beneplacita et mandata facturum. Prestitisti quoque nobis et eidem Sedi fidelitatis et obedientie juramentum, et nonnulla etiam alia promisisti et juramento firmasti, que tam a predicto patre tuo, quam a predecessoribus ejus, Romanorum regibus, jurata, promissa, facta, recognita et concessa fuerunt, sicut hec et alia in duabus patentibus litteris, tuo sigillo signatis, que in ipsius archivio conservantur Ecclesie, plenius continentur. Cumque vicem geramus Illius, qui sedens ut rex, circumdante exercitu, est merentium consolator, et omnipotentiam suam parcendo et miserando maxime manifestat, devotione ac humilitate tua gratanter inspecta, viam mansuetudinis, misericordie ac dulcedinis erga te potius elegimus, quam rigoris, ut apud nos et Ecclesiam memoratam obedientia humilis tibi prosit, sicut obesse debent contemptoribus inobedientia et contemptus. Et quia, levantes in circuitu oculos nostros et Romanorum regnum et imperium intuentes, invenimus in ipsis gentem peccatricem, populos graves iniquitate, semen nequam, filios sceleratos, qui deliquerunt in Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel et alienati sunt retrorsum et in eis omne capud languidum et omne cor merens, ita quod a planta pedis usque ad verticem quasi non est sanitas in eisdem, quorumque vulnus et plaga tumens non est circumligata medicamine nec fota oleo Samaritani illius, qui homini descendenti de Jerusalem in Jericho vulneribus sauciato, ut proximus verus, subvenit, plagis ejus vinum et oleum infundendo, misericorditer vestigia imitantes, decrevimus tecum misericorditer agere severitatem superando rigoris, ut tu, memor tam grandis nove nostre miserationis accepte, tuorum discas vulnera subjectorum et plagas per mansuetudinem olei et vini acrimoniam restaurare. Modum namque sequi providimus in hac parte, per quem tu, approbatus a nobis ac nostro et ejusdem Ecclesie fultus auxilio et favore, super reges constituaris et regna, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, ac, sedens in solio judicii, tuo intuitu profuges omne malum, accepta secundum Apostolum ad vindictam malefactorum laudemque bonorum gladii potestate. Ad gloriam igitur omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beate ac gloriose semperque Virginis Marie, beatorum quoque Apostolorum Petri et Pauli, et ad honorem et exaltationem Sancte Romane Ecclesie ac Imperii predictorum, et prosperum statum mundi, de fratrum nostrorum consilio, presente quoque prelatorum et aliorum copiosa multitudine curialium, auctoritate Apostolica et de Apostolice plenitudine potestatis, te in specialem filium nostrum recipimus et Ecclesie memorate, ac in regem Romanorum assumimus, in imperatorem, auctore Domino, promovendum; volentes et statuentes, ut de cetero talis filius rexque Romanorum existas, in imperatorem, ut premittitur, promovendus; et quod pro tali ab aliis habearis, tibique sicut Romanorum regi, electo legitime et Aquisgrani coronato, obediri debere ab omnibus et singulis sacro Romano subjectis Imperio, sicut pareri solet et debet predecessoribus tuis Romanorum regibus, legitime intrantibus, et a prefata Sede hactenus approbatis : supplentes omnem defectum, si quis aut ratione forme, aut ratione tue vel tuorum electorum personarum, seu ex quavis alia ratione vel causa, sive quocumque modo in hujusmodi tua electione, coronatione ac administratione fuisse noscatur. Omnia insuper et singula, per te vel alios de mandato tuo facta et habita in administratione predicta, que alias justa et licita extitissent, ita valere decernimus et tenere, sicut si administratio ipsa tibi competiisse legitime nosceretur. Excellentiam itaque regiam monemus, rogamus et hortamur attente, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatinus, ad ipsum Deum et prefatam Ecclesiam matrem tuam mentem et oculos tuos dirigens reverenter, ac benignitatem nostram dicteque Matris, qua preventus agnosceris, devota meditatione considerans, illamque conscribens in sacrario tui pectoris, inibi sub recognitione debita perpetuo permansuram; sicut christianissimus catholicusque princeps, fide preclarus, charitate [1] fervens, devotione sincerus et judicio rectus, eandem Ecclesiam et libertatem ecclesiasticam ubilibet summo studio totisque viribus revereri et colere studeas ac tueri, et grata et grandia ipsi Ecclesie pro gratis et

1. *Ms.* : claritate.

grandibus impensis tibi muneribus recompenses; populos quoque in equitate judices, et dirigas in terris tibi subjectis gentium nationes ad bonum; ac alias commissa tibi regni et imperii gubernacula, congruis temporibus, sic laudabiliter et utiliter exequaris, quod eterne vite premium, Illius tibi dextera suffragante, a cujus misericordia omne datum optimum et omne perfectum donum descendit, exinde consequi merearis: et prefate Ecclesie te gratum et utilem filium representes, ac de bono semper in melius in ejus dilectione concrescas, tuique fama nominis latius in gentibus extollatur. Nulli ergo, etc., nostre receptionis, assumptionis, statuti, suppletionis et constitutionis, etc. Dat. Laterani, II kal. maii, anno nono.

POTTHAST, 25234.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Maguntino — . . archiepiscopo Treverensi — . . archiepiscopo Coloniensi — . . carissimo in Christo filio regi Boemie illustri — dilecto filio nobili viro . . comiti Palatino — . . duci Saxonie — . . marchioni Brandeburgensi.*

5350 (XXII) Même date.

Dissolvuntur omnes confœderationes inter Albertum, regem Romanorum, et alium seu alios, « etiamsi regali seu quavis alia prefulgeant dignitate », hactenus initæ. (fol. 379 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Quia plerumque contingit, quod ex causa mali sub pretextu boni confederationibus, compagniis seu societatibus aliisque colligationibus homines invicem se colligant contra sanctiones canonicas et civiles, et ob hoc honori Sancte Matris Ecclesie, justicie cultui, paci et tranquillitati fidelium deperit multipliciter et decrescit, ac nonnunquam inde animarum discrimina corporumque pericula et dampna rerum gravia subsequuntur, consuevit in talibus circumspecta Sedis Apostolice providentia, cum ad ipsius ea perferri contingit auditum, per adhibitionem oportuni remedii salubriter providere. Cum igitur carissimus in Christo filius noster Albertus, rex Romanorum illustris, devoti et prudentis more filii, nuper nostris et ipsius Matris Ecclesie beneplacitis se coaptasse noscatur, nosque circa promotionem ipsius ad regnum Romanorum, ad quod electus extitit, statum ejus duxerimus paterna gratia solidandum, quia forsan ipse cum aliquo vel aliquibus se hactenus colligavit, nos, volentes omne ab eo super hoc obstaculum submovere, per quod actus ejus in posterum circa divina et ipsius Matris beneplacita prosequenda minus liberi redderentur, omnes confederationes, colligationes, societates vel compagnias et conventiones, initas, factas vel habitas hactenus inter ipsum et alium seu alios, cujuscunque dignitatis, ordinis, conditionis aut status, ecclesiastici vel mundani, etiamsi regali seu quavis alia prefulgeant dignitate, quocumque tempore vel modo, sub quovis nomine vel vocabulo seu sub quacumque verborum expressione processerint, etiamsi fuerint juramentorum et penarum adjectione vel quovis alio vinculo roborate, omnino dissolvimus et carere decernimus omni robore firmitatis, et eundem regem ac omnes alios, qui se ad earum observationem quomodocumque seu quantumcumque solenniter astrinxerunt, ad eas servandas decernimus non teneri, nec pro eo, quod ipsas de cetero non servaverint, de reatu perjurii aut ratione penarum vel conventionum quarumlibet adjectarum in illis, posse in judicio vel extra judicium impeti seu aliquatenus molestari, quin immo eos ad observationem illarum, quatenus ipsi regi circa plenam et liberam observationem eorum, que ipse nobis et successoribus nostris et eidem Ecclesie per suas patentes litteras, que in ipsius archivio conservantur Ecclesie, se facturum et servaturum promisit et juramento firmavit, qualitercumque prestaretur obstaculum, precipimus penitus abstinere, juramenta de ipsis servandis vel alias quomodocunque pro predictis hinc inde prestita relaxantes. Nulli ergo, etc., nostre dissolutionis, constitutionis, precepti et relaxationis, etc. Dat. ut supra.

POTTHAST, 25236.

5351 (XXIII) Anagni, 20 mai 1303.

Ut Maguntino, Treverensi et Coloniensi archiepiscopis bona destructa vel detenta restituat. (fol. 380.)

Carissimo in Christo filio Alberto, regi Romanorum illustri. Inter cetera que circa gubernationem regni Romanorum ad cujus fastigium te nuper assumpsimus [1] ut filium specialem —.

Regem Romanorum rogat et hortatur dominus papa, ut prælatos, ecclesias et personas ecclesiasticas, regulares et sæculares, regni Romanorum manuteneat et defendat ac specialiter Maguntino, Treverensi et Coloniensi archiepiscopis et ecclesiis, quibus damna gravia et injurias dicitur intulisse, omnia bona destructa vel detenta restituat.

Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno nono.

POTTHAST, 25243.

1. In margine notatur crux atramento nigro scripta.

5352 (XXIIII) Même date.

Super eodem. (fol. 380.)

Venerabilibus fratribus .. Maguntino, .. Treverensi, et .. Coloniensi archiepiscopis. Vos et ecclesias —.

Suprascriptis de superiore epistola significat dominus papa eosque hortatur, ut, si dictus rex cum ipsis curialiter et mansuete componat, se reddant circa compositionem hujusmodi liberales.

Dat. ut supra.

Potthast, 25244.

5353 (XXV) Anagni, 31 mai 1303.

Absolvuntur omnes Imperio et regno Romanorum subjecti « per totam Burgundiam, Lothoringiam, comitatum Barrensem et per totum regnum Arelatense », qui juramentum fidelitatis seu vassalagia præstiterunt vel promissiones fecerunt in præjudicium prædictorum Imperii et regni et Alberti, regis Romanorum. (fol. 380.)

Ad perpetuam res memoriam [1]. Juxta verbum propheticum preceptum a Domino emanavit ad Apostolice Sedis antistitem dicens : « Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. » Nos igitur, qui, disponente Domino, sumus super istius Sedis specula constituti, ad observanciam hujusmodi precepti Dominici, ubi expedire conspicimus, intendentes, venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos, ac dilectos filios electos, abbates, priores et ceteros ecclesiarum prelatos et personas ecclesiasticas, regulares et seculares, ecclesiarum et monasteriorum capitula et conventus Cisterciensis et aliorum quorumlibet ordinum, necnon magistros et preceptores ac fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Domorum Militie Templi, Beate Marie Theutonicorum et Calatravensis, duces quoque, marchiones, comites et barones, ceterosque nobiles, potestates insuper seu scabinos, consules, consiliarios et officiales quoslibet et alios, cujuscumque eminencie, conditionis et status, quocumque nomine censeantur, ac populos, communia, communitates, universitates terrarum et locorum quorumlibet per Tarentasiensis, Bisuntinensis, Ebredunensis, Aquensis, Arelatensis, Viennensis et Lugdunensis civitatum dioceses et provincias, et per totam Burgundiam, Lothoringiam, comitatum Barrensem, terram Dalphini et comitatum Provincie et Forcalquerii et principatum Auraisice et per totum regnum Arelatense constitutas, Imperio et regno Romanorum de jure subjectos, qui juramentum fidelitatis seu vassalagia vel alia prestiterunt, vel promissiones quascumque et obligationes, cum penarum adjectione, fecerunt de facto, in prejudicium predictorum Imperii et regni et carissimi in Christo filii nostri Alberti, regis Romanorum illustris, cuicumque seu quibuscumque personis, cujuscumque preeminentie, dignitatis et ordinis, conditionis et status, ecclesiastici vel mundani, existant, etiamsi imperiali vel regali, seu quavis alia prefulgeant dignitate, quibus ad ea prestanda et facienda de jure minime tenebantur et per que posset impedimentum afferri vel obstaculum interponi, quominus idem rex Romanorum libere posset exequi prefati Romani regni regimen [1] sive Romani Imperii, postquam ejus receperit dyadema, et facere, adimplere et servare que nuper nobis et dicte Sedi promisit, ab omni vinculo [2] juramentorum, promissionum et penarum hujusmodi ex nunc absolvimus et totaliter liberamus, ac ipsos omnes et singulos ad ea servanda decernimus non teneri, nec, pro eo quod ipsa, que omnino dissolvimus et nullius volumus esse roboris vel mandati, de cetero non servaverint, de reatu perjurii vel aliqua pena seu [3] privatione bonorum posse in judicio vel extra judicium impeti seu aliquatenus molestari : quin immo eos ab observatione illorum precepimus penitus abstinere, juramenta taliter [4] prestita relaxantes de Apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino homin*um* [5] liceat hanc pagin*am* [6] nostre absolutionis, liberationis, constitutionis, dissolutionis, precepti et relaxationis infringere vel ei ausu temerario contraire, Si quis autem, etc. Dat. Anagnie, II kal. junii, pontificatus nostri anno nono.

Potthast, 25253.

1. Hæc epistola erasa est in regesto jussu papæ Clementis V, prout mandatum fuit in inscriptione, quæ legitur in margine ad tricesimam quintam lineam : « Tolatur omnino » et prout constat ex protocollo quod legitur fol. 390. Rubrica : *Ad perpetuam rei memoriam* subest, et littera J., qua incipit epistola, adhuc discerni potest. Epistolam edimus ex textu quem præbet regestum regiæ curiæ J. J. XXIX, in Bibliotheca Parisiensi *Ms. Lat.* 10919 servatum, et quem edidit cl. vir, Boutaric in Notices et Extraits XXII, 147 n° 17.

1. *Ms.* : regnum.
2. *Ms.* : vinculorum.
3. *Ms.* : se.
4. *Ms.* : totaliter.
5. Hæ duæ litteræ adhuc discerni possunt.
6. Hæ duæ litteræ adhuc discerni possunt.

5354 (XXVI) Latran, 1er mai 1303.

Restituitur cancellarius regis Romanorum ad beneficia ecclesiastica quibus privatus fuerat. (fol. 380 v°.)

Johanni, preposito ecclesie Thuricensis, aule regie carissimi in Christo filii nostri Alberti regis Romanorum illustris cancellario. Suscipit interdum serene —. Dat. Laterani, kal. maii, anno nono.

POTTHAST, 25239.

5355-7 (XXVII) Anagni, 19 mai 1303.

Dispensatur super matrimoniis contractis. (fol. 380 v°.)

Dilecto filio nobili viro Henrico, marchioni Brandeburgensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Agneti, nate quondam Ludovici, ducis Bawarie, uxori ejus. Intenta salutis operibus —.

Ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu in matrimonio olim contracto licite remanere possint.

Dat. Anagnie, XIIII kal. junii, anno nono.

POTTHAST, 25240.

I. e. m. *dilecto filio nobili viro Eberardo, comiti de Wirtemberg, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Methildi, nate dilecti filii nobilis viri Alberti comitis de Hohenberg, uxori ejus.*

Conceditur suprascriptis eadem gratia.

Dat. ut supra

POTTHAST, 25241.

I. e. m. *dilecto filio nobili viro Rudolfo, comiti de Habsburg, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Elizabeth, comitisse de Raperheswiler, uxori ejus.*

Conceditur suprascriptis eadem gratia.

Dat. ut supra.

POTTHAST, 25242.

5358 (XXVIII) Anagni, 3 juin 1303.

De absolutione regis Romanorum. (fol. 381.)

Dilectis filiis . . in Wettingen, et . . Vallis Uterine monasteriorum abbatibus, Cisterciensis ordinis, Constantiensis et Spirensis diocesium, ac . . suppriori Fratrum Predicatorum Argentinensium. Apostolice Sedis circumspecta —.

Ut Alberto, regi Romanorum, ejusque familiaribus, sequacibus, etc. super omnibus et singulis seditionibus, guerris, damnis, etc., per illos contra prælatos, ecclesias et personas ecclesiasticas illatis et perpetratis, tempore quo idem Albertus impugnaverit claræ memoriæ Adulfum, regem Romanorum, tunc viventem, absolutionis beneficium impendant.

Dat. Anagnie, III non. junii, anno nono.

POTTHAST, 25258.

5359 (XXVIIII) Anagni, 9 mai 1303.

Ut duos canonicatus ecclesiæ Parisiensis, in Romana Curia vacantes, magistris in theologica facultate, de regno Franciæ oriundis, conferant. (fol. 381.)

Dilectis filiis . . cancellario, . . decano et capitulo Parisiensibus. Ecclesiam vestram —. Cum igitur canonicatus et prebenda, quos venerabilis frater noster Theobaldus, episcopus Leodiensis, promotionis sue tempore, in eadem ecclesia vestra, cujus tunc erat canonicus, obtinebat, per promotionem hujusmodi, post consecrationis munus de mandato nostro apud Sedem Apostolicam impense eidem, vacavisse noscatur, ac dilectus filius Guido de Haricuria, electus Lexoviensis, ipsius ecclesie vestre canonicus, canonicatum et prebendam, quos in eadem ecclesia obtinebat, per procuratorem suum — in manibus venerabilis fratris nostri Petri, episcopi Sabinensis, — apud eandem Sedem resignaverit, et nullus, preter nos, eosdem canonicatum et prebendam conferre potuerit —. Nos — discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus duos viros ydoneos, de regno Francie oriundos, in theologica facultate magistros, honestate preclaros et aliis virtutibus insignitos, in quibus nos et vos ac dicta ecclesia merito delectemur, circumspectione provida perquirentes, super quibus omnibus vestras intendimus conscientias onerare, ipsis canonicatus et prebendas predictos — auctoritate nostra conferre ac assignare curetis —. Super hiis autem venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Parisiensem, propter debilitatem persone sue, non duximus oneran-

dum. Ceterum, quia scire intendimus qualiter vos gesseritis in premissis, significetis nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeritis faciendum. Dat. Anagnie, vii id. maii, anno nono.

5360 (xxx) Anagni, 14 mai 1303.

Ut capellam sive sacristiam Beatæ Mariæ et Angelorum de Eboraco, a Francisco Gaytani dimissam, conferre valeat. (fol. 381 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Eboracensi. Sincere devotionis —.

Cum thesauraria prædictæ ecclesiæ per consecrationem Theobaldi, cpiscopi Leodiensis, apud Sedem Apostolicam vacantem, Francisco, nato nobilis viri Petri Gaytani, comitis Casertani, nepoti domini papæ, collata fuerit, ea lege ut capellam vive sacristiam Beatæ Mariæ et Angelorum de Eboraco, sine cura, quam obtinebat, omnino dimitteret, indulgetur suprascripto ut eandem capellam sive sacristiam personæ idoneæ conferre valeat.

Dat. Anagnie, ii id. maii, anno nono.

5361 (xxxi) Anagni, 13 mai 1303.

Dispensatur super pluralitate cum Francisco Gaytani. (fol. 381 v°.)

Francisco, nato dilecti filii nobilis viri Petri Gaytani, nepotis nostri, comitis Casertani et domini Militiarum Urbis, thesaurario ecclesie Turonensis. Exhibita nobis —.

Dispensatur cum suprascripto, qui, patiens in ordinibus et ætate defectum et thesaurariam ecclesiæ Turonensis ex dispensatione Apostolica obtinens, parrochialem ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bassiano, Terracinensis diocesis, assecutus fuit, ut eandem ecclesiam et prædictam thesaurariam retinere valeat, et una cum eis canonicatus et præbendas, quos in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, ac in predicta Turonensi nec non Parisiensi, Eboracensi, Saresbiriensi et Anagnina, ac capellam, quam in Beatæ Mariæ et Angelorum de Eboraco ecclesiis obtinet, et ecclesiam de Carpeneto sine cura.

Dat. Anagnie, iii id. maii, anno nono.

5362 (xxxii) Anagni, 21 mai 1303.

Deducitur a censu et militum servitio, Carolo, regi Siciliæ, incumbentibus, pars quam Fridericus, rex Trinacriæ, præstare debet. (fol. 382).

Carissimo in Christo filio Carolo, Sicilie regi illustri. Nosti, fili, certa notitia —. Sane informi tractatu pacis inito et pro eorum posse firmato inter dilectos filios nobiles viros Carolum, Alanzoni et Valesii comitem, Robertum primogenitum tuum, ducem Calabrie, ex una parte, et Fridericum, natum quondam Petri, olim Aragonum regis, ex altera, specialiter autem de insula Sicilie, cum juribus et pertinentiis suis, quam a Romana Ecclesia habes in feudum, in vita dicti Frederici tenenda, sub certis conventionibus et conditionibus, quas ipsius tractatus tenor exprimit et declarat, tandem pro parte Frederici prefati fuit a nobis cum devota supplicatione petitum, ut tractatum ipsum confirmare benignius de potestate Sedis Apostolice dignaremur. Verum, cum a confirmatione pretacta ejusdem tractatus informitas et inconvenientia pariter ipsius Ecclesie tuaque lesio nos rationabiliter revocarent, tractatum ipsum, sicut jacebat informis, suadente provida cautela consilii, tunc renuimus confirmare. Fructus autem pacis, more Summi Regis Pacifici, Cujus vices, licet immeriti, portamus in terris, spargere cupientes ubique, et Fridericum ipsum sicut dragmam deperditam ac errantem ovem ad gregem Dominicum revocare, more consulti patrisfamilias, certas vias medias modosque quesivimus, per quos cum benigna dulcedine periculoso dicti Friderici statui possemus oportune consulere, et eum ad dicte pacis reformationem congruam coaptare. Sicque, missis ad ipsum propterea specialibus nunciis nostris litterisque paternis, Fridericus idem, exhortationes nostras et inductiones eorundem nunciorum audiens, et illis devotius acquiescens, solennes alios nuncios suos, plena et debita auctoritate suffultos super facienda reformatione prefata, ad nostram presentiam destinavit. Et factum est, post aliquas discussiones et varias, divina gratia dirigente negotium, —, quod, licet in ipso tractatu pacis contineretur — ut Fridericus idem totam ipsam Sicilie insulam, cum omnibus insulis sibi adjacentibus, ac omnibus juribus, jurisdictionibus, honoribus et pertinentiis suis, in tota vita sua haberet, teneret et possideret, in capite liberam et absolutam, ita quod exinde ad servitium aliquod reale seu personale alicui nullatenus teneretur, quod procul dubio in grave nostrum et ejusdem Ecclesie, tuumque similiter prejudicium redundare valebat in posterum, ac nunc redundabat instanter in diminutionem et subtractionem reverentie et

subjectionis pariter pro ipsis insulis debite, nobis et eidem Ecclesie, majoris dominii ratione, —, promiserunt nobis et ipsi Ecclesie jam dicti nuncii, pro parte Friderici prefati, solenniter et expresse, quod Fridericus ipse prefatam Sicilie insulam —, tanquam vassallus et censuarius ejusdem Ecclesie, in vita sua tenebit a nobis et sub nobis ac eadem Ecclesia, et ex nunc, ejus nomine, promiserunt iidem nuncii, bona fide tenere sub annuo censu trium milium unciarum auri ad generale pondus regni Sicilie, in festo beati Petri, ubicunque nos vel successor noster fuerimus, nobis et ipsi Romane Ecclesie per eundem Fridericum, dum vixerit, annis singulis solvendarum, ac sub servitio centum militum, equis et armis munitorum decenter et bene, quandocunque nos aut idem successor, qui pro tempore fuerit, in vita Friderici predicti, qua tantum dictam insulam tenere debebit, asseruerint Romanam Ecclesiam indigere. Quibus peractis et aliis sub pretacta reformatione conclusis, venerabilis fratris nostri P[etri], Noviomensis episcopi, cancellarii, et nobilis viri Bartholomei de Capua, militis, logothete et prothonotarii regis Sicilie, nuntiorum tuorum, suffultorum ad hec debita potestate, accedente consensu, nostra prius in hiis licentia eis data, ac electione seu arbitratione facta per ipsos, concessis tibi per formam tractatus ejusdem, quod Fridericus ipse, in vita sua debeat rex Trinacrie titulari, prefatum tractatum pacis — cum certis cautelis et modis, de fratrum nostrorum consilio, duximus confirmandum. Ut autem premisse reformationis accomodum, quod ex operoso ministerio nostre provisionis advenit, tua onera sublevet, —, volumus et tibi presentium tenore concedimus, de fratrum nostrorum consilio et assensu, quod prefata tria milia unciarum, solvendarum per Fridericum jamdictum, sicut premittitur, pro ipso censu nobis et Ecclesie memorate debito, ad que nobis et Ecclesie prelibate teneris, per modum cujusdam compensationis humane, ipsius Friderici vita durante, annis singulis deducantur. Pro servitio autem dictorum centum militum, per Fridericum ipsum nobis, ut predicitur, et Ecclesie prelibate prestando, cum per nos aut ipsam Ecclesiam tibi tuisque posteris servitium trecentorum militum injungetur, ad quod nobis et Ecclesie prefate teneris, juxta conventiones habitas inter ipsam Ecclesiam et clare memorie C[arolum], regem Sicilie, patrem tuum, nos et prefatam Ecclesie de jam dicto servitio trecentorum militum, illam exonerationem — curabimus facere, de qua rationabiliter contemptari poteris et in illis benignitatem providam alme Matris Ecclesie aperte cognoscere, declarantes et decernentes expressius, de ipsorum fratrum consilio et assensu, quod per tractatum ipsum, reformationem pretactam, et per hujusmodi confirmationem nostram, ac prefatum assensum tuum per dictos nuncios tuos factum, conventionibus initis inter Romanam Ecclesiam et eunden Carolum, patrem tuum, quibus regnum ipsum Sicilie et terra alia citra Farum prohibetur dividi, nullum prejudicium, mutilatio vel diminutio afferatur, quin, prefato Friderico defuncto, jam dicta insula Sicilie, cum insulis ei adjacentibus aliisque predictis juribus et pertinentiis suis, ad unitatem, integritatem et soliditatem alterius partis dicte terre, citra Farum posite, sicut erat concessionis tempore, facte per memoratam Ecclesiam prefato quondam genitori tuo de regno et terra predictis, et tempore mote guerre in insula prelibata Sicilie, ipso jure et sine aliquo facto hominis, juxta dicti tractatus pacis seriem revertatur, sic quod liceat tunc tibi tuisque legitimis posteris, dictam insulam Sicilie cum insulis adjacentibus aliisque predictis juribus et pertinentiis ejus ad integritatem et soliditatem predicte terre alterius citra Farum, et prescriptam unitatem totius regni Sicilie, auctoritate propria et sine jussu alicujus presidentis seu judicis, revocare, prefatis conventionibus inter ipsam Ecclesiam et memoratum patrem tuum initis, et per te pluries acceptatis, in nullo passuris diminutionis dispendia, sed in sua perpetuo remanentibus firmitate. Si[mi]li decreto et declaratione subjungimus, quod, nec per divisionem ipsam prefate insule Sicilie a terra citra Farum posita, que per memoratam tenutam, qua Fridericus predictus de ipsa insula Sicilie habiturus est in sua vita, contingit, nec per eandem confirmationem nostram, et reformationem pretactam, tuumque consensum, vel distributionem et receptionem dictorum census et servitii militaris, nec per nominationem dicti Friderici, factam et faciendam de titulo regis Trinacrie, jus sibi aliquod acquiratur ultra vel preter tenutam ipsam, quam habiturus est in vita sua, juxta formam prelibati tractatus, de insula Sicilie memorata. Specialiter autem exprimimus, quod per nominationem ipsam regis Trinacrie honori regalis tituli de toto regno Sicilie ultra Farum et citra, qui apud te remanet et quem integre remanere volumus, nullum in aliquo, etiam quantum ad vulgi labia, prejudicium afferatur, nec ex predictis vel predictorum aliquo tibi tuisque posteris, ultra tempus prefate tenute, in proprietate, possessione ac jure ipsius insule Sicilie et pertinentiarum ejus, ad quanticunque temporis spatium se dicti Friderici vita protenderet, dispendium seu prejudicium aliquod quomodolibet generetur, cum possessionem prefate insule Sicilie et pertinentiarum ipsius, quam ex premissis recognitione, prestatione homagii, et juramento fidelitatis, factis jam nobis et

eidem Ecclesie pro parte Friderici predicti, per nuncios sepedictos, et solutione census ac prestatione militaris servitii faciendis in antea, prefati Friderici vita durante, nos et Romana Ecclesia retinemus, tibi et tuis heredibus, tanquam directo et veris feudatariis nostris et ejusdem Ecclesie, specialiter velimus afferre presidium et perinde censeri, ac si tibi et eis prestarentur omnia supradicta, ut eadem nostra possessio prosit tibi tuisque heredibus, et nulla per aliquos contra te vel eos ex prefata tenuta vel ex preterito transcursu temporis, quo apud Fridericum ipsum fuit ejusdem insule vitiosa possessio, allegari possit prescriptio vel opponi. Nulli ergo etc. nostre voluntatis, concessionis, declarationis et constitutionis etc. Dat. Anagnie, xii kal. junii, anno nono.

5363 (xxxii) Anagni, 31 mai 1303.

De negotio regni Hungariæ. (fol. 382 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Spectator omnium —.

Nuper Wenceslaus, rex Bohemiæ, per nuncium et litteras petiit, ut Wenceslao, filio suo, « quem in regem Ungarie concorditer et canonice proponebat electum », dominus papa faveret. Sed, cum Maria, regina Siciliæ, in eodem regno tanquam hæres proximior habere se jus assereret, et « Carolus, nepos ejus, regnum ipsum, in parte non modica, ex persona jam dicte sue paterne avie » possideret, memorati rex Bohemiæ, ipsius filius et sæpedictus Carolus eorumque sequaces, per « Nicolaum, Ostiensem episcopum, tunc prefati regni Ungarie legatum, » citati fuerunt, ut coram domino papa comparerent, super his complementum juris recepturi. « Eodem vero legato predictos — citante legitime — ac adveniente peremptorio termino in ipsa citatione statuto », præfata regina Siciliæ et jam dictus Carolus per procuratores idoneos comparuerunt, « S[tephano] archiepiscopo Colocensi, M[ichaele] Zagabriensi, T[heodoro] Jauriensi et B[enedicto] Vespriensi episcopis ac — nonnullis archidiaconis et prepositis de ipso regno Ungarie, ex citationis prefate vigore comparentibus similiter cum eisdem; jam dicti vero Boemie rex et natus non comparuerunt per se vel per alium — sed sub cujusdam palliationis astutiam excusatores miserunt ad nostram presentiam — Untior, doctorem decretorum, Joannem, cantorem ecclesie de Veteri Buda, clericos, ac Joannem Romanum, jurisperitum, laicum, excusantes eosdem quod procuratores — non miserant —. Et in pluribus consistoriis — ab ipsis seriose petito si alias causas rationabilis excusationis haberent — dixerunt improbe, quod prefatus rex Boemie nullo unquam intendebat de ipso regno Ungarie litigare —. Quia predicta regina Sicilie, sicut primogeniture jus obtinens clare memorie Stephani, regis Ungarie, patris sui, in eodem regno propinquior est successor et heres quondam Ladislao, regi Ungarie, fratri suo, quia etiam quondam Carolus ipsius regine primogenitus, dicti Caroli genitor, habitus est pro Ungarie rege dum vixit, nec ex parte dictorum Boemie regis et filii de jure competente ipsis in Uugarie regno predicto allegatum est, nisi sola electio, que de ipso filio regis facta proponitur, que, procul dubio, diversis ex causis, prout rationum prima facies indicat, minus legitima, immo prorsus inutilis esse videtur, eo maxime quod, sicut scripti canonis series indicat, regnum ipsum Ungarie successionis jure provenit et electionis arbitrio non defertur », declarantur in aperta contumacia rex Bohemiæ et filius ejus et decernitur quod prædicta Maria in toto ipso regno Ungariæ regina et dictus Carolus rex nuncupentur, quodque omnes dictis reginæ Ungariæ et regi nepoti, tanquam ejusdem regni Ungariæ reginæ et regi, parere procurent. Ceterum regi Bohemiæ filioque præfatis peremptorius terminus quatuor mensium præfixitur, infra cujus temporis spatium, ipsi, si qua jura de proprietate dicti regni habere se credunt, domino papæ reverenter ostendant, super possessorio eisdem, propter eorum contumaciam, perpetuo silentio imposito.

Dat. Anagnie, ii kal. junii, anno nono.

Potthast, 25252.

5364 (xxxiii) Anagni, 11 juin 1303.

Super eodem. (fol. 384.)

Venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Colocensi ac . . Zagrabiensi episcopo. Super regno Ungarie —.

Suprascriptis sententiam suam in facto regni Hungariæ facit notam dominus papa jubetque ut eam in terris Bohemiæ vicinioribus solemniter publicari faciant.

Dat. Anagnie, iii id. junii, anno nono.

Potthast, 25263.

5365 (xxxv) Même date.

Ut Carolo, regi Ungariæ, faveat et regi Bohemiæ aut Wenceslao, filio ejus, circa occupationem prædicti regni nullum præstet auxilium. (fol. 384.)

Carissimo in Christo filio Alberto, regi Romanorum illustri. Officii nostri debitum —.

Suprascriptum hortatur, ut, circa defensionem, recuperationem, manutentionem et conservationem regni Ungariæ, Carolo, regi Hungariæ, efficaciter faveat et præsidiis opportunis assis-

tat, ac Wenceslao, regi Bohemiæ, aut Wenceslao, filio ejus, circa occupationem et usurpationem prædicti regni, nullum præstet auxilium vel favorem.

Dat ut supra.

In e. m. *dilecto filio nobili viro Rudolpho, carissimi in Christo filii nostri Alberti regis Romanorum illustris primogenito, duci Austrie.*

Potthast, 25262.

5366 (xxxvi) Même date.

Ut Mariæ, reginæ, et Carolo, regi Hungariæ obediant. (fol. 384.)

Bonifatius etc.. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus — plebanis et aliis prelatis — capitulis, collegiis ecclesiarum et conventibus monasteriorum Cisterciensis — et aliorum ordinum necnon hospitalium Sancti Johannis, — preceptoribus seu magistris. Levamus in circuitu —. Dat. ut supra.

Potthast, 25264.

5367 (xxxvii) Anagni, 3 juin 1303.

De prospero statu regno Hungariæ restituendo. (fol. 384 v°.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Ungarie illustri. Propagato caritatis ordine —.

Suprascripto scribit dominus papa se ejus jus nuper declarasse eumque hortatur, ut circa providam suæ personæ custodiam, gubernationem et regimen statumque prosperum regni dicti collapsi se gerat laudabiliter, « ut, ab annis teneris assumpto principio virtuoso, virtus Altissimi semper ad meliora te provehat. »

Dat. Anagnie, iii non. junii, anno nono.

Potthast, 25256.

5368 (xxxviii) Même date.

Eadem de re. (fol. 384 v°.)

Carissime in Christo filie Marie, Sicilie ac Ungarie regine illustri. Ex paterne caritate —.

Suprascriptæ scribit dominus papa, se in negotio regni Ungariæ, ei et Carolo nepoti ejus, Ungariæ regi, illati, super declaratione « tui juris in ipso et nepotis ejusdem nuper, diffiniendo ac decernendo », processisse. Hortatur eam, ut circa diligentem curam et providam custodiam præfati nepotis ac gubernationem ipsius et statum prosperum dicti regni collapsi operosam habeat solertiam.

Dat. ut supra.

Potthast, 25257.

5369 (xxxviiii) Anagni, 15 juin 1303.

Prorogatur solutio census pro insula Siciliæ debiti. (fol. 385.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Olim per tuos nuntios nobis devotius supplicasti, ut, cum nonaginta tria milia unciarum, trecentas et quadraginta uncias auri, ad generale pondus regni Sicilie, per te nobis et Ecclesie Romane debita pro censu regni ejusdem, de preterito tempore usque per totum festum beati Petri proximo preteritum, quod fuit in anno Domini M.CCC.II°, solvere non valeres — dilationem solutionis — usque ad festum beati Petri proximo venturum, quod erit in presenti anno domini M.CCC.III°, benigne tibi concedere dignaremur nosque — tibi gratiose concessimus, de fratrum nostrorum consilio et assensu. Sed, quia per occupationes alias et implicationes multiplices de prorogatione hujusmodi nostre bullate littere non apparent, volumus et concedimus, de ipsorum fratrum consilio et assensu, ut, non obstante quod de prorogatione ipsa prefate littere bullate non exstant, perinde prorogatio memorata sit valida et robur obtineat firmitatis, ac si super ea patentes et expresse nostre speciales bullate littere apparerent, presentibus in ipsius testimonium valituris —. Adicimus autem, quod, per hujusmodi petitionem tuam et concessionem nostram dilationis ejusdem et alia supradicta, conventiones prefate et conditiones habite inter memoratam Ecclesiam et eundem regem Sicilie, patrem tuum, ac te nullam prorsus varietatem sentiant —. Volumus quoque quod, si — alia suprascripta, tibi concessa per nos, rata habueris, super hoc patentes litteras tuas, harum seriem continentes, aurea bulla munitas, nobis, ad ipsius Ecclesie Romane cautelam, infra trimestre spatium, a die date presentium computandum, exhibere procures. Alioquin dilatio et alia predicta, per nos tibi concessa, nullius penitus sint roboris vel momenti. Declaramus preterea, tenore presentium, quod octo milia unciarum auri pro censu anni M.CCC.I in summa earumdem nonaginta trium milium trecentarum quadra-

ginta minime includuntur. Dat. Anagnie, XVII kal. julii, anno nono.

5370 (XL) Anagni, 29 juin 1303.

Prorogatur dilatio solutionis census pro regno Siciliæ debiti. (fol. 385.)

Eidem. Per tuos nuntios —.

Dilatio solutionis nonaginta trium millium unciarum, trecentarum et quadraginta, debitarum Ecclesiæ Romanæ ratione census, jam concessa usque ad instans festum beati Petri prorogatur usque ad idem festum secundo venturum quod erit in anno Domini M.CCC.IIII°.

Dat. Anagnie, III kal. julii, anno nono.

5371 (XLI) Anagnie, 12 juin 1303.

Confertur capitulo ecclesiæ Sanctæ Mariæ Novæ licentia donandi Francisco, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, molendinum in Monte Albino positum. (fol. 385 v°.)

. . priori et capitulo ecclesie Sancte Marie Nove de Urbe, ordinis sancti Augustini. Pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum vos dilecto filio nostro Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, propter grata et accepta servitia — gratificari plurimum affectantes, intendatis sibi molendinum, res et bona vestra et ecclesie predicte infrascripta donare, faciendi sibi donationem eamdem liberam vobis licentiam concedere dignaremur. Nos itaque donandi libere ipsi cardinali — bona hujusmodi videlicet : molendinum vestrum et ipsius ecclesie positum in Monte Albino, territorii Urbis, in cursu Aque Marmorie, cum omnibus vineis, ortis et bonis vestris et ecclesie prelibate, sitis juxta seu prope ipsum molendinum in dicto Monte Albino inter infrascriptos confines : ab uno scilicet latere est via publica, qua itur ad castrum Capitis Bovis, et molendinum Sancti Sebastiani ad Catacumbas, contiguum ipsi vie ac situm in cursu Aque predicte, ab alio latere, via est publica, qua itur ad Fontanam Virginem, et ab alio latere, sunt molendinum et vinea ecclesie Sancti Johannis Lateranensis seu Sancti Johannis ad Portam Latinam, et, ab alio latere predictarum vinearum ecclesie Sancte Marie Nove, cursus Aque predicte et tenimentum predicti monasterii Sancti Sebastiani — plenam et liberam vobis licentiam, auctoritate presentium, impertimur. Dat. Anagnie, II id. junii, anno nono.

5372 (XLII) Anagni, 20 juin 1303.

De monasterio Sancti Johannis Parmensis reformando. (fol. 385 v°.)

Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi, Sancte Romane Ecclesie vicecancellario. Ex debito —.

Suprascripto conceditur facultas amovendi a monasterio Sancti Johannis Parmensis, ordinis sancti Benedicti, illos monachos, quos et quot reformationis causa viderit amovendos, eosque ad alia monasteria transferendi.

Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno nono.

POTTHAST, 25266.

5373 (XLIII) Anagni, 12 mai 1303.

Constituitur ecclesia parrochialis in castro apud locum, qui dicitur Capudbovis, constructo. (fol. 385 v°.)

Dilecto filio F[rancisco], Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali. Desideriis tuis —. Cum itaque nuper in loco, qui dicitur Capudbovis, sito prope Urbem in diocesi Albanensi, propriis sumptibus quoddam castrum construxeris et in eo quandam ecclesiam in honorem Dei omnipotentis et beati Nicolai, sub ipsius sancti vocabulo, fundaveris, et affectes in illa rectorem et clericos, per quos divinis insistatur laudibus, collocari. Nos, tuis supplicationibus inclinati, eandem ecclesiam, auctoritate Apostolica, parrochialem constituimus, tibi in dicto castro ejusque finibus jura parrochialia concedendo —. Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno nono.

5374 (XLIIII) Anagni, 4 juillet 1303.

Commendatur Bononiensibus magister Guidottus de Mediolano, cui mandatum est eos a favore rebellibus Ecclesiæ in partibus Romaniolæ impenso et ab hostili processu adversus castrum Brittenorii revocare. (fol. 386.)

Dilectis filiis . . potestati, . . capitaneo, consilio et communi Bononiensibus. Turbata sunt viscera Matris Ecclesie de ingratitudine filiorum et pluribus repleta doloribus, dum spei sue in illis se conspicit effectu frustratam. Nec mirum si turbetur et doleat, cum sic alienantur ab ea qui se indignos efficiunt ut ejus filii nuncupentur. Profecto non secundum motum animi turbationis stimulo concitati sed juxta mansuetudinis materne dulcedinem, que provocata durius, benignius miseretur, eo

modo mentem nostram vobis aperire decrevimus, ut, in nostrorum suavitate verborum ad illam cognitionem devota vos penitudo reducat, quod sub examine recti judicii cognoscatis, si ex vestris actibus digne nobis causa turbationis emergit. Noscere namque potestis quod prefata Mater Ecclesia civitatem vestram, in ejus gremio constitutam, intime dilectionis prosecuta est hactenus puritate, et quod vos infra suos amplexus habuit, veluti filios speciales, a suis uberibus dependentes. Nec ab hiis dissonant testimonia veritatis, que patent clarius per evidentiam gratiarum, quas ab ipsa Ecclesia, non ut improperando loquamur, diversis predecessorum nostrorum temporibus accepistis. Fatemur autem et veritas attestatur, quod civitas eadem exhibuit se olim ipsi Ecclesie in specialitate devotam et gratitudinis ei obsequia prestitit, opponens se murum fortitudinis pro domo Domini, impugnando ipsius hostes et infideles Ecclesie et confovendo devotos, presertim tempore quondam Frederici, olim Romanorum Imperatoris, et posterorum suorum : sicque maternus affectus et filialis devotio in gratitudine mutua concurrebant. Et, ut de persona nostra non taceamus omnino, a memoria nostra non excidit, quod, a nostre fere primordio juventutis, ad civitatem prefatam, in qua per non modici temporis spatium studiorum nos dogma provexit, et a nonnullis civibus civitatis ejusdem recepimus affabilitatis et liberalitatis honores, specialis dilectionis nos allexit affectus, et, quanto post divine influentia pietatis successive in nobis statum adauxit, tanto plenius erga civitatem eandem in sinceritate concrevimus, ipsamque gessimus in visceribus caritatis et non nunquam pro ejus statu collapso reformando salubriter et prospere dirigendo indesinentibus studiis exposuimus utiliter vigilias et labores, alias illam gratiis et favoribus attollendo, sicut rei veritas et facti evidentia manifestant. Vos autem a devotione solita, — sicut nuper non sine gravi mentis amaricatione percepimus, declinantes et convertentes in ignominiam actus vestros, succensum in illis et circumvicinis partibus ignem immittere potius et pravis augere sufflatibus quam extinguere curavistis, exibendo Pistoriensibus, Faventinis, Forojuliensibus, Imolensibus, Cesanatibus et Cerviensibus, et nonnullis aliis de Romaniole partibus, qui, a devotione ipsius Ecclesie recedentes, sunt ei rebelles et hostes effecti, ac ipsius devotos persequi moliuntur, auxilium, consilium et favorem, et cum nonnullis ex eis contra ipsam Ecclesiam ejusque devotos confederationes et colligationes illicitas faciendo. Et, ut vos gravius opera mala commaculent et ostendant in arcum mutatos fore perversum, contra castrum Brittenorii, prelibate devotum Ecclesie, vos hostiliter comminamini processuros, nisi vestris voluntatibus pareant ac se vestre ditioni submittant. Porro non sunt hec in vobis solite devotionis inditia, non dilectionis opera filialis, non exhibitio gratitudinis, sed resultat ex hiis ingratitudinis dampnabile vitium, res ingrata superis et terrenis infesta, res qua lex humane nature confunditur, dum sic filius in matrem sevit immaniter, filiali devotione quasi totaliter relegata. Verumtamen, etsi sit fragilitatis humane peccare, perseverare tamen est potius diabolicum quam humanum. Licet itaque ex premissis provocaveritis nos et provocetis ad iram, vos tamen oblivisci, tamquam filios nostri uteri, non valentes, et in ira misericordie memores existentes, ac experiri volentes si in vobis aliqua devotionis scintilla remanserit, universitatem vestram monemus, rogamur et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus, mentes vestras ad recognitionem debitam reducentes, ab hujusmodi pravis, infestis et similibus operibus penitus desistatis et abstineatis ab illis, per que Deo, nobis et ipsi Matri Ecclesie possitis graviter displicere, ac dissolvatis colligationes iniquitatis et vincula peccatorum, sic vos divinis ac nostris et ipsius Ecclesie beneplacitis coaptando, quod gratiam benedictionis filiis repromissam consequi, dante Domino, valeatis, et prefata vestra civitas non ingratitudinis sed devotionis filia censeatur, nec contingat ipsam de statu altitudinis, ad quem ipsi Deus et Ecclesia provexerunt eandem, ad minorationis reduci dispendia sed ad majora prosperitatis comoda sublimari. Ceterum, ut clarius, utilius et efficacius nostra vobis intentio patefiat, ecce dilectum filium magistrum Guidottum de Mediolano, capellanum nostrum et causarum nostri palatii auditorem, archidiaconum Pergamensem, virum utique providum et discretum, de cujus industria et circumspectione confidimus, ad vos duximus specialiter destinandum, quem curetis benigne recipere et, que super predictis ex parte nostra vobis suaserit viva voce, cum efficacia exequi studeatis, ita quod possitis merito apud Deum et homines commendari, nosque in vestris et ejusdem civitatis successibus prosperis fortius delectemur. Dat. Anagnie, IV non. julii, anno nono.

5375 (XLV) Anagni, 30 juin 1303.

Reservatur provisio ecclesiæ Theatinæ. (fol. 386.)

Ad perpetuam rei memoriam. Cum ecclesia Theatina per mortem quondam Mathie, electi Theatini, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, pastore vacet ad presens —.

Reservatur provisio dictæ ecclesiæ.

Dat. Anagnie, II kal. julii, anno nono.

5376 (XLVI) Anagni, 29 juin 1303.

De solutione census in præsenti festo Apostolorum Petri et Pauli pro regno Siciliæ debiti. (fol. 386.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Nuper nobis, nomine nostro et Ecclesie Romane, per dilectos filios magistros Rogerium de Salerno, archidiaconum de Bautesio in ecclesia Constantiensi, capellanum nostrum, et Guillelmum de Planca, juris civilis professorem, thesaurarium, familiares, consiliarios et nuntios tuos, triginta duo milia carlenorum auri, pro octo milibus unciarum auri, ad pondus regni Sicilie, census, per te nobis et ipsi Ecclesie singulis annis debiti pro ipso regno Sicilie et tota terra, que est ultra Farum et citra, usque ad confinia terre memorate, ad que octo milia unciarum tenebaris Ecclesie supradicte pro uno termino, incepto in festo Apostolorum Petri et Pauli proximo preterito et terminato in presenti festo ipsorum Apostolorum, quod est hodie, data presentium, sub presenti anno M.CCC.III° persolvisti, nosque — modo recepimus infrascripto, videlicet : cum pro parte tua per nuntios asseratur eosdem predicta triginta duo milia carlenorum bene valere predicta octo milia unciarum auri ad pondus regni predicti, nobis et ministris camere nostre dicentibus hujusmodi triginta duo milia carlenorum non ascendere ad valorem predictorum octo milium unciarum.

Dilatio conceditur usque ad kalendas mensis septembris proximo futuras ad solvendum tantum quantum minus valent prædicta triginta duo milia carlenorum, quam dicta octo milia unciarum, infra quarum kalendarum spatium legitime poterit ostendere dictus rex ad quot unciarum auri valorem ascendant prædicta triginta duo millia carlenorum. Si per dictorum carlenorum solutionem appareat liberatus a censu prædicto, nihil amplius ab eo petetur; alioquin quantitatem, ad quam non apparebit ascendere valor dictorum carlenorum, infra eas kalendas solvere tenebitur.

Dat. Anagnie, III kal. julii, anno nono.

5377 (XLVII) Anagni, 6 juillet 1303.

Instituitur Johannes, episcopus Auximanus, vicarius in spiritualibus in Urbe. (fol. 386 v°)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Auximano. Ecclesiarum omnium —. Dat. Anagnie, II non. julii, anno nono.

5378 (XLVIII) Anagni, 8 juillet 1303.

Indultum de modo officium inquisitionis hæreticæ pravitatis adversus rectores Romanæ fraternitatis et clerum Urbis ac eorum consanguineos exercendi. (fol. 386 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Auximano, nostro in Urbe vicario [1]. Dilectos filios rectores Romane fraternitatis et clerum Urbis speciali benivolentia prosequentes, ipsos libenter attollimus prerogativis et gratiis et in benedictionibus dulcedinis prevenimus. Quapropter volumus et inquisitoribus heretice pravitatis, auctoritate Apostolica in Romana provincia institutis vel instituendis in posterum, districte precipiendo mandamus, quatinus contra predictos rectores et clerum, cujuscumque fuerint dignitatis, ordinis, conditionis aut status, vel eorum aliquem, pravitatis ejusdem inquisitionis officium, ipsis auctoritate predicta commissum, nullatenus exercere presumant. Et, si secus fecerunt, illud decernimus irritum et inane ac nullius existere firmitatis. Hujus autem officium inquisitionis predicte per te, in ipsa Urbe nostra vicarium et tuos in vicaria [2] hujusmodi successores, eadem auctoritate, si opus fuerit, et, quod absit, casus acciderit, contra ipsos et clerum vel eorum aliquem volumus exerceri fideliter et ferventer, et illum modum in procedendo servari, quem inquisitores hujusmodi solent, possunt et debent per jura communia vel per speciales concessiones et ordinationes Sedis Apostolice observare, proviso quod ad diffinitivam sententiam super crimine, confiscatione et publicatione bonorum vel statu persone cujusvis ex rectoribus vel clero predictis, contra quem erit diffinitiva sententia proferenda, absque Apostolice Sedis speciali licentia, non procedas, et, si secus feceris, illud decernimus irritum et inane. Ceterum, ut gratia, facta rectoribus et clero predictis, aliqualiter etiam extendatur ad personas, ipsis vel eorum alicui usque ad tertium consanguinitatis gradum conjunctas, volumus atque concedimus, ut, per te ac successores tuos in vicaria predicta et per inquisitores predictos seu ipsorum alterum et successores eorum in hujusmodi inquisitionis officio, contra tales personas etiam de eodem facto inquiri valeat communiter vel divisim, et, si divisim processum fuerit, invicem teneamini vestros communicare

1. *Ms* : vicarium.
2. *Ms* : vicariam.

processus, ut per hoc possit melius veritas inveniri. Ad sententiam autem diffinitivam super crimine, confiscatione vel publicatione bonorum vel statu persone, contra quam erit diffinitiva sententia proferenda, per te, sine inquisitoribus ipsis vel eorum altero, et per eos, sine te, nullatenus procedatur, et, si secus actum fuerit, illud decernimus irritum et inane. In cujus prolatione sententie, si inter te et inquisitores eosdem vel ipsorum alterum non fuerit forte concordia, per utrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem remittatur eandem. Dat. Anagnie, VIII id. julii, anno nono.

5379 (XLVIIII) Anagni, 7 juillet 1303.

Excluduntur a prædicto indulto Columpnenses et eorum fautores et receptatores. (fol. 387.)

Dilectis filiis .. inquisitoribus heretice pravitatis, auctoritate Apostolica in Romana provincia institutis et instituendis in posterum. Ex rationabilibus causis moti volumus et districte vobis precipiendo mandamus, quatinus contra dilectos filios rectores Romane fraternitatis et clerum Urbis, cujusvis fuerint dignitatis, ordinis, conditionis aut status, inquisitionis officium pravitatis heretice exercere nullatenus presumatis, et, si secus feceritis, illud decernimus irritum et inane ac nullius existere firmitatis. Hujus autem inquisitionis officium contra ipsos rectores et clerum vel ipsorum aliquem per venerabilem fratrem nostrum Johannem, episcopum Auximanum, nostrum in Urbe vicarium, et ejus in vicaria hujusmodi successores, eadem auctoritate, si opus fuerit, et, quod absit, casus acciderit, exerceri volumus fideliter et ferventer.

Quicquid in proxima superiore constitutum fuit commemorat dominus papa et addit :

Nichilominus autem vos vel alter vestrum, secundum quod vobis est a Sede prefata commissum, procedatis fideliter et ferventer contra Jacobum et Petrum de Columpna, olim Sancte Romane Ecclesie cardinales, Stephanum et Jacobum dictum Sciarra, Johannem et Oddonem, natos quondam Johannis de Columpna, fratris dicti Jacobi et patris Petri prefati, scismaticos et contra fautores, conductores et receptatores eorum et eos qui dederint vel dabunt eis auxilium, consilium vel favorem. Dat. Anagnie, non. julii, anno nono.

5380 (L) Anagni, 6 juin 1303.

Licentia condendi testamentum. (fol. 387.)

Dilecto filio Jacobo, Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali. Quia presentis vite —. Dat. Anagnie, VIII id. junii, anno nono.

5381 (LI) Anagni, 25 juillet 1303.

Reservatur provisio ecclesiæ Aquilegensis. (fol. 387.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ex certis et rationabilibus causis, que ad id animum nostrum movent, provisionem ecclesie Aquilegensis, si forte inpresentiarum vacat vel cum eam quocumque modo vacare contigerit, hac vice dispositioni et ordinationi nostre ac Apostolice Sedis, de Apostolice plenitudine potestatis reservamus, districtius inhibentes ne capitulum ipsius ecclesie seu quicumque alii ad aliquam electionem, postulationem seu provisionem de preficiendo sibi et eidem ecclesie patriarcha vel pastore, ea vice quoquo modo procedant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno nono.

5382 (LII) Latran, 18 novembre 1302.

« Declaratio quod subesse Romano Pontifici est omni humane creature de necessitate salutis [1]. » (fol. 387 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Unam sanctam ecclesiam catholicam, et ipsam Apostolicam, urgente fide credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter credimus, et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, sponso in canticis proclamante, « Una est columba mea perfecta mea, una est matris sue, electa genitricis sue, » que unum corpus misticum representat, cujus corporis capud Christus, Christi vero Deus, in qua unus Dominus, una fides, et unum baptisma. Una nempe fuit, diluvii tempore archa Noe, unam ecclesiam prefigurans, que in uno cubito consumata, unum Noe videlicet gubernatorem habuit,

1. In margine legitur hic titulus, rubro atramento et eadem manu scriptus qua tenor capituli. Notatur ibidem crux nigro atramento scripta. Interpunctionis signa, quæ in regesto reperiuntur, exscripsimus accurate.

et rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur et unicam, dicente Domino in propheta, « Erue a framea, Deus animam meam, et de manu canis unicam meam. » Pro anima enim id est pro se ipso capite, simul oravit, et corpore, quod corpus, unicam scilicet ecclesiam nominavit, propter sponsi fidei sacramentorum, et caritatis ecclesie unitatem. Hec est tunica illa Domini inconsutilis, que scissa non fuit, sed sorte provenit. Igitur ecclesie unius et unice, unum corpus, unum capud, non duo capita quasi monstrum, Christus scilicet, et Christi vicarius, Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro, « Pasce oves meas, » meas inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Greci sive alii, se dicant Petro, ejusque successoribus, non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Johanne, unum ovile, unum et unicum esse pastorem. In hac ejusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, « Ecce gladii duo hic, » in ecclesia scilicet cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis : « Converte gladium tuum in vaginam. » Uterque ergo in potestate Ecclesie spiritualis scilicet gladius, et materialis, sed is quidem pro ecclesia, ille vero ab ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum, et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subici potestati. Nam cum dicat Apostolus, « Non est potestas nisi a Deo, que autem a Deo sunt, ordinata sunt », non ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, et tanquam inferior reduceretur per alium in supprema. Nam secundum beatum Dyonisium, lex divinitatis est, infima per media, in supprema reduci. Non ergo secundum ordinem universi, omnia eque, ac immediate, sed infima per media, inferiora per superiora, ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem, et dignitate, et nobilitate, terrenam quamlibet precellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt : quod etiam ex decimarum datione, et benedictione, et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione, claris oculis intuemur. Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, et judicare, si bona non fuerit. Sic de ecclesia, et ecclesiastica potestate, verificatur vaticinium Jeremie : « Ecce constitui te hodie, super gentes et regna, » et cetera que secuntur. Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali, sed si deviat spiritualis minor, a suo superiori. Si vero supprema a solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo. « Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur. » Est autem hec auctoritas, etsi data sit homini et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina potestas, ore divino Petro data, sibique, suisque successoribus in ipso Christo, quem confessus fuit petra firmata, dicente Domino ipsi Petro, « Quodcumque ligaveris » et cetera. Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinate resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo sicut Maniceus fingat esse principia, quod falsum, et hereticum judicamus. Quia testante Moyse, non in principiis, sed in principio, celum Deus creavit et terram. Porro subesse Romano Pontifici, omni humane creature declaramus, dicimus, et diffinimus omnino esse, de necessitate salutis. Dat. Laterani, xiiii kal. decembris, anno octavo.

Potthart, 25189.

5383 (liii) Anagni, 15 août 1303.

« Littera contra audientiam, processus et appellationem regis Francie [1]. » (fol. 387)

Ad perpetuam rei memoriam [2]. Nuper ad audientiam nostram [3] *vulgatus* [4] *rumor attulit, quod, in festo Nativitatis* [5] *Beati Johannis Baptiste proxime preterito, Philippo, regi Francie, Parisius in presentia multorum in jardino ejusdem regis congregatorum, contra nos diversa crimina denuntiata fuerunt, quodque supplicatum eidem regi extitit, quod ipse hujusmodi denuntiationibus assentiret, et consilium super hoc apponeret dando ad convocandum seu convocari faciendum concilium generale opem et operam efficaces, et quod hujusmodi denuntiationi et requisitioni rex idem et pre-*

1. In margine legitur hic titulus rubro atramento scriptus et eadem manu qua tenor capituli. Ibidem notatur crux nigro atramento scripta.
2. Hoc legitur in regesto rubro atramento scriptum.
3. In margine legitur : « et infra. » Decem sequentes lineæ erasæ sunt jussu papæ Clementis V, ut constat ex protocollo fol. 390 scripto. Notatur in margine ad quartam lineam : « corrigatur secundum notam. » Sententiæ erasæ imprimuntur italicis caracteribus. Epistolam edimus ex regesto, in partibus ibidem servatis, et ex textu fol. 158-161 processus adversus Bonifacium VIII in tabulario Parisiensi. J. 493 servato, quem adhibuit cl. vir Dupuy, collato cum exemplare ejusdem processus, quod asservatur in tabulario Vaticano, Arm. x, 193, p. 319 et ss.
4. *Ms. Vat.* : delatus.
5. *Ms. Vat.* : deest « Nativitatis. »

lati, qui ibidem erant, assenserant, et, ne nos contra ipsos regem et regnum suum, prelatos, comites, barones, nobiles et alios procederemus in aliquo, ad ipsum generale concilium, aut ad papam, nostrum successorem legitimum, vel ad Sanctam Romanam Ecclesiam extitit appellatum in scriptis, et quod multi appellationi hujusmodi adheserunt : inter regem et prelatos et adherentes eosdem certis confederationibus et colligationibus factis, districte mandato per regem eundem, quod nullus nuntios aut[1] *litteras nostras reciperet, vel nobis in aliquo obediret, ac Stephano de Columna, nostro et Romane Ecclesie hoste, in regno suo, non sine incursu gravium sententiarum, recepto. Sane, qua ad hec sinceritate mentis conventicula hujusmodi, qua*[2] *charitate, quo zelo processerit, qua temeritate id auserit, qui veritatem considerant evidenter intelligant et qui sapiunt manifeste cognoscant. Intueantur blasphemias, quesumus, maledictorum tempus inspiciant, videant regii mandati justitiam, non negligant, optamus, colligationem et confederationem, ipsius receptationem Stephani prudenter avertant, et nutantem Ecclesie Summorumque Pontificum statum, nisi tam fatua tamque superba, eodem, quo processerunt, comprimantur impetu, et occidant intus orta, attendant nihilominus diligenter. Nos siquidem, os suum ponentes in celum et lingua eorum transeunte super terram, heresis mendaciis mendaciter blasphemarunt, blasphemiis aliisque confictis, quantum in eis fuit, criminibus lacerarunt* Sed ubi auditum a seculo est quod heretica fuerimus labe respersi? Quis, nedum de cognatione nostra, immo de tota Campania, unde originem duximus, notatur hoc nomine?[3] *Certe heri et nudiustertius apud eundem regem, dum eum beneficiis mulcebamus, catholici fuimus; hodie vero ab ipso taliter blasphemamur. Sed que causa mutationis tam subite? Que causa irreventie filialis? Vere sciant cuncti, quod increpationis nitrum, quo peccatorum suorum purgare volebamus vulnera, et penitentie acrimonia, qua crimina tegerentur purgata, eum ad concinnandum animaverunt dolos, et ad falsas insanias provocaverunt. Major episcopo Mediolanensi sumus, et quam fuerit clare memorie Valentinianus Augustus, est rex Francie minor. Ille, sicut humilis et catholicus princeps, non erubuit profiteri, se Mediolanensi episcopo, cum, ut homo, delinqueret, submissurum et necessario subiturum medicamenta curantis. Hic autem, sicut Sennacherib, in superbiam datus, nos, qui eum salubribus corripiebamus monitis, sprevit et subsannavit*[4] *nos, post tergum nostrum caput movit. Sed paveat quod contra eum Sennacherib dicitur : Cui*[1] *exprobrasti? Quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? contra Sanctum Israel.* Et ecce Sanctus Israhel, id est Dei vicarius, hic et Petri successor, cui dictum est : « Pasce oves meas. » et : « Tu es Petrus et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam et porte Inferi non prevalebunt adversus eam, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in celis. » Propter quod qui in navi Petri non est naufragio peribit, et qui in ea est, oportet quod gubernatoris gubernationi subsistat[2]. *Cum igitur de calumpnia objectoris propter falsitatem hujusmodi objecti criminis pateat, per consequens quod calumpnietur in objectis aliis debet patere. Maledictorum penitus consideretur*[3] *causa tempusque mandato continuum, quo mandavimus eum ex legitimis causis excommunicatum publice nuntiari, et, hoc contextu et sceleritate actuum, quis non jure presumet eum non caritatis sed ad vindictam zelum? Quis non cogitabit ipsum ad tante temeritatis audaciam devenisse? Id preteriti temporis roborat conjectura. Olim itaque, dum capitula, in quibus excedebat, nostris comprehensa litteris, per dilectum filium Jacobum de Normannis, notarium nostrum, transmisimus, egre tulit, et indignatus extitit, et, in furiam versus, maledicere cepit, non veritus quod scriptum est : « Principem populi tui non maledices! ». Cum autem nos cessare credidit, paulo ante, nos in Christo patrem sanctissimum, habuit et sic nos suis litteris appellavit. Nunc vero, quia, urgente conscientia, ex debito pastoralis officii, ipsius correctionem omittere non valemus, dilatatus, impinguatus, incrassatus recalcitravit dilectus, et pejora pejoribus addidit maledicta. Ex quibus ejus in hiis malum convincimus zelum, et iniquitatis in ipso fomitem comprobamus, et dicere cum propheta possumus : « Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam anime mee? » Sed, faciente Domino, incidet in foveam quam fecit, et dolor ejus in verticem ipsius descendet. Hunc ejus animum mandati premissi perversitas approbat. Directa sunt enim verba canonum, [adversus] eum, qui ab episcopo suo ante sententie tempus pro dubia suspitione discesserit, manifestam manere censuram, quam clerici Symachi*[4] *pape, qui ab eo, etiam de heresi accusato, contra regulas ante tempus discesserunt, incurrissent, nisi providentia synodi actum fuisset misericorditer cum eisdem. Eundem zelum et animum predicta colligatio patefecit. Ad hec receptatio Stephani memorata, non solum malum indicat zelum, sed regem ipsum inimi-*

1. *Ms. Vat.* : deest « nuntios aut. »
2. *Ms. Vat.* : quave.
3. In margine legitur : « et infra. »
4. *Ms.* : sublimavit. cf. 4 Reg 19, 21.

1. *Ms.* : cur.
2. In margine legitur : « et infra. »
3. *Ms. Vat.* : consideratur.
4. *Ms. Vat.* : simoniaci.

cum detegit et principis Apostolorum mandati etiam transgressorem : ait enim de Clemente : « Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, cum illo nolite amici esse; sed avertite vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum. Si vero quis amicus fuerit hiis, quibus ipse non loquitur, unus est ex hiis, qui exterminare Ecclesiam Dei volunt : qui et inimicis alicujus suas amicitias copulant, ejus inimici censentur, et ideo facile mentiuntur. Nonne Ecclesie nutabit status et Romanorum Pontificum vilescet auctoritas, si talis [1] *regibus et principibus aliisque potentibus aperiatur via aditusque pandatur? Confestim enim Romanus Pontifex, Petri successor, qui clara ipsius Petri voce omnibus preest* [2], *cum circa alicujus principis vel potentis volet correctionem intendere et mittere manus ad fortia, dicetur hereticus vel notorie et in scandalum criminosus, ut sic fugiatur correctio et supprema potestas penitus confundatur. Absit a secta nostrorum temporum hoc pernitiosum exemplum, absit a nobis tanta vecordia* [3] *: absit tam dampnabilis negligentia, quod talem errorem sinamus succrescere, quin in ipsius sui ortu succidamus eundem.* Nunquid, si, super heresi nobis imposita [4] contra nos, petatur a nobis, sine quo congregari non potest, consilium generale, illud, in exemplum tam detestabile, maxime, ut omittamus ad presens de excommunicatione multiplici, qua [5] « *imponentes tenentur astricti*, calumpniator*ibus* malo, ut ex *pluribus* patet, procedenti*bus* zelo ac etiam inimic*is* aut *eis* confederatis quibus colliga*ti* sunt, » etiam concedemus taliterque fomentum dabimus huic pesti? Nempe quod, in aliorum prelatorum persona, ex predictis causis, secundum scita canonum repellere deberemus, illud [6], in nostra, sine alicujus injuria, si nobis et fratribus nostris videbitur, poterimus merito refutare, *ut nemo deinceps rex, aut princeps, vel alius potens, Francie regis exemplo, contra Romanum Pontificem sic prorumpat in verba blasphemie, nullus sic ejus correctionem evitet. An sic, ut taceamus de rege Francorum a Zacharia regno privato, dive recordationis Theodisius magnus, ab Ambrosio, Mediolanensi episcopo, extra ecclesiam factus, contra eum exarsit? An Lotharius gloriosus rex contra Nicolaum papam* [7] *sic erexit calcaneum, aut contra Innocentium Fredericus? An rex Francie major est hiis? An nos minores sumus predecessoribus nostris? An minus juste procedimus? Quippe trium horum non est aliquod. Sed hii, ut debuerunt, sustinuerunt humiliter; ille autem, ut Adonias, cum diis terre contra Deum Abraam. quia contra nos, vices ejus in terris gerentes, vehementer, ut, si, quod absit, perstiterit, ruat justo in judicio gravius, elevatus est. Per hoc autem non credat aliquis, quod contenti simus, quin, non obstante hujusmodi frivole appellationis obtentu* [1], *que ad majorem vel parem, sive mortalem aliquem non potuit interponi, super predictis et aliis notabilibus ipsius regis ejusque sequacium excessibus, prout expedierit, suo loco et tempore, nisi se corrigant et satisfactionem impendant debitam, ne eorum sanguis de nostris requiratur manibus, procedamus.* Dat. Anagnie, XVIII kal. septembris, anno nono.

1. *Ms.* : si talibus.
2. *Ms. Vat.* : deest « preest. »
3. *Ms.* : evecordia.
4. Scribuntur hæc verba in rasura, ut testatur atramentum et indicat lineola in vacuo inter « imposita » et « contra » ducta.
5. Litteræ italicis characteribus distinctæ super rasuris scriptæ sunt vel inter lineas additæ. Verba erasa leguntur in *Ms. Par et Vatic.* : idem rex tenetur astrictus, calumpniatori, malo, ut ex superioribus patet, procedenti zelo, ac etiam inimico, aut sibi confederatis, quibus colligatus est.
6. *Ms. Par.* : illos.
7. *Ms. Vat.* : deest : « papam. »

Potthast, 25281 sed male sub : kal. septembris.

5384 (LIII) Anagni, 15 août 1303.

« Constitutio de citationibus faciendis in curia [2] ». (fol. 388 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Rem non novam aggredimur neque viam insolitam ambulamus, sed, anterioris juris calcatam vestigiis, presentis constitutionis indubitato roboramus suffragio et inconcusso munimine stabilimus. Est siquidem jam sancitum, quod propositum publice citationis edictum eum arctet, qui impedit aut facit, etiam se celando, ne ad eum possit pervenire citatio, appareatque contumax qui sic agit; quodque in albo pretoris hujusmodi edicta proposita sue jurisdictioni subjectos arceant et astringant magis quam si voce preconia, que innotescit paucis, vel litteris citarentur. Jus enim, quod talem modum citationibus posuit, violenter presumpsisse credendum est, ut, que in eodem albo tot ipsius albi publicum locum frequentantium oculis paterent legenda, ad citati notitiam devenirent. Unde, ad prebendam omnibus eorum que sanciuntur plenam lectionem et notionem, mandatur legem, tabulis aut lapidibus sculptam, sanctissime ecclesie describi porticibus et affigi. Premissis igitur in debitam considerationem deductis ac in lance irrefragabilis rationis appensis, nos, qui universis, disponente Domino, preesse dignoscimur,

1. *Ms. Vat.* : objectu.
2. In margine legitur hic titulus rubro atramento scriptus.

volentes per hanc novellam constitutionem nostram aliquid circa predicta statuta expressius invenire, declaramus, de fratrum nostrorum consilio, et nichilominus hoc edicto, perpetuo valituro, firmamus et statuimus, ut citationes, auctoritate Apostolica, de quibuscunque personis, undecunque et ubicunque sint, cujuscunque status, dignitatis vel preeminentie, ecclesiastice vel mundane, etiamsi imperiali aut regali fulgeant dignitate, presertim si impediant vel faciant, per se vel alios, quoquo modo, ne citationes ipse ad eos perveniant, ex quacunque causa faciendo ut citandorum domicilia sive loca tute vel libere adiri non possint, cum, prout scriptum est, existimare debeamus an eo ire liceat ubi est citatio facienda, provide, ad instar edictorum prefatorum, propositorum in albo pretoris, etiam extra solemnes dies, in quibus Romani Pontifices suos facere consueverunt generales processus, publice id nobis specialiter et ex certa scientia jubentibus, facte in audientia litterarum nostrarum aut in aula nostri palatii, postmodum affigende januis majoris ecclesie loci, in quo Romana, communis omnium christiani populi nationum, residebit curia, ut cunctis possint patere et ita deferri citatis, sic valeant ac artent citatos, post terminum lapsum, quem, considerata locorum distantia, volumus citationibus ipsis competentem apponi, sicut si ipsos personaliter apprehendissent, non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis et litteris Apostolicis, generalibus aut specialibus, quibuscunque personis, pontificali, imperiali, regali vel alia, ecclesiastica seu mundana, dignitate preditis aliisque inferioribus, seu ecclesiis, monasteriis, locis, collegiis et universitatibus, in quacunque verborum forma concessis, per que talium citationum effectus possit quomodolibet impediri, etiamsi de ipsis et eorum totis tenoribus de verbo ad verbum aut de propriis nominibus personarum — et infra — oporteat in nostris literis fieri mentionem. Nulli ergo, et cetera. Dat. Anagnie, xviii kal. septembris, anno nono.

Potthast, 25276.

5385 (lv) Anagni, 15 août 1303.

Suspenditur Gerardus, Nicosiensis archiepiscopus, qui Philippum, Francorum regem, ad rebellionem instigat. (fol. 388 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Quanto in ecclesia Dei venerabilis frater noster Gerardus, archiepiscopus Nicosiensis, si dici venerabilis [debet], locum obtinet altiorem, tanto nos et Apostolicam Sedem majori deberet studio revereri, summopere precavendo ne nos et Sedem eandem offenderet aut aliquibus injuriis provocaret. Sed ipse, prout accepimus, in reprobum sensum datus, contra Sedem predictam et nos, qui eum ad archiepiscopalem proveximus dignitatem, calcaneum erigere satagendo, mandatum, quod pridem a nobis, dum esset apud Sedem predictam, receperat, ut ad ecclesiam suam accederet, vilipendens nobisque illudens, ad partes Burgundie properavit, ibique, audito quod Philippus, Francorum rex, a nostra et dicte Sedis reverentia deviabat, nobisque se reddebat rebellem, ad ipsius regis se presentiam contulit ac, apud eum et in illis partibus moram trahens, ipsum regem callidis commentis ad hujusmodi rebellionem instigat et fovet in ea, ac alios ibidem contra nos et Sedem predictam dolos concinnat et machinatur quos potest. Nos autem, nolentes quod predicta Nicosiensis ecclesia sub ejus umbra, spiritualiter vel temporaliter, dispendium patiatur, seu quod ejusdem ecclesie bona, quam taliter contra mandatum nostrum deservit, perveniant ad eundem, ipsum ab administratione bonorum omnium, spiritualium et temporalium, dicte ecclesie, Apostolica auctoritate, suspendimus usque ad nostre et dicte Sedis beneplacitum voluntatis, alias contra eum nichilominus processuri, prout cervicositatis sue culpa exegerit nobisque videbitur expedire. Nulli ergo, et cetera. Dat. Anagnie, xviii kal. septembris, anno nono.

Potthast, 25277.

5386 (lvi) Anagni, 15 août 1303.

Suspenduntur omnes de regno Franciæ potestatem habentes dandi licentiam regendi, docendi ac approbandi [1]. (fol. 389.)

Ad perpetuam rei memoriam. Sedes Apostolica, sicut totus fere orbis facti evidentia didicit, regnum Francie ejusque reges, tam antiquis quam modernis temporibus, magnis dotavit largitionibus gratiarum et amplis privilegiis communivit, que, si Philippus rex Francie in examen debite considerationis adduceret, dictam Sedem et nos, quos precipue habuit ad sua beneplacita promptos, liberales in gratiis et in cunctis opportunitatibus gratiosos, contumeliis non conaretur afficere nec injuriis provocare, sed ad nos et ipsam ex debito gereret affectum devotionis et reverentie specia-

1. Notatur in margine crux nigro atramento scripta.

lis. Verum rex ipse, hujusmodi beneficiorum immemor et gratiarum oblitus, elatus in superbiam et in reprobum sensum datus, contra nos et Sedem eandem, tanquam impinguatus, recalcitrans, non solum ab ejusdem Sedis et nostra se devotione subtraxit, sed, se nobis constituendo rebellem, in illam, omnium pessimam, speciem ingratitudinis incidit, qua pro bonis, mala, pro gratiis, contumelie, ac pro beneficiis, maleficia compensantur : quia vero dictus rex non solum alios de dicto regno sed et magistros et doctores, baccalarios et scholares, existentes in studiis regni predicti, ad hujusmodi rebellionem secum trahere satagit et jam aliquos traxit, quos autem trahere non valet a regno ejicit et excludit predicto; nos, nolentes quod, ob favorem vel timorem ipsius, aliqui, a nostra et ejusdem Sedis reverentia deviantes et alias minus idonei, cathedram possint ascendere magistralem, omnes de regno predicto, potestatem habentes dandi licentiam regendi seu docendi ac approbandi volentes licentiam hujusmodi obtinere in theologica facultate ac jure canonico et civili, ab hujusmodi potestate, donec idem rex ad nostra et ejusdem Sedis mandata cum satisfactione debita revertatur, Apostolica auctoritate, suspendimus, districtius inhibentes eisdem, ne interim aliquibus dictam licentiam concedere quoquo modo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo, et cetera. Dat. Anagnie, XVIII kal. septembris, anno nono.

Potthast, 25278.

5387 (LVII) Anagni, 15 août 1303.

Reservantur dispositioni domini papæ et Sedis Apostolicæ omnes provisiones ecclesiarum cathedralium et regularium Franciæ vacantes et vacaturæ [1]. (fol. 389.)

Ad perpetuam rei memoriam. Sedes Apostolica, et cetera ut supra in proxima usque : quia vero idem rex precipue prelatos dicti regni ad hujusmodi rebellionem et indevotionem secum trahere satagit et jam eorum aliquos traxit, quos autem trahere non valet a regno ejicit et excludit predicto, nos, nolentes quod ob timorem vel favorem ipsius, vel alia quacunque de causa, in ecclesiis cathedralibus et regularibus dicti regni aliqui preficiantur, qui nobis et dicte Sedi fideles, devoti et alias idonei non existant, omnes provisiones dictarum ecclesiarum, si que forsan vacant ad presens, vel cum eas vacare contigerit, dispositioni nostre ac dicte Sedis, donec idem rex ad nostra et ejusdem Sedis mandata cum satisfactione debita revertatur, auctoritate Apostolica, reservamus, districtius inhibentes omnibus et singulis, ad quos in dictis ecclesiis prelatorum electiones vel ipsarum electionum confirmationes aut quecumque dispositiones pertinent earundem, ne, contra reservationem hujusmodi, quemquam eligere seu electionem aliquam confirmare, aut alias de ecclesiis ipsis disponere quoquo modo presumant, ac, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo, et cetera. Dat. Anagnie, XVIII kal. septembris, anno nono.

1. Notatur in margine crux atramento nigro scripta.

Potthast, 25279.

5388 (LVIII) Anagni, 7 août 1303.

Ut temporalia ecclesiæ Burgensis, cui nuper de episcopo fuit provisum, usque ad finem anni percipere valeat.

Venerabili fratri Petro, episcopo Sabinensi. Dudum Burgensi ecclesia, per translationem tui, tunc Burgensis episcopi, ad Sabinensem ecclesiam per nos factam, vacante, nos provisionem — ipsius — ea vice dispositioni nostre — duximus reservandam. Et tandem curam et administrationem plenam — ejusdem ecclesie Burgensis — in spiritualibus et temporalibus — tibi, ex certa causa, commisimus, usque ad unum annum computandum a XVI kalendis januarii proximo preteriti, per vicarium ydoneum — exercendas —. Cum autem nuper eidem ecclesie de dilecto filio Petro, electo Burgensi, scolastico ecclesie Campostellane, de tuo et aliorum fratrum nostrorum consilio, duxerimus providendum, in ea tibi usque ad finem anni predicti temporalia reservantes, fraternitati tue, presentium auctoritate, concedimus, ut, provisione hujusmodi facta ipsi Burgensi ecclesie non obstante, hujusmodi temporalia, anno durante prefato, per te vel alium seu alios, cui vel quibus hoc commiseris, plene, libere ac licite percipere valeas sicut prius. Dat. Anagnie, VII id. augusti, anno nono.

5389 (LVIIII) Anagni, 16 août 1303.

Prorogatur usque ad festum Omnium Sanctorum dilatio census in capitulo XLVI usque ad kalendas septembris concessa. (fol. 389 v°.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Pridem nobis —.

Dilationem commemorat dominus papa in capitulo XLVI usque ad kalendas septembris concessam, infra quam Carolus, rex Siciliæ, legitime posset ostendere ad quot unciarum auri valorem ad pondus regni Siciliæ adscendant triginta duo millia carolenorum, a nuntiis ejus, pro censu regni Siciliæ, in festo Apostolorum Petri et Pauli proxime transacto, soluta, « ut, si per dictorum carolenorum solutionem et valorem appareres liberatus a censu dicti termini — a te amplius pro eodem termino minime peteretur, eam vero quantitatem, ad quam non appareret ascendere valor hujusmodi carolenorum, nobis et eidem Ecclesie — tenereris solvere. »

Nunc autem, ex causa, tuis supplicationibus inclinati, prefatam dilationem et omnem ejus effectum a predictis kalendis usque ad festum Omnium Sanctorum tibi, de gratia speciali, auctoritate Apostolica prorogamus —. Volumus quoque quod — patentes litteras tuas, harum seriem continentes, aurea bulla munitas, nobis, ad Ecclesie prefate cautelam, infra eundem terminum exhibere procures, alioquin ipsa dilatio nullius penitus sit roboris vel momenti : aliis prorogationibus dudum a nobis et Ecclesia memorata per Apostolicas litteras sub bulla papali concessis pro multis preteritis terminis, in quibus est ab hujusmodi census solutione cessatum, ac ratificationibus et obligationibus regiis, inde secutis, in suo robore duraturis. Dat. Anagnie, XVII kal. septembris, anno nono.

5390 (LX) Au Latran, 13 février 1303.

Ut clerici ejus obsequiis insistentes fructus in absentia percipere valeant. (fol. 389 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Portuensi. Digne agere credimus —. Dat. Laterani, id. februarii, anno nono.

5391 (LXI) Même date.

Ut contradictores ad executionem gratiæ præcedentis per censuram ecclesiasticam compescere valeat. (fol. 390.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Portuensi. Nuper tibi —. Dat. ut supra.

Ego [1] Andreas Taconius de Setia, publicus Imperiali auctoritate notarius ac litterarum Apostolicarum regestrator, de expresso mandato reverendorum patrum domini Berengarii, episcopi Tusculanensis, ac domini Arnaldi, tituli Sancte Prisce presbiteri cardinalis, Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, facto mihi per eos ex parte sanctissimi patris et domini nostri Clementis divina providentia pape V, qui hoc eis pluries vive vocis oraculo mandaverat, ut dicebant, feci seu in presentia nostra et magistrorum Oddonis de Sermineto et Emanuelis de Parma fieri feci rasuras vacuas, que sunt in secundo, tertio decimo, sexto decimo et septimo decimo foliis proxime precedentibus, quarum prima incipit immediate post quamdam litteram que incipit : « Exhibita nobis » et finit ante quamdam litteram que incipit : « Litteras dilecti filii nostri etc... » Secunda rasura incipit immediate post quamdam litteram que incipit : « Vos et ecclesias vestras, » et finit ante aliam que incipit : « Suscipit interdum, et cetera. » Tertia vero rasura incipit immediate post verba illa : « Nuper ad audientiam nostram et infra. » Sic enim incipit littera illa et finit ante verba illa : « Sed ubi auditum, et cetera. » Quinta rasura incipit immediate post verba illa : « merito refutare » et finit ante verba illa : « Sed ubi auditum, et cetera. » Quarta rasura incipit immediate post verba illa : « Notatur hoc nomine et infra, » et finit ante verba illa : « Et ecce Sancti Israel, et cetera. » Quinta rasura incipit immediate post verba illa : « gubernationi subsistat, et infra, » et finit ante verba illa : « Numquid ergo, si super, et cetera. » Sexta rasura incipit immediate post verba illa ; « merito refutare, » et finit ante verba illa : « Dat. Anagnie, XVIII kal. septembris, anno nono », quinque aliis rasuris, certis dictionibus, prout apparet ibidem, de manu magistri Oddonis predicti impletis, inter ipsas quintam et sextam rasuras similiter factis. Ideoque predicta de eodem mandato, in rei geste testimonium scripsi sub solito signo meo Vienne in hospicio domini cardinalis vicecancellarii supradicti [1].

Et ego, Oddo de Sermineto, publicus Apostolica auctoritate notarius ac litterarum Apostolicarum regestrator, predicta omnia, per eundem modum, ut predictus magister Andreas, de eodem mandato feci seu fieri feci. Ideoque de mandato predicto hic in rei geste testimonium in domo predicti domini vicecancellarii me subscripsi sub solito signo meo [2].

1. Post litteram supra insertam incipit ad nonam decimam lineam protocollum quod Andreas Taconius de Setia scripsit.

1. Insertum est signum Andreæ Taconii.

2. Insertum est signum Oddonis de Sermineto. Folium 390 v°, quod sequitur, omnino vacuum est. Folia 391 et 392 excisa sunt, sequuntur a folio 393 usque ad folium 411 v° sexdecim

5392 (265) Anagni, 28 juin 1303.

De acquisitione castrorum Pofarum et Carpini, Verulanæ diocesis, a Francisco Gaytani ex parte facta. (fol. 393.)

Dilecto filio Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali. Habet tua petitio quod Johannes, filius quondam Landulfi de Ceperano militis, nomine suo et pro se, ac nomine et vice Petri, canonici Olenensis, et Riccardi, fratrum suorum, filiorum predicti Landulfi, et pro eis, sponte vendidit, tradidit et concessit tibi, pro te ac tuis heredibus et successoribus ementi et recipienti, dominium seu segnoriam, jurisdictionem, vassalos et redditus, domos, muros, fortellitias, edificia, casalina, vineas, ortos, terras cultas et incultas, prata, pascua, silvas vel nemora, molendina, aquas, aquarumque decursus, et generaliter omnia et singula bona, jura et actiones, realia et personalia, utilia et directa, tacita et expressa, que ipse Johannes ac predicti Petrus et Riccardus habebant, tenebant et possidebant, vel quasi, aut habere, tenere et possidere poterant seu debebant, ac pertinebant vel pertinere poterant ad ipsos comuniter vel divisim, quocunque modo, jure vel titulo, occasione vel causa, in castro Popharum et in castro Carpini, Verulane diocesis, et eorum territoriis, pertinentiis et districtibus, pro diviso, videlicet quod divisum erat, et pro indiviso, quod indivisum existebat ab aliis partibus, rebus et bonis aliorum dominorum predictorum castrorum, vel alias qualitercunque et quomodocunque ac ubicunque sita vel posita essent, et in quibuscunque consisterent, cum accessibus et egressibus, ac omnibus juribus, utilitatibus et pertinentiis suis, pro pretio mille sexcentorum et LXXV florenorum auri, in instrumento hujusmodi venditionis expresso. Quod autem predicta bona, res et jura vendita plus valerent pretio supradicto, dictus Johannes, nomine suo et predictorum Petri et Riccardi, pro multis et gratis servitiis, que a te ipsos asserunt recepisse ac sperabant posse recipere in futurum, donavit tibi ea donatione que dicitur inter vivos. Promisit insuper idem Johannes et se ad certam penam ad hoc specialiter obligavit se facturum et curaturum, quod, a tempore predicti contractus usque ad unum annum, predicti Petrus et Riccardus eundem contractum et omnia et singula in eo contenta ratificarent, acceptarent et emologarent, et ea omnia — rata — haberent, observarent et adimplerent, prout hec et alia in instrumento venditionis et donationis hujusmodi, cujus tenor inferius est insertus, plenius continetur. — Quare nobis humiliter supplicasti ut venditionem — confirmare ac supplere omnem defectum, si quis in eis vel eo esset, de benignitate Sedis Apostolice dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, venditionem, alienationem, donationem et promissionem predictas et hujusmodi contractum super hiis habitum, cum omnibus que in eo contenta sunt, et quod in premissis factum est per Johannem predictum rata habentes et grata, ex certa scientia, quibuscunque inhibitionibus seu preceptis, penalibus et non penalibus, per Romanos Pontifices, predecessores nostros vel eorum aliquem, aut illorum vel alicujus ipsorum auctoritate, sive per alium seu alios quoscunque, sub quacunque forma vel conceptione verborum ex quavis causa factis dudum, generaliter vel specialiter, in Campanie et Maritime partibus, personis vel locis ipsarum partium vel aliarum, qualitercunque, de non alienandis predictis bonis, rebus et juribus seu jurisdictionibus vel aliis similibus, in dictis partibus consistentibus, et de ipsis nullatenus transferendis in potentem vel nobilem seu aliam quamcunque personam, et quibuscunque contrariis processibus, sententiis, dispositionibus et voluntatibus eorundem nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, ac, supplentes omnem defectum qui, ratione inhibitionum, preceptorum, processuum, sententiarum, dispositionum et voluntatum hujusmodi, sive quod predicta donatio, forsitan insinuationem requirens, insinuata non esset, seu alia ratione vel causa, dictis venditioni — donationi, promissioni, contractui et hiis que in se continet, posset inesse, volumus quod hujusmodi nostra confirmatio vires plenissime notionis et firmitatis assumat, et perinde ex hac nostra auctoritate valeat et assumat vigorem, dicteque venditio, alienatio et donatio, quo ad omnem dominii et possessionis predictorum bonorum, rerum et jurium taliter venditorum et donatorum plenam acquisitionem et translationem in te sortiatur effectum, sicut si defectus et impedimenta omnia, quecunque sint, nota vel ignota, specialiter et singulariter, presentibus litteris forent expressa, et nominatim eorum omnium etiam ante contractum hujusmodi substulissemus obstacula per easdem. Et quod minus vel omissum esset, vel si quid invalidum forte incuria vel imperitia, sive quacunque causa contineretur in supradicto contractu, ad ipsius et dictarum venditionis, alienationis, donationis et promissionis plenum robur, implemus de Apostolice plenitudine potestatis. Tenor autem instrumenti predicti talis est : « In nomine Domini Amen. Anno Domini M°CCCII. Indictione XV^{a}, pontificatus domini Bo. pape VIII. anno octavo, die quarta mensis novembris. In presentia mei notarii et testium subscrip-

litteræ quibus deast numerus manu coæva scriptus. Legitur tamen in margine ad quamque literam numerus sæculo XVII vel XVIII scriptus quem inserimus.

torum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, nobilis vir Johannes quondam domini Landulfi de Ceperano, nomine suo et pro se, ac nomine et vice Petri, canonici Olenensis, et Riccardi, fratrum suorum, filiorum predicti quondam domini Landulfi, ac pro eis sponte vendidit, tradidit et concessit reverendo patri domino F[rancisco], Dei gratia Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, pro se ac suis heredibus et successoribus ementi et recipienti, dominium seu segnoriam, jurisdictionem, vassalos et redditus, domos, muros, fortellitias, hedificia, casalina, vineas, ortos, terras cultas et incultas, prata, pascua, silvas vel nemora, aquas aquarumque decursus, et generaliter omnia et singula bona, jura et actiones, realia et personalia, utilia et directa, tacita et expressa, que ipse Johannes ac predicti Petrus et Riccardus habent, tenent et possident, vel quasi, aut habere tenere et possidere possunt seu debent, ac pertinent seu pertinere possent ad ipsos comuniter vel divisim, quocunque modo, jure vel titulo, occasione vel causa, in castro Popharum et in castro Carpini, Verulane diocesis, et eorum territoriis, pertinentiis et districtibus, pro diviso, videlicet quod divisum est, et pro indiviso, quod indivisum existit ab aliis partibus, rebus et bonis aliorum dominorum predictorum castrorum, vel alias qualitercunque et quomodocunque, ac ubicunque sita vel posita sint et in quibuscunque consistant, ad habendum, tenendum et possidendum, vendendum, alienandum, et quicquid ipsi emptori ac suis heredibus et successoribus deinceps placuerit — faciendum, cum accessibus et egressibus ac omnibus juribus, utilitatibus et pertinentiis suis pro pretio mille sexcentorum et LXXV florenorum auri. Quod pretium seu quos florenos auri predictus J[ohannes] venditor confessus est et recognovit se, nomine suo et predictorum Petri et Riccardi, ac pro eis, a dicto domino F[rancisco] emptore habuisse ac recepisse, eique, nomine quo supra, ab eo solutos et numeratos esse. Renuntians exceptioni sibi non dati, non soluti, non numerati, non habiti et non recepti pretii, seu non solutorum et numeratorum ac non receptorum florenorum auri, necnon doli mali, actioni in factum, conditioni sine causa et injusta causa et deceptioni ultra dimidiam justi pretii, et omni alii exceptioni et juri, per quam et quod posset in premissis et circa ea contra facere vel venire, aut quomodolibet se tueri. Quod autem predicta bona, res et jura vendita plus valerent pretio supradicto, idem Johannes, nomine suo et predictorum Petri et Riccardi, pro multis et gratis servitiis, que a dicto domino F[rancisco] emptore asseruit se ac predictos Petrum et Riccardum recepisse et sperabant posse recipere in futurum, donavit eidem ea donatione que dicitur inter vivos. Constituens se dictus Johannes, suo et predictorum Petri et Riccardi nomine, omnia predicta bona et jura prefati domini F[rancisci] emptoris nomine possidere, vel quasi, quousque ipse dominus F[ranciscus], per se vel alium, eorum possessionem vel quasi intraverit corporalem, quam intrandi, accipiendi et retinendi deinceps eidem a presenti plenam et liberam tribuit potestatem. Quas venditionem et donationem et omnia et singula suprascripta et infrascripta dictus Johannes, quo supra nomine, per se et eorum heredes et successores, rata et firma habere, observare et adimplere, nec contra facere vel venire, immo prefata bona et jura omnia ab omni litigante persona defendere, auctorizare et disbrigare — et ab omni obligatione ac jure alterius liberare, litem quoque statim, ad requisitionem dicti domini F[rancisci] emptoris, vel suorum heredum et successorum, suis propriis suscipere ac tractare sumptibus et expensis, ac reficere dampna, expensas et interesse, que et quas dictus dominus F[ranciscus] et sui heredes et successores, in judicio vel extra judicium fecerint vel substinuerint pro predictis, ita quod stetur de ipsis suo simplici verbo sine probationis onere, dicto domino F[rancisco], pro se suisque heredibus et successoribus stipulanti, sub pena dupli pretii supradicti et obligatione omnium bonorum suorum et predictorum fratrum suorum, presentium et futurorum, promisit atque convenit, et, pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, predicta omnia in suo robore perseverent. Preterea prefatus Johannes, sine aliqua exceptione juris vel facti, promisit et convenit expresse, se obligando specialiter ad penam predictam, se facturum et curaturum, quod hinc ad unum annum predicti Petrus et Riccardus presentem contractum venditionis et donationis, et omnia et singula in eo contenta ratificabunt, approbabunt et emologabunt, et ea omnia et singula rata et firma habebunt, observabunt et adimplebunt, et dictam venditionem et donationem de novo facient, et super hiis curam, cautelam et securitatem plenariam facerent et prestarent ad sensum predicti domini F[rancisci] et quod quilibet ipsorum jurabit ad sancta Dei evangelia, tacto libro, predictam venditionem et omnia et singula suprascripta firma et rata habere et tenere et in nullo contra facere vel venire, aliqua ratione vel causa, de jure vel de facto, sub pena predicta, ad quam penam dictus Johannes teneri voluit, si predicta omnia, ut supra narrantur, non fuerint per ipsum et predictos fratres suos integre observata. Ad majorem autem predictorum omnium firmitatem, prefatus Johannes, tactis

sacrosanctis scripturis, juravit predicta omnia et singula, ut supra legitur, observare et facere observari, et nulla ratione contra facere vel venire per se vel alium seu alios, renuntians ad hoc privilegio fori et omni alii privilegio juris, canonici et civilis. Actum Rome in palatio Sanctorum Quatuor, in hospitio ipsius domini cardinalis, presentibus reverendo patre domino Petro, Sancte Marie Nove diacono cardinali, ac venerabilibus et discretis viris domino Uberto de Placentia, electo, et domino Francisco de Moliano, canonico Bononiensi, domino Nicolao Verticelli de Neapoli et domino Nicolao dicto de Nive de Signa, canonico Atrebatensi, et aliis testibus ad hoc vocatis et rogatis. Et ego Benedictus Johannis Atracesii de Guarcino, publicus sacrosancte Romane Ecclesie ac Imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus interfui, et ea omnia scripsi et publicavi, meoque signo signavi rogatus. » Nulli ergo etc. nostre confirmationis, suppletionis, voluntatis et impletionis etc. Dat. Anagnie, III. kal. julii, anno nono.

5393 (266) Même date.

De acquisitione eorumdem castrorum a Petro Gaytani ex parte facta. (fol. 393 v°.)

Nobili viro Petro Gaytani, nepoti nostro, comiti Casertano, domino Militiarum Urbis. Habet tua petitio quod dilectus filius Riccardus, filius quondam Petri dicti de Campania de Pofis militis, canonicus Pipernensis, nomine suo et pro se, ac procuratorio nomine Mabilie, sororis sue, predicti Petri filie, ac Diambre et Bellitie, filiarum quondam Clementis predicti loci de Pofis, militis, et pro eis, quarum se procuratorem ad hoc esse dicebat specialiter constitutum, sponte vendidit, et cetera ut in proxima superiori usque: vel nemora, aquas, aquarum decursus et generaliter omnia et singula bona, jura et actiones, realia et personalia, utilia et directa, tacita et expressa, que ipse Riccardus et predicte mulieres — habebant — in predicto castro Pofarum et in castro Carpini, et cetera usque: pro pretio mille quingentorum florenorum auri in instrumento publico hujusmodi venditionis expresso. Quod autem hujusmodi bona, res et jura vendita plus valerent pretio supradicto, idem R[iccardus], suo et predictarum mulierum nomine, pro multis et gratis servitiis, que a te asserunt se ac illas recepisse ac sperabant posse recipere in futurum, donavit tibi dictus R[iccardus] ea donatione que dicitur inter vivos —. Quare nobis humiliter supplicasti, et cetera usque : et quod in premissis factum est per Riccardum predictum rata habentes et grata, ea, ex certa scientia, et cetera usque : Tenor autem instrumenti predicti talis est. « In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem M°CCC°II°, indictione XV, pontificatus domini Bonifacii pape VIII anno octavo, die quarta intrantis mensis novembris. In presentia mei notarii et testium subscriptorum — discretus vir dominus Riccardus, filius quondam domini Petri dicti de Campania de Pofis, canonicus Pipernensis, — vendidit — magnifico viro domino Petro Gaytano, domini pape nepoti, comiti Casertano, domino Militiarum Urbis — et cetera ut supra in alio instrumento usque : utilia et directa, tacita et expressa, que ipse — et dicte mulieres — habebant in predicto castro Pofarum et in castro Carpini, Verulane diocesis, eorunque territoriis, et cetera usque : et pertinentiis suis, pro pretio MV^c florenorum auri. Quod pretium seu quos florenos auri dictus dominus R[iccardus] confessus est et recognovit se, nomine suo et predictarum mulierum ac pro eis, a dicto domino Petro habuisse et recepisse, et sibi, nomine quo supra, solutos et numeratos esse, renuntians exceptioni sibi non dati, non soluti, non habiti, non recepti, non numerati ab eodem pretii, et cetera usque : quod autem hujusmodi bona, res et jura vendita plus valerent pretio supradicto, idem dominus R[iccardus], suo et dictarum mulierum nomine, pro multis et gratis servitiis, que a dicto domino [Petro] emptore asseruit se ac illas recepisse ac sperabant posse recipere in futurum, donavit eidem, ea donatione que dicitur inter vivos. Constituens se dictus dominus R[iccardus], suo et predictarum mulierum nomine, omnia predicta bona et jura, nomine prefati domini P[etri] emptoris, possidere, vel quasi, quousque ipse dominus P[etrus] per se vel alium eorum possessionem vel quasi intraverit corporalem, quam intrandi, accipiendi et retinendi deinceps eidem a presenti plenam et liberam, nomine quo supra, tribuit potestatem, quas venditionem et donationem, et cetera ut supra, mutatis nominibus, usque : vel substinuerint pro predictis, ita quod stetur de ipsis simplici verbo eorum, sine probationis onere dicto domino P[etro] pro se suisque heredibus et successoribus stipulanti sub pena dupli pretii supradicti et obligatione omnium bonorum suorum et predictarum mulierum, presentium et futurorum, et cetera, mutato nomine, usque : facturum et curaturum quod hinc ad quindecim dies dicte nobiles mulieres, videlicet Mabilia, Diambra et Bellitia presentem contractum venditionis et donationis, et cetera, mutatis mutandis, usque : Actum Rome in palatio Sanctorum Quatuor in hospitio reverendi patris domini F[rancisci], Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, presentibus ipso domino cardinali, reverendo patre

domino P[etro] Sancte Marie Nove diacono cardinali, et venerabilibus et discretis viris dominis Uberto de Placentia, electo Bononiensi, Francisco de Moliano, Bononiensis, Nicolao de Nive, Atrebatensis ecclesiarum canonicis, magistro Nicolao Verticelli de Neapoli et domino Thomasio quondam domini Curtesis de Luca ac nobili viro domino Guidone de Urbeveteri, milite, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Presente quoque magistro Nicolao Novello de Vico notario, qui una cum me infrascripto notario interfuit et rogatus fuit, ut de premissis conficeret publicum instrumentum. Et ego Benedictus Johannis Atrecesii de Guarcino, publicus — Romane Ecclesie ac Imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico — notarius publicus predictis omnibus una cum supradicto Benedicto notario presens fui, et ideo in premissorum testimonium hic me subscripsi et meum signum apposui consuetum ». Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, suppletionis, voluntatis et impletionis, et cetera. Dat. ut supra.

5394 (267) Même date.

De eodem negotio. (fol. 394.)

Eidem. Habet tua petitio —.

Confirmatur eidem pars eorumdem castrorum quam acquisivit a nobili viro Landulfo Rubeo de Pofis, milite, pro pretio quinque millium octingentorum et triginta trium florenorum auri, inserto instrumenti tenore incipientis : « In nomine Domini, Amen. Anno Domini MCCCII° — die nono intrantis mensis decembris. In presentia mei notarii — nobilis vir dominus Landulfus Rubeus de Pofis, miles — » finientis : « Actum Rome, apud Sanctos Quatuor, in hospitio[1] — domini Francisci, Dei gratia Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, presentibus discretis viris dominis Francisco de Moliano, Bononiensis, Nicolao[2] Carsolo de Signia, Attrebatensis, Thomasio de Trajecto, Terraciuensis ecclesiarum canonicis, ac nobilibus viris domino Paulo de Turrice, domino Berardo domini Ectoris de Ceccano, domino Johanne Mazoclo de Silvamolli, domino Rizardo de Trajecto militibus, Johanne de Nive de Signia, Nicolao de Tribiliano et magistro Benedicto Johannis Atrecesii de Guarcino notariis —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. »

Dat. ut supra.

1. Ms : hospiti.
2. Ms : Nicolas.

5395 (268) Même date.

De eodem negotio. (fol. 395.)

Eidem. Habet tua petitio —.

Confirmatur eidem pars eorumdem castrorum quam acquisivit a nobili viro Philippo dicto Mancpote de Ceccano, procuratore Jordani dicti Manepote, filii sui et filii quondam Gemmæ Raynaldi Landonis de Pofis, divisa et indivisa ab aliis partibus « tam Marsobilie filie predicti Raynaldi et sororis predicte quondam Gemme quam aliorum predictorum dominorum castrorum pro pretio septingentorum et octuaginta et unius florenorum auri » inserto instrumenti tenore incipientis : « Anno Domini MCCCII°, indictione XV[a], pontificatus domini Bonifacii pape VIII anno octavo, die XXVI mensis novembris. In presentia mei notarii — nobilis vir Philippus dictus Manepote de Ceccano, procurator Jordani dicti Manepote, filii sui, — prout de suo procuratorio apparebat per instrumentum publicum scriptum — manu Jacobi Riczardi de Ceccano —. Et quia prefatus Raynaldus domini Landonis, cujus fuisse dicuntur pars et bona — supradicta —, eorum usufructum — sibi in vita sua, ut asseritur, reservavit — promisit sponte — nobilis vir dominus Bernardus domini Hectoris de Ceccano, domini pape hostiarius, qui presens erat personaliter in premissis —. se facturum — quod idem Raynaldus — predictas venditionem et donationem — ratificabit —. » finientis : « Actum Rome apud Sanctos Quatuor in hospitio, in quo morabatur reverendus pater dominus Franciscus, Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, presentibus venerabili viro domino Uberto de Placentia, electo, et domino Francisco de Moliano, canonico Bononiensi, domino Nicolao Carsole de Signia canonico Attrebatensi, domino Guidotto de Urbeveteri, milite, et Johanne dicto de Nive de Signia testibus —. Ego Nicolaus dictus Novellus —. »

Dat. ut supra.

5396 (269) Même date.

De eodem negotio (fol. 396.)

Eidem. Habet tua petitio —.

Confirmatur eidem pars eorumdem castrorum quam acquisivit a Landone, filio quondam Alberti de Collemedio, canonico Anagnino, procuratore Marsobiliæ, cognatæ suæ, relictæ quondam Benedicti, militis, fratris ipsius Landonis, et Consolino de Ceperano, procuratore Raynaldi, filii quondam Landonis de Pofis, patris prædictæ Marsobiliæ, pro pretio septingentorum octuaginta et unius florenorum auri, inserto instrumenti tenore incipientis : « Anno Domini MCCCII — die quarta intrantis

mensis decembris. In presentia mei notarii —. » finientis : « Actum Rome in domibus Militiarum predicti domini Petri emptoris, presentibus nobilibus viris dominis Raymundo Melioris, Jacobo Bussa, Johanne de Sermineto, Rogerio domini Petri Grimaldi de Anagnia, Riczardo de Trajecto et Johanne Mazotti de Silvamolli, militibus, ac Riczardo Bartholomei de Alatro et aliis pluribus testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus —. »

Dat. ut supra.

5397 (270) Même date.

De eodem negotio (fol. 397.)

Eidem. Habet tua petitio —.

Confirmatur eidem quinta pars eorumdem castrorum quam acquisivit ab Andrea, filio quondam Petri de Babuco, militis, pro pretio octo millium florenorum auri, inserto instrumenti tenore incipientis : « Anno Domini MCCCII — die septimo intrantis mensis novembris. In presentia mei notarii — Andreas quondam domini Petri de Babuco —. » finientis : « Actum Rome, apud Sanctos Quatuor, in hospitio — domini Francisci — Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, presentibus ipso domino Francisco et reverendo patre domino Petro — Sancte Marie Nove diacono cardinali, domino Uberto, electo Bononiensi, domino Nicolao Carsolo de Signia, canonico Attrebatensi, domino Francisco de Moliano, canonico Bononiensi, domino Thomasio quondam domini Hugolini Curtesis de Lucca, capellano predicti domini Petri cardinalis, ac Benedicto Johannis Attrecesii de Guarcino, testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. »

Dat. ut supra.

5398 (271) Même date.

De eodem negotio. (fol. 397 v°.)

Eidem. Habet tua petitio quod dilectus filiis Berardus quondam Ectoris de Ceccano, miles, pro se ipso et pro Rogerio dicto Cellu, filio quondam Riccardi dicti Cellu de Ceperano, et pro Jacobo dicto Malepensa, filio quondam Gottifredi de Pofis, nepotibus suis, vendidit — tibi — sextam quarte partis totius castri et sextam decimam trium aliarum partium ipsius castri Pofarum — et ejus territorii et — bona — que habebat tam in eodem castro Pofarum quam etiam in castro Carpini — pro pretio trium milium quingentorum et quadraginta florenorum auri —. Et promisit inter cetera dictus Berardus venditor tibi — quod predictus Jacobus, qui tempore predicti contractus absens et minor erat, cum expresso consensu et auctoritate sui tutoris vel curatoris tunc absentis, et prefatus Gregorius, qui similiter absens sed major erat viginti quinque annis, huic venditioni — expresse consentirent —. Tenor autem — « Anno Domini MCCCII° — die VII[a] intrante mense novembris. In presentia mei notarii — dominus Berardus quondam domini Ectoris de Ceccano —. Actum Rome apud Sanctos Quatuor in hospitio — Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, presentibus ipso domino Francisco ac — Petro — Sancte Marie Nove diacono cardinali, domino Uberto, electo, et domino Francisco de Moliano, canonico Bononiensi, Thomasio quondam domini Hugolini Curtesis de Luca, capellano — Petri cardinalis, domino Guidotto de Urbeveteri, milite, et Benedicto Johannis Attrecesii de Quarcino testibus rogatis —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Dat. ut supra.

5399 (272) Même date.

De eodem negotio. (fol. 398.)

Eodem. Habet tua petitio quod Petrus, filius quondam de Babuco, [1], procurator nobilis mulieris Leonarde, relicte quondam Jacobi Cappelli de dominis castri Pofarum, tutricis et curatricis, ut dicebatur, infrascriptorum pupillorum, filiorum Petri, Gottifridi et Bartholomei filiorum, ac Letitie, filie ipsius Leonarde et predicti quondam Jacobi, ipsius Jacobi heredum, procuratorio nomine — vendidit — tibi — totam partem seu partes ipsorum Petri, Gottifridi, Bartholomei et Letitie, quas ipsi habebant — in castro Pofarum et castro Carpini — et eorum territoriis — pro pretio sex milium ducentorum et quinquaginta florenorum auri —. Promisit insuper — se facturum — quod prefata tutrix —, quamcitius comode poterit, ac prefati pupilli, postquam quartum decimum etatis sue annum exegerint — inviolabiliter observarent —. Tenor — Anno Domini MCCCII — die XXVII mensis novembris. In presentia mei notarii — Petrus, filius quondam [2] de Babuco —. Actum Rome apud Sanctos Quatuor in hospitio — Francisci — Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, coram ipso domino cardinali et presentibus domino Francisco de Moliano, Bononiensis, et domino Nicolao Carsolo de Signia, Attrebatensis eccle-

1. Nomen patris deest in regesto.
2. Spatium vacuum notatur in regesto inter quondam et « de Babuco ».

siarum canonicis, et nobilibus viris domino Anibaldo domini Riccardi de Anibaldis de Urbe, domino Guidotto de Urbeveteri et domino Berardo domini Ectoris de Ceccano, militibus, ac Johanne dicto de Nive de Signia testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Dat. ut supra.

5400 (273) Même date.

De eodem negotio (fol. 399.)

Eidem. Habet tua petitio quod dilectus filius Bartholomeus Gregorii de Pofis, miles, vendidit — tibi — totam suam partem castri Pofarum et castri Carpini — et territoriorum — pro pretio quatuor milium centum et sexaginta septem florenorum auri —. « Tenor autem —. Anno Domini MCCCII — die vicesima secunda mensis novembris in presentia mei notarii — nobilis vir dominus Bartholomeus domini Gregorii de Pofis —. Actum Rome, apud Sanctum Johannem et Paulum, in hospitio — domini Petri — Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, presentibus ipso domino Petro cardinali et — domino Francisco — Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali — domino Nicolao Verticelli de Neapoli, capellano ejusdem domini Petri cardinalis, ac domino Guidone domini Petri de Pileo, domino Paulo domini Alberti de Turice et domino Guidotto quondam domini Petri de Urbeveteri, militibus, et Nicolao Saragosa, cive Anagnino, notario et aliis —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Dat. ut supra.

5401 (274) Même date.

De eodem negotio. (fol. 399 v°.)

Eidem. Habet tua petitio quod dilecti filii Gregorius, abbas secularis ecclesie Sancti Antonii, et Tadeus de Lombardis, miles, frater ejus, de Pofis, Verulane diocesis, vendiderunt — tibi — dominium seu sennoriam — et generaliter omnia et singula bona — que — habebant — in predicto castro Pofarum et etiam in castro Carpini — pro pretio trium milium trecentorum et triginta trium florenorum auri —. Tenor autem instrumenti —. « Anno domini MCCCII — die nona mensis novembris. In presentia mei notarii — dominus Gregorius, abbas —. Actum Rome, apud Sanctos Quatuor in hospitio — domini Francisci —, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, presentibus — domino Uberto, electo Bononiensi, domino Nicolao Verticelli de Neapoli, capellano — domini Petri Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, domino Nicolao Carsolo de Signia, canonico Attrebatensi, domino Francisco de Moliano, canonico Bononiensi, domino Guidotto de Urbeveteri, milite, et magistro Benedicto Johannis Atrecesii de Guarcino notario —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Dat. ut supra.

5402 (275) Latran, 14 mars 1302.

Confirmat auctoritate Apostolica dominus papa, supplendo defectus, si qui sunt, instrumentum, quo Sabus, filius quondam Martini Caballuti de Urbe, vendidit Leoni quondam Johannis Judicis et Johanni, filio ejus, partem tertiam casalis Capitis Bovis et Capitis Vaccæ pro pretio trium millium florenorum auri. (fol. 402) [1].

Dilecto filio Leoni quondam Johannis Judicis et Johanni, filio ejus, civibus Romanis. Habet vestra petitio quod dilectus filius Sabus, filius quondam Martini Caballuti de Urbe, sponte vendidit et titulo venditionis concessit vobis, ementibus et recipientibus pro vobis et heredibus ac successoribus vestris, tertiam partem, pro indiviso ad eum libere pertinentem, casalis Capitisbovis et Capitisvacce, ac omnium munitionum et munimentorum, domorum, hedificiorum, fortelliciarum, terrarum cultarum et incultarum, vinearum, silvarum, pascuorum, pratorum, aquarum, aqueductuum et omnium rerum, bonorum, jurium et pertinentiarum dicti casalis, positorum in territorio ipsius Urbis, in ipso loco ubi dicitur Caputbovis et Caputvacce, juxta casale, quod fuerat judicis Johannis Satulli et tunc erat venerabilis fratris nostri Egidii, archiepiscopi Bituricensis, vel suorum, et juxta casale ecclesie Sancti Alexii et casale Francisci Tartari et casale ecclesie Sancti Johannis in Porta Latina et casale Nicolai Malacene, militis, et turricellam heredum quondam Petri magistri Pandulfi et rem ecclesie Sancti Stephani in Celiomonte, et rem ecclesie Sancte Martine ac rem ecclesie Sancti Sebastiani de Urbe predicta, et si qui alii erant eorum confines, cum accessibus et egressibus suis usque in viam seu vias publicas, et cum omnibus et singulis, que super se seu intra vel infra se habebant in integrum, omnique jure et actione ad ipsum venditorem pro dicta tertia parte seu pro dictis bonis, juribus et rebus venditis, vel in eis quovis modo pertinente, seu spectante, pro pretio trium milium florinorum auri, in instrumento hujusmodi venditionis expresso, prout hec et alia in eodem instrumento, cujus tenor in-

1. Deest folium 401.

ferius est insertus, plenius continentur. Quare nobis humiliter supplicastis ut venditionem et alienationem hujusmodi et ipsarum contractum, cum omnibus que in se continet, confirmare, ac supplere omnem defectum, si quis in eis vel eo esset, de benignitate Sedis Apostolice dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, venditionem et alienationem predictas et hujusmodi contractum super hiis habitum, cum omnibus que in eo contenta sunt, et quod in premissis factum est per Sabbum venditorem predictum rata habentes et grata, ea, ex certa scientia, auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Et supplentes omnem defectum, qui predictis venditioni et alienationi et contractui et hiis que in se continet, ex quacunque ratione vel causa, posset inesse, volumus quod hujusmodi nostra confirmatio vires plenissime firmitatis assumat, ac perinde ex hac nostra auctoritate valeat suscipiatque vigorem, dicteque venditio et alienatio, quo ad dominii et possessionis predictorum tertie partis et bonorum, rerum et jurium venditorum plenam acquisitionem et translationem, in vos sortiatur effectum, sicut si defectus et impedimenta omnia, quecumque sint, nota vel ignota, specialiter et singulariter, presentibus litteris forent expressa, et nominatim eorum omnium, etiam ante contractum hujusmodi, substulissemus obstacula per easdem. Et quod minus vel ommissum esset sive invalidum, forte incuria vel imperitia sive quacumque causa, contineretur in sepedicto contractu, ad ipsius et dictarum venditionis et alienationis plenum robur, implemus de Apostolice plenitudine potestatis. Tenor autem instrumenti predicti talis est : « In nomine Domini Amen. Anno domini millesimo ccc° secundo, indictione quintadecima, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno octavo, die quartadecima mensis martii. In presentia mei notarii et testium subscriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum, Sabbus, filius quondam Martini Caballuti de Urbe, sua bona et libera voluntate dedit, vendidit, tradidit et concessit jure proprio in perpetuum nobilibus viris Leoni quondam domini Johannis Judicis et Johanni, filio ejusdem Leonis de Urbe, — tertiam partem pro indiviso, ad eum libere pertinentem, casalis Capitisbovis et Capitisvacce.

Describit confinia dicti casalis eisdem verbis ac in confirmatione suprascripta et addit :

pro pretio trium milium florinorum auri, quod predicti Leo et Johannes, emptores, ipsi Sabbo, venditori, ibidem in presenti in florenis aureis solverunt et tradiderunt, dictusque Sabus illud recepit sibique retinuit et reposuit, renuntians nichilominus idem venditor exceptioni sibi non soluti et non numerati pretii, seu non solutorum et non numeratorum florinorum auri, et exceptioni doli et in factum, et deceptioni ultra dimidiam justi pretii, ac omni juris auxilio canonici et civilis, ac faciens idem venditor, pro se suisque heredibus et successoribus, de dicto pretio prefatis emptoribus, pro se ac heredibus et successoribus eorum stipulantibus et recipientibus, finem, quietationem et refutationem ac pactum de ulterius non petendo. Quam tertiam partem casalis, munitionum, domorum, terrarum, bonorum, rerum, actionum et jurium taliter venditorum idem venditor constituit se precario possidere vel quasi, nomine predictorum emptorum, donec iidem emptores predicte tertie partis et hujusmodi bonorum, rerum et jurium venditorum possessionem vel quasi, per se vel alium, acceperint corporalem, quam accipiendi, auctoritate sua, et retinendi deinceps licentiam eis omnimodam contulit atque dedit, ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, alienandum et quicquid predictis emptoribus ac heredibus et successoribus eorum deinceps placuerit perpetuo faciendum. Promittens prefatus venditor, pro se ac heredibus et successoribus suis, memoratis emptoribus, pro ipsis ac heredibus et successoribus eorum stipulantibus, quod ipse venditor eisdem emptoribus vel heredibus et successoribus eorum litem vel controversiam de predicta tertia parte casalis, bonorum, rerum et jurium predictorum venditorum, vel aliqua eorum parte, per se vel alium, nullo unquam tempore inferet nec inferenti consentiet, sed predictam tertiam partem ac bona, res et jura predicta vendita, tam in proprietate quam in possessione ab omni homine et universitate legitime defendet, auctorizabit et disbrigabit, et ab omni onere ac jure alterius liberabit, et eandem venditionem ac omnia et singula suprascripta et infrascripta perpetuo firma et rata habebebit atque tenebit, et in nullo contra faciet vel veniet, per se vel alium, aliqua causa vel ingenio, de jure vel de facto. Litem quoque super eis vel eorum aliquo movendam predictis emptoribus vel heredibus et successoribus eorum, statim ad requisitionem ipsorum, suis propriis suscipiet ac tractabit sumptibus et expensis, sub pena dupli extimationis predictorum bonorum, rerum et jurium venditorum, habita ratione meliorationis, si pro tempore plus valuerint pretio supradicto, in singulis capitulis hujusmodi contractus solenniter promissa et stipulata, qua soluta vel non, rata maneant omnia et singula suprascripta et infrascripta. Promisit etiam reficere et restituere [1] ipsis omnia et singula dampna, expensas et in-

1. *Ms* : restuere.

teresse litis, que et quas predicti emptores vel eorum heredes et successores in judicio vel extra judicium fecerint vel substinuerint pro predictis, ita quod, sine taxatione judicis vel pretoris, stetur eorum simplici verbo, sine juramento vel alia probatione, ac dictam penam totiens committi et posse cum effectu exigi voluit prefatus venditor, quotiens per ipsum ac heredes et successores ejus factum fuerit contra predicta vel infrascripta seu aliquod eorumdem : renuntians expresse idem venditor, in omnibus et singulis suprascriptis et infrascriptis, statutis et consuetudinibus Urbis, que loquuntur pe penis conventionalibus non auferendis vel non exigendis, ac omni alii statuto, consuetudini et juri, per quod contra hec se defendere posset quomodolibet vel tueri. Promisit insuper prefatus Sabus venditor prefatis emptoribus se facturum et curaturum, omni exceptione remota, quod domina Theodora, mater, et domina Juliana, uxor ejus, infra triduum, ad requisitionem prefatorum emptorum huic venditioni consentient, et renuntiabunt omni earum juri ypothecarum et cuilibet alii, quod habebant vel habere poterant in dictis rebus, juribus et bonis venditis, occasione dotium suarum vel alia quacumque ratione seu causa, et easdem venditionem et pretii solutionem, possessionis traditionem et omnia et singula suprascripta ratificabunt et approbabunt, et de hiis solemnem promissionem et obligationem et contractum cum pene adjectione et corporalis juramenti prestatione ad sensum sapientis eorumdem emptorum facient et cavebunt. Pro quibus omnibus et singulis, ut superius scripta sunt, adimplendis et firmiter observandis, prefatus venditor, tactis sacrosanctis scripturis ad sancta Dei evangelia, prestitit corporaliter juramentum, et nichilominus, pro se ac heredibus et successoribus suis, eisdem emptoribus, pro se ac heredibus et successoribus eorum recipientibus, omnia bona sua, tam habita quam habenda, specialiter obligavit. Actum Rome, apud ecclesiam Sanctorum Johannis et Pauli, in hospitio reverendi patris domini Petri, Dei gratia Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, et in ejus camera. Presentibus ipso domino Petro cardinali et reverendo patre domino Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, domino Riccardo domini Theobaldi de Anibaldis, domino Urso Neapoleonis de Urbe, Paulo domini Mathei de Piperno clerico, domino Amatone domini Johannis domini Amatonis, milite Anagnino, ac Symone Gerardi mercatore de societate Spinorum de Florentia et aliis testibus ad hec vocatis et rogatis. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico. —. » Nulli ergo — nostre confirmationis et suppletionis —. Si quis autem —. Dat. Laterani, II id. martii, pontificatus nostri anno octavo.

5403 (276) Latran, 17 avril 1302.

Confirmat auctoritate Apostolica dominus papa, supplendo defectus, instrumentum quo Leo quondam Johannis Judicis et Johannes, filius ejus, tertiam partem casalis Capitisbovis et Capitisvaccæ Francisco, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, cesserunt pro pretio trium millium florenorum auri. (fol. 403.)

Dilecto filio Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali. Habet tua petitio quod dilecti filii nobiles viri Leo quondam Johannis Judicis et Johannes, filius ejusdem Leonis, cives Romani, sponte vendiderunt et titulo venditionis concesserunt tibi, pro te ac tuis heredibus et successoribus ementi et recipienti, tertiam partem pro indiviso, quam emerunt a Sabbo, filio quondam Martini Caballutii de Urbe, ad eos libere pertinentem, casalis Capitisbovis et Capitisvacce, — et omnium rerum, bonorum, jurium et pertinentiarum dicti casalis, positorum in territorio ipsius Urbis, in ipso loco ubi dicitur Caputbovis et Caputvacce, juxta casale quod fuerat judicis Johannis Satulli et tunc erat venerabilis fratris nostri Egidii, archiepiscopi Bituricensis, vel suorum, et juxta casale ecclesie Sancti Alexii et casale Francisci Tartari et casale ecclesie Sancti Johannis in Porta Latina et casale Nicolai Malacene, militis, et turricellam heredum quondam Petri magistri Pandulfi, et rem ecclesie Sancti Stephani in Celiomonte, et rem ecclesie Sancte Martine ac rem ecclesie Sancti Sebastiani de Urbe predicta, et si qui alii erant eorum confines, — pro pretio trium milium florinorum auri —. Quare nobis humiliter supplicasti ut venditionem et alienationem hujusmodi et ipsarum contractum — confirmare ac supplere omnem defectum qui in eis vel eo esset, de benignitate Sedis Apostolice dignaremur. Nos itaque — hujusmodi contractum — auctoritate Apostolica confirmamus —. Tenor autem predicti instrumenti talis est : « In nomine Domini Amen. Anno Domini millesimo ccc° secundo — die quartadecima mensis martii. In presentia mei notarii nobiles viri Leo quondam domini Johannis Judicis et Johannes, filius ejusdem Leonis de Urbe, sua — libera voluntate, dederunt, vendiderunt, tradiderunt et concesserunt jure proprio in perpetuum reverendo patri domino Francisco, Dei gratia Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali — tertiam partem pro indiviso, quam emerunt a Sabo filio quondam Martini Caballuti de Urbe, ad eos — pertinentem, casalis Capitisbovis et Capitisvacce — positorum in territorio Urbis in ipso loco ubi dicitur Caputbovis et Caputvacce — pro pretio trium milium florinorum auri, quod confessi fuerunt se a predicto domino cardinali recepisse —. Actum Rome, apud ecclesiam

Sanctorum Johannis et Pauli, in hospitio reverendi patris domini Petri, Dei gratia Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, et in ejus camera. Presentibus ipso domino Petro, Sancte Marie Nove diacono cardinali, domino Riccardo domini Theobaldi de Anibaldis, domino Urso Neapoleonis de Urbe, Paulo domini Mathei de Piperno clerico, domino Amatone domini Johannis domini Amatonis, milite Anagnino, ac Symone Gerardi, mercatore de societate Spinorum de Florentia, et aliis testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Nulli ergo — nostre confirmationis et suppletionis —. Si quis autem —. Dat. Laterani, xv kal. maii, pontificatus nostri anno octavo.

5404 (277) Latran, 17 avril 1302.

Idem de sexta parte ejusdem casalis, quam cesserunt Paulus, canonicus Sanctæ Mariæ in Cosmedin, et Ceccus Gabelluti, fratres, pro se et pro Johanne fratre suo minore, pro pretio mille quingentorum florenorum auri. (fol. 404).

Eidem. Habet tua petitio —. Tenor autem instrumenti talis est. « In nomine Domini Amen. Anno Domini millesimo ccc° secundo — die quintadecima mensis martii. In presentia mei notarii — Paulus Gabellutus, canonicus ecclesie Sancte Marie in Cosmedin, ipso quidem Paulo asserente per juramentum proprium se esse majorem quatuordecim annis, et Ceccus Gabellutus, frater suus, filius quondam Jacobi Gabelluti [1] de Urbe, pro se ipsis et pro Johanne Gabelluto, fratre ipsorum absente, minore quatuordecim annis, cujus tutricem dominam Egidiam, matrem ipsorum, esse dicebant, sua bona et libera voluntate, dederunt, vendiderunt, tradiderunt et concesserunt — reverendo patri domino Francisco, Dei gratia Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali — sextam partem pro indiviso ad eos libere pertinentem casalis Capitisbovis et Capitisvacce, — pro pretio mille quingentorum florinorum auri —. Promiserunt insuper prefati venditores ipsi emptori se facturos et curaturos, omni exceptione remota, quod predicta domina Egidia, mater ipsorum, relicta predicti quondam Jacobi Gabelluti ac tutrix predicti Johannis filii sui, tam pro se quam tutorio nomine ipsius ejus filii, ac domina Jaquinta, uxor ipsius Cecci, infra triduum, ad requisitionem predicti emptoris vel heredum et successorum ejus, huic venditioni consentient et renuntiabunt dicta mater et uxor omni earum juri ypothecarum occasione dotum suarum et omni alii juri, quod habebant vel habere possent in dictis rebus, et omnia et singula suprascripta ratificabunt et approbabunt, et de hiis solennem promissionem, obligationem et contractum cum pene adjectione et corporalis juramenti prestatione ad sensum sapientis ejusdem emptoris facient et cavebunt —. Actum Rome, apud Sanctos Quatuor, in hospitio ipsius domini Francisci cardinalis, presentibus reverendo patre domino Petro, Dei gratia Sancte Marie Nove diacono cardinali, et discretis viris domino Jacobo domini Nicolai domini Mathie de Anagnia, canonico Attrebatensi, domino Petro, filio quondam domini Nicolai Busse militis Anagnini, canonico Anagnino, ac nobilibus viris domino Bernazono domini Catenacii de Anagnia et domino Guillelmo de Fumone, militibus, et aliis testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Nulli ergo — nostre confirmationis et supletionis —. Si quis autem —. Dat. Laterani, xv kal. maii, pontificatus nostri anno octavo.

1. *Ms* : Ganellusi.

5405 (278) Latran, 16 avril 1302.

Idem de tertia parte ejusdem casalis, quam cesserunt « nobiles viri Oddutius et Matheutius Gabelluti de Urbe fratres pro se ipsis et pro Johanne Gabelluto », suo fratre absente, majore quatuordecim annis, promittentes eum et Ægidiam matrem suam venditioni consensuros. (fol. 405 v°.)

Eidem. Habet tua petitio —. « In nomine Domini Amen. Anno Domini millesimo ccc secundo — die quinta decima mensis martii —. Actum Rome apud Sanctos Quatuor, in hospitio ipsius domini Francisci cardinalis, presentibus — Petro, — Sancte Marie Nove diacono cardinali, et discretis viris domino Jacobo domini Nicolai domini Mathie de Anagnia, canonico Attrebatensi, et domino Petro, filio quondam domini Nicolai Busse militis Anagnini, canonico Anagnino, ac nobilibus viris domino Bernazono domini Catenatii de Anagnia et domino Guillelmo de Fumone, militibus, et aliis testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Dat. Laterani, xvi kal. maii, pontificatus nostri anno octavo.

5406 (279) Latran, 16 avril 1303.

Idem de sexta parte, quam donavit nobilis vir Lucas, filius quondam Johannis de Sabello, civis Romanus (fol. 407).

Eidem. Habet tua petitio —. Tenor autem predicti instrumenti talis est : « In nomine Domini Amen. Anno Domini millesimo ccc secundo, — die decima septima mensis martii. In presentia mei notarii — nobilis vir

dominus Lucas, filius quondam domini Johannis de Sabello civis Romani, ob magnum amorem magnamque dilectionem, quem et quam habet ad reverendum patrem dominum Franciscum, Dei gratia Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem, ac multa et grata servitia, que ab ipso domino Francisco dixit et asseruit se recepisse, dedit, donavit et tradidit, ex mera liberalitate, ac pure, libere, simpliciter et irrevocabiliter, inter vivos, jure proprio in perpetuum, ipsi domino Francisco, pro se ac suis heredibus et successoribus recipienti, sextam partem ad eum libere pertinentem casalis Capitisbovis et Capitisvacce —. Quam accipiendi auctoritate sua et retinendi deinceps ei licentiam omnimodam dedit. Promittens idem dominus Lucas, per se ac suos heredes et successores, dicto domino Francisco, pro se et suis heredibus et successoribus stipulanti, predictam donationem et omnia et singula suprascripta et infrascripta perpetuo firma et rata habere et tenere et in nullo contra facere vel venire, per se vel alium, aliqua causa vel ingenio, de jure vel de facto, ac ipsam donationem ingratitudine vel causa aliqua revocare, sub pena dupli extimationis dictarum rerum donatarum in singulis capitulis hujusmodi contractus solenniter promissa et stipulata, et refectione dampnorum et expensarum litis et extra, et obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, et, pena soluta vel non, predicta omnia et singula firma perdurent : renuntians dictus dominus Lucas in hac parte statutis et consuetudinibus Urbis, que loquuntur de penis conventionalibus non auferendis vel non exigendis, et exceptioni in factum, ac omni auxilio juris canonici et civilis. Et totiens donavit ipse dominus Lucas quotiens predicta donatio ac hujusmodi bona, res et jura donata per eum excedunt modum et formam de jure permissum atque statutum, et quot sunt res tot voluit donationes particulariter et singulariter esse factas. Pro quibus omnibus et singulis, ut superius scripta sunt, adimplendis et firmiter observandis prefatus dominus Lucas, tactis sacrosanctis scripturis, ad sancta Dei evangelia prestitit corporaliter juramentum. Actum Rome apud Sanctos Quatuor, in camera ipsius domini Francisci cardinalis. Presentibus venerabilibus patribus .. archiepiscopo [1], Leonardo, archiepiscopo Sypontino, et Raynaldo, episcopo Vicentino, domino Jacobo domini Nicolai domini Mathie, canonico Anagnino, domino Guillelmo Accursi de Bononia, magistro Petro Berardi Cini de Urbe, domino Nicolao Carsolo, canonico Signino, Johannutio domini Vite de Ferentino et Symonetto de Monte Sancto et aliis testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —.» Dat. Laterani, XVI kal. maii, pontificatus nostri anno octavo.

1. Deest nomen archiepiscopalis sedis in regesto.

5407 (280) Latran, 20 mars 1302.

Idem de duodecima parte ejusdem casalis, quam Ægidia relicta quondam Jacobi Petri Gabelluti, tutrix Petrucii et Jannutii, filiorum suorum, vendidit pro pretio septingentorum quinquaginta florenorum auri. (fol. 408.)

Eidem. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod Egidia relicta quondam Jacobi Petri Gabelluti de Urbe, tutrix Petrutii et Jannutii pupillorum, filiorum suorum et ejusdem Jacobi, — confessa est te tenere et possidere — in totum munitionem, que dicitur Caputbove, et aliam turrim, que dicitur Caputvacca, cum claustris, casseriis et fortellitiis suis et cum toto tenimento seu territorio ad predictam spectante — quorum omnium medietas sexte partis scilicet una uncia seu duodecima pars pertinebat et pertinuit ad pupillos predictos. Verum, quia dicti pupilli gravabantur et gravati erant oneribus debitorum et eos urgentibus ad solvendum — dicta tutrix — pro exonerandis dictis pupillis a debitis antedictis — vendidit et, venditionis tituto, dedit et concessit venerabili fratri nostro Uberto, episcopo Bononiensi, cancellario, camerario et procuratori tuo, sicut de procuratorio hujusmodi constitit evidenter — dictam medietatem sexte partis — pro pretio septingentorum quinquaginta florinorum auri et ad cautelam voluit et mandavit dictum procuratorem nomine tuo investiri et in possessionem induci de predictis —. Pro quibus omnibus observandis — predicta tutrix — tactis scripturis prestitit corporaliter juramentum —. Nos itaque —, tenor autem ipsius instrumenti, quem ipsius auctentici vim et dicti procuratorii probationem obtinere decernimus, talis est : « In nomine Domini Amen. Anno Domini millesimo CCC secundo — die nonadecima mensis julii. Constituta domina Egidia relicta quondam Jacobi Petri Gabelluti de Urbe coram discreto viro domino Johanne magistri Luce, de ipsa Urbe, judice palatino, presente quoque probo et discreto viro domino Uberto de Placentia, canonico Laudunensi, camerario et procuratore reverendi patris domini Francisci — Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, ac recipiente omnia et singula que infra dicentur nomine predicti domini Francisci cardinalis, et coram me Nicolao dicto Novello de Vico, notario infrascripto, que quidem domina tutrix est Petrutii et Johannutii, pupillorum, filiorum suorum et filiorum predicti quondam Jacobi viri sui,

prout dicto judici et michi infrascripto notario constitit legitime publico instrumento, scripto per Jacobum Petri Papa, publicum in Urbe notarium, cum inventario bonorum ad dictos pupillos pertinentium et aliis solennitatibus ad dictam tutelam necessariis, confessa est dictum dominum Franciscum cardinalem per se et alios tenere et possidere pacifice et quiete in totum munitionem, que dicitur Caputbove, et aliam turrim, que dicitur Caputvacca —. Quia vero dicti pupilli gravantur et gravati sunt gravibus oneribus debitorum — que quidem debita sunt hec scilicet : debitum dotis dicte domine Egidie, trecentarum librarum bonorum et antiquorum provisinorum et settuaginta quinque librarum donationis propter nuptias facte sibi, que dicta domina habere debuit et debet in bonis dicti Jacobi viri sui, patris dictorum pupillorum, cujus dicti pupilli pro parte sunt heredes, nec non et sexaginta florinorum auri, quos dictus Jacobus dicte domine Egidie in suo testamento reliquit; item et quinquaginta librarum provisinorum, quas dictus Jacobus, pro anima sua, in ipso testamento reliquit; item et debitum sexcentarum librarum provisinorum, quas dictus Jacobus in suo testamento Jacobelle et Pernutie filiabus suis pro dotibus earum dimisit, cuilibet scilicet earum trecentas libras, nec expediat dictis pupillis communionem habere cum predicto domino cardinali de dictis rebus, maxime cum tam parva partiuncula, ut predicitur, pertineat ad ipsos pupillos in dictis rebus et totum aliud sit dicti domini cardinalis, idcirco dicta tutrix coram dicto judice, pro dictis pupillis et eorum nomine, utiliora prospiciens, interpositis ac intervenientibus decreto et auctoritate ipsius judicis et permissu, ob causas predictas et maxime pro exonerandis dictis pupillis a debitis antedictis, nomine ipsorum pupillorum et pro eis, vendidit — dicto domino Uberto, camerario et procuratori prefati domini cardinalis — dictam medietatem sexte partis — pro pretio septingentorum quinquaginta florenorum auri, — et ad cautelam — mandavit dictum procuratorem — investiri et in possessionem induci de predictis — per nobilem virum dominum Guidonem de Urbeveteri, presentem et recipientem, cui nominatim mandavit ut ipsum dominum cardinalem seu dictum procuratorem investiret et in possessionem corporalem induceret munitionis et rerum predictarum. De pretio vero predicto coram dicto judice ac dicto procuratore et me notario sibi pro dictis pupillis — pleniter solutum et satisfactum esse dixit et confessa est, faciens ipsi domino Uberto procuratori — de ipso pretio finem, quietationem ac pactum de ulterius non petendo — renunciando nichilominus exceptioni non numerate pecunie — de quo pretio dicta tutrix solvit — sibi ipsi — de toto eo, in quo dicti pupilli pro ea parte, in qua patris sunt heredes, ipsi tutrici sunt — obligati, ratione dicte dotis — et donationis propter nuptias — et ratione relicti — et aliarum quinquaginta librarum provisinorum, quas dictus vir suus in suo testamento pro anima sua dimisit distribuendas per manus ipsius. Solvit quoque — dicta tutrix de pretio predicto — sibi — tamquam tutrici predicte Pernutie, pupille, filie sue et predicti quondam viri sui, totum id, in quo dicti pupilli tamquam patris heredes teneri possent dicte Pernutie pupille, sorori ipsorum, ratione trecentarum librarum provisinorum, quas pater eorum dicte pupille pro dote in suo testamento reliquit. Necnon solvit et satisfecit dicta tutrix, nomine dictorum pupillorum, predicte Jacobelle, majori duodecim annis, sorori ipsorum, de pretio predicto totum id, in quo dicti pupilli eidem Jacobelle teneri possent tamquam patris heredes, ratione et occasione trecentarum librarum provisinorum, quas dictus communis pater eorum eidem Jacobelle pro dote in testamento reliquit. Et propterea dicta tutrix, nomine proprio, pro omnibus predictis suis juribus dotis, donationis ac relicti, et tamquam tutrix dicte pupille, tutorio nomine pro ea, liberavit et absolvit Franciscum, fratrem dictorum pupillorum, tunc ibi presentem, et actorem eorum, tunc ab ipsa tutrice, cum decreto dicti judicis, suo periculo constitutum super infrascriptis, nomine ipsorum pupillorum et pro eis recipientem, ab omnibus et singulis juribus et actionibus, quibus ipsi pupilli dicte tutrici, proprio nomine, ratione predictorum dotis, donationis et relicti, et dicte pupille, ratione dicti relicti trecentarum librarum, dicte Jacobelle majori, similiter ratione relicti trecentarum librarum, et bona ipsorum pupillorum, quocunque modo obligati sint et obligari possint, confitens dicta tutrix coram dicto judice et me notario, dicto actore presente, sibi tutrici, tam proprio nomine quam nomine dicte pupille, et ipsi Jacobelle majori de pretio predicto pleniter satisfactum esse, pro ipsis pupillis et eorum nomine, de omnibus et singulis predictis, de quibus satisfactionibus et solutionibus ac confessionibus ego dictus Nicolaus, notarius, ad cautelam predictorum pupillorum a predicto actore rogatus sum et fui pro dictis pupillis ex eis conficere publicum instrumentum, quod facere debeo. Preterea dicta tutrix, proprio nomine, extra tutele officium, et dictus Franciscus, actor, extra officium actoris, ac Johannes, communis frater dicti Francisci et dictorum pupillorum, quilibet scilicet ipsorum in solidum, interveniente stipulatione solenni promiserunt dicto procuratori — se ipsos facturos et curaturos, quod dicti pupilli et quilibet eorum, pervenientes ad pubertatis etatem, ratificabunt — venditio-

nem predictam — et quod interim — nullatenus — dictum dominum cardinalem — inquietabunt in possessione predictarum rerum —. Quod si contra predicta fieret quoquo modo, promiserunt dicta domina Egidia renuntiando beneficio Velleiani, de ipso certificata, et predicti Franciscus et Johannes, quilibet scilicet ipsorum in solidum, reddere et solvere dicto procuratori — ac ipsi domino cardinali vel heredibus dictos septingentos quinquaginta florenos auri, ad quos restituendos voluerunt firmiter obligari. De evictione autem predictarum rerum venditarum — dicta tutrix repromisit per solennem stipulationem — quod si contingat dictam partem dicte munitionis — evinci de jure, — dicto domino cardinali — in totum dicta tutrix pro dictis pupillis et ipsi pupilli teneantur et debeant reddere et solvere — domino cardinali vel prefatis heredibus et successoribus duplum dicti pretii, scilicet mille quingentos florenos auri — confitens dicta tutrix talem esse in Urbe consuetudinem, scilicet quod duplum pretium pro rebus evictis reddatur et solvatur. Dampna quoque et expensas, que idem dominus cardinalis faceret vel incurreret pro defensione rerum predictarum dicta tutrix — solvere promisit et credere simplicii assertioni dicti procuratoris seu — dicti domini cardinalis, utrum scilicet ipsa dampna incurrerint et dictas expensas fecerint et de ipsorum quantitate et numero —. Pro quibus omnibus — observandis — dicta tutrix — bona ipsorum pupillorum et bona sui propria, et dicti Franciscus et Johannes et quilibet eorum bona ipsorum omnia, mobilia et immobilia, presentia et futura, — obligaverunt et pignori posuerunt, que nomine predicti domini cardinalis — se possidere constituerunt —. Hec omnia et singula — implere promiserunt sub pena mille marcharum argenti —. Et, ad majorem predictorum omnium firmitatem, — tactis scripturis ad sancta Dei evangelia prestiterunt corporaliter juramentum. Actum Rome, in regione Ripe, in domo predictorum Francisci et Johannis. Presentibus domino Angelo Petri Mathei judice, Petro Felicis scriniario, Jacobo Petri Pappe notario, Petro Casarii Montanarii, Jacobo Pandulfi domini Jacobi de Stinco de Urbe, domino Guidotto de Urbeveteri, milite, ac Rosso de Pisis, tabernario in Curia Romana, testibus ad hec vocatis et rogatis. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Nulli ergo — nostre confirmationis, suppletionis, voluntatis et constitutionis —. Si quis —. Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, pontificatus nostri anno nono.

5408 (281) Latran, 19 mars 1303.

Cum Johannes, filius Leonis quondam Johannis Judicis de Urbe, hæres patrui sui, Johannis quondam Johannis Judicis, non intervenisset venditioni, quam pater suus Francisco, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, fecit de tenimento Turris de Petronibus, confirmat auctoritate Apostolica dominus papa instrumentum quo pater et filius, supplentes defectum prioris instrumenti, idem tenimentum de novo vendiderunt eidem cardinali pro eodem pretio sex millium florenorum auri. (fol. 409 v°.)

Eidem. Petitio tua —. Tenor autem ipsius instrumenti — talis est : « In nomine Domini Amen. Anno Domini millesimo trecentesimo secundo — die vicesimo primo mensis augusti, nobiles viri Leo quondam domini Johannis Judicis et Johannes, filius ipsius Leonis, cives Romani, presente discreto viro domino Uberto de Placentia, canonico Laudunensi, camerario et procuratore reverendi patris domini Francisci, Dei gratia Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, — et coram nobis Nicolao dicto Novello de Vico, Nicolao Palmerii de Vico, notariis infrascriptis, in veritate confessi sunt et recognoverunt predictum dominum Franciscum, cardinalem, per se ac alios, tenere ac possidere pacifice et quiete in totum ex venditione sibi facta per eundem Leonem, et ex ratificatione et de novo venditione ipsius Johannis postmodum subsecutis, tenimentum quod dicitur Turris de Peronis, cum domibus, terris, vineis, piscariis, pratis, ortis, torcularibus, boscalibus, et cum turri, que fuit domine Rucciane, turri, que fuit Johannis Macharii, et turri, que fuit Angeli Carnicella de Urbe, et cum arboribus, fructiferis et non fructiferis, ac omnibus juribus, utilitatibus et pertinentiis suis, positum in territorio dicte Urbis, extra portam Appiam, in loco qui dicitur Cretazu, juxta rem ecclesie Sancti Sebastiani et rem ecclesie Sancte Lucie, et juxta viam qua itur ad Vallem Cardosam, ac juxta viam Oratoriam vel alios suos confines, cum omnibus et singulis, que infra predictos continentur confines, vel alios, si qui forent, cum accessibus et egressibus suis usque in viam seu vias publicas, et cum omnibus et singulis, que predicta bona habent supra se vel infra seu intra se, in integrum, omnique jure et actione, usu seu requisitione, sibi ex eis vel pro eis aut ipsis rebus modo aliquo pertinente sive spectante, pro pretio sex milium florenorum boni et puri auri, eisdem Leoni et Johanni per eundem dominum cardinalem seu per predictum dominum camerarium in veritate integre postmodum persoluto, et quod tam idem Leo quam dictus Johannes id, quod predicta tenimentum et bona plus valerent pretio supradicto, donaverant ipsi domino

cardinali, ea donatione que dicitur inter vivos. Verum, quia predictus Leo venditionem predictam fecerat in absentia predicti Johannis, et in contractu venditionis ejusdem predictum tenimentum vendiderat sicut suum, et dixerat illud olim fuisse quondam domini Johannis Judicis fratris sui, nec expresserat quod in tenimento et bonis predictis ad predictum Johannem filium suum, qui fuerat et est heres universalis institutus ab ipso domino Johanne, fratre ipsius Leonis, aliquid pertineret, nec quod idem Leo in tenimento et bonis prefatis habuisset aliquid discretum vel commune cum predicto domino Johanne fratre suo : et ideo idem Leo et Johannes, ejus filius, recognoscentes se errasse vel negligenter egisse in venditione et ratificatione predictis, nunc, ad omne super hiis dubium excludendum, idem Leo, cum consensu dicti Johannis, filii sui, vendidit de novo predicto domino Uberto camerario et procuratori prefati domini F[rancisci] cardinalis, ementi et recipienti pro ipso domino F[rancisco] cardinali, duas partes predicte turris de Petronibus, cum omnibus vineis, que fuerunt Pauli Peronis et Rubei Carnicella et Nicolai Funicarii, et piscarias ac omnia et singula bona et jura que per se divisim, vel cum predicto domino Johanne fratre suo pro indiviso idem Leo habuit, tenuit et possedit in tenimento et bonis predictis, vel pervenerunt seu pertinuerunt ad eum, ex permutatione vel quocunque modo, jure vel titulo sive causa, a quibuscunque personis, locis, collegiis et universitatibus. Predictus vero Johannes, filius ipsius Leonis, cum expresso consensu et voluntate predicti Leonis, patris sui, similiter vendidit dicto domino Uberto, camerario et procuratori predicti domini F[rancisci] cardinalis — omnia et singula bona et jura, que prefatus dominus Johannes Judicis, frater dicti Leonis, habuit, tenuit et possedit in predicto tenimento turris de Peronibus et in omnibus et singulis bonis predictis, vel pertinuerunt ad eum per se divisim vel in communi cum Leone predicto, et generaliter quicquid ipse Johannes, filius ejusdem Leonis, in tenimento et bonis prefatis habuit vel ad eum spectavit, vel habebat sive spectabat ad ipsum ex testamento predicti domini Judicis, patrui sui, cujus, ut predicitur, heres existit, ex quacunque successione seu quocunque modo, jure, causa vel titulo. Predictum autem tenimentum totum et integrum et omnia et singula bona, jura et pertinentia supradicta, idem Leo et Johannes, ejus filius, et quilibet eorum, mutuis consensibus sibi prestitis, tam in diviso quam in communi, ut predictum est, de novo vendiderunt, dederunt, tradiderunt et concesserunt supradicto domino Uberto, camerario et procuratori predicti domini Francisci cardinalis, — pro eodem pretio sex milium florenorum auri — sed, si quid bona, res et jura prefata vendita plus valerent suprascripto pretio sex milium florenorum auri, jam ipsis Leoni et Johanni, ut premittitur, persoluto, iidem Leo et Johannes dicto domino Uberto procuratori, recipienti pro sepefato domino Francisco cardinali et heredibus et successoribus ejus, sponte remiserunt et concesserunt. Promiserunt insuper ipsi Leo et Johannes, per se ac heredes et successores suos, predicto domino Uberto procuratori, stipulanti pro predicto domino F[rancisco] cardinali et heredibus et successoribus ejus, quod de predictis rebus, bonis et juribus vel eorum aliquo seu aliquibus nullo unquam tempore alicui vel aliquibus aliis fecerunt ipsi vel eorum alter, per se vel alium, venditionem, alienationem, donationem, cessionem vel distractionem aliquam sive contractum vel quasi contractum aut aliquid aliud, per que presens contractus infringi valeat vel quomodolibet annullari, et quod premissa omnia et singula rata et firma perpetuo habebunt —. Actum Anagnie, in contrata ubi dicitur Portarium, in domibus majoris ecclesie Anagnine, in quibus dictus Leo tunc hospitabatur, presentibus magistro Conrado Johannis de Spoleto, clerico, Bartholomeo Cernitoris de Ferentino, Bernardo Bosolo de Parma, Guidone Carbonis de regione Montium et Jacobo Riccardi de regione Transtiberim de Urbe, testibus —. Et ego Nicolaus Palmerii de Vico, alme Urbis Prefecti auctoritate notarius publicus —. Et ego prefatus Nicolaus dictus Novellus de Vico, Apostolica et Imperiali auctoritate notarius publicus —. » Nulli ergo — nostre confirmationis, supplectionis, voluntatis et constitutionis —. Si quis —. Dat. Laterani, XIIII kal, aprilis, pontificatus nostri anno nono.

Excerpta e litteris 5402-5408 impressa fuerunt in : G. Digard *Le Domaine des Gaetani au tombeau de Cecilia Metella* apud : *Mélanges G.-B. de Rossi* supplément aux *Mélanges d'archéologie et d'histoire publiés par l'Ecole Française de Rome*, t. XII (1892), p. 281-290.
